Ex libris Vincentii Alfonsi Lorente Medicinae Doctoris Valentini

Nº 1
8-28

Sala A
Estante 21
Tabla 5
Nº 28



Ex libris Vincentii Alfonsi Lorente Medicinae Doctoris Valentini

Nº 1
8-28

Sala A
Estante 21
Tabla 5
Num. 28





R. 824

GALENI

OMNIVM OPERVM
SEXTA CLASSIS.

Curandi rationem, & viam Sexta contineri Classe cognoscet is, qui versa pagina eius libros intuebitur: cui nunminus, quàm ceteris omnibus & lucis, & ornamenti ex opera nostra, summoque studio accessisse omnes, qui legent, facile inteligent.

UNIVERSITAT DE VALÈNCIA BIBLIOTECA HISTÒRICA MARQUÉS DE SOTELO

CVM PRIVILEGIIS.



VENETIIS,
Apud Vincentium Valgrisium.
MDLXII.

Sexta Classis hæc continet, quæ sequuntur.

GALENI methodi medendi, lib. XIIII. Thoma Linacro interprete. fo. 2

p. 6. ita p. De arte curandi ad Glauconem, lib. duo, Nicolao Leoniceno interp. 92

Documentum pro puero epileptico, Nicolao Leonico, interprete. 105

Quos purgare conueniat, quibus, cuando. Io. Bap. Rasario interp. 107

De sectione uenæ aduersus Erasistratum lib. Iosepho Tectandro interprete. 108

De venæ sectione aduersus Erasistratæos, qui Romæ erant, eodem interprete. 112

De curandi ratione per uenæ sectionem. Theodorico Gandauo interprete. 118

De marcore, lib. Io. Baptista Rasario interprete. 124

De hirudinibus, reuulsione, cucurbitula, & scarificatione, Ferdinando Balamio interprete. 128

Oribasij de cucurbitulis, scarificatione, hirudinibus, deriuatione, & reuulsione tractatio, ex septimo & octauo collectorum lib. Io. Baptista Rasario interprete. 128

Gal. de fascijs lib. Vido Vidio interprete. 130

Oribasij de laqueis ex Heracle, eodem interprete. 141

Oribasij de machinamentis ex Heliodoro, eodem interprete. 143

Quæ autem sunt ab Oribasio conscripta, quamuis separatim iamdiu impressa fuerint, tamen quia in alijs Galeni editionibus erant, ideo ne quid in hisce nostris desideraretur, adiungenda curauimus.

GAL. METHODI MEDENDI

ID EST DE MORBIS CVRANDIS, LIBRI QVATVORDECIM,

Thoma Linacro Anglo interprete.

Ad græcorum codicum fidem diligenter collati.

ARGVMENTVM PRIMI LIBRI.

Thessalum ac reliquos methodicos reprehendit, qui in sanitate ac morbo dignoscendo plurimum aberrarunt, docetq; principia methodi, qua morbus tum dignosci, tum curari debet.

Retardatam ea de causa fuisse horum librorum editionem, quòd ignauissimi ad bonas artes excolendas, maiorumq; studia amplexanda, Galeni tempore homines extiterint. Cap. I.

QVANQVAM & tu sæpe alias, chariſſime Hiero, & alij quidam amici me nunc hortantur, ut ſibi medendi methodum conſcribam: & ego ſane, tum uobis in primis gratificari, tum uero poſteros pro uiribus iuuare cupio: ſemper tamen ſum cunctatus, ac diſtuli, idque multis de cauſis, quas nunc quoque ſatius (opinor) fuerit prius, quàm opus ipſum aggrediar, exponere: ſunt enim ad ea, quæ poſt dicentur, ſane non inutiles. Earum igitur omnium illa præcipua fuit, quòd fruſtra me ſcripturum timebam: cum nemo prope dixerim, hac noſtra ætate ueritatis inquiſitioni ſit deditus, ſed pecuniam, & ciuilem potentiam, & inexplebiles uoluptatum delicias omnes eouſque ſuſpiciant, ut, ſiquis ſapientiæ quoduis ſtudium ſectetur, pro inſano hunc habeant: quippe qui primam ipſam & uere ſapientiam, quæ diuinarum humanarumq; rerum eſt ſcientia, ne eſſe quidem omnino exiſtiment: Medicinam uero, Rhetoricen, Geometriam, Arithmeticen, Muſicen, ac reliquas id genus artes eſſe quidem autument, ceterum finem earum ſtudioſe perſequendum minime cenſeant. Me uero ex ijs, qui me unice diligere ſunt uiſi, non nulli ſæpe increpant, quòd plus iuſto ueritatis ſtudio ſim addictus, quaſi nec mihi ipſi uſui, nec ipſis in tota uita ſim futurus, niſi & ab hoc tanto ueritatis indagandæ ſtudio deſiſtam, & mane ſalutando circumeam, & ueſperi apud potentes cœnem: His enim artibus tum amari, tum amicitias conciliari, tum uero pro artificibus haberi: nequaquam † ex ijs, quæ in propria profeſſione ſint conſequuti. Neq; enim eſſe, qui de ea iudicent, ubi omnes totum diem diuerſis ſtudijs tranſigant, mane quidem omnes ſimul ſalutationibus occupati, poſt autem diſtracti, ad forum quidem & lites non exigua turba: ad ſaltationes autem & aurigas alia maior: iam uel aleæ, uel amoribus, uel balneis, uel ebrietati, uel comeſſationi, uel demum alicui corporis uoluptati deditus ſane non exiguus numerus: ueſperi uero rurſum omnes ad ſympoſia ſimul collecti: ubi poſtquam [uino] ſe impleuere, non lyra citharave, aut aliud muſicum inſtrumentum in orbem circunfertur, (quod ſicut olim in eiuſmodi congreſſu tetigiſſe, honeſtum, ſic contra, non tetigiſſe admodum erat turpe) ſed nec ſermones ulli habentur, quales in ſympoſijs agitari ſolere ueteres prodiderunt, nec aliud honeſtum quicquam: immo inuicem ſibi propinant, & de magnitudine poculorum certant, utpote inter quos optimus cenſetur, non qui plurimis inſtrumentis muſicis, aut etiam ſermone philoſophico uti nouit, ſed qui multos, eosq; maximos calices exiccauit, adeo, ut mihi mane etiamnum ebrij ex his pleriq; uideantur: non nulli uero etiam euidenter adeo uinum olere, quàm ſi modo hauſiſſent. Eoq; iure fit, ut, cum ægrotare cœperint, medicos aduocent, non quidem optimos, utpote quos per ſanitatem noſcere nunquam ſtuduerunt, ſed eos, quos maxime familiares habent, quiq; ipſis maxime adulantur: qui & frigidã dabunt, ſi hanc popoſcerint, & lauabunt, cum iuſſerint, & niuem uinumq; porrigent: poſtremo quicquid iubebitur, mancipiorum ritu facient, contra, quàm ueteres illi medici ab Aeſculapio oriundi, qui, tanquã duces militibus, & reges ſubditis, imperare ægris uoluerunt, nequaquã uero Getarũ, & Tibiorũ, & Phrygũ, & Thracũ emptitiorũ ritu parere, atq; obſequi. Itaq;, non qui melius artẽ callet, ſed qui adulari aptius nouit, apud iſtos magis in pretio eſt: huicq; oĩa plana peruiaq; ſunt: huic ædiũ fores patẽt: hic breui efficiẽ dines, plurimũq; poteſt: huic diſcipuli multi a cubiculis, ubi iam fuerint exoleti, traduntur. Quod Theſſalus ille intelligens, nõ ſolũ cetera Romæ diuitibus aſſentabatur, ſed ẽt artẽ ſex mẽſibus traditurũ ſe profeſſus quàm plurimos diſcipulos facile comparauit. Si.n.

τὴν τῆς οἰκείας παρασκευῆς.

neq; Geometriæ,neq; Astronomiæ,neq; Dialectices,neq; Musices, nec ullius deniq; bonarum disciplinarum indigent,qui medici sunt futuri, (quemadmodum Thessalus iste generosissimus promittebat,) nec etiam longam experientiam,& operum artis usum desiderant, cui non promptum sit artem aggredi,ceu facile medico futuro? Atque hinc adeo fit, ut nunc etiam sutores, & tinctores,& fabri tum materiarij,tum ferrarij,proprio magisterio relicto, in medicinæ artis opera insiliant. Nã,qui pictoribus & unguentarijs mixturas suas præparant, etiam de primo loco certant. Atq; ob hæc ipse medendi methodum scribere sum cunctatus: quam utiq; & uiri ueteres inceperunt, & posteri eorum perficere sunt conati. Atq; olim quidem non parua lis erat eorum, qui in Co atq; Cnido habitabant, utri uidelicet inuentorũ multitudine reliquos superarent. quippe geminum hoc genus Asclepiadarum adhuc in Asia supererat, deficiente nimirum, quod in Rhodo uiguerat. Certabant autem cum his honestum illud certamen, quod Hesiodus prædicabat,etiam medici,qui Italiam incolebant, Philistion, Empedocles, Pausanias,& horum sectatores: erantq; tres hæ certantium inter se nobilium medicorum scholæ. Plurimos quidem atq; optimos discipulos Coæ fortuna contulit: ab hoc Cnidiæ.Nec tamen in paruo habenda pretio erat,& quæ in Italia nosce batur. At horum nemo nec mane potentium fores ipsos salutaturus,nec uesperi cœnaturus frequentabat, sed sicut Hesiodus cecinit.

Nanq; alium ditem cernens, cui deest, quod agatur, F »
Ipse solum uertit tauris, & semina ponit. »

Ita & illi inter se perpetuo certabant,non utiq; de aranda serendave terra, (quippe quæ,ut Asclepiadarum genere inferiora, sic Aseræo poetæ erant non indecora) sed de Apollinis Aesculapijque arte tum exercenda,tum uero semper augenda,ac pro uiribus perficienda. Nunc uero honestum illud certamen intercidit, aut certe minimum eius inter homines adhuc supereſt. Regnat autem inhonestum, nec est, qui hoc auertat, aut malo medeatur, ut Hesiodus,

Lis ne te inducat mala deuitare laborem, »
Dulce malum alterius cui sit. »
Hæc enim lis, ut Hesiodo etiam diuinior poeta cecinit, »
Armatur primum tenuis, mox improba cælo »
Inserit alta caput, terris uestigia figens. »

In Thessalum summæ arrogantiæ,atq; insciticæ hominem,qui se Hippocratem, a quo Academici,Peripatetici, ac Stoici ratiocinationes de natura mutuati sunt, gloriatus est superasse. Cap. 2.

HVius litis stimulis agitatus ille Thessalus Hippocratem ac reliquos Asclepiadas maledictis incessit, ac totius terrarum orbis theatrum in suis ipsius libris constituens,inibi iudicatur, uincitq;, & contra omnem antiquitatem coronatur,ipseq; a se uictor declaratur. Hæc facit tum in eo libro, quem de Communitatibus scripsit, tum in Syncriticis: quin in reliquis quoq; omnibus contumeliosus esse non desistit, ueluti in epistola, quam ad Neronem mittit, his ipsis inter initia uerbis usus: Cum nouam »
sectam cõdiderim,& quæ sola uera sit,propterea,quòd,qui ante me medici fuerunt,oẽs nihil utile pro- »
diderunt uel ad sanitatem tuendam,uel morbos propulsandos. Pergens autem in epistola, Hippocra- »
tes,inquit,noxia præcepta tradidit. Ausus est & Aphorismis eius cum summo dedecore contradicere. Et, cum ostendat se in Hippocratica disciplina nec a quoquam institutum, nec eius opera sub præceptore legisse,tamen non ueretur etiam, talis cum sit, palmam sibi ipsi tribuere. Quo magis aliquæ esse meæ partes uidentur (quanquam alias parum assueti improbos acerbe taxare) aliquid contra hunc ob ueterum cõtumeliam dicere. Quid improbe,quæ bona sunt,calumniari tentas,ut multitudini placeas, cum liceret tibi in ueritatis contemplatione excellere, si diligens esses, ac ueritatis amator? Quid iraduditatis auditorum patrocinio abuteris ad ueterum blasphemiam? Num paternæ artis socios, impudentissime Thessale, iudices medicorum statues? Istis scilicet iudicibus uinces proculdubio, siue contra Hippocratem, siue contra Dioclem, siue contra Praxagorã, siue contra reliquos oẽs ueteres dixeris. Quin potius uiros antiquos, Dialecticos, scientes, qui uerum falsumq; discernere sunt periti, qui consequens ac repugnans distinguere,qui demonstrandi methodum a pueris sunt meditati,hos, inquã iudices in consessum introducito. His sedentibus aude quippiam Hippocratem accusare. His pronunciaturis aggredere scelesta illa tua barbaraq; uoce contra Hippocratem, primum illud differere, Non oportere de hominis natura curiosum esse: deinde, siquis hoc donet, male illum de ea inquisiuisse, ac falso omnia præcepisse. Ergo quis iudex erit? Num Plato? quando huic saltem iniurius esse minime es ausus. Ego uero ne discipulos quidem eius refugiam,non Speusippum,non Xenocratem. Aristotelis uero, uel rogem, iudicium subeas, & cum eo Theophrasti. Optem utique, & Zenonẽ,& Chrysippum, & eorum, qui hos sectantur, quemlibet iudicem eligas. Horum nemo, uir audacissime, Hippocratis de natura hominis scita damnauit: quæ tu mihi nec legisse unquam uideris: nec, si legisti intellexisse: &, si intellexisti, iudicare certe de ijs minime gentium potuisti, ut qui sub patre male lanas carpente, in gynæcio sis altus. Nec enim putes nos, uel egregium genus tuum, uel claram doctrinam, latere: Nec te Hippocrati & reliquis ueteribus in surdo theatro maledicere, sed, qui sis, & unde uenias,quo genere ortus, qua educatione usus, qua disciplina imbutus, prius ostende: atque ita demũ dicito,Illud ipsum prius uir audacissime monitus,non esse cuiuis in ulla bene instituta ciuitate cõ cessum,

A cessum,publice dicere: sed,siquis uir clarus est, qui genus possit, & educationem, tum uero eruditionem concionatore dignam ostendere, huic dicere permittunt leges. Tu, cum nihil horum ostendere habeas, audes tamen, homo generosissime, Hippocratem accusare: facisq; in nugacibus libellis tuis Græcos sedere iudices: fers autem ipse sententiam, nec illorum expectas. Et palmam tibi ipsi das modo de omnibus Medicis, modo de omnibus in uniuersum Græcis. Hæc enim insignis audacia sapientissimi scilicet Thessali est,omnes se medicos uicisse,sed seipso litigatore, seipso agonotheta,seipso iudice: post hos etiam reliquos Græcos in certamen prouocasse, Rhetoras, Geometras, Grammaticos, Astronomos, Philosophos: inter quos constitutum, ac lanificis elocutione usum, censere se omnium primum esse: quippe medicinam reliquas omnes artes præcellere, se uero Medicos omnes superasse. quod unum forte fortuna recte collegit. Si enim medicina est omnium artium præstantissima, in ea uero Thessalus primas partes obtinet, utiq; omnium hominum ita sit primus, ac Socratem & Lycurgum præcellat,ceterosq; omnes,quos Pythius uel ut uiros bonos,uel ut sapiẽtes,uel ut musarum ministros, uel ut Iouis famulos,uel deniq; ut alio quolibet munere dijs gratos laudabit. Agedum igitur Thessalo hymnos de cetero omnes cantent, scribantq; uictoriæ carmina: & publicum orbis theatrum constituatur: acceditoq; aliquis, qui canat eum, qui in textrina sit altus, uicisse Demosthenem, Lysiam, & B reliquos Rhetoras: superasse Platonem, Socratem,& ceteros Philosophos: palmam eripuisse Lycurgo, Soloni, & alijs legislatoribus: uictorem deniq; totius hominum generis coronatum esse, Rhetorum,Philosophorum,Legislatorum. Nam, si Geometras,etiam & Grammaticos,ac Musicos nominatim post tantos titulos commemorem, contumelios us in hominem uidear. Vbi enim Lycurgus, Solon, Plato, Socrates, & Pythagoras dant manus, num pulchrum etiam sit Hipparchi, Archimedis, Aristoxeni, Aristarchi & aliorum quorundam id genus meminisse, hominum (ut Thessalus dicat) nullius precij? Sed quis tam magniloquus poeta nobis existet, qui hæc canat? Quis nunc dabitur Homerus, qui hexametro tono hanc Thessali uictoriam celebret? aut quis Lyricus, qui ueluti Pindarus alte in dithyrambis canat,quiq;, sicut olim Bacchi,ita nunc Thessali præconium efferat? An horum potius nullum requirimus, sed eorum, qui iambos scribunt, Archilochum aliquem, aut Hipponactem, aut ex Tragica scena quempiam, qui sic hominem compellet?

“ Quiesce dum miserrime in stratis tuis,
“ Nanq; haud uides, quæ te putas nosse probe.

Orestis mihi somnium narras Thessale. Qualenam id theatrum est, in quo tu uinces Hippocratem? Qui iudices erunt? Quinam præmia proponent? Visne,primum Platonis suffragium legamus? fortaſ
“ C se.n. hunc iudicem non reijcies. Atqui ille hæc ad uerbum ait: Animæ igitur naturam apte putas intel
“ ligi posse,non cognita totius natura? Immo, siquidem Hippocrati uni ex Asclepiadarum genere fides
“ est habenda, ne corporis quidem naturam absq; hac methodo. Recte ais amice: oportet tamen cum
“ Hippocrate sermonem conferentes,num cum eo concordet,æstimemus. Sane quidem. Igitur de na-
“ tura considerare, quid est, quod Hippocrates rectaq; ratio dicit? Num ad hunc modum de cuiusque
“ rei natura primum illud perpendi oportet, sitne, de quo uolumus uel ipsi scientes esse, uel alios facere
“ scientes posse,simplex,an uarias species habeat? Mox, si simplex sit, facultas eius æstimanda est,quam
“ uidelicet ad quid agendum obtineat, aut quam ad patiendum ab alio sit sortitum. Sin plures habeat
“ species,his enumeratis,quod in una feceris, id in unaquaq; exigere oportebit: nempe quid illa facere
“ per suam naturam sit apta,uel quid ab alio pati. Audistin uir bone Platonem simili methodo animæ naturam inueniendam esse censere, qua corporis naturam Hippocrates? An adhuc uis, multas hominis dictiones ex multis librorum eius locis deligam, in quibus ille Hippocratem omnium, qui ante se fuerunt,maxime admiratur? An potius, cum id alibi fecerim (nempe in eo opere, in quo de Hippocratis,& Platonis placitis disserui) illuc, qui id scire uolet, remittam: ubi, ut arbitror, clarissime ostendimus, in plurimis maximisque rebus horum hominum inter se consensum: atque alio me conferens, D alium tibi iam aduocem in testem, cœtum nempe Peripateticum: qui & ipse Hippocratis physiologiæ principia confirmat? Quin de hoc quoq; proditum a me in alijs commentarijs est: quorum unus de elementis secundum Hippocratem inscribitur: post hunc alij tres de temperamentis: mox alij duo, alter de inæquali intemperie, qui etiam ad tractationem de temperamentis pertinet: alter de optima corporis constitutione: deinde etiam tres de naturalibus facultatibus. hos igitur siquis leget, clare perspiciet rationum Hippocratis de natura Aristotelem interpretem esse. Quin etiam de morborũ discrimine,quot hi, quiq; sint, ac de symptomatis pari modo, præterea de horum utrorumq; causis primus omnium,quos nouimus, Hippocrates recte principia dedisse uidetur. post eum uero Aristoteles fusissime ea est interpretatus. Hæc ita esse intelliget, qui commentarios nostros,quos de singulis horũ scripsimus,legere non grauabitur. Quare, si Peripatetici iudicium exercebunt,Hippocrates(arbitror)uincet: Thessalus, ut impudens, & nequam, eijcietur. Sin Stoicis philosophis in consessum admissis iudicium permittetur,ex ijs placitis,quæ ipsimet statuunt, Hippocrati palmam dabunt. quippe calidũ,frigidum,siccum,& humidum primus Hippocrates inuexit: post eum Aristoteles demonstratione asseruit. Eadem Chrysippi sectatores parata cum accepissent, minime sunt obluctati, sed omnia ex horum mistura constare confirmant, atq; hæc inter se mutuo agere ac pati, artificemq; naturã esse. omnia deniq; alia Hippocratis dogmata de natura recipiunt, nisi q̃ in re tenui est illis cũ Aristotele dissensio. quippe

eum recte Hippocrates affirmet totum corpus esse (ut græce dicitur) συμπνουν καὶ σύρρουν, quasi conspirabile & confluxile dicas, omnesq; animalis particulas mutuo a se affici, recipiunt quidem hoc utriq;, dissident tamen in eo, quòd Aristoteles qualitates tantum in se mutuo transire, omninoq; miscerí, Stoici non has modo, sed etiam substantias ipsas existiment. Quòd aũt hoc definire Medico superuacuũ sit, quodq; ad medicinæ opus abunde sit, si tantum concedantur ea, quæ ab utriq; sunt demonstrata, itẽ quòd qualitates uirtutesq; in mistis totæ sint totis permistæ, hæc & ante a me sunt demonstrata, &, si res poscet, nunc demonstrabuntur. Quare & Platonis, & Peripateticorum, & Stoicorum iudicio, Hippocratis physiologiæ uictoria dabitur. Immo uero ex eius physiologia omnes ante dicti sapientiæ profes sores ostendunt neminem posse morbos commode curare, qui corporis uniuersi naturam non perspexerit. Nunquid igitur, si de palma sub horum sapientiæ professorum iudicio certasset Thessalus, uicisset, qui omnis suæ physiologiæ Hippocratem auctorem habent? Quid autem, si Geometris, Astronomis, Musicis, aut Rhetoribus iudicium concedet, putemus'ne hos Hippocrate prætermisso alij ulli palmam daturos? Ego sane nec alium quemuis primas esse laturum arbitror, omniumq; minime impudẽtissimum Thessalum, ut quo nemo Geometriam, Astronomiam, Musicen, ac Rhetoricem magis dehonestarit. Itaq; hac saltem ratione apud hos in parum amico theatro certauerit. Verum hos fortassis in theatrum minime inducet, utpote quos ipse prior inimicos reddiderit, sed ijs sapientiæ professorum duntaxat, qui in Dialectice sunt periti, ut qui ueræ falsæq; orationis iudicandæ facultatem exercuerint, iudicum partes concedet. Atqui, si Platonem, Aristotelem, & Chrysippum, ceu parum in hac facultate exercitatos transibimus, quosnam, quæso, alios inueniemus? Quare si nec aliarum artium professores iudices admittet, nec, qui in Dialectice ceteris omnibus sapientiæ professoribus præstiterunt, illi suffragabuntur, qui tandem erunt, qui eum uicisse iudicabunt? Qui illi frequens theatrum constituẽt? Qui uictorem renunciabunt? Qui deniq; coronabunt? Ipse uidelicet seipsum. id quod in illis egregijs libris suis fecit, in quibus seipsum iudicauit, coronauit, uictoremq; declarauit.

Aduersus Thessalum, qui nulla methodo duos in totum morbos, fluxum s. & clausum asseuerauit. Cap. 3.

AT fortassis illud sibi gloriæ memoriæq; inter homines occasionem fore est arbitratus, si optimis uiris lacessitis, nos sibi respondere cogeret. Verum ita & Zoilus celeber clarusq; fit, qui Homeri statuam flagellauit, & Salmoneus, qui Iouem est imitatus, reliquaq; flagitiosorum hominum non exigua turba, qui uel meliores non sunt reueriti, uel in deos ipsos fuerunt contumelioſi. Verum hi non bonam de se opinionem reliquerunt: nec æmulatur quisquam, qui compos sit mentis, nec Homeromastiga Zoilum, nec dementem Salmoneum, quamuis maledicis Zoilus in admiratione sit, & Salmoneus sacrilegis. Sed quid hos memoro? Cum & qui loculos præcidunt, similia perditorum studia, & proditores proditorum suspiciant: nec est prorsus quispiam, qui proprium cœtum, in quo palmam mereatur, non desideret. Adeo si Thessalus inter coquos, tinctores, lanificos, sutores, textores, ac fullones de uictoria certans scripsisset, utiq; & retulisset de Hippocrate uictoriam, & nemo nostrum ei repugnasset. Nunc, cum omnes homines iudices facit, ex horum autem numero sunt & Plato, & Aristoteles, & Theophrastus, & Chrysippus, nequaquam omne pũctum solus feret, sed alicui fortassis prouocare ad alium iudicem licebit. Quanquam enim Hippocrates certare cum Thessalo, ut pote indigno se, nolet, at forte Erasistratus non negliget multoq; minus Herophilus, atque his etiam minus Asclepiades, alijq; multi iuniorum medicorum, quibus est ad contentionem natura propensior, minime impune abire contumeliam sinent, qua pariter omnes Græcos Thessalus aspergit, sed producto in medium homine omnes eius libros crassissima ignorantia refertos Græcis ostendent: qui tot ac tantis libris scriptis, & tot nugacissimorum uersuum millibus effusis, nusquam in ullo operum suorum demonstrationem ullam afferre tentauit, sed tyranni ritu duos tantum esse in omni uictus ratione morbos iubet, nempe fluxum, & clausum, non intelligens se differentiam quandam morborum dixisse, quam utique prisci (ut ostendemus) probe norunt. Ceterum nemo tam rudis fuit, ut differentias morborum ipsos esse morbos putaret: ac remediorum indicationem ab ijs sumeret substantia ipsa prætermissa. Atqui hic Thessali paruus scilicet error, quem uel puer in liberalibus disciplinis altus statim aduertisset. hic, inquam, paruus error eo insolentiæ hominem euexit, ut magnum & præclarum aliquid inuenisse se putaret: perinde ac siquis, cum omne animal rationale esse, aut irrationale dixerit, non animalium differentias, sed aliud quippiam dixisse se putet, cum .s. huic illud quoque similiter sit dictum, Omne animal mortale, est uel immortale. Quippe oppositio, quæ in singulis differentijs notatur, coniuncta de omnibus speciebus dicitur. Omne enim animal, aut mansuetum est, aut ferum. Omne animal, aut pedatum est, aut apes. Omne animal, aut cornutum est, aut cornuum expers. Nec est inter differentias inuenire oppositionem ullam, quæ sit altera præstantior, aut potior, nec quæ magis omnibus insit particularibus. Verum non conuenit, cum de animalium numero quæritur, unã differentiarum oppositionem respondere. Hoc .n. pacto duo erunt animalia uniuersa, nec ullum magis rationale, uel irrationale, q̃ mortale, uel immortale, aut ferũ, uel mansuetũ, aut reliquarum oppositionum quæliber. Quòd siquis differentijs omissis (sicut plane ratio exigit) equũ, bouem, canem, hominem, aquilam, apim, formicam, leonem, & ouem respondeat, reliquaq; omnia per species animalia

A malia connumeret, constat hunc quærenti, quot sint in totum animalia, recte respondisse. Quin, si multa quidẽ sermone animalia memoret, restetur autem enumerare se omnia non posse, sic quoq; commodissime respondebit. Similis agitata quæstio de morborum numero, & omnibus antiquis Medicis est, alijs septem eos in totum esse affirmantibus: alijs plures his paucioresve dicentibus: omnibus tamen ad species, quæ in substantia, non quæ in differentia essent, respectum habentibus. Nemo enim ita erat indoctus, aut Logicæ speculationis rudis, ut differentiam specierum pro substantia loquendo usurparet: quemadmodum Thessalus iste, qui e gynæcio exiliens, tantis uiris maledicit, ipse nec genus habens, quod referat, nec educationem, nec eruditionem, qualem illorum quisq;: quorum alius Aristotelis, alius Platonis, alius Theophrasti, aut denique alterius cuiusquam eorum, qui in Logica contemplatione fuere exercitati, familiaris fuit. Veluti igitur rogatus quispiam, quot sint in uniuersum uocis elementa, si duo ea esse responderit, quippe aut uocalem omnino, aut consonantem esse, quicquid uocis sit elementum, is uerum quidem dixerit, ceterum ad quæstionem non responderit: Ad eundem modum, arbitror, si quis omnium morborum numerum comprehendere studens, speciẽ quidem ullam morborum, ueluti phlegmonem, scirrhum, uel œdema, referre non curet, solas autem differentias memoret, siue clausum & fluidum, siue rarum & densum, siue durum & molle, siue tensum & laxum, uerum hic quoque dixerit, minime tamen ad quæstionem responderit. Primum nanque in eo error est, quòd non omnis differentia generi addita, ad speciei constitutionem aliquid cõducit, sed quæ ex generis propria diuisione nascitur. quippe hæ demum differentiæ sunt, quæ species constituant: reliquæ omnes, alienæ. Etenim animalis propriæ differentiæ sunt, mortale & immortale, rationale & irrationale, mansuetũ & ferum, aliaq; id genus. Molle uero ac durum, graue & leue, rarum & densum, magnum & paruum, animalis differentiæ non sunt, sed substantiæ. Itaq; etiam si cum animali, uel molle uel durum, uel densum uel rarum, uel magnum uel paruum componas, ad speciem constituendam nihil sane plus contulerint. sin uel rationale & immortale, uel rationale & mortale animali adieceris, efficitur iam illic deus, hic homo. Ita uero, & si rationali animali duas illas differentias peculiares addideris, quæ sunt grestile & bipes, sic quoq; speciem quampiam effeceris, nempe hominem. Vnde fieri non potest, ut ullius rei specificas differentias inueniat, qui eam definitione, siue substantiæ ipsius oratione ad unguem non circumscripserit. Alius deinde error incidere solet ijs, quibus parum exercitata ratio est, q̃ cum unam aliquam differentiarum oppositionem inuenerint, speciem aliquam propositi generis se putent inuenisse: ceu paulo ante de uocis elementis est dictum. Siquidem, qui uocalem & consonantem dixit, nondum omnia humanæ uocis elementa dixit, sed duas tantum primas & generales differẽtias. Quòd si uocales rursus in longas, breues, ancipitesq; diducens: tum consonantes in semiuocales & mutas: itemq; tum longas, tum breues uocales bifariam, ancipites uero trifariam: sed & mutas primum in aspiratas, tenues, ac medias: dein rursus tripartito harum singulas: mox semiuocales propria (ne frustra multis morer) sectione secet, ita quatuor uiginti & elementa uocis, qua Græci utuntur, inueniat quippe id tantum dixisse, quòd elementorum uocis quædam uocales sint, quædam consonantes, nondũ omnium elementorum artificem, aut plane scientem auditorem reddidit, sed, siquis, ubi in longas, breues, & ancipites diduxerit, adijciat duas esse breues, nempe ε, & ο, duas præterea longas η, & ω, tres uero ancipites α, ι, υ, sic sane artificem auditorem de omnibus uocabulis effecerit. itemq; de consonis ad eundẽ modũ. Itidem, siquis tradere de morborum numero instituat, quot hi in uniuersum sint, non debet, arbitror, is in prima statim differentia subsistere, sed diuisa ea procedere, donec ad aliquam infirmarum specierũ, & quæ amplius in aliam distrahi non possit, perueniat. Id uero, quàm haud cuique sit promptũ, sed ei duntaxat, qui in diuidendi methodo magnopere sit exercitatus, intelligere quisque poterit, primum si omnia legerit, quæ de eo genere methodi in principio Philebi a Platone sunt prodita, dein si Sophistam etiam & Politicum legerit. Iam uero difficilior adhuc res uidebitur, siquis primum Aristotelis librum de partibus animalium legerit. Conatur enim in eo libro omnes animalium differentias enumerare. at, ubi multas dubitationes mouit, uix tandem suspecte ac timide pronunciare quippiam audet. Et, cum Aristoteles & Plato tantam tamq; difficilem rem esse censuerint genera in proprias differentias exacte diuidere, ac post hos Theophrastus, & alij philosophi rationẽ absoluere tentauerint, utpote ne apud illos quidem satis adhuc constantẽ, homo audacissimus Thessalus absolute, citraq; ullam rationem adhibitam pronuncians, credendũ sibi censet duos in totũ esse in uictus ratione morbos, & eos quidem simplices, ac primos, & ueluti elemẽtares: nam tertiũ ab his ratione gignit, ex ambobus compositum. At si ulla methodo hæc, sicut iactas, inuestigasti, cur hanc nobis non dixisti? Sed cõtra plane, q̃ pro grauitate nominis, quod tibi arrogas homo temerarie, atq; a methodo alienissime, rem pronunciasti. qui ne principium quidem ipsum unquã attigeris a quo cœpisse necesse sit eum, qui recte cuiuslibet rei species, & differentias peculiares sit inuenturus. De re .n. qualibet, ò puer, unũ principium optimum, nosse id oportet, de quo proposita quæstio est, aut prorsus est aberrandum, Plato quodam loco ait, non ad diuidendum modo quiduis, ab ipsa quæsitæ rei essentia nobis esse inchoandum censens, sed etiam in omni disquirenda re eiusmodi semper principio utendum. Ergo hic quoque (arbitror) par erat, ubi, quid morbus sit, quid symptoma, & quid passio, diligenter prius dixisses, ac dein qua conueniant, differantque ipsorum singula, definiuisses, sic demum tentare in proprias ea differentias diducere, secundum eam, quam sapientiæ professores tradiderunt, methodum: aut, siquam

siquam potiorem ea,quæ ab ijs prodita est,explorasses, hanc ipsam prius astrũere: tum illud osten- E
dere,ac Græcos docere, hunc,qui in textrina sit altus, superasse Aristotelem,& Platonem in methodis lo
gicis, humo affixisse Theophrastum,& Stoicos in Dialectice,clarissime ostendisse omnes eorum secta
tores, ne primos quidem morbos, qui essent,unquam nouisse: dico & Herophilum illum Dialecticũ,
& condiscipulum eius Philotimum, & præceptorem eius Praxagoram, qui ab Aesculapio originẽ tra
xit, &, qui cum his & ante hos fuerunt, Erasistratum, Dioclem, Mnesitheum, Dieuchen, Philistionẽ,
Plistonicum, ipsum deniq; Hippocratem. Porrò simplici uerbo dicere omnes in uictu morbos esse
duos, non methodo, non demonstratione, non ratione ulla probabili, non lenimento aliquo,non alia
re prorsus [orationi] adhibita, præterquam eiusmodi in ueteres blasphemia, id facere imperantis ho
minis est, non docentis. Esto uero taceas, qua Logica methodo insistens, hæc inueneris:at certe,unde
saltem de ueritate sermonis iudicasti, adhibitum aliquid oportuit. Nam inueniendi eius, quod quæri
tur, Logicæ methodi facultatem præstant: At,quæ fidem ijs faciant, quæ recte sunt inuenta, duo sunt
apud omnes homines instrumenta,nempe ratio,& experientia. Quippe ad eũ,qui interrogauerit,Cur
huic febricitanti frigidæ bibendæ potestatem feceris, duplex responsio est: Altera, quæ ortum natu
ramq; febris docet,ac de morborum temporibus disserit, tum ad eundem modum aquæ frigidæ natu
ram explanat,ubi hæc proposuit,conatur docere in hoc morbo,atq; hoc tempore aquam frigidam cõ- F
gruum remedium esse: Altera de nullius horum natura sollicita, ad experientiam confugit. nempe q
in tali morbo atq; tempore sæpe frigidam profecisse uidit. Debebat igitur (opinor) & Thessalus uel
experimentum,uel rationem assertioni suæ probationem adhibuisse, non, sicuti tyrannus imperare,ac
sibi citra demonstrationem credendum exigere. At quam(inquiunt) audire demonstrationem postu
las? Ita enim contra nos interrogant eius sectatores: neq; id iniuria, ut qui nec eo unquam peruene
rint,ut notionem demonstrationis tenerent, cum nec Geometriam, nec Arithmeticen, nec Dialecti
cen,nec Resolutoriam,nec deniq; Logicam ullam speculationem attigerint. Quo circa respondendum
his ita est: Nimis sero, quid demonstratio sit, discere postulatis: nec fieri potest,ut breui tempore spe
culationem, quæ subtilitatem mentis desiderat, assequamini: præsertim qui nec subtiles rationes audi
re sitis assueti, & peruersi in diuturno errore uersati. Sed istos mittamus, ut qui ne intelligere quidem,
quæ ueræ disciplinæ sint,ualeant,nedum ipsas discere, aut recte iudicare.

Quæ sit uera methodus inueniendæ in unaquaque facultate ueritatis, & quàm ab ea Thessalij, & plerique ueterum medicorum aberrarint. Cap. 4.

NOs uero unà cum ijs, qui exercitati sunt, & demonstrationem intelligunt,& natura sunt sagaces, G
(neq; enim Thessalios asinos docere profitemur) ad id, quod propositum nobis ab initio est, ac
cingamur: ac statim unà cum ipsa medendi methodo tradenda,etiam causas ipsas, unde errarint medi
corum plurimi, qui tradere eam sunt conati,exponamus. quippe ad firmiorem ueritatis fidem id quo
que non parum conducere uidetur. Ac primũ quidem illud cauebimus,ne simul de ambobus tum me
thodo,quæ ratione nititur, tum experientia,quæ ratione non utitur,agamus. Non enim de omni reme
diorum inuentione nunc loqui statuimus, sed tantum de ea,quæ hæc methodo explorat: ita utique, ut
de Empirice ipsa & a nobis in alio opere est proditum,& ab ipsis Empiricis medicis, quos uocant,plu
rimum elaboratum. Atq; utinam rationales omnes medici propositum ita premerent,nec experientiã
& rationem miscerent,atq; in unum confunderent,sed quam utraq; uim habeat,quantumq; ad propo
situm artis finem conducat, seorsum tractarent, atq; perpenderent. Ergo methodo quippiam inquirere
inuenireq;, ex aduerso opponitur ei, quod est fortuito,temereq; reperire. Est autem id cum uia qua
dam, & ordine ita, ut in disquisitione aliquid primum sit, aliquid secundum,& tertium,& quartum,at
que ita de reliquis omnibus deinceps, quoad demum ad ipsum,quod ab initio est propositum,sit per
uentum. Ac Empirici quidem rationabiliter fatentur nec inueniendi, nec docendi apud ipsos esse ne
cessarium ordinem. nam nec arte ulla rationeve experientiam niti: immo unius fortunæ fauorem ad
ea, quæ quærit, inuenienda requirere. Qui uero rationem, inuentionis suæ auctorem statuerunt,ac or H
dinem, unamq; uiam, quæ ad finem ducat,proposuerunt, ijs fuerat quidem necessariũ a primo aliquo
auspicatis, de quo inter omnes homines conueniret, sic transire ad reliqua. Ceterum hanc rationem
non sequitur pleraq; medicorum pars. immo principia quoq; ipsa controuersa sumit, nec illa demon
stratione confirmat, tum ad reliqua simili modo transit, legislatorum ritu sanciens uerius, quàm demõ
strans. Quæ omnia inde adeo his accidunt,quòd nihil prius de demonstratione sunt meditati:sed simul
& inquisitis insistunt, & ad eorum fidem demonstratione uti audent, simile profecto quiddam ijs mo
lientes, qui sphæram, aut cubum, aut conum, aut cylindrum, aliudve id genus metiri aggrediuntur,
cum tamen omnis Geometricæ ac Logisticæ rationis sint ignari, immo uero nec cubiti palmive, aut
pedis mensuram præparatam habeant: ac deinde ijs,qui uel demonstrationem ab ipsis exigunt, uel ta
cere censent, irascuntur. Veluti enim in illo ridiculus erit is, qui rectanguli trigoni,cuius alterum(exẽ
pli causa) latus circa rectum angulum quinque sit pedum, alterum duodecim, dicat aream non esse
triginta pedum, sed quadraginta, nec eius rei demonstrationem ullam afferat, ita hic quoque ridicu
lus est, qui quicquam affirmat, quod demonstrare non possit. Ergo, sicuti in demonstratione de trian
gulo (neque enim recedendum nobis ab exemplo est, qui indoctos istos methodicos a disputatione
nostra iam abegimus) ipsum, quod propositum est, ex duabus his propositionibus colligebatur,una,

quæ

A quæ spatium id,quod lateribus pedum quinque & pedum duodecim continetur, sexaginta pedum ef
fici dicit: altera, quæ triangulum dimidium eius esse spatij proponit, atque ostendit: harum utraq; rur
sus ut demonstrationis fidem reciperet, alijs propositionibus egebat: mox illæ alijs, quoad peruen
tum ad primas esset: hæ uero nec ex alijs, nec per demonstrationem, sed ex se fidem faciunt, sic arbi
tror & in ijs omnibus, quæ in medicina demonstrantur, ad primas & indemonstrabiles propositio
nes, & quæ ex se fidem faciant, omnia esse perducenda. Ac, si omnes de medendi methodo sic dicere
aliquid instituissent, prorsus,sicuti inter Arithmeticos, Geometras, & Logisticos,ita inter ipsos quo
que conuenisset: quippe apud quos discere ab ipso statim initio licet, quid quoque nomine, quo usu
ri sunt, significetur: quas præterea propositiones indemonstrabiles (quæ axiomata uocant) ad disce
ptationem sint sumpturi: ueluti lineam esse longitudinem citra latitudinem: superficiem, quæ longitu
dinem latitudinemque tantum habeat: & triangulum esse hoc, quadrangulũ illud: ac reliqua ad eun
dem modum. Ab ijs, ubi axiomata eiusmodi usurpanda sibi esse prædixerint,quòd scilicet,quæ eidem
sunt æqualia, inter se etiam esse æqualia: &, si æqualibus æqualia sint adiecta, tota fore æqualia, po
stea demonstrare theoremata iam tentant, nihil extra ea, quæ a principio præsumpserunt, adijcientes.
Plerique tamen medicorum, sicut ipse scis Hiero charissime, interrogati, undenam principium inuen
B tionis suæ sumpserint, tantum abest, ut indemonstrabilia principia, & quæ omnibus hominibus in cõ
fesso sint,proferant, ut nec, quo sibi ipsis consona respondeant, inueniant: sed sursum ac deorsum Eu
ripi more agantur, contraria quisque in progressu sermonis ijs, quæ ab initio statuerunt, afferentes.
Siquidem sapientissimus iste Thessalus, cum apparentes esse communitates dixisset, paulopost non so
lum non alium quenquam priorum medicorum uidisse eas asseuerat, sed nec ipsum,qui primus eas pe
perit, Themisonem. Huius nanque unius esse monstrosas illas communitates fatetur, ceu patris legi
timos filios. Post hos uero,qui secuti sunt omnes, & inter se, & ab ipso Thessalo dissentiunt, nec eas
dem communitates tradentes, nec omnino inter se uel in uno concordantes. Id quod sæpenumero
tibi, ipsis etiam Methodicis præsentibus, ostendi: fortasseq; aliquando maius ocium nactus, de *in- *Diaperias.
constantia eorum scribam. At nunc tantum saltem ad rem propositam sumi expedit, oportuisse eos,
præsertim sectæ auctores,exposuisse prius, de qua re singula nomina dici uellent. sicut Empirici fa
ciunt, qui apparere ea dicunt, quæ sub sensum cadunt: nosci uero, quæ memoria tenentur: apparere
simul & nosci, quæ & ante aliquando sub sensum uenerunt, & nunc simili modo ueniunt. Num igitur
ita ipsi quoq; apparere communitates dicunt, ceu sensu cognitas? An, & quæ ratione comprehendi
mus, apparentia nominant? Empirici nanque non admodum concedunt quicquam ex ijs, quæ sola ra
C tione nosci uidentur, apparens dici. Rursus ueteres philosophi duplex esse genus apparentium decer
nunt, Vnum, quod ipsi Empirici comprobant, nempe eorum, quæ sensu aliquo noscuntur, ueluti albi,
nigri, duri, mollis, calidi, frigidi, & similium: Alterum indemonstrabile, eorum nimirum, quæ intelli
gentiæ primo occursu patent: ueluti, quæ eidem sunt æqualia, ea etiã inter se esse æqualia: &, si æqua
libus æqualia addantur, tota etiam æqualia fieri: &, si ab æqualibus æqualia demas, quæ restant, etiam
æqualia fore. Huius esse generis aiunt, & ꝙ nihil citra causam fiat, & quòd omnia ex ente quopiam,
& quòd ex eo, quod omnino non sit, nihil fiat: simili modo, nihil corrumpi in id, quod ante non sit:
item, quòd affirmare, uel negare de quoque sit necesse: aliaque id genus non pauca, de quibus in lo
gicis tractatibus agitur, & ipse in commentarijs de demonstratione, quàm potui, dixi clarissime. De
his inter eiusmodi principia,cuiusmodi logica nuncupamus, quidam Philosophorum contendunt, at
que ambigunt. hi tamen hactenus saltem sunt modesti, quòd omni demonstrationi fidem suam abro
gant, intelligentes (arbitror) tametsi id non dicant, illud saltem se certo scire nihil omnino demon
strari posse, si logicis principijs fides non sit adhibita. At, qui eousq; rudes amentesque sunt, ut ne id
quidem intelligere queant, hi demonstrare quidem conantur, ceterum quæ, qualiáve [& quot] de
monstrationis principia sint,nec noscere, nec quærere uolunt, nec alium docentem audire sustinent:
D sed absolute pronunciant, & uerba loquuntur, quæ nec quid significent, ipsi clare explicare ualeant.
Merito igitur eorum æmulis centum uoluminum opera scribuntur, partim inuestigantibus, de quo
quodq; dici nomen Thessalus uoluerit, partim nihil tale inuenientibus, cui omnia ab eo particulatim
dicta consentiant. Nam, quæ demum apparentes illæ communitates sint, aut quo modo apparentes,
dicere non possunt, ne si iterum atque iterum totidem libros scripserint. quippe quod apparet, aut
sub sensum omnino cadat, oportet, aut sub intelligentiam, uno semel occursu utrunque sine ulla de
monstrationis ope. quod uero intellectui se uno occursu non exhibet, protinus id controuersum est,
ac demonstratione eget, nec artem ullam a tali principio incepisse conuenit. Hæc si in logicis metho
dis exercuissent, & ipsi ea intelligerent, & tempus nostrum frustra non contererent. Nunc, quoniam
inexercitati rudesq;, per amentiam audent demonstratione uti prius, quàm, quid ea sit,didicerint,ne
cesse est cum similibus sui, omnes aberrent,prorsusq; nugentur: ac eos,qui recte demonstrant,minime
intelligant,sed tempus inaniter consumant.Ergo cum his nequaquam,ut cũ rationalibus animalibus,
uel disputandum amplius est, uel ijsdem impense contradicendum prius,quàm didicisse, quænam res
demonstratio sit, uelint: & quatenus exercitatum esse oportet,qui ea probe sit usurus.

De descriptione nominis morbi, ac de methodo nominum recte imponendorum. *Cap. 5.* E

TEcum uero omnem deinceps sermonem conferam,ipsis usus methodis,quas in commentarijs de
demonstratione tradidi.Quippe non solum principia omnis demonstrationis esse ea,quæ tum sen
sui,tum intelligentiæ manifeste se exhibent,sed etiam in omni re quærenda nomen ipsum assumi in di-
sputationem oportere,in illis docuimus.Nunc neutrum præcipere statui, nec quemadmodum inueni-
re,nec quemadmodum demonstrare conueniat: sed ijs,qui iam didicerunt,& exercitati sunt,simul ali-
quem laboris opportunum fructum reddere,inuenta nimirum non tenui re,quam nunc instituimus: si-
mul, siqui sunt quibus artium maxima cordi est, quæ circa animum hominis uersatur, ipsos quoque in
minoribus prius exercitare conuenit.Quippe id tenaciter seruare in omni methodo oportet,vt in ea te
multis sæpe leuioribus problematis, prius exerceas, quàm maioribus manum admoueas. Hoc igitur
nobis ueræ disciplinæ principium esto. quod utique statim inter initia facturi fueramus, tum artē ipsi
inquirentes,tum alijs præeuntes,qui adhuc peruersi non essent.Quoniam omnis morbi curationem in
uenire propositum est,necesse est morborum numerum prius sciri.At,quoniam fieri nequit, ut aut dif-
ferētias generis ullius, aut species inuenias,ipso,ꝙ diuiditur,nō plane explorato, oportet profecto nūc
etiam,quid morbus sit,narremus,quo sic diuisionem eius rite adeamus.Qua igitur ratione id methodo
inueniamus?Quanam alia,nisi ea,quam in libris de demonstratione præcepimus? Nempe ut de notio- F
ne ipsa prius conueniat,cum sine hac,propositæ rei substantiam inuenire non liceat. Ipsam uero notio-
nem,quæ omnibus in confesso sit,sumendam diximus,ut quæ alias principium iure non dicatur. Quæ
igitur est de ægrotando omnibus hominibus confessa notio, Et de qua maxime subiecta re uerbū hoc
ægrotare enunciant?Nunquid,ubi citra offensam omnium corporis partium actiones obeunt, & uale-
re se tunc dicunt, & minime medicis egere putant:ubi uero naturalium corporis actionū senserint quā
piam uel male geri,uel prorsus non geri, & ægrotare se illa parte corporis existimant, cuius actionem
læsam uident,& medicum de remedio consulunt? Ego sane omnes homines ita uideo tum morbi, tum
sanitatis nomen usurpare.Quinetiam eam,quam dixi,notionem omnes obseruant, nō in his modo no
minibus,sed etiam nihilo minus in omnibus,quæ cum his coniugata sunt,tum nominibus, tum uerbis.
Quippe cum & ualere illum existiment,cui nullius partis actio sit uitiata: & ægrotare, cui sit uitiata: &
ualentem eum nominent,cuius omnes corporis partes actiones suas secundum naturam edāt: & ægro
tantem,cui male affecta pars aliqua sit. Nec quisquam omnino Græcorum aut alijs nominibus utitur,
aut de alia re enunciat iam dictorum nominum quoduis. id quod diffuse in medicinalium nominum in
terpretatione ostendimus. Atque hoc saltem mihi per omnem disceptationem memoria teneri maxi-
me uelim,nominum quidem interpretationem ex Græcorum me consuetudine facturum(sicut in com G
mentarijs de demonstratione dixi) ipsius autem rerum essentiæ tum inuentionem, tum inquisitionem,
tum demonstrationem,non ex ijs,quæ multitudini uidentur,immo ex sumptionibus scientificis,quæ lē
mata græce uocant,de quorum inueniendi ratione in illis est proditum. Ergo accepto eo,quod omnes
confitentur,principio,nempe illud in medendi methodo propositum esse, ut ægrota corpora in sanita-
tem uindices.id uero est,ut naturales partium actiones,siquæ uitiatæ sint corrigas.Iam,quod deinceps
est,inquiramus,quot numero in totum res sint,quæ loco inter se sibi sunt propinquę:necubi aliqua pro
cedente sermone,uel pro morbis accipiamus,cum sint his similia:uel ut sanitatem, cum ad huius natu-
ram prope accedant.Proponamus autē claritatis causa particulas aliquas,in quibus confirmetur,quod
dicimus,ac primum quidem ante ceteras oculum.De hoc igitur omnibus hominibus non medicis mo
do,sed etiam alijs quibuslibet conuenit,eius opus esse,ut uideat. Seu uero opus, seu actionem inter lo-
quendum dicam,in præsentia saltem non refert.Ad eundem modum,nec,si quis aspicere, oculorum es
se opus dixerit: nec,si quis aspectum,aut uisum,aut uisionem,aut quomodocunq; aliter nominet, quic
quam refert.quādo etiam,si quis solœcismum committens nominet, ad rei ipsius scientiam nihil id af-
ferat incommodi,modo,de qua re nomen pronunciet,clare explicet. In hoc enim præcipua doctrinæ
uis est.Nominetur igitur oculus pars corporis. neque hic referat, partem ne an particulam quis dixe- H
rit.Quicquid enim totum complet,atque integrat,id totius uidelicet corporis,quod complet,particu-
la,siue pars nominatur.Est enim pars ex ijs,quæ ad aliquid dicuntur. quippe pars totius, integriq; pars
dicitur: æque profecto, ut totum & integrum per relationem ad partes & particulas proprias nomina-
tur.Estque sicuti dextrum ad sinistrum,& sinistrum ad dextrum,ita & totum ad partem,& pars se habēs
ad totum.Ergo siquis hac seruata notione malit partem dicere,quam particulam; aut siquis cōtra, par-
ticulam potius,quàm partem,is mihi ad rerum inuentionem impedimento non sit,ceterum imperitum
se linguæ latinæ*prodit.Quemadmodum certe,siquis integrum a toto secernat,is quoque linguæ*lati- †Legitur utrobique grēcæ.
næ est ignarus.Dictum uero alibi(ut scis)diffuse de nominum usu est. Ac nunc,quantum satis ad rē sit
propositam,adijciam,illud duntaxat indicans,non oportere nominibus seduci,nec,qui in ijs dissentiūt,
hos statim in rebus quoque ipsis dissentire putare.In quo genere omnes(ut uno uerbo dicam)non me
dicos modo nostræ tempestatis,sed etiam philosophorum plerosque parum exercitatos uides:ut quo-
rum paucissimi nominum*diuersitatem a rerum diuersitate distinguere norint.Verum huius quoque rei *διαφωνίαν.
methodum in Logicis speculationibus tradidimus.cuius opportunitas,si quādo alias,utique nūc quo-
que ad usum uenit.Quænam igitur fuit ea methodus? Nempe ut a rerum incipias differentia, non autē
nominum.tum ostendas quatuor,exempli gratia,esse res,quæ in uicino sunt positæ. post deinde, ut de-
monstratione

A monstratione confirmes neq; plura esse, neq; pauciora, quæ in proposita disceptatione contineantur.
postremo ut accommodato rerum cuiq; suo nomine sic reliquum sermonem absoluas,nec mutans de-
hinc, nec transferens nomen ullum,sed,cui rei ipse ab initio imposueris, de eadem perpetuo usurpās.
Quippe ita & dilucida doctrina efficitur,atq; a cauillationibus,quas homonymia parit,libera:&,quod
frustra est additum, facile deprehenditur,&,quod deficit,cito inuenitur:&, quæ consonant dissonātq;,
maxime in eiusmodi explicationibus,exacte discernuntur.

Quidnam actio & passio exemplo uisus, & oculi: quid latio, & alteratio, pars, & instrumentum. *Cap. 6.*

ERgo illud repetamus denuo. Visus,oculorum actio est:locutio,linguæ:incessus, crurum. Ipsa rur-
sus actio,motus est actiuus. Iam horum ipsorum motus, prioris habitus est immutatio: Actiuus,
qui a se editur: Passiuus,qui ab alio quopiam extrinsecus posito excitatur. ueluti uolatio, actio est ani-
malis uolatilis: & incessus, animalis gressilis. quod autem ab alio sic agitur, ut locum mutet,id utique
non agit, sed patitur. Egit nanq;, qui ex Piræo Sunium commeauit: quippe motus actiue est, id est ex
seipso, & propria natura. contra,passus est,qui ex Piræo Sunium nauigauit,utpote qui naui uectus est.
At,quoniam motum prioris esse habitus mutationem diximus, ea uero immutatio dupliciter fit, nem-
B pe aut in qualitate, aut loco, utiq; mutatio,quæ in loco agitur,latio dicitur: quæ in qualitate,alteratio.
ita uidelicet ut latio sit immutatio,'uel demutatio, uel mutatio prioris loci (de industria enim multis
sum usus nominibus, maxime scilicet insinuare studens, ꝙ licet unius rei multas definitiones efficere,
quæ uocibus tantum, non etiam notionibus differant) alteratio uero, uel mutatio in qualitate,uel de-
mutatio eius, quæ prius fuit,qualitatis,uel immutatio in qualitate,uel transmutatio qualitatis,uel quo
modocunq; aliter auditori,quod dicitur, clarum fore speraueris. quippe huc tibi uarietas interpreta-
tionis sit utilis. Ergo uisio (nam redeundum ad oculum est) actio partis est: oculus uero ipse animalis
est particula. nam particulam, an partem dicas (ut prædiximus) nihil refert. Instrumentum uero ap-
pello animalis partem,quæ perfectam edere actionem possit:ueluti oculus uisionem, & lingua loque-
lam, & crura itionem. Ad eundem modum & arteria,& uena, & neruus, tum instrumenta, tum partes
animalis sunt.Pro hoc nanq; nominum usu non a nobis modo,sed etiam ueteribus definito,oculus qui
dem & pars animalis, & particula,& instrumentum uocabitur:cornea uero tunica, particula quidem,
& pars, non autem instrumentum. Simili modo & quæ rhagoides,& quæ arachnoides, & quæ amphi-
blestroides græce dicuntur. quippe quarum singulæ primum quidem ac maxime oculi particulæ sunt.
&, quia is etiam faciei pars est, itidem & illæ faciei sunt partes, sed secunda quadam ratione. ita uero
C & totius corporis partes sunt propterea,ꝙ facies ipsa totius corporis est particula. Homœomeres ue-
ro,id est similaris pars, est, sicut ipsum clare indicat nomen,quæ undiq; in similes diuiditur particulas:
ueluti in oculo uitreus humor,& crystallinus,& tunicarum propria cuiusq; substantia.Porrò hæc latius
indicata sunt in dissectionum commentarijs. Hic uero ea tantum dixisse sat est,quorum ad id, quod in-
stat,meminisse est opus. Est autem opus ostendere in singulis particulis plura inesse, quæ inter se dissi-
deant,nec tamen a medicis sint percepta. hoc autem utile esse prædiximus ad nomina nobis recte uten
da, utiq; cuius causa nunc id tractandum suscepimus, Indicabitur autem & ad ipsam nobis propositam
methodum maxime necessarium. Est enim instrumētum oculus, actio uero uisio:una ex particulis eius
similaris, ac primum uisionis instrumentum, crystallinus humor: sicuti in libris, ubi de ijs egimus,mon
stratum est. id nanque est, quod alterari debet ab aliquo extrinsecus occurrentium colorum, ut ani-
mal uideat. alterari uero non potuit,nisi purum omnino perspicuumq; esset.At purum ita perlucidum-
que esse non posset sine eo,quod nunc obtinet,temperamento. Quippe ostensum est unamquanq; re-
rum talem esse, qualis est propter calidi, frigidi, humidi, & sicci temperamentum. Ideoque, siquid
horum magnopere immutatum sit, aut plane non uidebit, aut male uidebit animal. Verum hoc no-
bis parum adhuc constat, modo artem quærere orsis. nec oportet aliquid ex ijs, quæ post sunt inqui-
D renda, uelut scitum præsumere. nec ipse huius gratia, eorum, quæ de crystallino alibi demonstraui,
mentionem feci, sed claritatis causa eorum, quæ nunc sunt dicenda. Videntes enim oculum probe
munus suum obire, ac rursus nequaquam uidere,atque illud sanitatem eius,hoc morbum, uel uitium,
uel, quicquid libet, uocantes, (nihil enim ad rem propositam refert)quærimus deinceps,quæ demum
sit eius noxæ causa.

Aduersus Thessalum, Iulianum, Olympicum & reliquos methodicos, de sanitatis ac morbi definitione. *Cap. 7.*

VNde,inquies,ad hoc moti? Certe ex indemonstrabili axiomate, de quo tamen inter omnes con-
uenit propterea,ꝙ intelligentiæ euidens est. Quod ergo est id axioma? Nihil absque causa fieri.
quippe hoc non concesso,non datur aut læsæ uisionis, aut prorsus amissæ causam requirere. Sed, quo-
niam id ex ijs est,quæ intelligentiæ sunt manifesta, præsumentes iam aliquam subesse læsionis causam,
ad eius inquisitionem uenimus.Ergo hanc causam seu affectū aliquem corporis,seu corpus certo mo-
do affectum appellare uelis,nihil sane ad rem propositam interest. Illud omnino fateberis, aut mor-
bum ipsum hanc esse:aut,si quidem morbus est ipsa actionis læsio,affectum,qui huic officit,morbi cau-
sam esse. Existitq; hoc loco rursus de nomine controuersia,ipsum ne oculorum affectum,a quo uisus lę
ditur,morbū uocemus,an ipsum actionis uitium.Verum,siue quis actionem uitiatā morbum dici uelit,
utique

utique multo prius ſtatuat, neceſſe eſt, ſanitatem eſſe naturaliter ſe habentem actionem: ſiue affectum, E qui actioni incommodat, multo quoque ante, qui ſecundum naturam eſt, ſiue hunc affectum, ſiue cõſtitutionem dici uelit, ſanitatis uocabulo appellet. Quippe committere, ut cum in actionibus poſueris ſanitatem, in affectibus exiſtimes ſtatuendum morbum: aut contra, cum in partium conſtitutione ſanitatem, in actionis uitio morbum, tum reliquis methodicis, tum uero principe huius inſaniæ Theſſalo digna ſententia eſt. Etenim omnes fere, qui ſunt indocti huius inſanique dogmatis ſectatores, ſanitatem eſſe naturalium actionum firmitatem ac robur aiunt: morbum uero nequaquam actionis læſionem & infirmitatem, ſed alij corporis quendam affectum, alij corpus certo modo affectum. Qua quęnam, obſecro, maior dementia ſit? Hoc enim uel quiuis deprehendat, non oportere in altero ſanitatem, in altero morbum, ſed in eodem omnino genere ambo conſtitui. Siquidem contraria ſunt, quæ in eodem genere plurimum inter ſe diſſident: ueluti candidum, & nigrum etenim unum eſt horum genus, color. Ideoque, ſi contraria inter ſe ſunt ſanitas, & morbus, in quocunque genere eorum, quæ naturaliter ſe habẽt, ſtatuetur ſanitas: in eodem, cum præter naturam ſe habet, ponetur morbus. Quare, ſi ſanitas actio ẽ, quę ſecundum naturam ſe habeat, omnino morbus præter naturam actio fuerit. Sin autem affectio quæpiã, aut conſtitutio naturaliter ſe habens, ſanitas eſt, & morbus affectio, conſtitutiove præter naturam neceſſario fuerit. Ac Theſſalus quidem finire morbum ne aggreſſus quidem uſquam eſt, quin potius ha- F riolandum nobis reliquit, de qua re uocabulum id enunciet. Quod enim nihil intereſſe cenſeat inter morbum & pathos, iam tibi ex ipſius hominis commentarijs oſtẽdimus, in quibus tranſlatitie ambo ponit, transfertque utrunque in alterius locum, ceu nihil interſit, hoc, an illo modo loquaris. Eius uero ſectatores uniuerſi ſurſum deorſumque aguntur, ratiocinantes, ac ſe tegentes, omniaque faciẽtes, ut uel obſcure loquantur, uel omnino nihil, ut Theſſalus ipſe, atque ante hunc Themiſo, qui fundamentum illis huius inſaniæ iecit. Quòd ſi tibi ea, quæ Proclus, & Rheginus, & Antipater, ad hæc, quæ Eudemus, Mnæſeus, Philo, & Dionyſius in hoc genere prodiderunt, dicere velim, utique a propoſita tractatione, quæ & ſcientifica eſt, & ipſum, quod utile ſit, docere conatur, imprudens excidam. Verum de horum diſſidentia licebit, aliquando fortaſſe etiam in ſequentibus, mentionem facere: unaque cum his Menemachi, qui omnes eorũ res aſtutius turbauit, atque confudit: & nugacis Olympici, cumque hoc etiam Apollonidæ: & Sorani, &, qui adhuc uiuit, Iuliani. quem utique & nos conuenimus, ut uiua uidelicet hominis uoce meras nugas condiſcerem. ſed nec is explicare potuit, quid † [morbus pathosve] eſſet. Cuius rei uel maximum ſignum eſt, quod, cum uiginti plus anni iam ſint, ex quo illum Alexandriæ conuenimus, ſcripſeritque iterum atque iterum inſtitutiones, (nam has aſſidue tranſponit, transformatq; nunquam ijs, quas ſcripſit, contentus) nuſquam tamen earum eſt auſus, quid morbus ſit, prodere, tametſi G certe adeo ea, quæ nihil ad rem pertinent, in ijs agitet, ut etiam illud inquirat, Sit ne pictura medicis ex uſu. & tamen, tam multa taliaque cum ſcribat, nec diſſimulare queat, (ſicut nec Menemachus) quin methodicæ ſectæ abſurditatem clare norit, ne in hodiernum quidem diem in inſtitutionibus ſuis uſquam ſcripſit, quid morbum pathosve nominet. Mihi certe ipſum interroganti. adeo multa obſcuraque reſpõdit, ut nihil eorum, quæ dixit, plane intelligerem, cogererque illud tantum homini dicere, quod mihi de ſciſcere ab Olympico uideretur, quãquam is auus doctrinæ ipſius fuerat. Nam Iulianus hic Apollonidæ Cyprij, ille Olympici diſcipulus fuerat. Ergo Olympicus (uti dixi) ſanitatem * morbumque finire auſus, illam eſſe affectum dixit, qui abſentia ſit morbi. Rurſus * morbum mutationẽ a naturali in id, quod præter naturam ſit, ſtabilem. Quorum ſane utrique permulta inſunt a ratione aliena, quæ & tunc Iuliano expoſui, & nunc ſummatim dicam. Quod enim (inquam) confuſionem facit, id eſt, quod Olympicus non illud tantum abſolute dicit, ſanitatem affectum eſſe poſitum extra morbum, ſed etiam illud definitioni adijcit, quem affectum definimus naturalium actionum conſtantiam, & firmitudinem, haud enim coniicere ualeo, in ſola ne actionum conſtantia, an in corporis affectu, an in ambobus ſanitatem ſtatuat. ſed forte, ut utique cum reliquis methodicis aſſolet confuſe alieneque abuti Græcorum uocibus, ita nunc quoque affectum non ad corpus, ſed ad actiones refert: ut nimirum ad hunc modum definitionẽ H intelligas: Sanitas affectio eſt actionis in abſentia morbi. Porrò iuſtum, arbitror, fuerat alterum duorũ definitioni adieciſſe, aut actionum, aut corporis, ut uidelicet aut ita ſe habeat et finitio: Sanitas eſt affectus actionum in abſentia morbi: aut certe talis: Sanitas eſt affectio corporis in abſentia morbi. Quinetiam, ſi ambo iungere uoluiſſet, ita quoque licuiſſet ut dilucide, ſic breuiter dicere: Sanitas eſt affectio tum actionum, tum corporis in abſentia morbi. Quid autem, cum ſubijcit, Quem affectum definimus conſtantiam, ac robur actionum naturam ſuam tuentium, utrumne pars hæc putanda eſt eius, quod prædictum eſt, iungendaque tota definitio eſt ad hunc modum? Sanitas eſt affectus corporis in abſentia morbi, & conſtantia actionum, quæ ſecundum naturam ſe habent, ac robur. an iſta ipſa per ſe ipſam perfecta definitio eſt, ac, quid ſanitas ſit, docens, prout ſane non nullis methodicorum placuit, qui ſanitatẽ eſſe dixerunt conſtantiam ſecundum naturam ſe habentium actionum. Verum ſi hæc abſoluta eſt, haud ſcio, quid doceat, ea quæ ante dicta eſt, quæ affectum eſſe ſanitatẽ præcipit. Quippe illud, quod dixit, in abſentia morbi, eiuſmodi plane eſt, quod uel puer rideat: cum, ſi ita definire permittetur, manifeſtum ſit & morbum fore affectum corporis in abſentia ſanitatis. ita uidelicet, ut utraque definitio, non quid ſit, id quod quæritur, ſed quid non ſit doceat. Sed mittamus (inquam) ſi placet & hęc cum ſint ad rem non admodum neceſſaria. Illud certe præterire diſſimulareq; nõ licet

† Pathos & morbus.

*pathoſque *pathos

A licet, quòd in ſanitatis explicatione omnia actionibus tribuantur, uel ſolis, uel etiam confundendo inuoluendoq;, ac obſcure quodam modo miſcendo ipſum affectionis uocabulum, quemadmodum fecit Olympicus: in ipſius uero * morbi definitione, nulla ſit actionum mentio. nam illud dicere ſatis habuit, * morbum eſſe mutationem corporis a naturali ſtatu ad eum, qui præter naturam ſit, conſtantem & ſtabilem. At debuerat, inquam, aut in actionibus, aut in affectibus utrunque conſtituere. Quid uero mihi reſponderit, & ſæpe tibi iam mi Hiero narraui, & nunc repetere non erit alienum. Nihil (inquit) miri eſt in actionum quidem conſtantia cum robore ſanitatem poni: in affectu autem corporis præter naturam, morbum. Neq; enim cõtraria ſunt, ut tu reris, inquit. Eſt enim eorum aliquid medium, quod nec ſanitas ſit, nec morbus. Quo ego ſermone audito, abij ſtupefactus ſimul ac dolens. fatendum enim eſt, quod accidit. Antea enim neminem unquam eorum, qui in ea opinione prorſus ſunt ſtupidi, conueneram: tum autem primum conueniens merito obſtupui, non q; is ſolus adeo ſine ſenſu eſſet, ſed quòd multo ſe etiam agreſtiores tot haberet diſcipulos, qui, cum ſtatim in initio doctrinæ ſuæ methodicos ita errare uiderent, tamen a ſecta non deſciſcerent: aut, ſi omnino non uiderent, prorſus eſſent attoniti. Nam quid, quæſo, ad rem, morbum ſanitati non eſſe contrarium propterea, quòd aliquid eorum ſit medium? Patet enim hac ſcilicet ratione non fore album nigro contrarium propterea, quòd eorũ ſint B media flauum, & fuſcum, & rubrum, & pallidum, & reliquorum colorum ſinguli: nec calidum frigido, quippe horum quoq; ſunt media, tepidum, & temperatum. Ac ſapientes iſtos methodicos, cũ nec leui, nec ſpernendo lapſu ſic ſint inter initia ſtatim lapſi, ſperemus ne ueritatem ullam eorum, quæ ſequãtur, poſſe intelligere? minime profecto: quippe, quæ in arte medica ſpectantur, omnia ex his pendere docebimus, idq; merito. ſiquidem in ijs artibus, quæ methodo aliqua traduntur, earum conſtituendarũ principium eſt finis ipſius notio. Ac in huius quidem notitia, alijs quoq; permultis uarie eſt erratũ, alijs medicinæ finem eſſe affirmantibus; ut plurimum ſanare: alijs ea facere, quæ ſint ad ſanitatem conducibilia: alijs morborum cauſas adimere: alijs pro ſe quenq; omnia peragere: alijs, prout cuiq; ſuccurrit. ac de his definire ſeorſum conueniet. Nemo tamen adeo fuit ſtupidus, ut in alio genere poneret ſanitatẽ, in alio morbum: ſed uel actionibus naturaliter ſe habentibus tribuit, uel partiũ conſtitutionibus, quos aliqui affectus uocant. Siue autem in actionibus naturaliter editis ſit ſanitas, in ijs, quæ præter naturã ſunt, erit morbus: ſiue in conſtitutionibus naturaliter ſe habentibus, in ijſdem præter naturam ſe habentibus erit morbus: ſiue in affectibus, in his ipſis erit & inualetudo. Neq; enim profunda ulla ſpectatione ad hoc eſt opus: tantum ſufficit non eſſe peruerſum. Nam quis, obſecro, dubitet, ſi uidere ſanitas ſit, morbum eſſe uel cæcutire, uel omnino non uidere? Quis non intelligit, ſi audire ſanitas ſit, eſſe morbũ C uel ægre audire, uel prorſus non audire? Pari modo, ſi concoquere, bona ualetudo eſt, male concoquere, uel plane non concoquere inualetudo eſt. Et ſi ſuo aliquem arbitrio moueri ſanitas eſt, utiq; morbus fuerit & conuulſio, & palpitatio, quem palmon uocant, & neruorum reſolutio, & tremor: & denique quicquid uoluntarium motum uel penitus deſtruit, uel etiam certo modo impedit. Ad hæc, ſi naturaliter ſentire ſanitatis opus ſit, inſenſibilitas, & difficilis ſenſus, & ſtupor, & dolor ægritudines erunt. Rurſus, ſi ordinate reſpirare ſanitas eſt, utiq; ſpirandi defectus, uel difficultas morbus eſt. Atqui, ſi hi morbi ſunt, dubium non eſt particularum affectus, ex quibus hæc æduntur, morborũ eſſe cauſas, nec oportere aut phlegmonen, aut ſcirrhum, aut eryſipelas, aut abſceſſum, aut ulcus, aut œdema morbos dicere. Quòd ſi hæ ægritudines ſunt, manifeſtum eſt nullum illorum eſſe morbum. Quippe duo rerum genera ſunt nuſquam inter ſe ſimilium, ſed omnifariam diſſidentium, & tota natura differentium. alterum horum generum corpus uocant, alterum actionem. Ergo oculus, & lingua, & auris, & crus, atq; id genus ſingula, corpora ſunt certo modo affecta: uiſus, auditus, ſermo, inceſſus, actiones prædictorum ſunt corporum. Si itaq; in certo quodam corporum habitu ægritudo conſtituitur, certe in certo quodam actionum habitu non ſtatuetur. Quando, ſi in hoc morbus conſiſtat, planum rurſus eſt in corporũ affectu non eſſe. Verum, quòd affectus ipſe cauſa ſit, actio uero id, quod ab affectu corporis efficitur, id neD ro eſt, quod omnium maxime & fatendum medico ſit, & tenendum. Adeo, quiſquis hoc ignorat, is in re labitur, quæ plane eſt ex neceſſarijs. At, qui uel actionis læſionem uel corporis affectum, morbum, uel quoquo nomine appellat, quanquam parum conuenienter nominat, poteſt tamen de rebus ipſis rectam habere ſententiam. Contingit autem non ex nominum, ſed rerum recta opinione, recta morborum curatio. Iam hoc ipſum multos medicorũ ignorantes inuenias, putantesq; in rebus diſſidere eos, qui corporum affectus morbos eſſe cenſent, ab ijs, qui in actionis uitio eoſdem conſtituunt. Atq; horum omnium errorum (quod & ſæpe iam dictum eſt, & poſt dicetur) unica cauſa eſt, quòd, qui inuenire quiduis logice ſunt aggreſſi, non fuere in logica methodo exercitati, ſed ſimul, ueluti ratione cogitationeq; exercitati fuiſſent, ab experientia deſciuerunt: ſimul, cum in illis inexercitati fuiſſent, magnopere ſunt lapſi: ſiquidem millies eos de nominibus tanquam de rebus litigantes inuenio. Rurſum, ubi rem quampiam maximam ignorarint, nomen ſe ignorare putantes, ueluti in eo, quod nunc eſt propoſitum, diſcernere nequeunt corporis quidem ſtatum cauſæ rationem ſuſtinere: actionem eius, quod ab eo perficitur: ſed nec, quod ſanatur, id eſſe corporis affectum. quippe comitatur neceſſario hunc naturaliter ſe habentem naturalis actio. Contra, ſi a natura receſſerit, actio ſtatim præter naturã ſe habeat, neceſſe eſt. Porrò in hoc totum uertitur, eſtq; hoc principium, ac ueluti primum quoddam elementum omnis methodi, quæ de medendo inſtituitur. Ceterum, an hoc ipſum appellare morbum oporteat, an actionis

actionis uitium,id est de nomine dubitare. Dicemus autem aliquid & de nominum usu, sicut in alijs E
prius iam fecimus. Verum nunc de ipsis nondum distinguo, quo uidelicet hoc ipsum, rerum fide ma-
gis comprobem, ostendamq;, quodnam sit huius de medendo methodi principium & radix. In quo cũ
alij multi ex ijs, qui rationales se dogmaticosq; appellant, tum uero probi isti methodici sunt falli. atq;
illud quidem ijs, qui prudentes sunt, iam quodam modo apparet nihil esse aliud, quod a medicis cure-
tur, quàm corporum affectum, ueluti proximo libro monstrabitur.

De causarum, affectuum, actionum, ac symptomatum generibus, ex quibus vniuersa dignoscendorum ac curandorum morborum methodus pendet. Cap. 8.

NVnc illud nobis propositum erat, ut ignorantiam eorum corrigeremus, qui, quot in uniuersum
res sint, quæ in præsenti disputatione proximæ inter se habeantur, ignorant. Videtur enim unum
harum genus esse ipsorum corporum, alterum actionum. Ac corporum quidem genus præcedere actio
nes, easq; gignere: has uero sequi, idq;, si corpora naturaliter se habeant, inculpabiles ac naturales:
sin præter naturam sint affecta, aut nullas prorsus, aut omnino certe impeditas. Tertium præter hæc ge
nus est causarum, quæ hos affectus creant. nam, quam rationem habet affectus ad actionem, hanc alte
rum quippiam ad ipsum affectum omnino habeat, oportet, illo duntaxat euarians, quòd affectus cum
actione unà consistit, nec potest usquam aut proba actio esse sine corporis naturali affectu: aut uitiosa, F
nisi cum corpus sit uitio affectum. Eius autem affectus, qui actionem impedit, causæ possunt quidé non
etiam esse: possunt autem & adhuc nunc manere. Ergo diuersæ omnino ab affectibus causæ sunt. Ac ter
tium hoc iam inuentum genus diuersum est, & ab actione, & eo, qui hanc gignit, affectu. Ab hoc quar-
tum aliud genus est [affectus] eorum, quæ, cum corporibus & naturaliter, & præter naturam se haben-
tibus insint, actioni nec commodant, nec incommodant: sicut, exempli causa, color corporis ex diutur
na in Sole mora niger ex candido factus: aut contra, ubi uersatus in umbra quis sit, ex nigro candidus:
aut ruber lotis: aut pallidus expauefactis. Quippe hæc nec actiones sunt, nec corporis affectus, qui
sint actionis causæ: multoq; minus ipsæ causæ, quæ affectus, qui præter naturã sunt, creant: sed sunt sym
ptomata, quæ diuersas corporum alterationes necessario sequuntur, siue hæ secundum naturã, siue præ-
ter naturam se habeant. Ergo, cum quatuor definita genera iam sint, ex quibus uel noscendis, uel non
noscendis, probe secusve incipiendam esse medendi artẽ monstrabimus, liceat de cetero cuiuis, prout
uolet, ijs nomina imponere: ueluti affectum corporum præter naturam se habentẽ, cum actionem ali-
quam uitiat, morbum, si placet, appellato: Ipsum uero functionis uitium, insigne quoddam morbi sym
ptoma. Quæ alia ratione accidunt, ceu colores, ea quoq;, si uolet, appellato symptomata, ceterum ea
distinguat a functionum uitio, & si illa insignia, morbi symptomata uocet, hæc familiaria propriaq; no- G
minet. Quædam etiam præter hæc, si uolet, nec familiaria, nec propria, sed forte quadam incidentia.
Quartum uero ab ijs genus statuito, quod sit insalubrium, siue (ut ita dicam) morbificarum causarum.
Atq; harum, quæ quidem in ipso animalis corpore consistunt,* internas nominet: quæ extrinsecus,
* externas. [nisi malit (ut nunc uulgus medicorum insueuit) illas antecedentes, has primitiuas uoca-
re.] Positis autem pro arbitrio uel hoc uel alio modo nominibus, dummodo clare, & ex usu legẽtium,
nec mutet postea, nec transponat eorum usum, sed perpetuo per omnem disputationem obseruet, quo,
& quæ dicat, facile intelligamus, & refutationes redargutionesq; omnes ad aliquid clarum distinctũq;
referamus. Qualiter, inquis, & ad quem modum? (nam idipsum quoq; indicãdum adhuc arbitror pro-
pter stupidos istos methodicos) nempe esto, dicat aliquis, phlegmonen affectum esse præter naturã:
ipsam uero læsam phlegmone laborantis particulæ functionem morbi insigne symptoma, ueluti pedũ
quidem [læsum] ingressum, oculorum uisum, aurium auditum: ruborem autem, tensionem, & renixum,
& tumorem, qui præter naturam sit, ac phlegmonis succedat, diuersum quoddam genus siue symp-
matum, siue accidentium, siue quo alio nomine appellare malit: illud modo sciat, clareq; definiat, non
esse idem genus cum uitio actionis. Rursus sanguinis redundantiam (si forte hæc fuit) internam phleg
mones causam: externam uero, & quæ hanc præcessit, ciborum abundantiam. Ergo, sicuti ipse exempla H
sermonis habendi clara posui, & quatuor genera distinxi, ac* notiones eorum dixi, ita & Thessalo, ar- *Al.causas.
bitror, faciendum fuit, præsertim post tot & tantos uiros, quos se uicisse prædicauit, nouam sectam con
dituro. Nunc uero nec ipse apertum quicquam attulit, nec sectatorum eius quisquam.

Refelluntur, quæ Olympicus ac Thessalus de ea, quæ est inter pathos & symptoma, differentia prodiderunt. Cap. 9.

OLympicus enim, cum ausus sit definire, quid pathos sit, non eius, sed symptomatis retulit notio-
nem. In summa igitur, nec quid pathos sit, nec quatenus a morbo differat, intelligunt. Verũ hoc
nos in sequentibus docebimus, simul enim omnia dici non possunt. Verum concesso ijs idem esse mor
bum ac pathos, inspiciamus ea, quæ dicit Olympicus. Pathos (inquit) est conuersio corporis a natura- »
li habitu in eum, qui præter naturam est, permanens. Post paululum progressus ait, Sciendum est differ »
re a symptomate pathos, quòd pathos, ut pauloante dixi, affectus corporis est præter naturam perma- »
nens: symptoma, quod huic accidit, quodq; in ijs, quæ præter naturam sunt, specialem ac magis etiam »
particularem figurationem habet. Hæc est egregia interpretatio sapientis Olympici, qui pathos ac sym »
ptoma finire est ausus. Quæ sane tot uitijs scatet, ut mihi in mentem ueniat illud stulti ad cribrum, ne-
gantis inuenire se, quid eius obturet, aut non obturet. Quid enim primum ex ipsis dicas, aut quid omit-
tas?

A.I.1.f.2.d.1. c.1.p.57.a.

* προηγούμενα * προκατάρκτικα.

Atas? quippe omnia refutare, quæ perperam sunt dicta, longum sit. Num omnis mutatio ab eo, quod se-
cundum naturam se habet, ad id, quod præter naturam est, morbum censetis, si modo permanentia illi
adsit? At uos tum coloris uitium, tum atrophiam. i. affectum, in quo corpus non nutritur, symptomatis
nequaquam* morbis annumeratis. Quid autem cacochymia. i. uitiosus succus? quid cachexia. i. malus
corporis habitus? quid succi defectus? quid uero ipsa redundantia? non ne præter naturã sunt? Si ergo
permanẽtia his accedat, inter morbos numerabuntur. Atqui ne ipsi id uultis, & merito sane. Etenim su-
pra id, qđ præter naturam sit affectus, adijci oportet ét aliquã ab eo lædi actionem. nam, quoad illesæ
hæ oẽs seruãtur, ét si millies corpus sit alteratum mutatumq;, nullus tamen eorũ affectuũ adhuc mor-
bus est. Quod. n. curationẽ desiderat, aliud plane nõ est, quàm affectus, qui uitiat actionem. Siquidẽ qđ
primũ maximeq; oĩum desideramus, id naturalis est actio: ppter hãc, & naturalem siue affectũ, siue con
stitutionẽ nominare uelis. Videre nanq;, & audire, & loqui, & ingredi indigemus, non aũt oculis, auri-
bus, lingua, aut cruribus. nam, si uidere alia particula liceret, quis oculorum esset usus? Et, si alio quouis
instrumento audire liceret, quę aurium esset utilitas? Pari modo & lingua, & cruribus minime profecto
esset opus, si loqui atq; ingredi sine his possemus. Ac uidere quidem, nostra ipsorum causa indigemus:
* Al.ociosis. oculis non nostra, sed ideo, ut uideamus. Iam linguam, aures, crura nõ propterea requirimus, ut *instru-
B mentis & multis affluamus partibus, sed loquelæ gratia, & auditus, & incessus. quippe demortua qua-
uis particula, quæ abscindi potest, ueluti digito, pede, aut summa manu non patimur hanc ociosam ge-
stare, ac ueluti pondus alienum circunferre, illud clare hoc ipso declarantes, haud quaquam nos parti-
culis illis, sed functionibus egere. Veluti igitur totam particulam actionis causa requirimus, eodẽ (arbi
tror) modo naturalem quoque eius constitutionẽ actionis gratia desideramus. Sicuti enim supra dixi-
mus, causæ uicem ad actionem constitutio præstat. Quæ uero constitutionem, unde actio nascitur, ne-
cessario sequuntur, sanis quidem nobis accidentia, ægrotantibus symptomata nuncupantur. Atq; hæc
quatuor genera sunt omnium, quæ in corpore nostro habentur, seu secundum naturam nos, seu præter
naturam habeamus, actiones, constitutiones, quæ has præcedunt, quæ sequũtur. his dehinc nomina, qui
uolet, imponito, singulis seorsum: &, si Dionem, aut Theonem appellare uelit eorum quodlibet, mea
nihil refert: illud modo intelligat seruetq; ubique, quatuor in uniuersum res esse, quę sitæ inter se proxi
me sint. Et, quoniam huc sermonis ueni, uideor mihi hoc iuste exigere, ut sicuti nos illis permittimus,
quæ uelint, nomina indere, ita illi inuicem nos usitatis & antiquis uti sinant. Alioqui sane graue atque
adeo iniurium sit, si illis soloecismum committere tyrannorum ritu licebit, nobis uel græce, [uel latine]
loqui non concedetur. Vocanto, si placet, sanitatem, ipsarum functionum constantiam. quanquam
C ostensum a nobis est affectum constitutionemque partium, cuius ope functiones secundum naturam
edimus, hygian. i. sanitatem ab omnibus Græcis appellari. Atque, id cum statuerint sanitatem, mor-
bum tamen censento non actionis uitium, sed qui præter naturam sit affectum. Tanquam ergo nos
illos nec græce [latine ue] nec dialectice nominantes, non impedimus, ita illi nobis permittant &
græce [latineve] & dialectice non omnem qui præter naturam sit, affectum, sed qui actioni in-
commodat, morbum nominare: qui præter naturam sit, nec tamen actionem obturbet, non mor-
bum, sed morbi symptoma. Rursus, sicut illi permanentiam adijciunt, nec indicant, quot ho-
ras eiusmodi affectus moratus, morbus sit censendus, ita illi nobis concedant illud permanentiæ
nomen subtrahere. Nam, siquis siue tribus horis, siue quatuor, siue horæ tantum dimidio, toto
corpore uehementer sit arreptus sic, ut neque sentiat, neque moueatur, hunc nos apoplecton siue
attonitum dicimus: Aeque, siquis conuulsus toto corpore sit, hunc etiam comitiali morbo labora-
re. nulla nec horarum, nec dierum ratione habita. quippe nomina id genus, naturæ rei, non tem-
poris modi sunt indicia: non aliter quàm album & nigrum, & calidum & frigidum. alioqui mirum
mehercule sit, si aquã calida, calida non sit, nisi perpetuum diem talis perduret. aut qui sex horis febrici
tauit, non febricitauerit; oportuisse enim ut febricitauerit, durasse malum. quanquam, quod tempus
† D id sit, quod durationem illam, iusta ne fuerit an secus, determinet, nemo eorum tradidit: utrum ne die-
rum aliquis numerus sit, [an mensium,] an horarum: aut cur durabilem dicant, cum licuerit diutur-
num dicere: aut cur hoc quidem mutantes non nulli eorum, difficile solubilem dicant. At certe hoc
non generaliter morbi, sed longi morbi proprium est: perinde ac facile solubile, breuis. Verum exi-
stimare referre, ægre solubilem, an durabilem, an diutinum dixeris, non ne extremæ est ruditatis? Iam
illud profecto magis mirum, quòd ipsi ueluti a graui somno experrecti, distinguere pathos a sympto
" mate aggrediuntur: cum auctor stupiditatis eorum in secundo de methodo, sic scribat: Eadem nan-
" que, cum præcederunt, pathe dicuntur: cum succedunt, symptomata. Quamuis etiam longe mira-
bilius hoc ipsum sit, quàm ea, quæ ab illis dicuntur, utique iecinoris phlegmonem, si primo statim
die irruat, pathos esse concedere: sin alteri cuipiam secundo, aut tertio die succedat, abire in sympto-
ma, quanquam quid diem secundam memorem? cum melius sit horam secundam a morbi inuasione di-
cere. An enim in secundo die phlegmone iecinoris in symptoma migrabit, in secunda ab initio
hora non migrabit, nec symptoma erit? cum illud saltem, quod est, alicui, quod præcessit, superue-
nire illi omnino competet. At, quod tam celeriter, inquiunt, superuenit, ab eo, quod una irruit
non distat. Rursum igitur dictum ab illo clare oportuit, quot horis determinet, distinguatque, quod
superuenit, ab eo, quod una inuadit. Ac Thessalus quidem eiusmodi est. Olympicus uero, ceu in
arcem

arcem ipſam ſapientiæ euectus, non ita pathos a ſymptomate diſcernit, ſed pathos id eſſe, quod dictũ E
eſt, ſymptoma uero, quod huic accidit, mirifice uidelicet ac dilucide *eſſentiã eius interpretatus: quip- *Al. cauſam.
pe, quid ipſum ſymptoma, quod pathos comitatur, ſit, adijcere (ut arbitror) ac definire oportuit, nũ cor
poris aliquis affectus, num læſio quæpiam actionis, num pariter utrunque eſſet. At ille quidem minime
id dicit, ſed nobis uidelicet diuinare eſt opus. Illud uero, quod definitioni appoſuit, nempe ſpecialem
atque etiam magis particularem in ijs, quæ præter naturam ſunt, figurationem habens, quam non ex-
cellentiam claritatis habet, atque etiam nominum græcam perlepidamque interpretationem? Si ma-
gis ſpecialem quandam figurationem, in ijs, quę præter naturam ſunt, ſymptoma habet, quid ergo eſt,
quod magis generalem notam habet? non enim dixit, an ſine collatione ad generale, magis ſpeciale li-
ceat inuenire. Sin ad nihil omnino referens, magis ſpeciale pronunciat; oppido quàm diligẽter clare-
que interpretatur. quanquam & paucis, & dilucidis uerbis dicere ei licebat omnia, quę circa corpus
animalis præter naturam ſunt, uel morbum eſſe, uel cauſam, uel ſymptoma. Quibus omnibus cum illud
præter naturam ſit commune, morbus actioni officit, cauſa ipſum præcedit, ſymptoma eum ſequitur,
ipſum uidelicet natura duplex, alterum actionis læſio: alterum affectio quædam morbum ſequens. Ve-
rum (ut dixi) ſiquis omnes eorum errores excutere uelit, finem dicendi non inueniat: ipſeque, mi Hie-
ro optime, ſcis eorum nos ne milleſimam quidem ipſorum partem refutare conatos. Ergo, ſi illud tan- F
tum adiecero, primum hunc librum hoc loco claudam: nempe quod in ipſo ſtatim methodi principio
non pauci medicorum falluntur, utique qui Theſſali ac Themiſonis ſunt æmuli, quique methodicos ſe
appellant, inſignibus ac maximis erroribus: cum his uero nõ pauci eorum, qui ſe analogiſticos, dogma-
ticos ac logicos nominãt. Siquidem, niſi quis omnes affectus, a quibus actio læditur, in uenerit, nume-
rum ipſum morborum, quantus qualiſque ſit, ad unguem definire non poteſt. Id cum quidam eorum
facere nunquam uel tentauerint, tyrannorum more, quæ ipſis uidentur, citra demonſtrationem pronũ
ciant. Alij non modo ipſi non demonſtrant, ſed nec a demonſtrantibus diſcunt. Ac plurima (ut ſcis) me
dicorum pars, qui nunc ſunt in pretio, eiuſmodi eſt. nec id fortaſſe mirum. Nam, ubi philoſophorũ ple-
rique citra demonſtrationem credendum ſibi poſtulant, quid de medicis mirere, quibus nec uacat ueri
tatis inquiſitioni uacare? ut qui mane in ſalutationibus (ita enim appellant) ſint occupati, ueſperi cibo
diſtenti, ac ebrij. Verum ego ueteris tibicinis exẽplo, mi Hiero, uel cum muſis ipſis certauero. cũ alio--
qui turpe putem, tibicinem, qui præſertim haud magnam rem proſpere moliebatur, adeo repertũ fuiſ-
ſe laudis cupidum: me autem, qui medendi methodum ab antiquis inquiſitam, non tamẽ hactenus exa
cte proditam, inueſtigare abſoluereq; ualeam, propter eã, quæ hac tempeſtate regnat, ignauiam, grauа
ri atq; cunctari ac differre. Quare contra nunc affectus, quàm ante, mihi uideor. Non enim proprium G
uobis, qui me ad medendi artem totam ordine perſcribendam hortati eſtis, hoc munus dedico. Ac pri
mus liber hic mihi finiatur: totius, quod ſequitur, operis ſecundus ad hunc modũ deinceps incipitor.

GALENI METHODI MEDENDI, ID EST,

DE MORBIS CVRANDIS,

LIBER SECVNDVS.

ARGVMENT. LIBRI.

Quid ſit morbus, ac quæ prima ipſius genera: & quo pacto ſtatuendæ ſint indicationes,
quibus uniuerſa morborum curandorum methodus,
tanquam fundamentis ſubſiſtit. H

Affectum, a quo immediate actio læditur, proprie dici morbum, quando & ad ipſum remouendum uniuerſa curatio dirigitur. Cap. 1.

QVæ corporibus noſtris a naturæ ſuæ modo egreſſis, Hiero optime, accidunt, eo
rum quatuor traditæ differẽtiæ ſunt: Vna ipſius functionis uitiatæ. Altera, eius
qui hanc peperit, affectus: Tertia cauſarum, quæ ipſum præceſſerunt affectum
Quarta ſymptomatum, quæ hunc neceſſario conſequuntur. Quod itaq; uel
cũcta hæc eſſe morbũ oporteat, uel horum quædam, uel certe ex his unũ, id
promptum colligere cuiuis eſt. Cum enim ægrotantibus præter hæc nihil in-
ſit, utique præter hæc morbus non fuerit. Quod ergo reliquum eſt, aut omnia
hæc collecta morbus erit, aut horum quædam, aut unum ſaltem omnino. Sed
enim omnium eſſe collectionem, præter id, quod neminem uſquam habuit auctorem, etiam dici
non poteſt. Nam quæ, quæſo, morbi cauſa, aut quod morbi ſymptoma erit, ſi omnium pariter,
col-

A collectio morbus cenſebitur? Neutrum profecto erit. Ergo duo præter morbos genera relinqui neceſ-
ſum eſt: alterum cauſarum, quæ hos creant: alterum eorum, quæ neceſſario ſequuntur, non tamen ho-
mini officiunt. Verum, ſi hæc abſtuleris, reliquum eſt, ut in altero duorũ ſtatuatur morbus, aut ipſis fun-
ctionibus afflictis, aut, qui has edunt, affectibus. Fuitq; & antiqua ſane de hoc controuerſia, & hodie
diſſident inter ſe omnes, non modo medici, ſed etiam philoſophi: alij ipſius actionis uitia, alij affe-
ctus, unde actio prodit, morbos nominantes. Et diſſidere uiros in rebus tam obſcuris minime eſt mi-
rum: non intelligere tamen eos, quòd de nomine contendant, ſane taxatione eſt dignum. Quippe, ſi
inter omnes conuenit, ad affectum, qui functioni obeſt, curationis conſilia dirigi, quid ad artis officia
conferat definiuiſſe, affectus ne, an læſa functio morbus ſit appellandus? Vtrouis enim modo appel-
lantibus æger ſanitati reſtituetur, modo quis affectui commodis præſidijs occurrat. Hic nanq; eſt, quẽ
alterare mutareq;, & prorſus ſubmouere oportet, non uitium functionis. Nemo enim ipſam claudica-
tionem ſanat, (id enim eſſet ridiculum) ſed affectum, qui hanc efficit, ueluti phlegmonen, ſi huius ui-
tio claudicatur, atq; hanc & perfundit, & cataplaſma ſuperimponit, & ſcarificat, & per halitum digerit,
& omni ratione diſcutere tentat: vtpote cũ hac abolita, reddatur rectus inceſſus: nec hac ſubmota clau
dicationem corrigere prorſus ſit opus, cum nec remaneat quicquam prauæ functionis, ſi, qui huic ob-
B ſuit, prorſus ſit amotus affectus. Quoad uero huius quicquam relinquitur, neceſſum eſt ad portionem
eius, actionem uitioſe edi. Hunc itaq; affectum, ſeu morbum appellaſſe, ſeu pathos, [uitiumve,] ſeu
morbi cauſam, ſeu pathus [uitijve] cauſam quis uelit, id nihil ad curationem nec profit, nec obſit. Sed,
neque ſi Theonem aut Dionem hunc uocet quis, modo rite ſanet, nec hic quidem ægrotanti officiat.
Quinimmo, ſiquis prorſus innominato eo, tamen quæ ex uſu ægrotantis ſunt, adhibeat remedia, non
ſolum hic nihil offendet, ſed etiam belliſſime curabit. Verum, qui alterum docere uolet, quæ ipſe te-
net, huic prorſus nominibus propter res uti eſt opus. In quorum uſu claritas quaſi meta ſpectanda erit.
Nam, qui ſic nominare quæque ſtudet, ut qui diſcit, clariſſime intelligat, is optimus præceptor fuerit.
A.l.1.f.2.d.1. c.1.p.5 2.c. Quoniam igitur & nos iam docẽdi munus ingredimur, neceſſe eſt alicubi rebus nomina imponamus:
an uero dilucide, id uos æſtimetis, licet. Ergo affectus, qui actionem uitiat, morbus appelletur. Hunc
ſiquid ſequitur, ſymptoma. Quod illum excitat, cauſa.

Qua ratione ueteres medici nomina morbis impoſuerint, & quibus ex libris morborum, ac ſymptomatum numerus, & cauſæ declarentur. Cap. 2.

HIs ita diſtinctis, inſpicienda diligenter eſt nominum diuerſitas, quæ ægritudinibus impoſuerunt
ipſorum primi auctores. Subinde enim a læſa particula ſunt indita, ut Græcis Pleuritis, id eſt la-
C terum compunctio. Peripneumonia, id eſt pulmonum phlegmone. Iſchias, id eſt coxendicum mor-
bus. Podagra, id eſt pedum uitium. Nephritis, id eſt renum uitium. Arthritis, id eſt articulorum uitiũ.
A.l.3.f.2.d.1. c.8.p.58.d. Ophthalmia, id eſt oculorum phlegmone. & Cephalalgia, id eſt capitis dolor. & Dyſenteria, id eſt
inteſtinorum tormina. Subinde ab ipſo ſymptomate, ut Eileos, id eſt tenuioris inteſtini morbus. Ti-
neſmos, id eſt deſidendi aſſidua cupiditas. Spaſmos, id eſt conuulſio. Palmos, id eſt palpitatio. & Tro-
mos, id eſt tremor. Paralyſis, id eſt neruorum reſolutio. & Apepſia, id eſt cruditas. Dyſpnœa, id eſt
difficultas ſpirandi, uel inordinata ſpiratio. Apnœa, id eſt defectus ſpirandi. & Agrypnia, id eſt uigi-
lia. & Paraphroſyne, id eſt delirium. & Coma, id eſt ſopor. Sæpe ab ambobus ſimul, ut Cephalalgia.
& Otalgia, id eſt aurium dolor. & Cardialgia, id eſt cordis dolor. Odontalgia, id eſt dentium dolor.
Hyſteralgia, id eſt uteri dolor. Sæpenumero a cauſa putata, ut melancholia, ab omnibus: choleræ,
ijs qui ſunt a Cnido medicis. Hinc etiam fortaſſis & Leucophlegmatias hyderos, quæ aquæ intercutis
eſt ſpecies, nomen accepit. Non nunquam a ſimilitudine ad aliquid extra poſitum, vt Elephas, ſiue
Elephantiaſis, Cancer, Polypus. Staphyle, id eſt vua. Leuce, id eſt uitiligo alba. Myrmecia, id eſt
Formica, ſiue ſeſſilis uerruca. Atheroma, id eſt tuber, cui pulticulæ ſimile quid ineſt, quam Græci A-
theran dicunt. Steatoma, quod ſeuo ſimile quid continet. Staphyloma, id eſt oculi morbus, cũ in ſum-
D ma tunica quiddam acino ſimile eminet. Meliceris. Anthrax, id eſt carbo. Alopecia, id eſt areæ in ca-
pite. Ophiaſis, id eſt uitium ſerpentis formam repræſentans. Sycoſis, id eſt ficus. Satyriaſmi, & Pria-
piſmi, pudendi præter naturam erectiones. Ipſorum uero morborum, quæ nec locum affectum nomi
ne repræſentent, nec cauſam, quæ eos effecit, *perpauca ſunt nomina. Phlegmone. Gangræna. Scir-
*Al. οὐκ ὀλίγα .i. non pauca. rhus, id eſt durities uix ſentiens. Eryſipelas. Apoſtema, id eſt abſceſſus. Oedema, qui tumor eſt laxus
citra dolorem. Empyema, id eſt collectum in thorace pus. Vlcus. Exarthrema, id eſt luxatio. Catag-
ma, id eſt oſſis fractura. Spaſma, id eſt conuulſum. Rhegma, id eſt ruptum. Coloboma, id eſt mutilum,
ſiue curtum. Dothien, id eſt furunculus. Ionthos, id eſt uarus. Phyma, id eſt laxarum partium phleg-
mone. Quanquam horum quoq; non nulla partim locum corporis ſiue particulam afflictam ſubindi-
care uidentur, partim a prægrauante ſymptomate nominari. Quòd ſiquid citra huiuſmodi inſinuatio-
nem eſt nominatum, at certe differentias ſuas multiformes habet: ueluti ulcus tametſi ipſo nomine uni
tatis ſolutionem in carnoſa parte non indicet, atq; ita afflictam partẽ unà inſinuet, at particulares eius
differentiæ uariẽ ſunt nominatæ, Chironium, Telephium, Cancer, Herpes, Phagedæna, omniaque id
genus, partim ab ijs, qui primum ea ſanarunt, ut Chironium: partim ab ipſis, qui iiſdem ſunt affecti, vt
Telephium. Cancer autem a ſimilitudine ad animantem. Phagedæna a ſymptomate: ſimiliter Herpes.
Verum Phagedæna ulcus omnino eſt, idque depaſcens, ſiue exedens, ſiue quomodocunque appellaſſe

BIBLIOTECA DE VERSIPARIA

libet: Herpes non ſemper ulcus eſt, quotiesq; cum exulceratione eſt, non utiq; ſeruata ueteri ſede, ũici E
nas partes depaſcit, ſed, ſicuti nomen ipſum indicat, ritu ſerpentis beſtiæ, relicto priore loco tranſit ad
alterum. Cauum uero ulcus, & ſordidum, & purum, & æquale, & quod hyperſarcon græce dicitur ideſt
cuius ſupercreſcit caro, hæc magis proprias ſortita ſunt appellationes, non tamen ſimiliter omnes, ſed
æquabile a propria nimirum differentia, ſicuti & cauum, & ſupercreſcens. At cruentum, & purum, &
ſordidum, non a proprijs differentijs, ſed ab externis ſymptomatis ſunt appellata. Ergo, cum tam im-
par nominum impoſitio ueteribus fuerit, multoq; etiam magis cum Epinyctida, & Acrochordona, id
eſt penſilem uerrucam, & Nyctalopa dicant: primum, quod noctu eſt enatum: alterum, quod ſummã A.l.3.f.3.c.4
occupat cutem: tertium, quod noctu uiſum aufert, aliaq; eiuſmodi multa faciant: nam ſi omnia nume- c.5.p.427.B.
rem, (quod ipſe fugere iuſſi) ſuperuacua perſequi uidear: Id omni modo agendum eſt ei, quem ueri-
tatis ſtudium tenet, ut ab ea, quam nomina imaginationem faciunt, recedens, ad ipſam rerum ſubſtan-
tiam ſe conferat, atq; hanc inſpiciat: tum, quot in uniuerſum ſint & morbi, & ſymptomata, & proximæ
ſiue internæ horum cauſæ, requirat. Nos igitur id alijs commentarijs fecimus, quorum unus de ægri-
tudinum numero eſt, inſcriptus autem eſt de morborum differentia: alter de ſymptomatum eſt diffe-
rentia. Adeo uero in eo opere cauſas horum utriuſq; ſeorſum explorare ſtuduimus (dico tum morbi,
tum ſymptomatis cuiuſq;) ut ad præſentem diſputationem nihil amplius deſideretur, ſed præparata F
omnia iam ſint. Itaq; ne legenda quidem, quæ hic dicemus, ulli ſuaſerim, prius, quàm in illis ſit exercit-
tatus. Quippe, ſiquis illis tam numeroſis theorematis neglectis huc ſe contulerit, nec ipſe fructum per
cipiet, &, quæ recte ſunt tradita, temere incuſabit.

Quid differat morbus & pathos, & quòd omnis morbi dignotio ex ijs pendeat, quæ corpori ſe-
cundum naturam inſunt. *Cap. 3.*

AC in illis quidem particulatim omnia, tum morbos, tum ſymptomata, tum cauſas inquiro. Hic
duobus adhuc additis, quæ neceſſaria erunt ijs, qui medendi artem exercebunt, tum me ad uſum
inuentorum prodendum conferam. Quænam ſunt, inquies, duo illa, quæ dicere paro? Certe unum,
quid inter morbum, & quod Græci pathos uocant, interſit, indicabit: Alterum, quòd ſine corporis ele-
mentis, ex quibus primum conſiſtit, noſcendis, non poſſint morbi inueniri, oſtendet. Hæc igitur nos ac-
curatiſſime tradere ſtudebimus. Qui ea legent, oro, ne prius ad ipſam methodum medendi ſe conferãt
quàm & ipſi, quot in totum morbi ſint, per ſe inquiſierint, &, quæ prodita a nobis ſunt, curioſe inſpexe-
rint. Ergo ceu hæc fecerint, incipiam, quæ promiſi. Tres eſſe in corpore affectus præter naturam oſtẽ-
ſum iam eſt, Cauſas, morbos, ſymptomata. Cauſas, ueluti redundantiam uel corruptelam. Morbos, G
ut phlegmonen, ulcus. Symptomata, ut malum colorẽ, & gracilitatem. Diuerſa ab his ſunt, quæ im-
modice a corpore excernuntur, aut quæ præter naturam retinentur, & functionum uitia: omnia ſcilicet
communi nomine ſymptomata dicta, ceterum non uni generi ſubiecta. Quippe affectus quidam cor-
poris eſt uitioſus color. Quod excernitur aut retinetur, affectus non eſt, ſed affectum ſequitur. Similiter
actio uel læſa, uel integra, affectus ſane non eſt: particulæ autem, unde editur, affectum neceſſario comi
tatur. Ac cœdema quidem & phlegmone ex ijs ſunt, quæ abſolute eſſe dicuntur: Eodem modo & re-
dundantia (ſi ea ſit) ſanguinis, & corporis pallor. Actio uero ex eorum numero non eſt, quæ eſſe abſo
lute dicuntur, aut certe non ſimiliter, ſicut iam comprehenſa. Siquidem nullo temporis ſpatio manẽt
eius partes, ſicuti profecto nec ſermonis, nec ẽt motus ullius, ſed horum quilibet in ipſo (ut ſic dicam)
fieri eſſe ſuum obtinet. Cum uero duplex ſit motus, genus, unum in loco, aliud in qualitate, prius latio,
ſecundum alteratio dicitur. Ac omnis quidem actio, motus eſt actiuus. Omnis alteratio, eius, quod
alteratur, motus eſt paſſiuus. patitur nanq;, quod alteratur. Ergo affectus, dum alterantur, mouen-
tur. Cum a motu ceſſauerint, iam alterati ſunt, non autem amplius alterantur. Quicquid. n. quòcunq;
modo ſe habet, aliquo omnino affectu eſt præditum. Quod autem in cõſtanti ægreq; auferibili affectu
eſt, id habitu iam quodam affectum eſt. Sane alteratur is, qui nigrefit: alteratus eſt, qui iam obnigruit, H
ſiue (ut ſic dicam) nigrefactus eſt. Itaq; alteratio generatio eſt qualitatis, aut affectus, aut quomodo-
cunq; appellare uelis. Nec, ſi alterationem eſſe depoſitionem, uel mutationem eius, quod prius fuit,
dicas, id pugnet cum eo, quod dixi, alterationem generationem eſſe qualitatis: Cum ambo in idem re-
cidant. Nam, & quæ prior in corpore qualitas fuit, mutatur, & nunc noua gignitur. Quippe eius, qui in
Sole uerſatur, candor mutatur, nigritia gignitur. † [Rurſus eius, qui igni ſe calefacit,] frigus mutatur, † In quibuſdã
calor fit. Quoties uero cuiuſpiam, quod ſubſtantia non ſit, generationem eſſe dicimus, non idem eo cod. hæc non
ſermone ſignificamus, ſicut cum abſolute generationem proferimus. Nam, quæ abſolute generatio habentur.
nominatur, uia eſt in ſubſtantiam. Quæ uero huius, uel illius generatio dicitur, uia eſt in illius (ut ſic lo-
quar) entiam, ſiue ſubſiſtentiam. Verum hoc, ueluti extra rem, ſit dictum. Quod uero propoſitum no-
bis in diſputatione maxime fuit, ferme iam definitum eſt, nempe aliqua in generatione, & mutatione,
& alteratione, & ut ſemel dicam, in motu ipſam eſſentiam habere: aliqua in ipſius ſubſtantiæ conſtãtia.
Ac ſanitas quidem, & morbus, & quęcunq; ſymptomatum cauſarumq; affectus, uel habitus ſunt, ex per
manentium cõſtantiumq; numero ſunt. Actiones oẽs alterationesq;, in quacunq; re fuerint, in ipſo fieri
eſſentiam ſuam poſſident. Et corpus, ſecundum quodcunq; mouetur, ſecundũ idẽ patitur, motusq; eius
pathos, ſiue paſſio eſt. Sane priſci motus omnes, etiam qui naturaliter ſe habent, niſi actiui ſint, pathe
græce

A græce, id eſt paſſiones, nominãt: ſicuti etiam ipſos actiuos motus, actiones. Eo pacto & Plato ſenſuum
alterationes, pathe, id eſt paſſiones, appellat: cum iunioribus aliter (neſcio quomodo) ſit uiſum, ut
uidelicet, de ſolo eo, qui præter naturam ſit, motu id nomen uſurpent. Ac a ueteribus quidem pathos
priuatim de omni extrinſecus motu dicebatur: nunc per abuſum etiam affectus, qui ex paſſione iam
† Antiqui cod. quos uidi & impreſſi legunt. οὐ μὴν χρονιώτερόν γε οὐδὲ διαλυτώτερον ἢ διάθεσις τῆς ἕξεως, ὥσπερ οὐδὲ ἀρρωστία. i. nõ tamen diuturnior aut ægrius auferibilis eſt affectio, quàm habitus: quẽadmodũ nec imbecillitas. Linacer tamẽ meliorem lectionem uidetur habuiſſe. prouenere, nec amplius in motu ſunt, pathe, id eſt paſſiones, appellant: † non tamen diuturniores, aut
ægrius auferibiles. Sed eiuſmodi nomenclaturæ a iunioribus ſunt inuectæ. Diximus autem alibi diffu-
ſius de medicinalium nominum uſu. Nec illud nobis ad conſiderationem propoſitum nunc eſt, ſed
tantum, quemadmodum ipſi utemur, claritatis gratia diſtinguere neceſſarium eſt uiſum. Nam contra-
rium ſanitati affectum, a quo lædi actionem dicimus, morbum tantum appellamus, ſiue diutinus hic,
ſiue breuis ſit, ſiue momento duret. Ex reliquis affectibus, qui præter naturam ſunt, eos, qui hunc
præcedunt, cauſæq; rationem obtinent, cauſas tantum dicimus, non pathe. Qui illum ſequuntur, ſi
actionum offenſæ ſunt, & ſymptomata, & pathe: Eodem modo & immodicas uel inanitiones, uel re-
tentiones. Qui uero affectus ſunt, ueluti uitioſus color, ſupra paſſionis & ſymptomatis appellationẽ,
etiam affectus, uel affectiones uocamus, ita nimirum, ut ſunt. Omnium igitur horum commune id eſt,
quòd præter naturam ſunt, & cauſæ, & morbi, & ſymptomatis. Proprium autem morbi quidem eſt
B actioni incommodare: ſymptomatis hunc ſequi: cauſæ præcedere. Ergo nec is, qui morbum eſſe mo-
tum præter naturam dixit, intellexit, quid diceret: quemadmodum in proximo libro docuimus me-
thodicorum non nullos definiuiſſe, adiecta ex ſuperabundanti, conſtantia: Nec is, qui mutationem eſſe
ab eo, quod ſecundum naturam, ad id, quod præter naturam, uoluit. Quippe quæ non magis morbi,
quàm cauſæ & ſymptomatis definitio eſt: quando omnia ea affectus ſunt præter naturam. Verum, ſi
breuis ſpatij ſunt, conſtat acuta eſſe: ſin ægre aueluntur, diuturna. Noſon autem, an Noſema dicas,
nihil intereſt, quemadmodum etiam non intereſt, Pathos, an Pathema dicas. Atqui pathus, id eſt paſ-
ſionis, appellationem de morbo dixiſſe ueteres, quemadmodum & Arrhoſtian, id eſt infirmitatem, &
Aſthenian, id eſt imbecillitatẽ, oſtenſum nobis eſt in ijs, quæ de medicinalibus uocabulis ſcripſimus.
† Arrhoſtian an Arrhoſtema: In quibus illud quoq; traditum eſt, nihil referre dicere † [ualetudinem infirmam, an infirmitatem ua-
letudinis.] Nam & ipſos, qui ægrotant, appellant non ſolum Noſuntas, id eſt ægre habentes, ſed &
Aſthenuntas, id eſt parum ualentes, & Camnontas, id eſt laborantes. Reliquum nunc fuerit, ut, cuius
cauſa hæc omnia diximus, in medium adducto, ad aliquid eorũ, quæ proxime tractanda ſunt, deinceps
tranſeamus. Id quid ſit, rogas? Certe non aliud, quàm quod ſæpius iam ante dictum eſt, Primum ac
maxime id medicos ſtudere, idq; fere proprium eorum munus eſſe, ut morbos adimant. Quippe ſimul
C cum hoc non modo actionis uitium ſtatim euaneſcit, ſed etiam reliqua omnia ſymptomata tolluntur.
Siquidem primum ac maxime actionis ipſius, quæ ſecundum naturam edatur, omnes egemus, propter
illam uero & ſanitatis. Sed & functionis incommodum amoliri omnes cupimus, ob id uero etiam mor
bum ipſum. Ceterum non functionis uitio, ſed morbo ipſi, id eſt affectui præter naturam, qui actioni
incommodat, applicamus remedia. Quiſquis igitur ex ijs, quæ particulis naturaliter inſunt, & quæ te-
mere accidunt, & quæ actionis ſunt cauſæ, diſtinguere non poteſt, quo modo credibile eſt, ut ipſe affe-
ctum, ex quo primum actio læditur, inuenire poſſit? Nam, quæ temere corporibus accidunt, etiam ſi
millies ſint alterata, nocere profecto actioni non poſſunt, quandiu a quibus fiebat, omnia naturã ſuam
tuentur. Horum uero ſi uel unumquodlibet ſit alteratum, actionem quoq; ipſam ſtatim lædi intantum
eſt neceſſe, inquantum ab eo, cum ſecundum naturam ſe haberet, eſt adiuta.

Tribus exemplis oſtenditur dignotionem morbi ac curationem, ex intellectione affectus, qui ſe-
cundum naturam ineſt, pendere. *Cap. 4.*

AC mihi quidem res tota explicata iam eſt, clareq; oſtenſum, ijs præſertim, qui intelligere uera poſ
ſunt, fieri non poſſe, ut omnium morborum numerum methodo quis comprehendat, niſi idem
D omnium cauſarum actionis numerum, corpore ſecundum naturam ſe habente, norit. Nihil tamen ex
iam dictis intelligere adhuc poſſunt, quicunq; uel * rudiores ſunt, & ingenio craſſiore, uel methodicæ
ſectæ nugis innutriti. Denuo igitur, quod nunc generatim dictum intelligentibus eſt, illis quoq; ſpecia-
tim exponamus, unum aliquod atq; alterum ueluti exemplum ſermoni proponentes. Cur lingua ſapo-
res percipit, nec ulla pars alia? Num propter colorem, aut ſitum, aut magnitudinem, aut figuram? Quip
pe ea affecta, nec commode ſapores ſentiente, aut colorem eius ad naturam ſuam reducemus, ſi uide-
licet huic actionem debet, aut iam dictorũ quoduis, ſi ab illo agendi uim accipit. Quòd ſi propter aliud
ab ijs quippiam, conſtat, ſi illo tantum tenus ad naturalem habitum ſit reſtituta, nullo etiam reliquorum
fore opus. Nam eſto, exempli gratia, denſitas certa pororum cauſa ſit, cur ſucci ſaporem diiudicet. Nun
quid horũ ſymmetriam, quæ in ſanitate uiſitur, tuebimur? rurſusq; ametriam, id eſt a iuſto modo receſ-
ſum, quoties laborat, corrigemus? Eſto (ſi placet) mediocris calor cauſa ſit, cur ſaporem intelligat:
Num hic quoq; manifeſtũ eſt ceteris neglectis unã adhibendã curã, ut illud ſeruemus, a quo agendi fa-
cultatẽ accepit? Iam, ſi propterea, q; ita in ſicco humidoq; attemperata ſit, idcirco ſentiat, quis non reli
quis poſthabitis huc tantum intendat, ut neq; iuſto ſiccior ſit, nec etiam humidior? Quis rurſus, ſi hoc
uerum eſt, non facile prompteq; colligat duos eſſe uniuerſos linguæ morbos, alterũ ſiccũ, alterum hu-
midum? Veluti rurſum, ſi per moderatum calorem & frigus habet, quod ſentiat, quis non hic quoque
* σκαιότεροι.

duos esse morbos eius intelligat, caloris frigorisq; a modo recessum? Non aliter quoq;, si propter te- E
nuium meatuum competentiam sensum est nacta, promptum profecto hic quoq; colligere est, omni-
no eam ex horum contrario habitu esse uitiandam, duplexq; uitium fore, densitudinem eiusmodi mea-
tuum, & raritudinem. Sed num etiam plura dicam, quo stupidos istos inducam, ut, si nihil aliud, illud
saltem intelligant, non posse quenquam nec inuenire, nec demõstratione asserere morborum numerũ,
qui nõ ex ijs, quæ particulis insunt, tum quæ causæ actionis sint, tum quæ temere accidant, norit? Num
etiam alterum adhuc tertiumq; exemplum adijciam? Sæpe nanq; multitudine exemplorum, stupido-
rum animi ueluti a somno excitantur. Age igitur ita homines interrogemus: Idcirco ne corpus calida,
frigida, dura, mollia, lenia, & aspera, omnia deniq; tangibilia sentit, quòd candidum colore est, aut ni-
grum, aut rufum, aut uno uerbo, quòd talis coloris est? An propter horum nihil, sed aliud quippiam?
Neminem enim arbitror latere, quin, si quid probe sentiendi munere utetur, id tantum illi tuendum
custodiendumq; sit, ex quo uno probe sentiendi facultatem accepit. Nam, si ex eo quòd candidum
fuit, id dotis obtinuit, eius nimirum tuendi maxima erat habenda cura, sicut nigri fugiendi. Sin con-
tra ex eo, quòd nigrum fuit, sentiendi uim habuit, omnes, arbitror, alios colores fugere formidareque
oportebat. Ad eundem modum, & si inde adeo sentit, quòd flauum, uel rufum est, fugiendi, arbi-
tror, alij colores sunt, ceu sensum uel penitus abolentes, uel uitiantes. Præterea, si eo, quòd durũ sit, F
sensu est præditum, si molle fiat, deterius sentiet: Aeque ut, si eo, quòd densum sit, si ad raritudinem
mutetur. Iam, si tenuium meatuum symmetriæ acceptam sentiendi uim refert, ubi ab hac recesserit,
uitiabitur. Et generaliter, ut sentiat, id tantum ipsum adsit, oportet, unde sensum obtinuit: atque id
tantum corrigatur, unde sensus est læsus, cum a natura recessit. Num igitur tertio exemplo est opus?
an hæc abunde satisfaciunt? Sane prudentibus uel hæc superuacua puto, ut qui uniuersale intelligere
sine exemplis possint: rudibus autem, & *auersis, & contentiosis, ne si tertium quidem addam exem- * σκαιοῖς.
plum, quicquam fortasse profecero. Verumtamen, quando duo iam dicta sunt, & inaniter tempus
nostrum semper terunt, non fuerit alienum, unum etiamnum ijs exemplum adijcere. Proponatur ita-
que iam, quemadmodum uentriculus male concoquens nobis sit corrigendus. Verba autem facie-
mus, non solum contra methodicos, sed etiam contra eos rationalium, qui non cognita ipsius actio-
nis prima causa, quam continentem etiam nominare sunt soliti, methodo quadam ac ratione constitui
posse artem putant. Esto igitur quispiam dicat (ab ijs enim, quæ obuiam promptamq; absurditatem
exhibent, cœpisse præstat, quo eos, si fieri potest, ad ea, quæ confusa magis sunt, intelligenda sensim
perducamus.) Esto, inquam, aliquis dicat hunc quempiam, qui nunc cruditate laborat, quòd multos
deinceps dies solo lacte est altus, uentris colorem mutasse, albumq; ex rubro reddidisse, idcircoq; uen- G
tris sui functionem uitiasse. Fortasse iam rides, & iure profecto rides. Verum, si scias, quàm sit simile
& huic de coloribus citra ullam demonstrationem adhibitam quiduis pronunciare, & tibi de exiguo-
rum meatuum (uerbi gratia) symmetria, aut alio quolibet affectu, non, arbitror, iure ridebis. Nam aut
in tete risum uertes, aut non in hunc. Nam esto impudens sit, qui causam minus probe concoquendi
colori imputet, dicatq; quòd, quoniã ex naturali colore uẽtriculus ruber est, nunc uero redditus est pla
ne albus, idcirco cruditate laboret, est necesse. Libens sane audiam, quid tu contra hunc obijcias. Ego
.n. aliam rationẽ non inuenio, q̃ ut iubeam, qui ita dicet, prius ostendat, an omnino propter colorem, iu-
stam ac naturalem actionẽ uentriculus edat. Tu si quam aliam habes, libens audiam. Sed nec habes,
nec habere aliam contradicendi rationem potes contra eum, qui colorẽ cruditatis uentriculi causam
esse dicit, quàm exigere ut doceat, quo modo ex naturali colore consecutus, ut concoqueret uentricu-
lus, sit. An igitur huic, qui colori cruditatis causam imputat, fides non adhibebitur ante, quàm doceat
ẽt hoc nomine agere uentriculũ, tu, cum uel tenuium meatuum symmetriæ uitio, uel alij cuipiam hanc
ascribas, credi tibi postulabis prius, quàm doceas, quo pacto ex symmetria in illo genere agat? At non
hoc aio, inquit, nec aliud quicquam esse concoctionis continentẽ causam, sed prorsus id ignorare me
fateor. Atqui, si ei, qui colori actionis causam tribuit, necesse est, etiam, eidem læsionem actionis impu- H
tet: qui uero tenuium meatuum symmetriam actionis causam dicit, etiam horum ipsorum a iusto mo-
do recessum, eandem uitiare fateatur: tum, qui temperamento quatuor qualitatum, caloris, frigoris,
humoris, & siccitatis, actionis causam assignat, etiam eorundem ipsorũ intemperiei offensam eius ascri-
bat, utiq; & tibi necesse erit eo, quod secundum naturam est, prius præsumpto, ita, quod præter natu-
ram est, inquirere: aut si ipsum, quod secundum naturam est, non nosti, nec quod egressum a natura est,
nosti. Etenim uos etiam ipsos audio contra Empiricos dicere, fieri non posse, ut, qui id, quod secundũ
naturam sit, non norit, dignoscere id, quod præter naturam sit, possit. At nosco, inquit, quod secun-
dum naturam se habet. Quæro, totumne, an partem eius aliquam? Atq; pars ipsa, quam nosti, estne
actionis ipsius causa, an uẽtriculo inest ociose? Nam quid demum eius nosti? situm uidelicet, & magni-
tudinem, & contextum, & figuram? At nihil horum actionis est causa. Sed nec Empiricos horũ quic-
quam latet: quippe qui & se partium dissectione, cum occasio hanc offert, uti fatentur, & ex illa se hæc
intelligere, non tamen actiones ususq; particularum. At noui, inquit, & actionem. Est enim circumple
xus & attritio. At, nisi causam eius noueris, nec morbum intellexeris. Nam, si quatuor qualitatum
mediocris temperies, actionis sit causa, earum intemperies omnino uitij causa erit. Tu uero reris
phlegmonen, & scirrhum, & œdema, & absessum, aliaq;, quæ oculis usurpari possunt, solos esse uẽtri-
culi

Aculi morbos, quamuis ne hæc ipsa quidem, ueluti Empirici, solis oculis, manibus, & reliquis sensibus
apprehendas: sed ad ipsam essentiam eorum tentas ascendere, atq; hanc diligenter disquirere, uidelicet
non contentus ijs symptomatis, quæ sensui apparent. Quæ tamen symptomata Empiricis definiunt,
ac circunscribunt suam syndromen. Sic .n. ipsi appellandam censent symptomatum congeriem, quæ
in affecto sunt loco. Sed nec curationis indicationem ex apparentibus symptomatis accipis. Non .n.
an tumor præter naturam, nec, an renitens, nec, an cum dolore, nec, an ruber, sed, an sit in finibus arte-
riarum impactio ex coincidentia, consideras, ac curationem (ut ipse fateris) ad hoc referens explo-
ras. An non ea est Erasistrati docendi ratio, ubi de febribus agit? sicuti rursus alia Dioclis, alia Praxa-
goræ, alia Asclepiadis? Itaq; non a symptomatis, quæ in phlegmones apparent loco, indicatio præsidij
his sumitur, sed ab ipsa substantia. Neq; enim, an tumor a natura egressus, neq;, an renitentia, neque,
an dolor pulsatilis, sed, an & coincidentia, & impactio in finibus *pulsatilium, aut obstructio in exitu * arteriarum.
uenarum, aut putredo aliqua succorum, aut corpusculorum ratione contemplabilium, in laxitatibus
æque ratione speculabilibus intentio sit, æstimant. Quare hi omnes ab affectu phlegmone laborantis
partis, non a symptomatis, quæ hanc sequuntur, præsidiorum indicationem sumunt. Ad eundem, ar-
bitror, modum, & siquis calidum, frigidum, humidum, & siccum causatur. Verum hic, etiam si uen-
B triculus citra phlegmonen, aut ulcus, aut absessum, aut alia id genus, eo tantum, quòd frigidior eua-
serit, non recte concoquat, tamen remedijs non destituitur. At, qui phlegmonas, scirrhos, aliaq;, quæ
oculis uidere licet, tantum esse morbos putant, ridicule plane cruditates, quæ sine ijs fiunt, ex imbecilli
tate uentriculi incidere dicunt, ceu affectum aliquem priuatum seiunctumq; imbecillitatem esse uelint,
non autem, uelut in suppurantibus, aut scirrho grauatis, aut phlegmone affectis, aut alia quauis ratione
laborantibus, inesse. Quippe omnia hæc uitia, siue in uentriculo, siue in iecinore, siue in pectore, siue
in alio quouis accidant, illico partem, in qua sunt, ad propriam functionem edendam imbecilliorem
reddunt. Sed id non satis illis erat ad indicanda remedia: alioqui frustra inquirunt affectus, frustraq;
ad ipsam morbi essentiam subeunt, tanquam non aliter detur idonei compotes esse remedij. Non igi-
tur, qui imbecillitatem *uitium esse dicunt, ubi nullo ex ijs, quæ ipsi *morbos definiunt, affecto uen- * πάθος.
triculo animal cruditate laborat, ij, dum a nobis refellantur, expectãt, sed ipsi seipsos redarguunt, cum * πάθει.
non proprium aliquod, sed commune omnium dicant, quodq; nec illis ipsis iudicibus, remediorum in-
uentionem indicare facile possit. Quippe illud, roborare imbecillitatem, nomen nudum, ac ueluti meta
potius est, quo curans dirigit, non curatio. Nam quid faciendo ijs, qui inualidi ad actionem sunt, ro-
bur uindices, non dicunt. At in hoc curatio consistebat, &, nisi uentriculi affectu inuento, ut remedio
C rum sis compos, fieri non potest. Quippe, si refrixit, calfaciendus est: si humentior est effectus, siccan-
dus est: pari modo, si immodice incaluit, refrigerandus est: si siccatus, humectandus est. Atque hæ
quatuor simplices curationis rationes sunt. Alteræ quatuor compositæ sunt. Si frigidiore ac sicciore
temperamento redditus uentriculus est, calfaciendus simul humectandusq; est. Sin humidior & cali-
dior iusto euasit, siccandus ac refrigerandus est. Pari modo, si calidior ac siccior est effectus, tum re-
frigerandus, tum humectandus est. Sin humidior ac frigidior, quàm pro natura est, siccandus ac cal-
faciendus est. † [Quare octo tum uentriculi ipsius affectus sunt, quas illi imbecillitates dicunt:] tum
octo medendi rationes.

† In antiquis legitur, ut Linacer uertit. Ex impressis tamen ita uerti potest. quare & octo sũt ipsius uentriculi affectus, qui sunt causę ipsius (ut ipsi dicunt) imbecillitatis.

Aduersus eos medicos, qui naturalis actionis causam negarunt inquirendam, ut methodus di-
gnoscendi & curandi morbi constitueretur. Cap. 5.

NEc, sicut Empiricis, sic ulli dogmatizantium dicere licet, sint hæc, an non sint, nihil esse opus intel-
ligere. Funditus nanq; logicam sectam subuertent, si ignorato affectu, curationis tamen facultatẽ
abunde sibi superesse dicant. Etenim ab usu ipso omnes, quomodo curandum sit, intelligent, si ab ipsius
D rei natura indicationem non sument. Ac Empirici quidem, & quòd inuenire posse non putent quicquã
eorum, quæ abstrusa sunt, & quòd id etiam, si inuentum sit, non desiderent, (quippe obseruatas a se
esse curationes in apparentibus concursibus) merito nec scire se, an octo affectus sint, quibus uentri-
culus imbecillus fit, aiunt, & citra eiusmodi superuacuam morositatem remedijs se abundare. Qui ue-
ro & rationem se habere profitentur, cuius ope etiam abstrusa inquirant, & ipsorum inuentionem
præsidiorum præstare indicationem dicunt, hos quomodo non pudeat dicere, aut non nosse se, an
octo affectus sint, aut eos ad medendum se non requirere? Neque enim id tantum dicere satis est,
non nosse se, sed refellere par est eos, qui se scire affirmant, ceu parum uera professos. Quod uero nec
ipsi id faciunt, alijque non pauci demonstrationis fide confirmant omne corpus pro certo quatuor qua
litatum temperamento opus suum edere, rationabilius est illis accedere: nisi forte, qui nuda afferunt
uerba, plus sibi credi postulabunt, quàm qui cum demonstrationum fide loquuntur. Atqui illi, si non
aliud, saltem suadere ac docere auditorem student, non cogere iubereq;: Hi totum contra, tyranno-
rum ritu iubent, ne quæramus actionis causam. Verum nos hoc nomine Dionisium, Phalarim, ce-
terosq; tyrannos odio prosequimur, quòd iubent imperantq;, non suadent, ac docent, sicut Solon,
Draco, & Lycurgus. At, inquit, ego intra limites artis maneo: uos & ab ijs exceditis, & ad naturalis
philosophiæ principia nos reducere conamini. An igitur homo lepidissime, ne hoc quidem ipsum

demonstrabis,qui nam uidelicet medicinæ artis sint limites,quæq; nouisse expediat ei, qui ratione, re- E
mediorum inuentionem molietur, sed terrifico uultu tuo nos reddere attonitos putas? Audio quidem
& te illud dicere, non oportere actionis inquiri causam. Audio & Empiricos dicere, nec actiones ip-
sas esse considerandas. Audio non minus illum, qui dicit, non tantum has esse æstimandas, sed etiam
causas, unde nascantur, quærendas. Num igitur ex eo esse me iniquorum iudicum numero iubes, qui
prius, quàm omnes, qui inter se dissideant, audierint, uni statim ferunt suffragium? An primum, quæ
uestrum quisq; dicat, seorsum audire uis, dein conferre, atq; perpendere, quis tum sibi, tum apparenti-
bus consentiat: quis rursus nec secum, nec cum ijs, quæ apparent? Atqui, si ita faciam, Empiricos au-
diam, etsi, quæ dicunt, stabiliter non demonstrent, saltem ea lenire conantes. Vos ne id quidem faci-
tis. Nam sane libenter audierim, quis uestrum uel lenimen aliquod, uel demonstrationem aliquam af-
ferre sit conatus, cur actionis causam inquiri non expediat. Quæ enim a me methodus supra est posita,
inquirendam esse demonstrauit. Vos, quòd inquirenda non sit, nec demonstrationem ullam, nec ratio-
nem ullam probabilem afferre conamini, sed tantum elato supercilio tetrice nos obiurgatis, abscedere
a summa physiologia iubentes, nec sic quærere hominis naturam intelligere, ut philosophi faciunt, qui
ad prima usque elementa ratione ascendunt. Illud quoq; uobis uel dixisse tantum satis uidetur, nempe
arteriam, & uenam, & neruum, principia continentia, & ueluti elementa eius physiologiæ, quæ de ho- F
mine instituitur, ponenda esse. In quo quidam Herophilum laudauit, quòd ita ad uerbum dixerit: Esto
hæc prima esse, tametsi prima non sint. Sed, qui ad demonstrationem prouocat, ac hypotheses istorum,
qui sic opinantur, pugnare secum ostendit, hunc auersamini ac fugitis, prorsusq; nõ auditis, & contem-
nere simulatis, ibiq; rationem fastiditis, ijdem scilicet, qui contra Empiricos rationem demonstratio-
nemq; extollitis. Nam, quòd secum dissideant rationes omnium, qui uel ex dimidio dogmatizant, etiã
ijs, qui tenuiter in demonstrandi methodo sunt exercitati, facile perspicere licet. Cum enim phlegmo-
ne uentriculus laborat, atq; inde adeo concoquere non ualet, quænam phlegmones causa sit, quæren-
dum censent, atq; inde præsidiorum copiam coniectant spreta Empiricorum inuentione. Cum uero
citra phlegmonen, aliudve id genus uitium, solius intemperantiæ culpa concoquere non ualet, hic rur-
sus auxiliorum facultatem ab experientia petunt. Atqui hæc secum non conueniunt, cum Empiricorũ
opinio sibi constet, præterea demonstret efficiatq;, quod uolunt, ex ijs, quæ uos ipsi non inficiamini,
lemmatis. Quippe, si fieri ullo modo potest, ut ex ijs, quæ apparent, symptomatis curandi ratio coniec-
tetur ignorato affectu, utiq; non hic possibile, in alio fuerit parum possibile, sed æque in omnibus pos-
sibile erit. Ergo ne hoc quidem loco rationem ullam afferre poteritis, quo minus, ubi affectum ex- G
plorare nequitis, experientia ipsa satis sit ad remediorum inuentionem. Omnia igitur tyrannorum ri-
tu imperatis; uti uero demonstratione nec ipsi uultis, (præstat enim ita fortasse dicere, quàm non pos-
se uos) nec ijs, qui uti tum uolunt, tum possunt, acceditis. Itaq; quid aliud sunt disceptationes uestræ,
quàm lites, & contentio, & prouocatio ad conuitia, & pugnas? cuiusmodi præceptorum uestrorũ qui-
dam perpetuo exercuit, aut irridens, si quis calidi, uel frigidi mentionem faceret, tanquam balneatori-
bus magis, quàm medicis ea nomina conuenirent: aut uehementer increpans quasi longissime a me-
dendi arte digressum: aut Erasistrati grauem illam auctoritatem obijciens. Verum hæc, ut primo au-
ditu oblectabant, ita, cum secundo & tertio audiui, molesta sane fuerunt, ceu scurris, quàm medicis ma
gis congrua. Si enim semel auctoritas eorum, qui ultra non esse procedendum iubent, legitimus testis
esse ad demonstrationem putabitur, omnia iam meræ nugæ erunt, nec finis in disputatione ullus, nisi,
qui nunc uisitur, inimicitia, pugna, conuitium. Quippe, qui a logicis demonstrationibus digressi credi
quippiam censent propterea, quòd Herophilus, aut Erasistratus ita iusserit, hos necesse est omnis generis
conuitia pugnasq; sequi, admiranda scilicet disputationum, quæ nunc habentur, præmia. Fingamus. n.
alius dicat, huic, qui commode non concoquat, uentriculum frigidam & siccam intemperiem contra-
xisse, proindeq; humectandum, ac calfaciendum esse: Alius, quòd naturalis eius habitus mutatus ad
frigidius, & humidius sit, calidum siccumq; uictum adhibendum suadeat: Tertius autem quispiam ac- H
cedens, quòd, quæ comprehensa sunt, non recte sint dicta, id ne tentet quidem ostendere, sed tantum
eos, qui dixerint, obiurget, quasi superflua scrutentur, & testes adhibeat Erasistratum, uel Herophilum,
nonne (ut dixi) dissidij hinc mutuiq; conuitij initium excitabitur? Quippe illos contra necesse est
Athenæum, & Mnesitheum, & Dioclem, & Plistonicum, & Hippocratem, & Philistionem, & sexcentos
alios tales opponere testes. Si enim testibus decidenda lis erit, non modico hi uincent. Nam, q; tum
* insalubris intemperamenti plures sint species, tum cuiusq; earum diuersa curatio, ubi non Hippocra-
tis modo, & plurimorum aliorum medicorum, sed etiam Platonis, Aristotelis, Theophrasti, Zenonis,
Chrisippi, & omnium illustrium philosophorum testimonio comprobarint, utiq;, & quòd citra natu-
ram corporis exacte inuentam fieri nequeat, ut uel de morborum differentia quicquam inuenias, uel
auxiliorum conuenientium copiæ sis compos, ijsdem ipsis tum philosophis, tum medicis confirma-
bunt, hisq; non tyrannorum ritu, sicut isti, iubentibus, sed euidenti ratione probantibus. Contra hæc
igitur, qui calidum, & frigidum, balneatorum, non medicorum dicunt esse uocabula, dicterijs uidelicet
utentur, & risus mouebunt, moriones, phrygas, aut scholasticos narrantes. Quippe conscij sibi
sunt non modo nihil demonstratione confirmatum scire, sed nec, quid demum demonstratio sit, intelli-
gere. Ergo ex his dicterijs necesse est, oriatur dissidij initium. Vt enim primum omnium memorem,
quæ

* πεπῶδους .i. morbosi, ut ipse alias uertit.

A quæ nugantes sine demonstratione dicere non dubitant, considera, quo pacto necesse sit ex eo pugnam
subsequi. Nam, ubi contra dicta eorum nuda, & demonstrationis expertia, ac contra testes ipsos, qui-
bus credendum censent, alij tum celebriores, tum longe plures testes opponunt, necesse est uel cedere,
uinciq; utroq; nomine, & quòd demonstrare recusarunt, & quòd numero testium sint impares: uel per
fricta fronte Erasistratum omnibus illis testibus dicere maioris esse fidei. Siquidem hic necessum est al-
terum negare esse maioris fidei aut Hippocrate, & Mnesithæo medicis, aut Aristotele, & Platone philo
sophis: alterum esse maioris fidei instare: deinde uarie ultro citro tam immodesta, contentiosaq; con-
tradictione iactata alterum eorum impelli, ut dicat † [non esse, alterum bene sane, si tu Erasistratum
in ordinem redigas.] Hæc enim quotidie fieri in medicorum disputationibus, ò Hiero, uides. Ea uero
semel data porta, omnia iam muliercularum uerba ingeruntur: &, cum mutuis se maledictis asperserint
inutiliter amisso tempore discedunt. Atque hanc turpitudinem, non est, quòd dicat aliquis non esse
ab ijs, qui demonstrationem fugiunt, inceptam. Fugiunt autem multifariam, ut scis: alij cum graui-
tate tantum increpantes: alij scurrile aliquid commenti: alij in risum sannasq; disceptatione abrepta.
Quòd siquis sermoni stare, demonstrationesq; audire audet, primum quidem omnino non intelligit:
neq; enim potest, qui demonstratiuæ methodi sit imperitus, eos, qui ipsa utuntur, intelligere. Quod si
B aliquatenus intelligit, at, quòd dogma suum, in quo est innutritus, propugnare omnino decreuit, con-
tra tendere aggressus, dein deprehensus, quæ nec rite cludant, nec colligant, sed uana nugaciaq; sint, di-
cere, irascitur, & deuouet Dialecticos, ceu malorum auctores, quòd uidelicet pituitam a naribus ipso-
rum detergent, ipsisq; mederi conãtur, adhibitis scilicet non melle, & placentis, sed allijs, & cæpis, quæ
etiam pituita tentatos gallinaceos sanare solent. Quippe millies affuisti ijs, cum a diuerse cludentibus
argumentis non aliter, quàm ab ipso allio, & cæpis cogerentur lachrymari. Nec te profecto latet mul-
tos sæpe nobis priuatim fassos, sentire iam se suam sectam, quàm sit absurda, nec tamen hanc posse pu-
blice mutare, cum alioqui nec alia nossent, unde haberentur in pretio, & iam uulgo propter hæc & noti
& in pretio forent. Itaq; ob hæc ipse quoq; sæpius distuli commentarios de medendi methodo scribe-
re, pro comperto plane habens pauciss imos huius tempestatis ab ijs adiutum iri. Etenim, nisi magna
quæpiam miraq; mutatio humanarum rerum fiat, actum de bonis studijs est, utpote confusis ac corru-
ptis nemine ueritatem ipsam, sed tantum scientiæ famam quærente. Optime enim profecto scis ne
quinq; quidem usquam inuenisse nos, qui esse potius, quàm uideri docti cuperent. Atqui, nisi quis sa-
pientiam ipsam propter seipsam expetat, ne tempus quidẽ ullum inueniet, quo se in Logica methodo
exerceat, immo diuitijs, & famæ, & potentiæ ciuili inhians, in horum ambitu uitam omnẽ consumet.

† Alias non tibi sane ita bene erit, si Erasistratum negligas.

C *Aduersus eos, qui morbos a sola plerunq; intemperie fieri negarunt: & quot sint prima morborum genera, quæ in similaribus, & instrumentalibus partibus oriuntur.* Cap. 6.

ERgo dimissis his, rursus ad propositum redeamus. Est autem ab initio propositum illud, qui om-
nem morborum numerum methodo non inuenerit, hunc maxime in ipsis medendi methodi fori-
bus lapsurum: cum constet totidem esse medendi rationes, quot sint morborum ideæ. Ergo sic in enu-
merandis morbis egisse, ut neq; priuatis proprietatibus attentus infinitos statuat, nec in primis statim
generibus subsistat, id in promptu cuiq; non est, sed ei tantum, sicut antea dictum est, qui in diuidendi
methodis sit exercitatissimus. Principium uero diuisionis eorum est, ut etiam aliubi diximus, ut essen-
tiæ ratio rei diuidendæ constituatur. Igitur illud monstratum nobis est, morbum omnino unum ex ijs
esse, quæ præter naturam sint. Hæc autem quatuor cum sint, actio offensa: affectus, unde actio pro-
uenit: affectus ipsius causa: & quæ hunc subsequuntur symptomata: siue functionem ipsam uitiatam,
siue, unde hæc prouenit, affectum, morbum nominare uelis, nihil id medendi methodum immutare
ostensum est: modo unum illud intelligatur, primam ipsam curationem, quam etiam non nulli conti-
nentem appellant, affectus esse, qui actioni incommodat. Porrò ostensum a nobis diximus, rationa-
D bilius hunc morbum appellari, non tamen uetare nos, quin, sicuti id cordi sit, actionis noxam mor-
bum nominet: affectum, qui hanc creet, morbi causam. Præsumpto igitur, quòd morbus uocetur af-
fectus is præter naturam, qui functioni officiat, inquisiuimus deinceps, quot in uniuersum morbi es-
sent. Vbi clarum obiter fecimus, siquis uia ordineq; processurus sit, nec (sicut uulgus medicorum facit)
tyranni ritu imperaturus, huic primum inueniendum esse affectum illum, qui functionis effectrix sit
causa. Hunc sane nos eucrasian diximus esse calidi, frigidi, humidi, ac sicci. Proindeq; primum
morbum in similaribus esse ex horum intemperie ostendimus. Alius quispiam corpusculorum, & mea-
tuum symmetriam statuet, propterea q; ex indebito meatuum ipsorum modo ægrotare animantes.
Ceterum, siquis nec ipse actionis causam, in quonam entium sit genere, audebit statuere, nec ijs, qui
statuunt, contradicet, ac nihilo secius tamen ratione methodoq; se procedere arbitrabitur, hunc egre-
gie improbum esse diximus, ut qui nec tutum se ab Empiricorum accusatione facere possit, & secum
plane pugnet, quippe eiusmodi homines ex dimidio logicos esse, qui, qua ratione phlegmone, scir-
rhus, œdema, & alia id genus fiant, multo labore disquirunt, lædi autẽ ẽt citra hæc oĩa ex sola intẽperie
actionẽ non intelligunt, sed empirice talia curant. Quisquis igitur, quantum hi aberrẽt scire uolet, tum
quot morbos trãsiliant, quãtoq; plures ignorẽt, quàm norint, librum de morborum differentijs perle-
gat. Intelliget enim Hippocratem primum omnium recta institisse uia. Quæ cum a posteris absoluẽda

fuerat,non modo nemo eorum absoluit,sed pleriq; etiam,quæ probe fuere inuenta,corruperunt.Pro- E
xime autem,ut uiam,quæ inchoata est ab eo,perficerent absoluerentq;, Aristoteles, & Theophrastus
accesserunt: &,si fateri uerum oportet, potestate absoluerunt: cum constituerint aliud esse in corpori-
bus similaribus morbi genus, aliud in ijs,quæ instrumentalia dicantur: Quippe a similaribus functio-
nes edi,eoq; esse cuiusq; instrumenti unam tantum similarem: Reliquas uero, quæ cum hac quoduis
instrumentum perficiunt, eas usus alicuius gratia, illius, quæ prima erat, actionis causa factas esse:Sed
& horum tamen rursus cuiusq; esse per se actionem, ueluti in oculis. Satius enim fortassis sit,quæ in a-
lijs diffuse ostendimus, strictim hic commemoremus. Ipsum uisus instrumentum est crystallinus hu-
mor: reliquæ oculi partes, eius causa sunt factæ. Quarum omnium usus narrauimus in decimo operis
de partium utilitate libro. Ceterum, quanquam crystallini maxime causa omnes sunt factæ, singulæ
tamen earum aliquam seorsum actionem sunt nactæ: ac uena quidem,& arteria,& neruus toti anima-
ti communem. Membranulæ oculi omnes, cum sint nutrimenti participes,omnino naturalibus facul-
tatibus sunt præditæ, ac perinde etiam functionibus, quæ ab his proficiscuntur. Quoties igitur cry-
stallinus humor ex intemperie laborat, omnino læditur oculorum functio: ceterum non est eorum,
ut organa sunt, morbus. At, quod hypochyma uocant, nullius similarium est morbus, sed oculi to-
tius, ut instrumenti. Ad eundem modum, si in finibus uenarum, quæ in cauo iecinoris habentur, ob- F
structio ex lentis, aut crassis succis subhæsit, digestio quidem in corpus per has morabitur, ægritudo
tamen totius iecinoris, ceu instrumenti censebitur nulla similarium eius partium ægrotante. Quòd si
intemperies uenas eius infestauerit, ipsarum quidem illarum morbus primum erit, ex accidente uero
etiam iecinoris. Ac Erasistratus quidem in phlegmones substantia tradenda est lapsus, cum nec in par
ticulis, quæ phlegmone laborant, in finibus * pulsatilium impactio necessario cernatur, nec arteriæ *arteriarum.
spiritum tantum, cum in naturali habitu sunt, contineant: ueluti in tractatione de his ostendimus. Si
igitur phlegmone eius generis morbus sit, cuius autumat,& scirrhus eius generis, cuius ille opinatur,
& reliquorum singuli, sicut ipse obscure, & multi sequaces eius clarius explicare conantur, utique so
lidas ipsas partes liberas propemodum a morbis relinquit, nisi quatenus ulcerari, collidi, incidique ua
leant, atque id genus aliud quippiam pati. Laborare uero eas se totis, eiusmodi morbis, quales nos
octo intemperantias ostendimus, id nusquam dicit. Atqui corpora uniuersa, etiam quæ difficillime af-
ficiuntur,ueluti æs,lapis,ferrum, saltem calfieri, frigefieri, siccari, humescereque cernuntur, ut utique
mirum sit, si tantum arteria, & uena, & neruus, nihil eiusmodi sentient. Atque hoc etiam magis mi-
rum,si patientur quidem, functionem tamen legitimam edent. veluti (si ita fors tulit) in corde facul-
tas quædam est, (ut ipse quoq; Erasistratus confirmat) qua laxatur, & contrahitur. Hanc autem lædi G
profecto oportet, si uiuenti animali cor sit exemptum, quemadmodum sæpe factum in sacrificijs uide-
mus. Quippe, si non læditur, perpetuo mouebitur, nec tantum ad tempus aliquod, ut nunc cernitur.
Manifestum est igitur læsam esse, proindeque mouere desinere. Illud igitur consideratu non inutile e-
rat, cum potest saltem facultas ea lædi,etiam ante, quàm cor sit exemptum,quænam sit eius læsio. quę-
nam alia, præter intemperiem? Nam neque figura eius mutata apparet, nec cauitas,nec ligamentum,
nec osculum, nec alia ulla pars perdita,sed tantum naturalis temperies mutata. Ergo omnes hi simila-
rium partium morbi omnino, ut dictum est, ab illo sunt omissi. Siquidem, ubi sanguis in finibus arte-
riarum impactus actionem uitiat, id arterias ipsas, quatenus instrumenta sunt, male habet. Vt uero si-
milares particulæ sunt, octo quidem secundum nudas qualitates intemperies habent, octoque rursus
cum fluxione. Oportet igitur,quisquis horum cum certa scientia demonstrationes cœpisse uelit, a li-
bro de elementis incipiat: post deinde reliquos singillatim (ut dictum est) legat. Sunt uero proximi
huic commentarij de temperamentis. Ab ijs proximus est, qui de inæquali intẽperie inscribitur. Mox,
qui de naturalibus facultatibus. Alijque, qui de animæ affectibus sunt proditi: idque de unoquoque
deinceps, & seorsum. Hos excipiunt,qui de particularum usu sunt inscripti: quos sequuntur, qui de
morborum, symptomatumque differentijs titulum habent. Plerique uero medicorum, nec tantum H
experientiæ applicantes animum (cum tamen liceret ex Empiricorum institutione bonis esse medi-
cis) & perfectioris rationis cupidi, cum aut ijs, quæ citra demonstrationem sunt enunciata, credant,
aut uitiosis demonstrationibus fallantur, non solum nihil excogitant boni, sed etiam, quæ per expe-
rientiam sunt cognita, corrumpunt. Siquidem ratio non leue momentum obtinet ad experientiam
uel ornandam, uel corrumpendam: sed, quantum recta ratio ornando adijcit, tantum, uel etiam am-
plius, uitiosa detrahit. Atque hæc me sæpe medicorum uulgo prædicantem audis, qui prius, quàm in
methodis Logicis se exercuerint, uel, cum demonstrare aliquid tentant, seipsos fallunt: uel, cum di-
uidere quiduis in species, ac differentias, hic quoque imperitorum coquorum ritu non per membra
incidunt, sed conterunt, collidunt, ac dilaniant, ueluti in eo, quod nunc est propositum. Consulo
igitur (ut scis) talibus omnibus, experientiæ animum intendant: cum non leue instet periculum ijs,
qui supra uires aliquid moliuntur, ne & id non consequantur, &, quæ intelligere alias possent, omni-
no amittant. Ergo cum ijs, qui tum recto sunt ingenio, tum discere parati, ipsi rursus sermonem con-
feramus, illud tantum ex ijs, quæ inter initia diximus, commonentes, non esse committendum, ut
utraque simul confundantur,misceanturq;, & quæ per experientiam sunt inuenta, & quæ sola ratione
sunt inuestigata,sed cum utrunq; seorsum sit tractatum,post ambo coniungantur.Ergo,cum ipsi de ex-
perimentali

*Alias secta. Experimentali *inuentione alibi egerimus,de logica in his commentarijs differere proposuimus. At mihi
uideor ijs præsertim,qui commentarios nostros de morborum symptomatumque differentijs perlege
runt, cum quibus scilicet mihi deinceps sermo erit,iam clare ostendisse maxime in ipsis statim foribus
lapsum Thessalum esse. Lapsus enim non leui lapsu & Asclepiades erat, ubi inter initia de elemẽtis cor
poris male sensit:Ceterum multo & maiore & grauiore Thessalus,quippe qui omnes in uictus ratione
morbos,in duos similiter illi,contulit affectus,multos uero medicinalium scoporũ ademit, quibus ille
est usus.Pessimum autem grauissimumque illud admisit,quòd nec ipsas actionum noxas, nec affectus,
qui earum causæ sunt,morbos censet, sed solis uacuationibus, uel statis, uel præcipitatis intentos esse
uult,cũ nec,quid sit plus iusto sisti præcipitarive uacuationẽ,clare nos doceat. Quippe uel ad uires,uel
ad causam,uel ad affectum,uel ad id,quod per sanitatem semper est obseruatum,referri iudicium opor
tet. Ex quo factum arbitror,ut pugna inter eius sequaces non parua sit orta, ut qui tum de reliquis om-
nibus inter se dissideant,tum de eorum,quæ pathe uocant,& notione & subsistentia. Verum,si nunc de
pugna eorum historiam moueam,deflectam ad inutilia sermonem. Omnem igitur deinceps sermonem
faciam, ceu cum illis agam, qui commentarios de morborum ac symptomatum differentijs, præterea
de causis eorum legerint:ad hæc,qui ea omnia,quorum paulo ante memini,reuoluerint. Atque hinc or
B diar. Quoniam actiones omnes a similaribus corporibus proficisci ostendimus, reliquas uero omnes
singulorum instrumentorum particulas usum quempiam ipsis præbere, duplex sane morborum genus
erit,alterum in partibus similaribus,alterum in totis organis.In similaribus intemperantiæ: in totis or-
ganis unũ in figura spectatur, aliud in particularũ numero aliud in cuiusq; quãtitate obseruatur,quartũ
in positura. Vtrarunque uero partium,id est similarium instrumentaliumq;, communis est ipsa unitatis
diuisio.Ergo sex in uniuersum morborum sunt genera.Vnum ipsorum similarium proprium,nempe in-
temperies:quatuor,ut modo dictum est,instrumentorum cuiusque:& cum his sextum,quod tum simila
ribus,tum instrumentalibus est commune ipsius unitatis solutio. Horum cuiusq; differẽtiæ ad ultimas
usq; species in libro de morborum differentia sunt traditæ.

Quid sit indicatio, & quo pacto ex intellectione eorum, quæ multitudine differunt,ac specie unum sunt,
methodus communis indicationis oriatur de affectibus passionibusq; ac
symptomatis amouendis. Cap. 7.

†τὴν γὰρ οἷον ἔμφασιν τῆς ἀκολουθίας. His sic se habentibus,iam de medendi indicationibus est dicendum,sed hoc ipso indicationis voca
bulo prius exposito. † [Quippe ipsam sequentis,siue agendi insinuationem,] indicationem dici-
mus.Nam inuenitur quidem & ab ipsa experientia id,quod consequens faciendumve sit,ceterum non
C ita, quasi in præcedenti aliquo designatum.proindeq; nemo Empiricorum dicit id isto indicari: quan-
quam certe hoc sequi illud dicunt,& hoc præcedere illud,& consistere hoc cum illo. Denique omnem
artem horum obseruationem memoriamq; esse dicunt,nempe quid cũ quo,& quid a quo, & quid post
quid identidẽ sit usum.Ergo ex ipsa rei natura ordiri,atq;ab ipsa,quod sequẽs sit,citra experientiã inue
nire,id est indicatione inuenire. Definito iam hoc quoq;,ac rursus, quod ante diximus, ad memoriam
reuocato, omnem medendi methodum seiunctam ab experientia procedere,nec recte facere eos, qui
ambas doctrinas Empiricam,Logicamq; in unum cogunt,atq; confundunt,quæ reliqua sunt,prosequa
mur.Fuerit autem omnium,quæ reliqua sunt,ordine primum,quod & proposita iam proxime sequitur.
Sequitur autem primum,ac maxime illud,quòd omnis medendi methodus,per indicationẽ fit. Quip-
pe,quicquid ab experientia seiunctum est,id totum indicatio nominatur. Quare,quisquis condere me
dẽdi methodũ ad unguẽ parat,huic a primis est indicationibus auspicandũ,atq; hinc ad eas, quæ de in
ceps,sunt transeundum,rursusq; ab his ad proximas.Itaq; pergenti,non prius desistẽdum, quàm ipsius
compos sit finis.Porrò finis propositæ nunc nobis tractationis est, inuenire cuiusque morbi remedia,
Quod nam igitur uiæ,quæ huc perducit,statuetur principium?Nempe morbi ipsius cognitio,qualis sci
licet is natura sit:vt prius est ostensum. Quippe,si id,quod curatur,is est,ratio profecto est ab ipso quo-
D que indicationes esse incipiendas. Ergo primum,quæ generalis communisq; morborum omnium indi
catio sit,inuestigandum est:ab hac deinde ad alias speciatim descendẽdum. Quippe necesse est omnes
morbos unius eiusdemq; participatione morbos appellari, veluti, arbitror, & hominem, & bouem, &
canem, & reliquorum singula. Vnum nanq; idemq; in omnibus hominibus habetur, cuius gratia om-
nes eandem appellationem hominis sortimur.Pari modo canibus unum idemq; omnibus inest, cui co
gitatione innitimur,cum canem intelligere volumus.Similiterq; in omnibus equis unum idemq; inest
propter quod omnes equi dicuntur.In homonymis autem hoc clarius perspicere licet. Nam omnibus
quadrupedibus animalibus,quæ latrant,unum idemq; inest,utique quòd & quadrupedia sunt,& latra-
bilia.At marinis illis rapacibus belluis,quas ipsas quoq; canes appellamus,unum rursus idemq; inest,
quod terrestribus non est,ita,vt his cum illis in canum natura nulla sit,nisi tantum nominis, conuenien
tia.At hominis cum homine,veluti Socratis cum Alcibiade, non nominis modo, verumetiam eorum,
quæ ijs insunt,societas est.Nam & animalia,& bipedes,& pedestres,& rationales,& mortales sunt:de-
niq; nihil vlli singulariũ hominũ,qua homo est,inesse deprehẽdas, quod non & reliquis hominibus in-
sit.Ceterum terrestribus canibus,ab ijs,qui sunt marini,multa insunt diuersa, seu corporis spectes for-
mam,seu animi mores.Quippe ille cicur est,hominisq; amans:hic insidiator,& ferus: Ille terrestris,hic
marinus:Ille quadrupes,hic*non.Rursus,ille latrabilis,hic ad latrandum minime habilis.At non terre-

*ἀπούς est in antiquis .i. sine pedibus.

strium

ſtrium canum hic latrabilis eſt,ille non:nec rurſus hic quadrupes, alter non quadrupes,ſed omnibus ip E
ſis una forma ineſt, qua canes nominantur. Nec uero ſubſtantijs modo id ineſſe uidetur,uerumetiam ip
ſis accidentibus,uel ut affectus ſunt,uel ut actiones, uel ut paſſiones. Verbi gratia, homo inambulans
ab homine inambulante nihil differt ſecundum ipſam inambulationem, ſed nec uſtus ab uſto, nec cæ-
ſus a cæſo,nec albus ab albo, nec niger a nigro. Verum in maioris minorisq; ratione ſinguli horum nõ
paruam obtinent differentiam, ueluti magis minusve albus. Verum quatenus albus, unum idemque
cum altero albo poſſidet,ita nimirum, ut, qua homo eſt, unum idemq; cum alio quolibet eſt homine.
Et in ſingulis deniq; ſignificatorum unum idem omnibus ineſt. Ita igitur & ipſum ægrotare, & ualere
ſe habent. Illud enim ægrotantibus omnibus ineſt, hoc ualentibus,utiq; unum idemq; utrunque.Et,ue
luti nomine hominis unum,ita etiam nomine ſanitatis unum ſignificatur.Declarat autem & quotidia-
nus inter nos ſermo,φ,in quibus homonymia non eſt,in his unum eſt,quod ſignificatur. Si enim dicat
quiſpiam uulneratum ſibi eſſe lapide caput,nemini,qui audiat,ſermo eſt obſcurus, aut ambiguus, ſicut
eſt,cum dicitur deuoratum eſſe a cane Coriſcum. Siquidẽ a quo cane, ſtatim rogabit auditor,propter-
ea uidelicet,quòd duo ſunt canum genera,terreſtre alterum:alterum marinum. At non,quo lapide,aut
quod caput,rogabit: cum & omnis lapidis,qua lapis eſt,una ſpecies ſit,& omnis capitis,qua caput.Ca
nis uero, ut canis,ſane non una, ſicut nec linguæ,qua lingua: quando & tibiæ, & calceamenti, & ani- F
mantis pars lingua eſt. Ac,ſiquem audias miniſtro iubentem,ut linguam afferat,incertum eſt,quam lin
guam dicat: Sin uentrem,aut ueſicam, aut iecur afferre iubeat,non item. Ergo ſingulis ſignificatis una
certa ſubiecta res eſt, non tamen cuique uoci una res ſubijcitur. Interdum enim tantummodo ſignifi-
catur per uocem,nec quicquam ſubijcitur. Verum de his, quæ ita dicuntur,differere, præſentis propo
ſiti non eſt. Quibus autem non tantum ſignificatur aliquid, ſed etiam res aliqua ſubiecta eſt, his quot-
quot ſignificata fuerint,totidem ſunt & rerum ideæ. Ac uocis quidem unum ſignificantis una neceſſa-
rio erit & rei ſpecies: numero tamen plures has eſſe licet,ſicuti α. Eoq; ſeptẽ eſſe uocales dicimus:ele-
menta Græcorum idiomate quatuor & uiginti, ad communem uidelicet omniũ ſpeciem, quæ una eſt,
referentes,non ad particulares, quæ chartis,lignis, membranis,& lapidibus ſunt ſcriptæ: quarum ma-
ximus numerus eſt, nec potis numerari, peneq; in infinitum extenſus. nam poſſunt in toto temporis
ſpatio infinita ſcribi tum α,tum β, tum γ. Eodem modo & reliquarum literarum ſingulæ. Verum ea in
uniuerſum quatuor eſſe & uiginti numero dicimus, non particulares intelligentes, ſed tantum ſpecies,
quibus (ut arbitror) ipſa nomina indimus. Quippe non hoc, quod in charta ſcribitur, α dicitur: illud,
quod in ligno pingitur, non α dicitur: immo tum hoc,tum illud:idq; ſiue deſcribas in terra,ſiue in lapi-
de: ſiue ſcalpas,ſiue coloribus pingas. Sed nec pueros docet quiſpiam multa α,& β,& γ,& reliquorum G
ſingula,immo quodq; horum unum,ſimul autem omnia uigintiquatuor. Simili genere,ſi equum unum
puero indices, aut camelum,ubi alium rurſus equum, aut camelum aſpexit, non rogat, quod animal
id ſit, ſed illum equum, hunc camelum nominat. atque illum, quem prius,cum hoc,quem nunc cernit,
eundem eſſe dicit, quanuis fortaſſis alter mortuus iam ſit, alter (hic uidelicet quem cernit) ſuperſit.
Iam uinum homines heri hodieque idem bibiſſe ſe dicunt: nempe ſpecie idem. Interim tria ſe uina ho
die bibiſſe narrant, aut etiam unum, ad ſpeciem ubiq; reſpicientes. Præterea quindenas fores uno ſi-
gillo obſignatas, ad ſpeciem ſcilicet in omnibus his ſermonem referentes. Adeoque eſt euidens,ac o-
mnibus natura inſitum tum hominibus, tum brutis, ut aliud quid ceu in ſubſtantia ſubiectum, aliud
ceu ſpecie unum intelligant, ut uel aſinorum (qui tamen omnium brutorum ſtupidiſſimi uidentur) a-
liud eſſe ſpecie unum, aliud numero,notitiam non fugiat. Conſpecta nanque camelo, aſinus ſe retra-
hit, & fugit, ac timet,ſi nunquam antea camelum conſpexit. Sin autem uidere iam aſſueuit, quamuis
aliam aliamq; illi demonſtres, tamen propter conſuetudinem non amplius timet,ſed ueluti unam ſpe-
ciem intuetur & illam,cui inſueuit, & hanc, quæ nunc primum apparet. Ad eundem modum nec ho-
mines timet propter conſuetudinem, ſed hos quoq; uelut unam ſpeciem uidet. Verum, ſi curatorem
inſpexit,non ſolum ut hominem, ſed etiam ut hunc hominem agnoſcit, & micat auribus, & caudam H
quatit,& rudit,& laſciuit,cum eum aſpexit,utiq; indicans ſe familiarem agnoſcere. Hunc itaq; tum ut
hominem,tum ut familiarem noſcit: Eum autem,quem primum iam uidet,ut hominem ſimiliter,ut fa
miliarem non ſimiliter. Quare non nos modo,uerum aſini quoq; iam aliud ut numerò idem tum uidẽt,
tum etiam noſcunt,ac meminerunt: aliud ut ſpecie. Ac Dionem curatorem (eſto enim ita uocetur)ali
ter ut hominem,aliter plane,ut curatorem ſuum agnoſcunt uernaculi aſini,utiq; communem eius cum
alijs hominibus ſpeciem, ut hominis,capientes: priuatam uero ac ſecretam,ut Dionis tantum. Ergo
tantum abeſt, ut ueteres philoſophos laudem, tanquam amplum aliquid magnæq; ſubtilitatis inuene-
rint, quod idem ac diuerſum, unum ac non unum, non ſolum numero, ſed etiam ſpecie ſit inaudien-
dum, ut etiam ipſis aſinis hoc ineſſe natura dicam. Sane adiiciunt ueteres philoſophi non tantum nu-
mero, ac ſpecie aliquid idem dici, uerum etiam genere. Verum id iam ad rem propoſitam non deſi-
dero. Mihi enim unicum illud ſatisfacit, quòd ipſis aſinis ſtupidiores oſtendi, qui non concedunt a-
liud ſpecie unum, aliud numero dici: magisque his etiam,qui unum eſſe phreniticum,& unum Empi-
ricum dicunt,unum tamen eſſe hominem non concedunt: aut qui non intelligũt ſpecie quidem unum
eſſe hominem,numero non unum, nec Socratem unum eſſe, tum ſpecie, tum numero: phreniticum
autem ſpecie eſſe unum, multitudine non unum: cum fieri non poſſit ut Dion, Socrates, Theon,
& Coriſcus,

A & Coriſcus,pariter,ſi ita fors tulit,phreniti laborantes,cum quatuor ſint,unus multitudine ſint,ſed ſpe
cie unus,multitudine non unus. Abſurdius autem multo eſt,quod Empirici dicunt,cum unum eſſe Em
piricum dicunt,deinde rogati,quomodo unum dicant eum,qui uiuit,cum eo,qui mortuus eſt, & eum,
qui eſt in Græcia,cum eo,qui eſt in Aegypto,mirificum reſponſum afferunt: Quatenus, inquiunt, Em
piricus eſt,hactenus etiam unus eſt. Hoc enim extremæ ſtupiditatis eſt,ſi adiectis illis quatenus & ha-
ctenus nec quæ ipſimet loquuntur, intelligunt. Si enim hactenus Serapion, & Menodotus unus ſunt,
qua Empirici ſunt,profecto in alijs unus non erunt. Quando ſi omnifariam unus eſſent,ſuperuacue, ar
bitror, ac fruſtra addita eſſent illa quatenus & hactenus cum promptum eſſet ſimpliciter dicere unum
eſſe Serapionem & Menodotum:ita nimirum,ut,ſi de ipſo tantum Menodoto loquens,adiectione non
egeres,ſed abſoluto ſermone diceres,Menodotus eſt unus.Ergo,ſi unus abſoluto ſermone eſt Menodo
tus, Serapion aũt & Menodotus nõ abſoluto ſermone unus, ſed quatenus Empirici, omnino profecto
ipſis alia quæpiam inerunt,quibus duo ſunt,& non unus ambo.Efficiturq; hoc illud,quod antiqui phi-
loſophi dixerunt,aliud numero & idem,& unum eſſe,aliud ſpecie: Nec eſſe mirum,ſi Menodotus Sera-
pioni in aliquo idem ſit atque unus,in aliquo non idem,neq; unus:quatenus enim Empiricus,idẽ:qua-
tenus autem hic reſimus,ille naſo adunco,aut candidus,aut niger,aut magnus,aut paruus,non idem.
B Nunquid igitur ſic eſt uterq; eorum homo,ut uel naſo eſt aduncо,uel reſimus,an ſic, ut Empiricus eſt?
An hoc quoq; puer intelligat,φ qua homo,unus ſunt:qua hic reſimus,ille grypus,nõ unus? Num igitur
extremi ſtuporis eſt,aut pertinaciæ,aut,neſcio,quo nomine merito appellem, fateri unum eſſe phreniti
cum, qua phreniticus, ſimili modo lethargicum, & pleuriticum, hominem uero, qua homo eſt, non
unum? Præterea Empiricum unum dicere,qua eſt Empiricus:equum uero,ut equus eſt,non unum? Cũ
audire liceat Ariſtotelem,& Theophraſtum affirmantes, ſpecie quidem poſſe alterum alteri idem eſſe,
numero uero non idem. Atque etiam ante hos illum,qui ipſos huiuſmodi ſignificatorum diſtinctionẽ
docuit,audire dicentem nihil eſſe miri unum eſſe multa,& multa unum. Quippe adeo dilucide omnem
hanc diſceptationem Plato in principio Philebi abſoluit, ut mihi uel ipſis ſtupidis uideatur eſſe dilucidus. Aſini nanque norunt tum hominem,tum camelum, tum bouem:præterea hunc hominem quendã
hunc camelum,hunc bouem. Eodem modo uiam norunt, non tantum abſolute ut uiam, ſed etiam ut
hanc aliquam uiam. Nam in ingreſſu uiæ,quam non nouit,aſinum ſtatue,attendeq;, ut illam perambu-
let,ac totam peragat, in neutram partem declinans, niſi ſicubi in diuerſa ſcinditur, utique declarans ſe
ſpeciem ipſam uiæ meminiſſe,& clare agnoſcere. Quippe inambulat eam,quæ trita eſt:quatenus autẽ
ignorat,fallitur. Neque enim ex recordatione eius, quæ inſectilis, unaq; numero eſt, hanc, quam non
C nouit, peragere poteſt. Manifeſtum uero eſt eum hanc uiam, qua nunc primum inſiſtit, quatenus uia
eſt, ut ſpecie noſcẽtem inambulare:quatenus uero numero una eſt, eatenus ignorare,propterea, quòd
& nuſquam ad non tritam diuertat,& qua in duas ſcinditur,neſciat,utra ſit eundum. Quod tamen om-
nino non ignoraret, ſi ſecundo, aut tertio,nunc per hanc ingrederetur. Nam,quoniam alterum nouit,
alterum non nouit,propterea uidelicet,quòd communem uiæ ſpeciem cognoſcit, propriam autem hu
ius,uel illius ignorat,utique,quatenus nouit, non fallitur: quippe qui tritæ inſiſtit: quatenus ignorat,
fallitur ſubinde in triuijs, neſcius, quam eligat. Duplicem ergo cognitionem habent & aſini, commu
nium ſpecierũ alteram,priuatarũ alteram.†[In ſumma,]ſiue unam ſpeciẽ appellare commune illud ue-
lis,ſiue genus,ſiue communitatem,ſi illius hanc, quam ipſe nunc interpretor, notionem cuſtodias, de
nominibus contendes,rem tamen mutare non poteris. Et de nominum quidem impoſitione alius for
taſſe quiſpiam tecum contendet,utique qui æque in rerũ contemplatione,ut tu,parum eſt exercitatus.
Ceterũ nos ſaltem non contendemus. Illud potius te monebimus meminiſſe,quod Plato ait: Multa.n.
unũ eſſe,& unum multa. Mirificũ ſane dictũ. Nec facile eſt contendere cũ eo,qui horũ utrũ libet ſtatuat
Etenim,ſi hoc obſerues,non erit,quòd contẽdas,ut nũc contendis,partim ignorãtia, partim adductus
pertinacia. Sed,ſiue quis unũ eſſe phreniticũ dicat,unũ eſſe conſenties:ſiue multa, ita quoq; cõſenties.
D Simili modo & Empiricũ,& Dogmaticũ,& Methodicũ. Non aliter ſane & medicũ unũ eſſe,ac multos
dices,unũ quidem, qua medicum,non unũ uero particulari multitudine. Non enim de Empirico lo-
quens,illud quatenus adhibebis,de medico loquens id tolles. Neq; rurſus de medico loquẽs adijcies,
de hoſe loquẽs auferes. Nec phreniticũ unũ eſſe dices,qua phreniticus,ægrotantẽ uero nõ unũ. Siqui
dem hic quoq;, qua ægrotans eſt,unus eſt. Dediſce igitur tandem nugas illas,quibus in aliis libris ca-
ptioſe utens cenſes oſtendi tibi ipſum hominem ſolum,& ſeorſum a particularibus hominibus:tanquã
ipſe oſtendere poſſis Empiricum citra Menodotũ,& Serapionem,& alios particulares Empiricos: aut
etiam phreniticum ſeorſum a particularibus phreniticis. Vbi igitur eſt error, undeq; hæc mutatio, ut
aſinis adeo ipſis ſint ſtolidiores? Nempe unde in alijs quoque infinitis falluntur. Quippe ubi a notio-
nibus ad rerum ſubſtantias tranſire tentant: deinde per Logicæ contemplationis imperitiam fallũtur,
utique ſubuertentes cum rerum addubitatione etiam ipſas notiones. Siquidem excipit eos hic quæ-
ſtio de generibus,& ſpeciebus,quæ non modo homines,qui in Logicis methodis non ſunt exercitati,
ſed etiam,niſi acriter intendant,aliquos ex ijs,qui ſunt exercitati,poteſt fallere. Ceterum non oportet
propterea,quòd de rerum ſubſtantia dubitant,a manifeſtis recedere notionibus: nec putare conſultũ
aliquid inueniſſe utroſuis,uel Empiricos ſi unum dicant,non adiecto,quo ſignificato unum ſit: uel Me-
thodicos,ſi pro genere,uel ſpecie,uel communi,communitatem uſurpent. Mihi enim melius uiſum eſt
notione

τλοιπὸν.

notione ipſa clare iam definita (nempe qua phrenitici ſunt, hac eſſe omnes unum: qua uero hic iuue- E
nis, ille ſenex, aut gracilis, aut obeſus, aut uir, aut mulier, hac multos) ueteri elocutione de cetero uti, ac
cum Ariſtotele, Theophraſto, & Platone loquendo periclitari, qui omnia id genus ſpecie eſſe unum di
cunt, multitudine uero non unum, non phreniticum modo, aut lethargicum, aut Empiricum, ſed etiam
Dogmaticum, & Methodicum, & hominem, & equum, & uirum, & mulierem, & reliquorum ſingula.
Quòd ſi ad particularia deſcenderis, ueluti hanc mulierem, quæ indicari digito poteſt, hanc ſane non
poſſis ſpecie quidem unam dicere, multitudine uero multas. Quippe hæc mulier, quæ indicari digito
poteſt, una eſt utroq; modo, & ſpecie, & multitudine: quod etiam aliter numero dicere ſolemus. Hi uero ita non faciunt, ſed alij communitates nominant, ceu uero non magis dubitari de ijs, quàm generi
bus, & ſpeciebus poſſit. Alij, quatenus hoc quippiam eſt, unum eſſe dicunt: quatenus autem non unũ
nequaquam explicant. Etenim par erat hos quoque, quemadmodum oſtendunt, quod Menodotus, &
Serapio, & Theodas, & Glaucias, & Apollonius, & Callicles, & Diodorus, & Heraclides, & Lycus,
unus omnes ſunt, qua Empirici, ita rurſus, quemadmodum non unus omnes, ſed multi ſunt, exponere.
Siquidem in his exponendis alicubi plane deprehendiſſent idem tum unum, tum multa non modo eſ
ſe, ſed etiam dici poſſe. Menodotus nanq; & Serapio, qua Empirici ſunt, unus ſunt, immo uero & qua
medici, & qua homines. Quid uero qua animalia? Nam id quæri ab his operæprecium eſt. Num hacte F
nus quoq; Menodotus & Serapio unus ſunt? Nam, ſi id negent, nec nos concedemus, quatenus Empi
rici ſunt, eatenus duos homines eſſe unum. Sin concedant hac quoq; duos eſſe unum, nempe quatenus
ambo ſunt animalia, protinus illud ſubijciemus: Recte igitur ab antiquis philoſophis dictum eſt aliud
numero, aliud ſpecie, aliud genere eſſe, quod tum idem, tum unum eſt. Dehinc rurſus interrogabimus:
Phreniticus Menodotus, phreniticus Serapio, idem ne eſt, an diuerſus? Si reſpondent eatenus† [unũ
phreniticum eſſe, unumq; & eundem ambos] qua phrenitici, rurſus percontabimur: Quid autem, qua
ægrotantes? num hac quoq; ambo unus ſunt? Si negent, neque nos illis concedemus, qua phrenitici.
Sin annuent, utiq; rem aliquam ponemus, cuius una ſit ſpecies, de qua omnes homines morbi nomen
enunciant. Non enim phrenitis res aliqua fuerit, cui una ſit idea, atq; eatenus omnes, qui ea ſunt affe
cti, unum efficiens. Morbus autem ſimiliter unum nõ faciet eos, quos occupauerit. At nulla eſt, inquit,
ita diſtincta ſpecies, aut animalis, aut morbi, ſicut hominis, & phrenitidis. Quid ais improbe? An ni
hil tibi ſignificare uidentur hæ uoces, animal, & morbus, ſed ſimiliter efferri, ut blityri, & ſcindapſus?
An ſignificant quidem, uerum nulla res ſubſtat, quæ uocibus reſpondeat, ueluti in Scylla, & Centau
rus? an etiam ſignificant, atq; id, quod ſignificatur, unum eſt? Quippe, ſi nulla ſit res, quæ ijs uocibus
animal, & morbus indicetur, non recte dicis hominem eſſe animal, aut phrenitim morbum. Sin eſt res G
aliqua, & uere dicis, tum hunc, qui aduenit, animal eſſe, tum hunc, qui decumbit, ægrotare, eſt utiq; om
nino aliquid eorum, quæ ipſis inſunt, de quo uocem utranq; enuncias. Verum ad hæc intelligenda, pa
rum es exercitatus, tametſi ea ex primis ſint, quæ in Logicis inſtitutionibus tradantur. Ceterum quid
hoc ad ipſam ueritatem? Non enim profecto ex ijs, quæ tu non intelligis, iudicanda ueritas eſt, ſed ex
ijs, quæ quiſpiam intelligit, qui & natura prudens ſit, & ea didicerit, ac exercuerit, nec idem contentio
ſus ſit, ſed ueritatem amet. quorum nullum in te eſt, quanquam mediuſfidius haud ſcio, an iſta, natura
prudentem deſiderent. Quis enim neſcit non idem ſignificare Socratem, ac reſimum, ſed Socratem to
tius eſſe ſubiectæ ſubſtantiæ nomen, reliquorum autem nominum nullum de tota corporis ſubſtantia
dici, non ſimum, non uentroſum, non caluum, ſed horum aliud figuræ naſi eſſe nomen, aliud defectus
capillorum in capite, aliud magnitudinis eſſe uentris? Atq; hæc ſunt, quæ reſpectu partium dicuntur.
At, ſi candidum aut nigrum Socratem dicam, de omnibus arbitror corporis partibus nomina pronun
ciem, ceterum non totam ſubſtantiam, ſed unum ex ijs, quæ illi accidunt, indicem, nempe colorẽ. Quin
etiam, ſi obeſum dicam, aut gracilem, durum aut mollem, hirtum aut glabrum, aut cetera id genus, quæ
Socrati accidunt, ne ſic quidem de omni eius ſubſtantia appellationes affero, ſed unum aliquid eorum,
quæ ipſi accidunt, oſtendo. Ad eundem modum & ſedere ipſum, & inambulare, & moueri, & dormire, H
& uigilare, & ſingula id genus nomina de nulla profecto ſubſtãtia dicimus, ſed aliquid eorum, quæ So
crati inſunt, his ſignificamus. Quæ nimirum in ſuperioribus uel actiones eſſe, uel paſſiones, uel affectus
quoſdam diximus. Satius ergo fuerit, nunc quoq; ſub hac te formula exerceam, quemadmodum etiã
in ſuperioribus oſtendimus, non a nominibus, ſed a rebus orſum. Incipe uero a teipſo primum, æſtima
que, ſimplex ne res ſis, an compoſita: Vtrũ ne pes ſis, an naſus, an oculus, an caput. Conſtat enim nul
lum te horum eſſe, ſed nec ſine his. Verum & ex his & ex reliquis partibus uniuerſis, quarum ſingulæ
debitam habeant poſituram, totus es compoſitus. Eſto igitur nomen Themiſo. At, cũ Themiſona clau
dum eſſe aio, eo, q; dico claudum, pedum affectum ſignifico. Themiſo uero totius eſt nomen. Quinetiã
ſimus cæcusq; a parte dicitur Themiſo. Rufus uero & craſſus non a parte, ſed ab affectibus, qui toti in
ſunt, non aliter, quàm inambulans, ſedens, diſputans, & uiuens. Num igitur intelligis non eſſe hæc to
tius ſubſtantiæ tuæ ſigna, ſed alia a parte quapiam eſſe nominata, alia ab uno affectu? Cum uero bonũ
te iuſtumve quiſpiam dicit, num etiam proſpicis hæc eſſe affectuum nomina, qui in animo tuo conſi
ſtunt? Atqui, ſi noris, q; hæc ad portionem ſe habẽt cum albo & nigro (quippe ſicuti iſta corporis, ita
illa animi affectionum ſunt nomina) intelliges, arbitror, & artificem & inertem [uel ſiquod nomen ar
tifici eſt contrarium,] ab animi affectibus eſſe impoſita. Iam, ſi artifex unde nomen accepit, ſcias, ſcies,

† Al. unum & eundẽ ambos eſſe.

arbitror,

A arbitror, medicus quoq; unde ſit appellatus. At, hunc ſi, unde dictus ſit, cognoris, non eſt, quòd ma
gnopere labores, ut inuenias, cui demum inditum ſit nomen Empirici. Sane ipſum, quod a uobis exi
go, nec adeo difficile, nec magnum eſt. Quippe ipſa prædicamenta diuidere logicæ ſpeculationis eſt
initium. Cuius eſſe uos omnino expertes facile declarant ea, quæ temere nugamini. Vel nunc igitur
reſipiſcentes, poſthac incipite, quæ corpori accidunt, nominare, ueluti quòd hic albus eſt & niger, aut
certe uehementer calidus adeo, ut ægre ferre calorem poſſit. Deinde calorem ipſum, qui adeo auctus
Ad.4.f.1.t.1. c.1.p.753.a. ſit, ut occaſione eius corpus laboret, nec probe perfungi actione poſſit, permittite uolenti appellare fe
brem. Siquidem omnes homines eum, qui ita ſit calidus, febricitare dicunt. Nec ſane rem magnam
facietis nomen mutantes, niſi quòd tempus ueſtrum perdetis. Illud potius uir bone facito: Cum The
miſonem febricitare dices, & Dionem febricitare, & multos deinceps ad eum modum febricitantes
nominabis, perpende diligenter, nunquid in ijs omnibus unum idemq; ſit ipſum (ut ſic dicam) febri
citare, an diuerſum. Inuenies enim unum eſſe idemq; ſpecie: multitudine autem, quod etiam numero
dicimus, non unum. Cum aliter tibi nec, ut reſpondeas, fas ſit, nec intelligas. Ergo, qui febricitat, is,
qua febricitat, unus plane eſt: quando, & qui delirat, quatenus delirat, etiam eſt unus. Quid uero & qui
ſimul febricitat & delirat? nunquid & is unus eſt, qua ſimul & febricitat & delirat? Sane id neminem
B latere arbitror. Ponatur igitur ambobus ijs unum nomen, febricitanti, dico, ac deliranti, uoceturque
phreneticus, qui ita laborat. Quòd ſi non intelligis, quemadmodum ambobus unum nomen ſit poſi
tum, admonebo te fortaſſe nominum, quæ ipſe uſurpas. Quippe equum aliquid appellas, nempe ani
mal (ut ita dicam) hinnibile, ſiue quod ad hinnitum ſit habile. An igitur intereſſe cenſes, equum dicas,
an animal, quod ad hinniendum ſit habile? Ego ſane non cenſeo. Atqui, ſi id ita eſt, ambobus illis no
minibus, & animali, & hinnibili, quo utiq; breuior eſſet ſermo, equum indidiſti. Ad hunc etiam modũ,
ſi, quod pedeſtre & bipes animal ſit, pro tribus nominibus uno interpretari uelis, hominem uocabis.
*λόγον Et ſane ſolutio cuiuſq; nominis in ſuam *orationem, ad eum modum abſoluitur. Quinetiam, ut coniji
cias componas q; *orationem in unum nomen, non aliter, quàm iam dicto ſit modo: cum uidelicet &
ſimplicium cuiuſq; notionem ſecundum ipſius nomen tenes, & ſimul ex duobus ſimplicibus rurſus alte
ram notionem efficere compoſitam potes: mox illi nomen imponere: ſubinde rurſus ipſi compoſitæ a
lio ſimplici adiecto, ubi ex tribus iam ſimplicibus unam notionem feceris, huic quoq; nomen aliquod
imponere. Quomodo, inquies, & qua ratione id? Siquidem non grauabor exercendo eos, qui reſipi
ſcere a diuturna iſta ignorantia non recuſant, longius progredi. Calor, ſimplicis rei nomen eſt. Præter
ea actionis læſio, ſimplex quædam res eſt. At tantus calor, quantus iam actioni officiat, non etiam ſim-
C plex res eſt. Quòd ſi etiam totum uexet corpus, multo profecto minus iam ſimplex eſt. Ergo, quo mi
nus multis utantur homines, ad compendium alioqui natura procliues, eiuſmodi calorem febrem uo
cant. Quippe expeditius dictu eſt febricitare Dionem, quàm tantum in toto corpore caloris habere,
ut multas functiones corrumpat. Ergo, cum affectum ipſum ſignificare uolunt, febrim: cum uero eum,
qui affectu laborat, ab affectu ipſo nomen declinant, uocantq; febricitantem, ad eum modum, quo a
candore candidum, & a nigrore nigrum. Itaq; compoſitæ rei nomen febris eſt, atq; hoc etiam magis
febricitans. Simplex autem eſt delirium: verum, ſi ſimplex hoc cũ compoſito copules, homo ipſe phre
niticus, affectus phrenitis nominatur: Quemadmodum & homo ipſe, ne animal rationale mortale di
camus, breuitatis cauſa homo eſt nominatus, ipſo hominis uocabulo *orationis uim quandam com
prehendente. Atq; id eſt, quod ueteres philoſophi *orationem nominis dicere appellant. Ceterũ non
ducunt in infinitum, ſed uſq; ad ſimplicia ſubeunt. Nam, cum hominem in animal & rationale & mor
tale ſolueris, poſtea ipſum animal ſolues in ſubſtantiam ſenſilem: at non ipſam ſubſtantiam amplius
ſoluere poteris, nec etiam ſenſile. Quippe ſimplex primumq; eſt horum utrunq;. Quo fit, ut mihi mi
rari ſubeat de ijs, qui phreniticum & hominem eſſe concedunt: morbum uero & animal eſſe non con
cedunt. Quippe quod perinde eſt, ac ſi compoſita eſſe des, de ſimplicibus dubites: quaſi non priora
D compoſitis natura ſimplicia ſint. At non uidi (inquit) ipſum per ſe animal. Sed nec hominem inſuſſe
uidiſti, & tamen ipſum ais hominem eſſe. An illud fateberis, animal autẽ eſſe te non fateberis? Nuſ
quam (inquit) uidi per ſe morbum. Sed nec phrenitim unquam ſolam uidiſti, ſed in Theone, aut Dio
ne, aut alio quopiam homine. Quare hoc plane puerile eſt, eo, quòd nuſquam morbum ipſum per ſe ſo
lum uideris, idcirco putare morbum non eſſe. Quippe ita nec febrim, nec phrenitim, nec aliud quip
piam id genus eſſe dabis, ut quorum nullum uſquam ipſum per ſe ſolum uideris. Sane expediebat po
tius non ita, ſed, ut dictum ſupra eſt, a rebus ipſis cœpiſſe, cogitationeq; ipſa ſpectaſſe, quot eſſent in to
tum ſimplicia: mox proprio nomine cuiq; impoſito, ex ipſis iam compoſita nectere. Ergo ſubiecto cor
pori unum hoc primum inſit, quòd ſentit. Num, cui id ineſt, animal non appellabis? Non, inquies. At
qui de nomine hoc pacto hæſitabis. Sed nec ſenſile corpus eſſe concedes? Iam ita de rebus ipſis falſo
opinaberis. At, ſi & corpus aliquid ſenſile eſſe, & nomen hoc animal de eiuſmodi corpore dici conce
des, audebis poſtea dicere animal nihil eſſe? Ergo nec album aliquid erit, nec inambulans, nec currẽs.
Quippe ab ijs, quæ ipſi accidunt, dicitur corpus album, inambulans, & currens. Ipſorum uero acciden
tium hoc albedo, illud inambulatio, tertium curſus dicitur. Eodem modo ſenſus, unum quid eſt ex
ijs, quæ corporibus accidunt: ſentiens uero ipſum eſt corpus. Hoc uero etiã animal nominatur. Quis
igitur, ubi ſentiens corpus aſpexit, omiſſo hoc nomine, animal, aliud quærat, quod de eo dicat? Num

corpus

corpus duntaxat intelligitur, tanquam Centaurus, an res quoq; aliqua huic appellationi eſt ſubiecta? B Patet proculdubio eſſe ſubiectam aliquam. Age quid ſenſus? intelligitur ne tantum, an aliquid eſt eorum, quæ corpori inſunt? Mihi uero etiam id clarum eſſe uidetur: nempe ſenſum unum eſſe ex ijs, quæ corpori inſunt. Atqui, ſi neq; corpus tantummodo intelligitur, ſed etiam ſubſiſtit: nec etiam ſenſus, immo is quoq; ſubſiſtit: qui fiet, vt ambo coniuncta compoſitum efficiant non ens? Nam id iam perridiculum ſit, corpus quidem eſſe ac ſenſum, nihil tamen eſſe ſentiens corpus. Sicut illud magis ridiculum, ſentiens quidem corpus eſſe, animal autem nihil eſſe: ceu aliud quiddam animal ſit, & non hoc. Aut quicquam interſit,* oratione, an nomine indicare aliquid uelis. Aeque abſurdum ſit & morbum negare aliquid eſſe. Quippe, ſi affectus nihil ſit, morbus quoq; nihil erit. Sin affectus aliquid eſſe detur, utiq; & morbus aliquid fuerit. Quicunq; enim affectus functioni officit, is eſt morbus. At non potes (inquiunt) oſtendere mihi ipſum per ſe morbum. Immo nec phrenitim uir bone, nec febrim, quæ tamen & ipſa eſſe fateris, ſicuti multa alia. Nam micrologiam nominum, quam philoſophi quidam ſcite ſunt commenti, ſed quæ omnem in uita loquendi conſuetudinem ſubuertit ſic, ut ne ipſi quidem in ſuis ipſorum operibus ea uti poſſint, impræſentiarum omitto, vt qui & alibi de ipſis diffuſius egerim, & in opere de elementis, quæcunque ſunt neceſſaria, dixerim. Intelligo autem micrologiam, qua diuiduntin genera, græca illa τὸ ὄν, τὸ ὑπάρχον, & τὸ ὑφεστὸς: [latine ens, & ſubſiſtẽs, ſiue ſubſtans dixeris] quip F pe, quæ* tranſlatitie nobis tum hic, tum in ſequentibus [latine] ponentur. Vt autem omnes in omnibus refutem, fieri omnino non poteſt. Sed enim, quod non modo propria morbi notio ſit, ſed etiam res aliqua ſubiecta, quæ hanc appellationem ſit ſortita, ſatisfaciant ad præſens, quæ hactenus ſunt dicta. Clarius autem idem ipſum in progreſſu ſermonis intelligetur, ubi de primis indicationibus abſoluta diſputatio erit. Quæcunque uero nunc dicta de morbo ſunt, ea mihi & de ſymptomate, & paſſione eſſe dicta cenſeo: præterea ſanitate, & paritate, & robore, & potentia, omnibusque alijs, quorum nomina & notiones de rebus quibuſdã ſubiectis ſunt dicta. Oſa nanq; hæc corporibus inſunt, partim ut affectus, partim ut actiones, partim ut paſsiones: præterea quædã ceu naturaliter inſint, quædam ceu præter naturã. Indicatio quoque ex ſingulis eorum ſeorſum præbetur, a plurimis tamen medicorum prætermiſſa.

*ἀδιαφόρως. i. nullo diſcrimine.

GALENI METHODI MEDENDI, ID EST DE MORBIS CVRANDIS, LIBER TERTIVS. G

ARGVMENTVM LIBRI.

Docet, qua uia, ac ratione ulcera curanda ſint, quæcunque maligna non ſunt.

Prima fundamenta methodi, qua unitatis ſolutio curanda eſt. Cap. 1.

SI igitur Hiero, indicatio, quæ ab ipſa rei natura primum oritur, quod agendum ſit, inuenit, neceſſe eſt remediorum inueniendorum initium ex morborum ipſorum natura ſumi. Siquidem abſurdum ſit aliud eſſe, quod curandi rationem præſcribat, aliud, quod curetur. Etenim indicare de ſe quidque magis poteſt, quàm de alio. Hoc autem clarius fiet in ſequentibus. Verum, quoniam omnibus in confeſſo eſt primas indicationes ex affectibus eſſe ſumendas, certe laborandum pluribus fruſtra non eſt, ut hinc eſſe incipiẽdum doceam. Illud potius monſtrare tentemus, neq; totum hoc eſſe, nec prorſus magnam aliquam H partem, ueluti Methodici putant, ſed minimam, & tantum initium. Igitur ijdem ipſi aiunt calculum, qui in ueſica ſit, propterea, quod toto genere præter naturam ſit, ablationem ſui indicare. Ad eundem modum* uerrucas, & myrmecias, & atheromata, & ſteatomata, & meliceridas, & alia id genus. At inteſtinum, quod iam in ſcrotum decidit, omniaq;, quæ luxata ſunt, quod uidelicet ioco ipſo præter naturam ſe habent, reponenda ſe in ſuum locum docent. Atqui tantum abeſt, ut horum quippiam artificij cuiuſquam ſit, ut etiam priuatorum cuiq; patere poſſit. quippe qui membrum, quod luxatum ſentiunt, reduci in artus iubent: præterea uerrucam tolli, & ulcus ad cicatricem duci, & aluum fluentem ſiſti. Verum, quibus hæc rationibus fiant, id ſane neſciunt. atq; id eſt, quod adijci a medico debet. Itaque indicatio, quæ a morbis ſumitur, principium tantum eſt, & (ut ſic dicam) carcer, unde medendi ratio promouet, nulla prorſus ipſius medicinæ artis adhuc portio, aut certe nec magna nec propria, ſed quæ etiam plebi ſit communis. Ergo, cui facultas eſt illa inueniendi, ex quibus perfici poſſit, quod a prima indicatione ſuggeritur, is merito morborum eſt curator. Qui ſi per experientiam inuenit, obſeruator & empiricus eſt nominandus: ſin ratione quadam & methodo, logicus, & methodicus, & dogmaticus. Ergo plebeius quidem (altius enim idem repetendum eſt) medicum adit, reponi ſibi membrum iubens: aut os, quod forte fractum eſt, formari atque componi: aut melicerida ſibi tolli. Verum, quo pacto

*ἀκροχορδόνας id eſt verrucas penſiles.

A pacto horum quodq; peragatur, id ſane inuenire medicæ artis eſt munus. Ac Empirici quidem per experientiam inueniri omnia contendunt. Nos partim experientia, partim ratione. Cum neque illa inuenire omnia queat, neq; ſola ratio. Veruntamen confuſam miſtamq; tradendam eſſe doctrinam non cenſemus, ſed ſeorſum empiricam, & ſeorſum logicam, quo facile appareat, quam habeat utraq; uim. Nũc uero de ea, quæ ratione paritur, inuentione dicere ſtatuimus. Num igitur eſt nobis methodus aliqua, qua uſis inuenire prædictorum ſingula liceat? dico, quod ſuperuacaneum genere ſit, adimere: &, quod motum loco ſit, id proprio loco reddere: & quod, unitatis ſolutum ſit unire. An empiricem ad hæc requiremus? Ego ſane methodum eſſe aliquam, qua quæſita inuenias, plane mihi perſuaſi: eiuſque principium eſſe id, quod ſinguli morbi faciendam dictant. Vnitatis nanque ſolutio unitionem poſtulat. Ea in oſſe fractura dicitur, græce Catagma: in carnoſa parte ulcus: ſicuti etiam uulnus, & ruptio, quod Rhegma: & conuulſio, quod Spaſma dicitur. Vulnus quidem ſolutio, quædam ex uulnerando in carnoſa parte relicta. Ruptio, & conuulſio citra uulnerationem facta. Prior enim carnoſæ partis diuiſio eſt, poſterior neruoſæ. His omnibus unitio molienda indicatur. Quæ an præſtari ubique poſſit, an in multis nõ poſſit, hoc utique internoſcere primum iam artificis eſt. Quippe nemo plebeius nouit nec neruoſam tranſuerſi ſepti partem, nec inteſtina tenuia non poſſe, quem indicant, finem recipere. Sed & de præputio, & B de tenui buccarum parte, quod ſimiliter ſe habet, idem ignorat. Præterea an caries in oſſe, quæ Teredõ græce dicitur, ſanari queat, ſicut eroſio in carne, compertum non habet. Iam, an coaleſcere fractura poſſit, ueluti uulnus, præterea an callo agglutinari poſſit, non intelligit. Pari modo in capitis fracturis uulgus omnino non nouit, ſit ne expectanda calli generatio, an aliter curandum. Porrò multo adhuc magis ignorat, an corde uulnerato, aut pulmone, aut uentriculo, aut iecinore, fiducia ſanationis ſit. Nec in ſumma quicquam ultra primam * indicationem uulgaris quiſquam nouit. Itaq; hoc ipſum primum artis eſt opus, ut intelligas, ſperare ne† [id, quò tendis] debeas, an ſecus. Eius rei duplex cognitio eſt, nec poteſt addi tertia: Altera per experientiam, cui longo uſu eſt opus. Altera per ipſius rei naturam. ſiquidem hæc tum cuiuſq; particulæ ſubſtantiam æſtimabit, tum actionem, tum uſum, ſitumq;. A quibus procedens, non ſolum, quod ſanari nõ poteſt, præuidebit, ſed etiam de inueniendis ei remedijs deliberabit, quod recipere ſanitatem poteſt.

* σκοπὸν, & ubicunque dictionem hãc aſteriſco nota tam uideris, ſcopos græce legitur.

†τὸ τέλος.

De inuentione remediorum, quæ cauum ulcus carne implent. Cap. 2.

COnſtat autem, quòd a ſimpliciſſimis incipiet. Porrò nihil eſt ſimplicius ulcere, quod in ſumma carnoſa parte ſit. Huius ergo, ſi quidem ulcus tantum ſit, curationis ſcopus unitio eſt. Sin etiam cum cauitate ſit, duplex eius propoſitus eſt finis: ſicuti etiam duplex eſt affectus, nempe ulcus, quod eſt uniC tatis ſolutio, & cauitas, quæ ex amiſſa aliqua animalis propria ſubſtantia eſt contracta. In quo genere ſæpe fieri non poteſt, ut alterius propoſitorum finium ſis compos: ueluti ſi non modo caro ipſa, ſed etiam ſubditum illi os perierit. Quippe impleri ad unguem cauitas eiuſmodi non poteſt, cicatrice induci certe poteſt. ſed hæc ulceris ſanatio eſt, cauitas autem inſanabilis remanebit. Hoc igitur ipſum aut per experientiam, aut rationis ope dignoſci omnino oportebit. At Theſſalus nec his utitur, nec tertium quicquam adijcit: & tamen nugari non erubeſcit. Sed id mittamus. Illud potius doceat imitator Theſſali medicus, quo pacto cauum in carnoſa parte ulcus nullo ex ijs, quæ ſubſunt, læſo ſanabimus. Sarcotico (inquit) medicamento, id eſt quod carne impleat, impoſito. Bene ſane, magna facilitas, fortaſſe autem ſtupiditas potius erat dicendum, ſi, cum ſarcoticum dixit, ſatisfeciſſe ſe quæſtioni putat. Quippe, ſi ſarcoticum iam ſcimus, quid amplius requirimus? Dic nobis, quod illud ſarcoticum ſit, quo es uſurus? Thus reor, inquies, aut irim, aut ariſtolochiam, aut erui farinam, aut panacem. nã de ſiccis medicamentis principio mentionem faciam. Age igitur, hæc medicamenta quo pacto inueniſti? Experientia, inquis. Quid igitur eſt, quod per te amplius eſt adiectum? Siquidem, quod cauum implendum ſit, id quidem uel priuatus nouit. At, ex quibus id, & per q̃ medicamenta fiat, experiẽtia docuit. Theſſalus uero nec ut empiricus, nec ut logicus, medicamentum id nouit. Vt empiricus, quia uidelicet non uult: Vt logicus, quia nõ D poteſt. Nam ego eum ut empiricum id ſcire plane noui. Cum enim duo ſint omnis inuentionis inſtrumenta, nempe experientia & ratio, qui quod inuentum eſt, nouit, ſed tamen ratione eius dicere [in prõptu] non habet, is prodit ſe per experientiam id inueniſſe. Vt igitur, quantum erret, intelligat, auriũ nobis operam pauliſper accõmodet. Volo enim paucis cum ſolius experientiæ profeſſore agere. Etenim hunc quoque dicere par eſt, quo pacto ſiccum hoc, quod carnem producat, medicamentum inuenerit: quod utique Cephalicon nominant. Porrò componitur id ex iride, & ariſtolochia, & eruo, & thure, & manna, [id eſt purgamento thuris.] Eſt autem & aliud, quod præter iam dicta corticem panacis recipit ſicuti etiam aliud, cui elota cadmia admiſcetur. Dicat itaque mihi, hæc quomodo ſint inuenta. Et quid (inquit) attinet de inuentione eorum quærere, ac non recte potius inuentis uti? Atque hæc quidem initio ſtatim reſpondent: †[poſt uero interim ex ſomnijs inuenta eſſe potuiſſe talia dicunt:] interim forte quapiam aliud fuiſſe in aliud effuſum: mox aliquem uti miſto auſum. Ceterum audaciæ eius ſpem nõ dicunt. Hæc igitur manifeſtæ ſunt nugæ. Tertius his inueniendi modus plane eſt rationalis. Siquidem ſimplicium illorum priuatim quiſpiam unumquodque ut ſarcoticum expertus, mox carnem aliquando nõ facere cernens, ratione deprehendit non omni naturæ eorum quodque competere. Si enim, cui ariſtolochia ulcus carne non impleuit, huic thus cõtulit: cui autem thus nõ profuit, huic iris admota fuit utilis: rationabile erat (arbitror) non omnes ab omnibus ſimiliter affici. Hoc ubi ſemel in ratiocinationem uenit,

† Addendum ex codicibus græcis impreſſis & manuſcriptis. In cõgreſſu uero (id eſt κατὰ σύμβασιν) ſic. enim ipſi hoc

uenit,optimum factu est uisum quàm plurima eiusdem speciei in idem miscere, quo nulli corporis na- E
turæ deesset,quod conueniat.† [Atqui amice in cõmistis speciebus non seruatur actio suæ cuiusq; substantiæ,sic,ut in unaquaq; corporis specie adsit,quod morbo curãdo conueniat.]Nã,si aut corporis naturam inuenire possent,aut adhibiti medicamenti uim, non esset fortasse ijs tali uarietate opus, ut quibus unum illud medicamentum,quod uni corpori conueniret,inuenire in promptu semper esset.Nũc, cum ignorant utrunque,†[parum recte]omnia miscent:unum scilicet,quod omnibus naturis quadret, moliri medicamentum studentes. Hanc ego componendorum medicamentorum rationem primis illis medicis excogitatam arbitror, atque ut antiquum inuentum recipio. Ceterum tantum eam a vera medicinali methodo abesse reor,quanto certe rationabilior est transfusis in se mutuo cribris. Quippe nisi illud primum cogitet,solius se compositionis,quæ ex similibus specie medicamentis conflatur,non eius,quæ ex contrarijs initur,methodum *dixisse, mox in eius miscellæ multitudine unum fortasse esse medicamentum,quod laboranti sit utile,fortasse vero nec vnum, contra septem octove, quæ ex usu nõ sint,ita vt pluribus numeris obsit eiusmodi medicamentum,quàm prosit,hæc,inquam,nisi reputet,plus eum ignorare de re ipsa,quàm nouisse dixerim.Oleum nanque cauo*uulneri infusum, aduersissimũ omnium medicamentum est, cum si ita mederi velis, usu ipso intelliges sordidum ac male olens vlcus fieri. Quod si tempus quoq; anni calidius sit,ac vitio mali succi homo laboret,aut fluxionibus obnoxius F
natura sit,aut etiam in uictus ratione delinquat,timor est, ne illi pars ea computrescat, in qua ulcus est factum.Timor uero est,& si cera,siue sola,siue in oleo soluta utare.Atque hæc quidem putrescere ulcus facient.At,si æruginem ad leuorem tunsam insperges,ea quidem nullo modo putrefaciet: dolorem tamen ac mordicationem inferet non paruam.præterea exedet, ac phlegmonem excitabit. Quòd si largius utere,conuulsionem quoque accerset. Quoniam igitur neque oleum,neque ærugo, neq; cera cauum ulcus implere carne potest,constat, quòd ex ijs, qui experientiam profitentur, nemo usquam ea miscebit.At ego sane hæc miscebo,immo debita mensura non hęc modo,verum etiam alia mille pharmaca ex ijs,quæ cauo ulceri sunt inimica. Quippe si non ijsdem facultatibus lædunt,sed quodam modo contrarijs,imparia quidem immodicaq; profecto fuerint,vt ad cauum ulcus implendum. Verum, quemadmodum ex duobus temperamentis immodicis vnum efficiatur modicum,id in medicamentorum componendorum rationibus docuimus. Non est igitur difficile ex oleo, cera, & ærugine medicamentum,quod carnem producat conficere. Si enim noris eiusmodi vlcus mediocriter siccandum esse, A.I.1.f.4.c.28 p.155.A.B.
non siccare autem nec ceram,nec oleum, utiq; intelliges nec alterum seorsum, nec ambo simul cauum ulcus implere posse:immo uero nec æruginem solam,vt quæ immodice siccet.Ergo,si omnia misceris modice siccum efficere medicamentum poteris. Quis vero cuiusque esse* modus debeat,id mihi in li- G *μέτρου.
bris,qui de medicamentorum compositione sunt inscripti,iam traditum est:nunc quoque,si res postulet,indicabitur in sermonis progressu.Nam primum omnium abigẽdus mihi a sequentibus libris amethodus iste Thessalus est,sed indicato prius illi,quantum a recto aberret.Nam prudenti,vel quæ nũc dicta sunt,satis ostenderint,qualis esse debeat medendi methodus.Verum non est cum talibus sermo.Itaque etiam necesse est,cum istis adhuc disputemus,hinc sumpto initio.Omnis,quæ præter naturam est, cauitas impleri postulat.quare & quæ in carnosa etiam accidit parte. Ipsa uero impletio inueniendorũ remediorum finis,quo tenditur,est.Vt vero,quæ impleant,inuenias, & multa ratione opus est, & multiplici particulatim indicatione,& methodo rationali exacta. Etenim sæpe uidisti difficilia sanatu ulcera curare nequiuisse nec eos,qui experientiam profitentur(istos inquam,qui remedijs scatent) nec etiam eos qui rationem sibi uindicant,omnes. Quippe Thessalij isti,quos Methodicos nominant,sunt autem re uera a methodo alieni, tanquam asini ad lyram, ne ad audiendam quidem eiusmodi speculationem sunt idonei,nedum, quod rectum est,ratione inueniant. Vidisti autem subinde in eiusmodi ulceribus Empiricos quidem alias se ad aliud medicamentum transferre,cum nulla profecto ratio transitum ipsum monstraret:uerum,quoniam multa sunt experti; quæ cauum ulcus impleant, ipsam uero, ut ijdem uocant, idiosyncrasian, id est,corporũ proprietatẽ,in qua singula eorum pollere sunt uisa,nec dignosce H
re,nec meminisse possunt,ideo nunc quoq;,ad quod transferant,non intelligentes, sed sperãtes in multis particularibus experiendis,obiter,quod conueniat,omnino inuentum iri,alias ad aliud transiliunt, fortunæ potius,quàm rationi eius,quod conducat,inuentione permissa.Similes his sunt,tametsi id nolunt, & qui ex Dogmaticis ad naturalia corporum principia subire ratione non ualuerunt. Quippe hi (ut ante ostendimus)ex dimidio Dogmatici sunt. † De istis uero amethodis Thessalijs, quid etiam loquar?Soli igitur ij,qui uera methodo curant, tum singulis id genus ulceribus idonea medicamenta & uictum aptum inueniunt,tum liquidissime rebus ipsis ostendunt,quantopere conducat, quantumq; ad medendum lumen præstet ipsa de natura tractatio.Etenim prætermitti negligiq; aliquando,quod utile sit,ijs,qui ab alio pharmaco ad aliud assidue transeunt,non semel tibi ostendi,uno aliquo ex medicamẽtis,quibus illi fuerant usi, eiusmodi ulceribus sanatis. Spreta uero eiusmodi medicamenti facultas ab ijs merito est, quòd uidelicet & propter intempestiuũ usum nõ solũ non prodesse, sed etiam obesse est uisum,& quòd in primo usu nihil aliquando,quod esset euidens,effecit. Vidisti porrò non minus oculorum nos grauissimos dolores sanare aut balneo,aut uini potione, aut fomentis, aut sanguinis missione,aut purgatione,quibus nihil aliud adhibet medicorũ uulgus,quàm medicamenta hæc,quæ ex opio & mandragora & hyoscyamo fiunt,maximam plane oculorum perniciem, utpote quæ nulla re alia sublati

uerbo uocãt, interim quidẽ ex insomniis &c.

†In aliquibus antiquis hæc nõ leguntur.

†οὐ κακῶς. i. non male, est ĩ antiquis qui busdam.

*Alias εὕρηκεν i.inuenisse.

*vlceri.

† Impressi codic.græci hęc addunt: Quine prima quidem elementa potuerunt assequi. quæ tamen in antiquis non habentur, & superflua esse uidentur.

*Al. ναρκῶν.i. obstupefaciũt

A blati ad præsens doloris speciem præstant, quàm quòd ipsum sensum* enecant. Multosque nosti ab eiusmodi medicamentorum usu, cum liberalius fuissent admota, nunquam postea naturalem statum recepisse, sed ex his principio quidem obscure atque ægre uidisse, tempore uero suffusione, quam hypochysin uocant, uel pupillæ nimia dilatatione, quam mydriasin appellant,uel tabe,uel corrugatione, quam rhetidosin uocant, occupatos. Nosti profecto non minus & illud, cum ab ephebis usq; mecum sis uersatus, nec sub ullo me usquam præceptore uidisse eiusmodi opus, sed id per me ratione excogitasse,& quàm longo tempore aphorismum illum,Dolores oculorum meri potio, vel balneum,uel fomentum, uel uena incisa,uel purgatio tollit, considerauerim, quamq; ex reliqua Hippocratis diligentia sperarim ne in hoc quidem uel falsum quippiam, uel quod fieri non possit, præcipi,idq; fuisse,quod me ad inquisitionem incitauit, quoad ipsa Hippocratis insistens uia inueni, quo pacto discernerẽ,quando, quomodoq; dictorum quoq; sit utendum. Qua ratione multis, qui talia uiderunt, manifestum feci,quanta medicinalis methodo uis sit,quantiq; mali occasio fuerint, qui non seruata ueteri medicina, nouas sectas condiderint.Itaq; & uos præterea me,quanquam a principio recusantem, orando tamen impulistis, vt omne hoc opus tractandum susciperem. quod, Deos precor, alijs quoq; hominibus alicui sit usui. Certe minimam spem habeo propter eum, qui nunc regnat, *bonarum *artium contemB
ptum,diuitiarum uero,existimationis, & ciuilis potentiæ admirationem. Ad quæ quisquis se conuertit, is nulla in re ueritatem inuenire poterit. Verum hæc, prout Deo placebit,ita finientur. At nos medendi methodum, quæ ueteribus quidem exculta est, nunc uero neglecta iacet, pro uirili restituemus, repetita nimirum, quam de cauo ulcere inchoauimus, disputatione. Ac de prima quidem inuentione eorum, quæ eiusmodi ulcus carne impleant, satisfaciant, quæ paulo ante diximus, concedamusque, si libet, Empiricis, quæ dicunt omnia. At de inuentorum usu & sæpe tibi in ipsis rebus ostendi, & nunc nihilominus ratione demonstrare conabor, quemadmodum Empirici, ubi solenne cuique medicamentum nihil profecit, apte ad aliud, certaque ratione transire nesciant. Atque id iure accidit. siquidem, cum causam improsperi successus prioris medicamenti ignorent, nec, quo eam in secundo declinent,habent. Quippe, cum causam ignorent, cur munere suo medicina fungatur,nec, cur fallat, intelligere ualent. Hoc uero ignorato, neq; ad aliud transire rationabiliter possunt,quando nec in illo uitare eandem causam possunt.

*θεραπευτικῆς

*τῶν καλῶν:

Qua methodo ulcus cauum curari debeat. Cap. 3.

AGedum igitur ipsi iam Hippocraticam ueramq; caui ulceris sanãdi methodum tradamus. Porrò hanc ab ipsa rei substantia ordiri oportet.Itaq;,quoniã in cauo ulcere id nobis proponitur, ut caCro,quæ perijt,restituatur,scire licet generandæ carnis materiam,sanguinem bonum esse: opificẽ(ut ita dicam) auctoremq;,naturam. Verum non satis est naturam simpliciter dixisse,nisi etiam, quorum natura,sit adiectum,& ubi. Constat autem,q; subiectorum corporum,quibus superinduci caro debet, natura ipsa gignendæ carnis opifex est. Porrò cuiusq; corporis natura monstrata est ex calidi,frigidi,humidi,ac sicci temperatura consistere. Quare manifestum est iustum horum temperamentũ in subiectis particulis,quibus restituturi deficientem carnem sumus,opificis habere rationem. Ac primum quidem in omni cauo ulcere duo illa consideranda nobis sunt, & quod subiectum est,iusta ne temperie sit, id est an secundum naturam se habeat: quippe monstratum est sanitatem in similaribus corporibus,ipsarum quatuor qualitatum esse iustam temperiem: Et præterea sanguis,qui affluit,bonus ne,ac mediocris sit. Si igitur horum alterutrum uitiosum sit, multi sane affectus præter naturam existunt.Nobis tamen una cauitas in carnosa parte proponitur. Fingamus igitur & sanam esse partem, & sanguinis confluxum citra ullum uel in qualitate uel quantitate uitium. Porrò his ita se habentibus, nihil est præterea, quod obstet,quo minus prima carnis generatio prospere contingat, idq; nullius externi medicamenti ope. Quippe causis ambabus, unde nascitur, præsentibus, nulloque extrinsecus, quod impediat, obstante, non potest prohiberi carnis generatio. Verum in ipsa primæ carnis generatione duplex prouenire

λογισμοῖς. D excrementum necesse est,ueluti etiam in commentarijs de natura docuimus,quòd omnem qualitatis alimenti mutationem alterum crassius, alterum tenuius excrementum sequitur. His excrementis etiã per uniuersum corpus semper prouenientibus, quod tenuius est, ipsa inuisibilis est perspiratio. Quæ etiam subinde fit uisibilis, quoties uel naturalis calor languet, uel nutrimento utitur, quàm iustum sit, ampliore, uel motus quispiam uehementior animali contingit. Alterum est sordes, quæ in summo corpore nostro colligitur. Quinetiam in ulceribus tenuius excrementum sanies, (græce ichor) appellatur, quod crassum est, sordes. Ac ex tenui quidem excremento ulcus humidum redditur, ex crasso sordidum: eoque duplicibus medicamentis eget, utique,ut humidum est,siccantibus: vt sordidum, quæ ipsum expurgent. Ergo, cum nullo unquam tempore natura cesset,certe nec tempus ullum erit, in quo non ambo hæc in cauo ulcere colligentur. Quare nec tempus ullum erit, in quo non utrunque medicamentorũ genus desiderabit,utiq; & quod siccet,& quod expurget. Ac, cuiusmodi quidem genere esse medicamentũ debeat,inuentũ iam est.Verum non est id satis. Siquidem specie aliqua inuenta est opus, quæ sit ulceri admouẽda.Hæc igitur qũo & qua methodo inuenietur?Nempe ea,quæ in libris de simplicium medicamentorum uiribus est tradita. Ostendimus nanq; in his quædam medicamenta siccare, quædam humectare, quædam refrigerare, quædam calfacere: non nulla per coniugationem uel calfacere & siccare, uel frigefacere & humectare, uel calfacere & humectare,uel refrigerare & sic-

care: esseq; in singulis eorum maioris minorisq; rationem, multitudine sane infinitam, ceterum ad E
usum medicinalem limitibus, qui facile comprehendantur, circunscriptam, primo quodam in his, &
secundo, & tertio, & quarto statuto ordine graduve. Cuius igitur ordinis erit medicamentum, quod
carni producendæ sit aptum, quodq; modice tum siccare debere, tum detergere proposuimus? Cer- A.I.u.f.4.c.28
te primi ordinis. Quippe, quod super hunc fuerit ita, ut non modo humoris, qui influit, redundan- p.155
tiam consumat, sed etiam affluentem sanguinem ipsum populetur, id refici carnem, ceu materiam eius
absumens, prohibebit. Porrò talia esse ostensum est thus & hordeaceam, & fabaceam, & erui fari-
nam, & irim, & aristolochiam, & cadmiam, & panacem, & pompholygem. Omnia uero hæc tum
maioris minorisq; discrimine inter se diffidere, tum alia eorum simplices * qualitates uincentes habe- * δυνάμεις .i.
re, alia compositas, monstratum est. Siquidem aristolochia & panax tum ceteris plus siccant, tum na- facultates.
tura magis calent. Hordeacea fabarumq; farina multo his minus siccant, nec ullum calorem obtinet.
Thus uero moderate calet, minus tamen illis siccat, adeo, ut quasdam corporum naturas omnino nó
siccet. Erui farina, & iris, horum atq; aristolochiæ & panacis medium locum tenent. Verum, quod
sermo noster utiliter attigit, denuo repetamus. Quippe thus in humida corporis natura carnem pro-
ducere potest, in sicca non potest. Scire nanq; licet duas esse primarum indicationum differentias, qđ
secundum naturam se habet, custodiam sui indicante, & propterea, quæ similia sui sint, postulante: F
quod præter naturam est, sublationem sui, eoq; contraria requirente. Perit enim quidq; in contrariũ,
& a contrario. Atque ulcus quidem quo est humidius, eo sane medicamento, quod magis siccet, in-
diget. Corporis uero natura quanto est humidior, tanto quod minus siccet, medicamentum postu-
lat. Quare, siqua sunt ulcera, quibus par est humiditas, quod in sicciore corporis temperamento cõ-
sistit, utiq; magis siccari postulat: qđ in humidiore, hoc sane minus, quo natura naturæ interest. Siqui-
dem productam carnem ei, quæ ante erat, similem esse oportet. Vbi igitur pristina siccior fuit, nouel-
lam quoque sicciorem fieri conueniet. Quare uberius hæc siccari, quantoq; magis sicca fuerit, tanto,
quod admouetur medicamentum, magis siccam facultatem habere debebit. At in humidiore natura
tanto rursum ijs, quæ minus siccent, medicamentis est opus, quanto caro ipsa minus est sicca. Thus
igitur, ut ad humani corporis naturam, eiusmodi obtinet temperamentum, quòd cum temperatis &
medijs naturis consentit, humidiores autem paulo liberalius siccat: sicuti rursum ijs, quæ ad summum
siccæ, paulo est humidius. Merito itaque thus in quibusdam tum ulceribus, tum naturis pus A.I.4.f.4.T.1.
quidem mouet, carnem non producit: in quibusdam etiam carnem producit. Itaq; si obseruaueris, c.11.p.866.
rationi respondere euenta deprehendes. In humidiore nanque natura producere carnem potest, in E
sicciore non potest. Præterea in modice humidis ulceribus carnem efficere potest: in ijs, quæ præ- G
humida sunt, prorsus non potest. Videsne igitur clarissime, qui recta methodo curare ulcus uelit,
quot huic theorematis sit opus? Nam, postquam inuentum est humorem omnino huic uitio in esse,
utiq; siccans parandum medicamentum indicauit. At, quoniam ipsorum siccantium quædam magis
siccant, quædam minus, partim ex ulcerum diuersitate, partim ex ægri natura, quod expedit, est de-
sumptum. Itaq; non modo de corporis natura meditatus sit, oportet, quisquis commode sanare ul-
cus debet, uerumetiam diligenter speculationem omnem de medicamentis didicisse, tum sicci humi-
diq; corporum temperamenti notas callere. Contemplare igitur, quanta sit Methodicorum istorum
pronunciandi temeritas, qui unum id sibi ad cauum ulcus sanandũ satisfacere putant, si sciant, quòd
carne est implendum. Non enim in hoc curandi ratio consistit, immo in eo inueniendo, quod carne
sit impleturum. At, quod implebit, iam (inquit) experientia est inuentum. Dic proinde, & quod sa-
nabit, inuentum experientia esse: nec frustra gloriare, nec methodum extolle. Quanquam apud ipsos
quoq; Empiricos experientia, quæ sine certa limitatione sit, damnatur. Scribunt nanq; in commenta-
rijs de medicamentis ad hunc modum: Emplastrum ad eos, qui molli sunt corpore, & pueros, & mulie-
res. Noruntq; thus in naturis eiusmodi carnem in cauis ulceribus (modo aliud nullum symptoma sit)
producere, eademq; implere. Vtrum tamen eiusmodi corpora humida sint, atque idcirco modice sic- H
cantia desiderent, an alia euentus causa sit, sane non norunt. Rursus enim ad senilia corpora aliud scri-
ptum medicamentum inuenies, aliudq; ad ea ulcera, quæ ægre ad cicatricem ueniunt, orasq; prætumi-
das habent, quæ ochthode Græci uocant, multasq; alias discretiones in omnibus suis medendi com-
mentarijs scribunt, quibus, quoad licet, ad curandæ naturæ proprietatem appositum pharmacum in-
ueniunt. Quippe discretiones in quaq; arte proprium a communi secernere conantur. quantoq; plu-
ra quis discreuerit limitaueritq;, eo propius ad proprietatem accedit. Ipsum uero ad unguem propriũ
nec scribi omnino potest, nec dici. Eoq; tum Empirici ij, qui in arte fuere diligentissimi, tum Dog-
matici fere omnes fatentur nullam scribi posse curationem ad unguem exactam. Sed id, quod ad
coniecturam de laborantis natura desideratur, alij ex proprio cuiusque medentium usu, alij ex artifi-
ciose ratiocinando adijciendum esse affirmant. Nemo tamen eorum adeo fuit præceps, ut omni ul-
ceri cauo unam se habere medicinam, quæ carnem restituerit, profiteretur. Non enim apud ullum
inuenies eiusmodi pharmacum, quod omne ulcus cauum sanet, immo pro modo humoris sordisque
atque ipso laborantis temperamento immutandum medicamentum esse. Missa ergo hic Methodico-
rum impudentia, age uideamus, quid Empirici dicant, qui ex proprio cuiusque usu exercitatione-
que adijciendum aliquid censent ad propria laboranti inuenienda remedia. Siquidem (ut sæpe dixi-
mus)

Amus) nulla est in arte medica nec res nec medela, quæ specie dicibilis non sit. Sed, quod nec dici, nec
scribi, nec omnino præcipi potest, id quantitas in quoque est. Nam in ulceribus humor & sordes dici
possunt, quantitas in neutro dici potest. Quanquam hic quoq; accedere propius ad indicandam eam
studemus, exiguam copiosamq; sordem dicentes, præterea tenuem, & crassam, & prorsus multam, &
admodum paucam, & mediocrem, & competentem, aliterq; ad hunc modum uarie nominantes, quo
uidelicet, quàm proxime licet, ad quantitatem indicandam accedamus. Diligenter igitur attendas nũc
uelim, ut intelligas, quantum præstet methodo quiduis, quàm sola experientia, facere. Esto nanque
notum sit hoc uel illud pharmacum ad cauum ulcus implendum facultatẽ habere in ijs, qui, ut nos lo-
quimur, humidiore sunt temperamento: ut autem obseruator & Empiricus, ijs, qui molli sunt carne,
ac mulieribus & pueris: deinde nunc tali admotum nihil profit. Nos igitur, cuius causa nihil profuit,
inuestigabimus, atq; hanc in duo æstimanda reducemus. Nam aut parcius siccauit medicamentũ, aut
nimium. horumq; notas habebimus sordem, & saniem. Nam, si plusculum sordis sit, totumq; ulcus
humidius, intra modum siccauit: Sin purum, & absq; humore cernitur, ultra. Statim igitur mensurã
quoque excessus defectusq; ex ipso notarum * modo intelligemus, tantoq; pharmacum, quod dein- * κατασῶ.
ceps applicabitur, uel siccius, uel non tale admouebimus. Empiricus autem, si admotum cuipiam me
B dicamentum carnem non restituit, id quidem uidet, ceterum ignarus, parciusne, an nimium siccando
id euenerit, transire ad alterum non potest. Ad eundem plane modum & Erasistratus, Herophilusq;
ex dimidio (ut dictum est) Dogmatici, male ulcus sanabunt. quippe qui ea tantum uitia curare ratio-
ne tentant, quæ instrumentalium partium sunt propria: ulcus uero (ut iam dictum est) commune si-
milarium instrumentaliumq; est. Ideoq; id, quatenus in similaribus prouenit, eatenus empirice cura-
bunt. Quinetiam, si ea curare tentent, quorum substantia omnino perijt, aut etiam manca curtaq; est,
in his quoque necesse est, a logice curando multifariam aberrent. Si enim, quòd perijt, substantia quæ-
piam similaris sit, necesse est eum, qui regignendæ huic consulet, totius esse naturæ peritum. Ac de
his quidem post dicetur. Illud interim clarissime ostensum arbitror, non esse cuiusque probe ulcus cu-
rare, primamq; omnium indicationem, quæ uel plebeis patet, minimam esse curationis partem. Nam
& calorem, frigus, humiditatem, ac siccitatem, actiuas qualitates esse demonstratione accepisse ne-
cesse est: & deinde, quæ nobis tum de temperamentis seorsum dicato uolumine sunt scripta, tum quæ
huc pertinent in alijs uoluminibus, omnia nouisse. Atque hactenus quidem de ulcere cauo sermo est
habitus, ipsam tantum cauitatem curantibus nobis. Siquidem, quæ ulceris propria curatio sit, nondũ
traditum est. Perficitur autem ea quoque iuxta eandem methodum: quippe quæ tum a laborantis
C partis temperamento, tum a medicamentorum facultate accipitur. Porrò ambo hęc a tractatione de
elementis pendent. Etenim, nisi illud in methodo concessum sit, quatuor qualitates genituræ corru-
ptelæ causas esse, nec methodum inchoasse, nec prouexisse, nec absoluisse fas est. At uero, ut illas a-
gentes mutuo patientesq; ostendas, id ad speculationem de elementis pertinet. Quod igitur in præ-
cedentibus ostendimus, id nunc præsenti sermone confirmatur, Nempe nihil posse medicum de ulla
similarium partium agitare sine naturali, quam uocant, speculatione. Verum illic de similaribus dun-
taxat id est ostensum: hic iam sermo noster quodam modo insinuat ne in ipsis quidem instrumentalibus
cuiquam integram inuenire curationem licere, qui illa non attigerit. Porrò idem in toto opere etiam
euidentius monstrabitur.

De ratione curandi simplex ulcus, & planum. *Cap.* 4.

VErum ad ipsam ulceris, quod solum consistit, curationem transire nunc tempestiuum uidetur. Fue
rit autem solum, si nec affectus ullus simul adsit nec symptoma. Esto igitur, quæ exulcerata est par
ticula, nec fluxione uexata, nec malo succo uitiosa, nec omnino extra naturalem temperiem: sed nec ul-
la ei cauitas adsit, nec ulla cutis amissio. Nam id quoq; bona pars medicorum præterit, non intelligens
post, quàm cauum ulcus carne iam impletum, ac planum effectum, nihilominus tamen hiat, duplicem
D adhuc particulæ affectum superesse, alterum substantiæ cutis amissionem, alterum continui solutionẽ.
A.I.u.f.4.c.28 Ergo, quoties unum id habetur, nempe continui solutio, siue ea summæ est cuticulæ, (quam epider-
p.155.B mida uocant) siue cutis totius, siue etiam pariter subiectæ carnis, uitium, quod ulcus dicitur, ita existit,
postulatq; tantum agglutinari. Quippe, si commissæ simul sint cutis oræ, nihil erit in medio cutis gene-
ris diuersi, quemadmodum in eo, quod iam repletum est, planumq; redditum. In hoc enim oræ ulceris
se non contingunt, sed totius ulceratæ partis cutis perijt: quam utique restituere oportet. At in eo, qđ
acuto aliquo est diuisum, una agglutinatio requiritur, non etiam cutis generatio. Quoties ergo ulceris
simplicis propositum sit inuenire curationem, præsumendum in sermone est diuisam esse carnosam par
ticulam citra ullius portionis amissionem. Nam latum, quod cicatrice induci postulat, omnino cuti-
culam, quam epidermida græce uocauimus, desiderat. Hanc igitur tum gignere, tum sibi unire oportet.
duoq; tibi hoc loco existunt, ad quæ, sicuti in cauo ulcere, consilium diriges, propterea, quòd affe-
ctus ipse geminus in ambobus est. Quo igitur (ipsorum inquiet forte aliquis) planum ulcus a cauo
discernitur, si & geminus utrobique est affectus, & geminus curanti propositus finis? Nempe multitu
dine amissarum partiũ. Quippe in cauo ulcere non ipsa modo perijt cuticula, uerumetiam reliqua cu-
tis natura uniuersa, & subiectæ carnis portio aliquando non exigua. In repleto ulcere caro non de-
est, exterius tamen cooperimentum desideratur. Ac, quæ eius generis ulcerum curatio sit, post dice-

mus. Nunc eius, quod ulcus tantum sit, nec alium ullum affectum adiunctum habet, quænam debita E
curatio sit, præcipiamus. Ergo, quoniam hic sola diuisio proponitur, diuisorum oras unà coniunctas
esse oportet. An non id solum, uerumetiam coniunctas manere? Porrò bifariam simul manent, quæ
commissa sunt, cum alia per se, alia ope aliorum maneant: Per se quidem, quæcunq; secum concrescũt
ac coalescunt: Aliorum ope, & quæ colligantur, & quæ glutino aliquo tenentur. Ac, quæ concrescãt,
omnino mollia naturaliter sint, oportet. Talis sane est tum caro ipsa, tum quęcunq; ex carne consistũt.
Quæcunque uero dura siccaq; sunt, eorum diuisæ partes coire simul nequeunt, sed glutinum aliquod A. l. 1. f. 4. c.
uinculumve, quo commissa maneant, requirunt. Et talium quidem corporum sanatio in sequentibus 28. p. 155. B
præcipietur. Nunc de ijs, quæ uniri possunt, inceptum sermonem peragamus, hic quoque ipsam coi-
tionis coalescentiæq; causam inuestigantes. Est uero, sicuti in cauis ulceribus ut caro producatur, ita
in simplici ulcere ut oræ ipsæ secum coalescant, natura certe causa adeo, ut, si, quæ dissident, in idem ad
amussim componas, citra omnem reliquam extrinsecus molitionem coalescant. Oriturq; tibi iam alius
attendendus finis, nempe orarum adductio: a quo orsus, quibus id efficias, inuestigabis. Quippe aut
uinculo ex duobus initijs circundato, aut sutura, aut fibulis (quas græce ancteras uocant) impositis,
aut horum quibusdam, aut omnibus, quæ diducta sunt, in idem adduces. Expedit autem, quod cir-
cunijcitur, neque molle nimium sit, & algæ ritu fragile, (bryodes græce uocant) quo uidelicet tuto F
contineat: neque rursus ita durum, ut premendo offendat. Tum uero ipsa circunductio nec ita laxa A. l. 4. f. 4. T.
sit, ut nihil efficiat: nec ita uehemens, ut premendo dolorem excitet. Hæc si feceris, fueritq; ulcus 1. c. 31. p. 861.
solum citra uitiosum succum, aut fluxionem, aut intemperiem, aut phlegmonem, aut aliud quodli- C
bet uitium, proculdubio coibit. At, si uel præ eius magnitudine fieri nequeat, ut disiunctæ ipsæ partes
exacte ad imum usq; sibi coniungantur, uidelicet nec sutura, nec fibulis, nec deligatura pertingere ad
eas ualente, uel etiam sanies iam illic sit collecta, uel dolor quispiam adiunctus, eiusmodi ulcus ex so-
la partium commissione agglutinari omnino non potest. Quando, quod dolet, plus aliquid affluere
facit: atque etiam, si, quod affluit, pro iusto naturæ modo se habeat, attamen uires ipsæ partium, quæ A. ibidem.
tum propter dolorẽ, tum etiam ex uulnere sunt imbecillæ, nec, quod iustum est, ferent, sed ueluti ab in-
iusto grauabuntur. Atque hinc omnino superuacua sanies proueniet. mirum etiam, nisi & phlegmo-
ne. Iam uero, si etiam citra dolorem sanies in medio adductorum labrorum ulceris interuenerit, aut
etiam locus quispiam medius interfuerit, qui sanie quidem sit uacuus, sed aere plenus, non potest
eiusmodi ulcus sola dissidentium partium coniunctione glutinari. quando & sanies iam unionem dis-
pescit, &, quæ coniungendis interueniunt loca uacua, interiorum laterum frontes prohibent se con- G
tingere. Quare illæ saltem ulceris partes, ut coeant, etiam carne prius impleri naturæ opera postu-
lant. Porrò hæ adeo plane sunt exiguæ, si modo diuisæ ulceris partes rite sint coniunctæ, ut unius diei A. ibidem.
spatium desiderent, aut ad summum bidui. Hoc igitur tempore medicamento opus est, quod particu-
lam siccet, ut, & siqua sanies iam subsit, hanc consumat: &, siqua in uacua loca influxura est, hanc pro
hibeat. Nunc igitur medicamentum, quod carnem producat, & mediocriter siccet, rursus mihi ad
memoriam reuocabis, ut intelligamus, sicciusne eo esse glutinatorium debeat, an secus. Sane, quod
carnem producit, si totum, qui confluit, sanguinem consumeret, ipsam materiam creandæ carnis sic
adimeret. At glutinatorium aut omnino carnis generatione non eget, aut plane exigua. quare plus
siccet, oportet, quàm quod carnem producit. Ergo tum hac ratione tenui quadam differentia inter
se dissident: tum uero altera non parua, quatenus scilicet, quod carnem producit, statim etiam deter-
gendi uim obtineat, oportet, quo non modo redundantiam humoris siccet, sed etiam sordem auferat:
Glutinatorium uero nec detergeat, nec expurget, sed contra prorsus substantiam omnem in idem co-
gat. Cuiusmodi facultatem habent medicamenta ea, quæ austera & adstringẽtia uocantur. Hæc nan-
que in idem cogendi, ac stipandi, non detergendi, neque purgandi facultatem habent. Quo fit, ut,
ubi carni producendæ studemus, maxime cauendum sit a medicamento, quod adstringat, utpote qđ
sordem ulceribus arctius affigat, quàm ut facile possit absolui. Vinum igitur omnis ulceris, qua ulcus H
est, optimum est medicamentum. Quòd si nec illud qua ulcus sermoni sit adiectum, idem tamen, ar-
bitror, intelliges. Quippe recordationis tantum causa est additum, (nequis obaudiat) non sicut ne-
cessarium aliquid definiens. Adeo, si memorem te eorum omnium, quæ in proximo libro sunt tradita
de rebus singulis tum nominandis, tum uero subiectis præstiteris, nihil est, quod talia tibi de cetero
definiam. Illud tantum abunde mihi erit, si per singula eorum simplices affectus a compositis secernã.
De quibus mihi non nihil prius est dictum, ac nunc nihilominus est dicendum, non adeo mehercle rei
ipsius causa, quàm quòd plerique medicorum dictione ipsa decepti, cauum & æquabile, recens & in-
ueteratum, sordidum & purum, liberum phlegmone, & phlegmone impeditum putant differentias esse
ulcerum. Necesse igitur est distinguere, quæ propriæ ulcerum differentiæ sint, & quæ aliorum affe-
ctuum complexiones. Verum hoc posterius paulo. Sane solennis ueteribus doctrina (quæ utinam
nunc esset in usu) maxime naturalis est. Quippe ijs simplicis cuiusque affectus propriam curationem
dicunt, præcipueq; omnium Hippocrates. Medendi nanq; methodus ad hunc modum belliſſime pro-
cedet, si de singulis simplicibus seorsum præceperimus: post deinde de compositis omnibus alteram
aliquam methodum indicauerimus. Veluti enim, si duo uere essent in uictus ratione morbi, clausus
& fluens, [id est, qui in retentione, & fluore spectarentur,] cum seorsum utriusque curationem di-
xissemus,

Axissemus, de coniunctione amborum esset agendum, sicut Thessalus ipse censet: eodem, arbitror, mo-
do, quoniam ulcerum, qua ulcera sunt, una omnino est species, tum phlegmonarum, qua phlegmonæ
sunt, altera item species una est, oportet, ubi seorsum ulceris, seorsum rursus phlegmones curationem
tradideris, post deinde ambas in idem coniungere. Id igitur si fecerimus, omne profecto ulcus tum sic
cari debere, tum etiam adstringi, pro dicta iam methodo inueniemus, non tamen detergeri: contra, A. l. 4. f. 3. T. 1.
cauitatem in carne siccari quidem postulare & abstergeri, minime autem adstringi. Quinetiam ad eun- c. 3. p. 840. D.
dem modum, quem prius diximus in cauis ulceribus, nunc ad portionem naturam corporis estima- * βρυώδης.
bimus, mollisne ac *laxa sit, an dura, ficca, & *compacta. Siquidem prior, quanto est humidior, tanto * σύντονος.
medicamentis minus siccantibus eget. Posterior, quatenus est siccior, eatenus rursum, quæ uehemen-
tius siccent, magisq; adstringant, desiderat. Empiricus enim, arbitror, hic quoq; pueros, & fœminas,
& qui tenero sunt corpore, memorabit, iuuenes, agricolas, & nautas his opponens. Ceterum, cum nõ
intelligit, quòd in pueris & fœminis propter humiditatem temperamenti eiusmodi medicamenta uisa
sunt conducere, rursus altera messoribus ac nautis propter siccitatem conuenire, nec cuiusq; corpo-
ris curationem exacte conijciet, nec erroris causam deprehendet. Quo fit, ut nec intelligat, quemad-
modum se ad potius transferet, ubi parum cessit ijs, quæ per experientiam prius nouit. Hæc igitur sum-
matim de glutinatorijs medicamẽtis diximus. Hinc uero altera quædam methodus succedit ad eorum B
præparationem compositionemq; pertinens. Siquidem cauo ulceri, quicquid uolumus, statim applica-
mus, siue siccum id, siue humidum medicamentum sit. Licet enim omni parti ulceris ea tum inspergere,
tum illinire: at in uulneribus, quorum maior est profunditas, id non licet. Quippe, ubi semel oras con-
iunxeris, contingere, quæ in imo sunt diuisa, non possis. Considerandum igitur est non modo, an siccãs
adstringensq; modice medicamentum sit, uerumetiam an peruenire ad imum ualeat. Nam & cerussa
& lithargyrus siccant, adstringuntq; modice, sed, si ea cineris ritu circa uulnus inspergas, nihil profi-
cies. Neq; enim ad fundum peruenit medicamenti uis, quod ita sit siccum. humiditatem igitur quan-
dam desiderat, quo simile emplastici sit, uel etiam humidioris cuiusquam medicaminis. Verum hæc
operis eius, quod de medicamentorum compositione præcipit, propria speculatio est, non eius, quod
de medendi ratione instituitur. Quòd siquid ea ad rem propositam indigebimus, id procedente opere
attingemus.

Quid differant glutinatoria medicamenta ab ijs, quæ cicatricem inducunt. Cap. 5.

CVnc ad ulcus, quod cicatrice induci postulat, reuertar: de quo pauloante dixi eius quoq; primum
quo tenditur, finẽ ex eodẽ esse genere, cuius est & caui. Quippe regignere aliquid opus est, quod
perijt, non tantum unire, quæ dissident: ceterum diuersa ratione hic gignere, quod defit, quàm in cauo:
quando illic sanguis, hic caro pro materia sit. Siquidem, quod cauum est, impletur ex gignenda carne,
quæ ex sanguine ortum habet. At ad cicatricem perducitur, quod iam est impletum, ex gignenda cu-
te, quæ ex subiecta creatur carne. Ceterum caro eadem specie cum ea, quæ perijt, gigni in cauo ulcere
potest: Cutis talis omnino, qualis erat, quæ perijt, prorsus restitui non potest, sed simile quiddam cuti,
& quod eius officium suppleat, potest, non tamen plane cutis. Ac causa quidem, cur sicuti caro adeps q;
regignuntur, ita cutis, quæ prorsus perierit, regigni nequeat, ex naturalibus problematis est petenda.
quemadmodum autem tum naturam, tum usum cutis imitemur, hinc accipiendum. eiusq; rei methodũ
iam tradamus. Quoniam tegere carnem naturali aliquo tegumento propositum est (quippe id est du-
cere ad cicatricem ulcus) aut cutis nobis generanda est, aut summa caro cuti similis efficienda. Verũ,
ut cutis regeneretur, fieri omnino nequit. quod superest igitur, efficere est tentandum. At quæ igitur A. l. 1. f. 4. c. 28
huius efficiendi est ratio? Nempe alteratio. Quippe, ut carnis pars quæpiam non amplius caro perma- p. 155. A
neat, sed ueluti cutis euadat, postulamus. Quo pacto igitur (inquies) alterabitur? Profecto alicuius al-
Dterantium qualitatum ope. Incidit enim rursus hoc loco, uel nolentibus nobis, de elementis sermo: si-
ne quo nec, quod cicatricem inducat, inuenire medicamentum licet, nedum quod carnis producendæ,
aut agglutinandi facultatem habeat. Ergo, quoniam cutis carne ipsa tum siccior est, tum etiam denſior,
si carnem siccabimus & adstringemus, cuti etiam persimilem reddemus. Habes medicamenti, quod
cicatricem inducit, summam. Verum ea non satisfacit: nam & glutinatoria tum siccabant, tum etiam
adstringebant. Ergo, quo hæc ab illis distent, id, si ipsam rerum substantiam inspicias, inuenies. Nam,
quoniam in glutinatione ulcerum siccandum, quod affluit, est, quo uidelicet affecta pars superuacuis
uacet, in cicatrice ducenda non modo, quod affluit, uerumetiam humor, qui in ipsa carne continetur,
est consumendus, multo profecto siccius, quod cicatricem inducat, quàm quod agglutinet, esse conue-
niet. quando glutinaturo unũ id propositum est, ut eius, quod secundum naturam est, redundantiã cõ-
sumat. qui cicatricem inducet, non hoc modo, † [uerumetiã ut ei, quod secundũ naturam se habet, ali-
quid deradat.] Galla igitur immatura hoc loco, & mali corium, † & Aegyptiæ spinæ fructus modice sic-
cantia pharmaca sunt: Chalcitis, & æs ustum, & æris squama, & misy, & fissum alumen multo his sunt
ualentiora, Misy quidem & chalcitis præcipue, mitior autem æris squama, atque etiam hoc mitius æs
ustum. Quod etiam si lauabis, utiq; † minus mordens medicamentum habebis. Porrò hoc quoque ad
speculationem de componendis medicamentis pertinet, quæ sane medendi methodum ordine sequit.

A. ibidem.
† In antiquis clarior lectio. ἀλλὰ καὶ ἀν-τοῦ τοῦ κατὰ φύσιν ὑγροῦ ἕξεως. uerumetiam ut eam, quæ secundum naturam se habet, humiditatem aggrediatur. †Antiquus addit, & balaustia.

Nam medicamentorum facultates noſſe, id quidem medendi methodum præcedit, tractatumq; de his E alibi eſt: Compoſitio uero medicamentorum, medendi methodum ſequitur. Quippe, ubi hæc uniuerſale præcepit, dico autem ſiccandum, aut humectandum, aut calfaciendum, aut refrigerandum eſſe, tum uel modice id faciendum eſſe, uel ualenter, uel leuiter, intelleximusq; cuiuſq; ſimplicium medicamentorum facultatem, hancq; per ſe & ſeorſum perpenſam, tum profecto, quo pacto quis ea commode ad uſum miſcuerit, conſiderare conueniet. Exiſtit igitur eo pacto duplex de medicamentis peritia, altera de eorum uiribus: altera de compoſitione ac præparatione. Verum ad id, quod ſupereſt methodi de ulceribus, redeundum eſt.

De methodo ulcerum curandorum, quibus caro ſupercreſcit. *Cap.* 6.

SVpereſt autem (ut arbitror) de ſupercreſcente carne dicere, quam hyperſarcoſin Græce uocat pleraque medicorum pars. Eſt porrò is quoq; morbus ex eo genere, quod in quantitate magnitudine ve partium ſpectatur. licet enim, pro arbitrio uoces. Ex eodem genere & cauitas erat, de qua iam egimus. Ergo, ueluti, quod ulcus cauum uocant, non unum eſt uitium, ſed pariter & cauitas, & ulcus, ita ulcus, quod ſupercreſcentem carnem habet, non unus eſt morbus, ſed ſimul caro ſupercreſcens, & ulcus. Indicat autem magnitudo, quæ præter naturam eſt, primam indicationem, (quam etiam ueluti metam inueniendorum remediorum diximus.) ipſius ſcilicet exuperantis ablationem. At hæc ſola me F dicamentorum ope perficitur, non opera naturæ: uidelicet contra, quàm in carne reſtituenda aut glutinatione ſe habuit. Hæc enim naturæ ipſius ſunt opera pharmacis tantum, quæ actioni eius obſtant, ſubmouentibus. At ſupercreſcentis carnis detractio, nullum quidem naturæ opus eſt, ſed medicamentis perficitur, quæ uehementer ſiccent. Porrò proxima ſunt eiuſmodi medicamenta tum ijs, quæ ualenter detergent, tum ijs, quæ cicatricem inducunt, ſic, ut non pauci interim per errorem medicamentum, quod carnem minuit, uel pro eo, quod ſordem deterget, uel pro eo, quod cicatricem inducit, accipiant: ut (ne ab exemplo noſtro recedamus,) miſy & chalcitim, ſi humidæ naturæ applicabis, potius carnem demere, quàm cicatricem inducere deprehendes. Vnde, ſi quando ijs uti ad cicatricem inducendam in aliorum penuria cogimur, parciſſime ipſis utemur, ſummum tantum ſpecillum in ea ad exactiſſimum leuorem tunſa demittentes, ac poſt uelut tenuiſſimum quendam pollinem partibus, quæ cicatrice induci poſtulant, imponentes. Quòd ſi minuere, quæ ſupercreuere, ſtudemus, liberalius imponemus. Sane ærugo magis etiam, quàm hæc, minuere carnem poteſt, ita, ut genus eorum, quæ cicatricem inducant, omnino ſit egreſſa. At, ſiſilla etiam aduras, ut minus acria, ſic ad cicatricem inducendam reddes magis apta: Si uero etiam laues, adhuc fient mitiora. Meminiſti uero, arbitror, & tu eius, qui cerebri illo uiridi medicamẽto ſordidum ulcus citra rationẽ curabat, mel quidem ei admiſcens, multis autẽ G deinceps diebus æque ſordidum reperiens: deinde inops conſilij, nec habens, quo ſe uerteret,) Accidebat enim, ut non modo non purgaretur ſordes, ſed etiam ut de ſubiecta quoque carne non nihil unà detraheretur & colliquaretur propterea, quòd medicamentum ualentius, quàm pro laborantis natura, erat.) plus deinde (ut erat egregius medicus) mellis aſſidue medicamento adijciebat, quo uidelicet adhuc ualentius purgaret, ceu non ſatis id medicamentum prius adhibitum feciſſet. Eueniebat autem plane contra: quippe, quantum ille intendebat medicamenti acrimoniam, tantum caro ſubiecta colliquabatur. Quod uero in ulcere ex liquata carne ſordis apparuit, id medico, ceu medicamentum nihil efficeret, impoſuit. Atq; huius quidem ignorantia etiam in diſcernendi peritia erat, non ſolum in medendi methodo. Etenim, ſi quàm maxime ſimiliter ſordidum [& humidum] ex utroq; medicamento ulcus deprehenditur, at certe cauitas maior ex ualenti, &, quod colliquat, medicamento efficitur: quinetiam labijs præaltis, rubrumque, & phlegmone quodam modo affectum ulcus cernitur. Aliquãdo uero mordicationem quoq; manifeſtam ex huiuſmodi medicamento æger ſentit. Quod uero minus quàm par eſt, ſiccat, nec mordet, nec quicquam efficit eorum, quæ retuli. Patere autem & in his arbitror Empiricum, etiamſi experientia quàm maxime diſtincta diſcretaq; utatur, tranſire tamen, ubi quid non ceſſit, ad id, quod expedit, artificioſe non poſſe, immo uni illi id licere, qui uera methodo (quam ipſe H nunc inſtituo) medetur.

Quid differat ratione recta curare a curatione Methodicorum, ac Empiricorum. *Cap.* 7.

QVippe, quam Theſſalij iſti amethodi methodum profitentur, nomen duntaxat eſſe nudum intelligis, omnis effectus uacuum. Qui, cum tanta, tamq; multiplex ſaltem methodus ſit in ulcere ſanando, neq; Empiricorum diſcrimine ad inuenienda remedia ſunt uſi, neque, ſicut Dogmatici, ab ipſa rerum natura indicationem agendorum ſumpſerunt: ſed ſolum id, quod nec uulgares lateat, proponentes, nempe cauum ulcus carne impleri poſtulare, plenum cicatrice induci, quod carne ſupercreſcente luxuriat, minui, ſordidum expurgari, † [mundum uel cicatrice induci, uel agglutinari,] ulcerum curationis methodum quandam explicaſſe ſe putant: tantum ſcilicet abſunt, ut intelligant humidioribus naturis minus ſiccantes medicinas conducere, ſiccioribus, quæ magis ſiccẽt. Ergo, quod in tota diſpuratione noſtra manifeſte apparuit, id denuo reſumendum eſt, ut & nos illi quàm maxime ſimus attenti, & reliqui omnes, qui ueterem methodum corrumpunt, quantum aberrent, clarius intelligant. Incipiam uero ab eo ulcere, quod carne impleri poſtulat, unum id pro exemplo proponens, quando etiam proxime de eo ſermonem feci. Ab hoc, de omni ſimul in uniuerſum curatione loquar. Ergo illud non ratione modo, uerumetiam experientia conſiderantibus apparuit, non omnem naturam

† Codices græci leguot mundum cicatrice induci, recens aggiu[illegible]

A naturam eadem medicamẽta requirere, ſed infirmiores mollioresq; mitiora, ualidiores ſiccioresq; ualentiora. Ita uero tum in ijs, quibus cicatrix inducebatur, ſe habebat: tum etiã, quæ glutinatione egebant. Omnino enim nullum uehementium pharmacorum ferunt molles naturæ. In eiuſmodi uero ſermonis noſtri decurſu perſpicuum plane fit, tum ægri naturam eſſe conſiderandam, tum cuiuſq; hominis propriam eſſe curationem, tum ſupra hæc illud tertium, nempe, quoniam cuiuſq; naturæ proprietas ineffabilis eſt, nec exactiſſima ſcientia comprehenſibilis, hunc eſſe optimum cuiuſq; particularis ægritudinis medicum, qui iam methodum quandam comparauit, ex qua & dignoſcere naturas poſſit, & coniectura conſequi, quæ ſint cuiuſque propria remedia. Porrò exiſtimare communem quandam eſſe omnium hominum curationem, ſicuti ſtupidiſſimi methodici putant, extremæ eſt dementiæ. Atqui illi ob id ſtata eſſe putant omnia medicinæ artis theoremata, hoc eſt eiuſmodi eſſe, quæ ſcientes homines faciant, firmamq; ſui notitiam præſtent, † [ipſorumq; artem, notitiam quandam eſſe] communitatum, non proprietatum, tanquam communem & generalem hominem, non particulares curarent. Ergo, ſicuti in alijs omnibus ſtatim inter initia ſunt lapſi, ſic in hoc quoque. Siquidem curatur non homo communis & generalis, ſed noſtrum quiſque, alius uidelicet aliud temperamentum naturamq; obtinens. Hi uero unam eſſe omnium hominum curationem exiſtimant. Ego contra, ſi cuiuſq; B priuatim naturam explorare ad unguem ſcirem, utique, qualem fuiſſe Aeſculapium mente concipio, talem me eſſe putarem. Sed, quoniam id fieri non poteſt, certe ut, quoad homini licet, quàm proxime accedam, tum ipſe me exercere decreui, tum alios, ut idem faciant, adhortor. Ac conantur quidem, quantum poſſunt & Empirici, ut a communibus ſecedere, ita propius ad ea, quæ propria ſunt accedere. Verum, quantum hi quoque ab eius rei perfectione abſint, ſupra eſt dictum. Non enim hæc in pueris, uel mulieribus, uel ſenibus, uel mollem carnem albamq; habentibus, aliaq; id genus, pro certis diſcretionibus (ſicuti illis placet) ſunt ponenda, immo, quemadmodum in humore & ſiccitate corpus ſe habeat. Ac Empiricos quidem medicos, tum ob alia multa, tum ob id probare maxime conuenit, quòd accedere, quantum licet, ad ægri proprietatem conantur. Poſt enim reliquas diſcretiones omnes, quas adhibent, etiam, quæ a conſuetudine ſumitur, adijciunt, tanquam hinc remediorum, quæ ægro magis ſint propria, compotes futuri. Dicetur autem a nobis in ſequentibus de conſuetudine fuſius, ubi pro cognoſcenda proprietate laborantis naturæ, etiam diſcrimen a conſuetudine priſcis inuentum eſſe probabimus. Hanc itaq; cum reliquis Empirici recipiunt, & præter hanc, ipſum etiam medicum, qui ſæpe ægrum inuiſit, quàm eum, qui non uiderit, commodius curaturum aiunt. Poſtea tamen, cum hæc omnia adiecerint, ſtabilem ſe atque ſcientificam habere notitiã C propriæ curationis ægri adhuc non dicunt. At uero impudentiſſimus Theſſalus illud modo unum intelligens, quòd cauum ulcus ſit implendum, conſtantia tamen & firma dicit eſſe medicinæ theoremata. quanquam hoc ſaltem omnes (ut ante iam dictum eſt) homines ſciunt, non ij modo, qui nunc ſunt, poſtquam Theſſalus iſte, alter uidelicet Aeſculapius, in lucem hominum uenit, ſed etiam, arbitror, qui aute Deucalionem, & Phoroneum fuerunt, ſi modo hi rationales erant. Immo uero præter hoc, quòd carne eſſe implendum cauum ulcus nouerunt, etiam illud non ignorarunt, qui medicamenta noſſet, quæ tale ulcus carne implerent, hunc medicum eſſe. Atque hæc ſi per experientiã ſunt inuenta, conſtat empirice nobis eſſe curandum: ſin ratione inuenta ſunt, logice. Non enim profecto aliud inuenit, alio autem nunc commode utetur. Verum de eo nobis cum Empiricis lis eſt. Quod autem dicere cœperam, uera ipſa medicina de laborantis natura coniecturam fecit. Nominat, arbitror, id uulgus medicorum græce Idioſyncraſian: omnesq; id incomprehenſibile fatentur, ideoq; ipſam ueram medicinæ artem Aeſculapio, Apolliniq; concedunt. Pendet porrò omnis hæc ratio ex duplici principio, Empiricis obſeruatoribusq; ab ijs, quæ manifeſte apparent: Logicis autem, ab ipſis elemẽtis. Nam, quòd alij aliud medicamentum profit, etiam pueri iam ferme ſciunt, & ratio pariter, quæ ab elementis ducitur, id confirmat. Si nanq; quindecim differentias in hominum temperamentis ex mi- D noris in ijs maiorisq; ratione, idq; in humida tantum natura ſtatuas, neceſſe profecto eſt, medicamentorum etiam, quibus ſis uſurus, quindecim differentias noueris: quarum aliæ magis, aliæ minus ſiccẽt, quo nimirum, quod cuiq; naturæ congruat, inuenias. Quòd ſi etiam in ſicciore natura alijs quindecim poſitis, ad has quoq; pari modo alia quindecim medicamenta requiras, habebis in totum triginta medicamenta, quæ triginta naturis conuenient. quibus uti is demum ſolus commode poterit, qui in corporum temperamentis diligenter ſe exercuerit. Nunquid igitur, ſi totum corpus temperamento ſit ſicciore, ab ijs, quæ magis ſiccent, medicinis iuuabitur: ſi uero pars quæpiam eius, ceteris partibus natura ſit ſiccior, quæ minus ſiccent, requiret? An liquido patet hic quoq;, quæ pars ſiccius temperamentum obtinuit, hanc etiam, quæ magis ſiccent, poſtulare: quæ humidius ſit ſortita, minus ſiccantia? Atq; hoc totum prætermittunt amethodi iſti Theſſalij, qui unam omni particulæ congruere medicinam putant. Empirici autem, quantum in hoc Theſſalios iſtos Methodicos ſuperant, tantum a ueris Methodicis Logicisq; ſuperantur. Habent. n. profecto illi quoq;, ab ipſo ſcilicet uſu edocti, aliud medicamentum ad ea ulcera, quæ in oculis accidunt: aliud ad ea, quæ in auribus, aut articulis, aut carnibus, aut ſola cute. Ceterum, quòd nec in ijs ſe transferre ad aliud poſſint, ex ijs, quæ ſupra diximus, facile patet.

† Ita legunt antiqui codi. ut Linacer. ſ. εἶναι τὴν τέχνην αὐτῶν ὑπόστιν᾽ &c. impreſſi autẽ uice uerſa. εἶναι τὴν ὑπόστιν τέχνην αὐτῶν. i. ipſorumque notitiam, artem quãdam eſſe.

Quo pacto in curandis ulceribus corporum temperiei aerisque, ac partium naturæ ratio sit habenda. Cap. 8. E

QVoniam autem & de his satis iam dictum est, rursus ad disputationis initium reuertamur, misceamusq; ulceri omnes, qui simul cum ipso incidunt, affectus, ab intemperie primum orsi. Si enim exulcerata caro, uel prius etiam ex quauis occasione, uel ipso ulcerationis tempore, iusto calidior frigidiorve est effecta, utique medelam exigit, quæ non modo moderate siccet, sed etiam intantum calfaciat, refrigeretve, inquantum subiecta caro a naturali suo habitu recessit: cum fieri non possit, ut in ulcere, uel carnis productio, vel sinus impletio, uel agglutinatio, uel cicatricis inductio recte unquam cedat, nisi subiecta caro pro naturali modo se habeat. nec frustra dictum supra est hæc omnia naturæ esse opera. purgari tamen sordida, minuiq; supercrescentia etiam carne naturalem statum non seruante possunt propterea, quòd tantum hæc medicamentorum sunt opera. Quocirca legitimi ulceratarum partium temperamenti, quoties eas uel carne implere, uel glutinare, uel cicatrice inducere studes, maior tibi solicitudo erit. Seruari nanq; debebunt naturæ motus, quos comprehensorum singula comitantur. At alias non seruabuntur, nisi prorsus se pro naturæ suæ ratione pars habeat. Veluti igitur, si phlegmone cum ulcere una esset, prius, quàm hæc discussa sit, nemo id uel carne implere, uel glutinare, uel cicatrice inducere tentarit, ad eundem, arbitror, modum etiam, si sine phlegmone sola subsit intemperies, nullum horum fore prius sperabimus, quàm illa sit sanata. Rursus igitur hinc indicatio quædam ad medicamentorum, quæ superius comprehensa sunt, inuentionē oritur. quippe omnia ea siccantia erant, sed dissidebant inter se pro intensionis remissionisq; modo. Ceterum definitum antea non est, quatenus in calefaciendo frigefaciendoq; se haberent: sed methodus hoc quoque inuestigare quodammodo cogit. Non enim tantum, an siccet, sed an etiam non ualde calefaciat, aut refrigeret, expendi oportet. Ergo altercum, & mandragoram, & *meconium, ceu supra modum refrigerantia, fugies, tametsi siccant ea quoq;, quantum sit ulceri ex usu. Resina uero, & pix, & asphaltus, quanquam modice siccant, tamen immodice sunt calida. Ideoq; eis nemo utetur solis, nec aliter, nisi cum leuiter refrigerantibus admistis unum ex omnibus medicamentum fecerit, quod sit temperatum. Si igitur hæc ita se habent, sicuti profecto habent, inspici etiam conueniet & circundantis nos aeris temperiem. Siquidem, ueluti medicamentum quoddam, is quoque corporibus nostris forinsecus incidens, ubi immodicus calore, uel frigore est, sanationem moratur. Danda igitur opera est, ut medicamenta eius excessui occurrant. Ideoq; Hippocrates in calidioribus anni temporibus, ijs, quibus frigidior facultas sit, medicamentis utitur, calidioribus autem per frigidiora. Non ignoras profecto hic quoq; ex stupidis Methodicis quendam fateri, quo pacto in calore, & frigore se habeat, qui æ- G grum continet, aerem se inspicere, non tamen anni tempora inspici permittere: quasi nomina ipsa tēporum anni prosint obsintve, non eorum temperamenti ratio: aut non huius causa ueteres medici ad ea respexerint. Verum, quòd, qui certa methodo curare ulcus debet, huic necesse sit, tum ad prima elementa uel maxime uenire, tum anni tempora, & corporum temperamenta non in toto modo, uerum etiam in singulis partibus considerare, abunde monstratum reor. Rursus uero repetendum hoc etiam loco est, quod prius diximus in indicatione, quæ a sicco humidoque sumitur. Nam, sicuti in illis humidior natura humidiora, siccior sicciora medicamenta exigebat, ita nunc calidior calidiora, frigidior frigidiora requiret, contrariam scilicet semper ijs, quæ præter naturam, & ijs, quæ secundum naturam sunt, indicationem præstantibus. quippe, quæ secūdum naturam sunt, similium sibi indicatiua sunt: quæ præter naturam, contrariorum, si modo illa seruari, hæc submoueri necesse est.

* Antiqui co. legunt μηκώ- νειον. impressi κώνειον. i. cicutam.

De curando ulcere cum indicationes contrariæ inuicem extiterint, ac de triplici fonte indicationum curatiuarum. Cap. 9.

AC, quòd tum corporum temperies, tum anni tempora, tum partiū naturæ, consideranda illi sint, qui probe ulcus sit sanaturus, clare me docuisse existimo: ad hæc, quòd prima quidem medicationis* indicatio a solo sumatur affectu, remedia tamen inde inueniri non posse, nisi prius ad corporum H elementa sit ascensum, & ægri temperamentum perpensum, nō corporis modo uniuersi, sed etiam afflictæ particulæ, cum hoc quoq; ambientis temperie æstimata: quæ utiq; cum ad præsentes status, tum uero regiones extenditur. Quòd autem contrariæ subinde in una curatione indicationes sint, atque has quemadmodum tractare conueniat, latius quidem dicetur in sequentibus: non tamen alienum sit nūc quoq; paucis de ipsis egisse. Etenim, quòd ægri temperamentum sit humidius, particula ipsa, quæ laborat, siccior: aut contra, quòd hæc sit humidior, totius temperamentū siccius, mirandum non arbitror. pari modo in calore, & frigore, quòd contrario temperamento sit pars cum toto. Veluti igitur, si totum corpus medio temperamento esset, (quod esse optimum docuimus) nihil plane, quantum ad laborantis naturam attineret, in medicamentis nouaremus, ita, vbi uel siccius, uel humidius, uel calidius, uel frigidius iusto cernitur, eatenus intendere uires medicamentorū oportet, quatenus corpus ad naturalem intemperiem est uersum. Non enim, arbitror, excidit nobis, quæ naturalis intemperies sit, & quę præter naturam. dictum enim de ipsis est in alijs, ac præcipue in libro, qui de inæquali intemperamento est inscriptus. Pone igitur totum laborantis corporis temperamentum humidius esse, eoque medicamenta desiderare, quæ minus siccent: ipsam uero ægram particulam ex earum numero esse, quæ ficciores sint, (qualia esse diximus, quæ minus sunt carnosa, cuius generis sunt, quæ circa digitos, & articulos

Aticulos habentur: præterea quæ circa aures, & nasum, & oculos, & dentes, sunt, ac, vt semel dicam, vbi crebræ chartilagines, & membranulæ, & ligamenta, & ossa, & nerui sunt: adeps vero, & caro, vel omnino nulla est, vel perquam exigua,) diuersa in his est ea, quæ a patiente particula accipitur indicatio, ab ea, quæ ex ægri sumitur natura. Quare, si, quanto ægri temperamentum iusto est humidius, tanto particula iusto sit siccior, nec adijciendum, nec detrahendum pharmaco quicquam est, sed tale adhibendū, quale, si vlcus in medij temperamenti particula corporis mediocriter temperati consisteret, adhiberemus. Sin siccior debito particula magis fuerit, quàm corporis temperamentum iusto est humidius, vtique in tantum intendi siccitatem medicamenti conueniet, quantum particulæ temperamentum totius temperamentum excedit: veluti, si quatuor numeris sit exulcerata pars medio temperamento siccior, ægri natura gradibus tribus humidior, manifestum est particulam, quæ nunc exulcerata est, siccius vno gradu desideraturam medicamentum, quàm quæ pars sit temperata. Quod autē hæc omnia coniectura sint accipienda, tum quòd optime conijcere poterit, qui in ratiocinando de his sit exercitatus, liquido patet. Ac in talibus quidem omnibus contrariæ subinde indicationes vno tempore fiunt. Neque enim est, quod de indicationibus, quæ a calido & frigido sumuntur, etiamnum dicam, vtpote, quæ ad portionem dictorum intelligi possunt: In alijs vero, etiam temporibus†[quibus perficiendæ sunt,] indi- B cationes seiungantur. oportetque in principio præsertim curationis alteram cessare, alteram officio fungi: Sicut, exempli causa, cum ulcus cauum simul sit, & admodum sordidum: quippe affectus præter naturam in hoc triplex est, vlcus, cauitas, & sordes. Ordo vero sanationis a sorde expurganda ordietur, q videlicet nec glutinari quicquam, nec carne impleri potest prius, quàm purum fuerit. Secundum locū exiget cauitatis sanatio. Si nanque vel glutinabimus, uel cicatricem inducemus, uel (ut summatim dicam) curabimus ulcus, cauitatem implere non poterimus. Pone ergo non solum tria hæc particulā obsidere, sed etiam phlegmonen, uel erysipelas, uel gangrænam, uel intemperiem aliquam simplicem cōm positamve: num nam hic manifestum est, quòd nisi quis illam prius sanauerit, implere carne cauum ulcus nō poterit? Quippe dictum supra est carnis generationem ex sana, quæ subiecta sit, ortum habere. Ex ea uero, quam phlegmone premit, & intemperata, & uno uerbo ægrota, caro gigni noua non potest. Ergo in omnibus eiusmodi complexionibus triplex tibi propositus finis erit, unus ueluti a causis sumptus eius, quod post futurum est: alter vt quod rationem obtinet eius, sine quo non: tertius eius, quod ueluti accelerantium, & urgentium nominatur. Siquidem iusta subiectæ carnis temperies, causæ rationem habet, ut quæ concrescere secum, quod ulceratum est faciat, & cauitatem impleat. Puritas ulceris rationem eius, sine quo non, atque hanc sordes interpellans, curationem moratur.†[Habet uero & ip- C sa cauitas ad vlcus rationem eius, sine quo non: quando, nisi cauitas prius impleta sit, induci cicatrice vlcus non possit.] Ergo, si ad hæc respexeris, ordinem sanationis inuenies, veluti, si phlegmone, & cauitas, & vlcus, & sordes simul in eadem particula cōstiterint, primum phlegmonen, secundo loco sordem tertiò cauitatem esse sanandam, & quarto ulcus. Ac in iam dictis quidem, tum ordo, tum agendorum in uentio ex his sumitur. Vrgentis uero* indicatio inter ista non habetur: in alijs autem habetur. Nam affectus, unde primum maximeque imminet homini periculum, hic primus curari debebit: interim vero non primus modo, uerumetiam solus, ueluti si puncto musculi capite conuulsio, quæ nulla conuenientium medicamentorum ui remittatur, superueniat: quippe præciso per transuersum toto musculo conuulsionem quidem sanaueris, aliquem tamen ex particulæ motibus uitiaueris. Ad eundem modum, cū e uena, uel arteria sanguis immodice profluit, si totum uas per transuersum præcideris, ulcus quidē eius sanare postea non poteris, periculum tamen, quod ex profluuio sanguinis impendebat, sustuleris. Iam neruum punctum sæpe cogimur trāsuersum præcidere, quoties uel conuulsiones, uel deliria, uel ambo, magna ægreque sanabilia superuenire uulnerationi cernimus. Pari modo, ubi luxatio cum ulcere in ali quo maiorum articulorum incidit, ulcus sanamus, luxationem autem insanatam relinquimus: quando si hanc quoque sanare conemur, conuulsiones omnino sequentur. Tertius itaque propositus meden- D di finis is est, qui ad id, quod urget, dirigitur, diuersus nimirum a duobus illis modo dictis. Neque enim idem est, aliquid uel ut causam considerare, uel ut id, quod rationem obtinet, eius sine quo non uel ut id, quod urget. Sed & quod urget, tum eiusmodi interdum esse, ut alium insanabilem affectum relinquat, dictum iam est: tum uero affectum ipsum nō nunquam a nobis ipsis induci partim in neruo pūcto, uel tendone, uel uasorum cuiusquam sanguinis profusione, partim in musculo, cuius caput est uulneratum. Nam ubi luxatio cum ulcere unà consistit, non ipsi affectum facimus, sed tantum eum, qui factus est, non sanamus. Dicetur uero de ijs accuratius in sequentibus.

†Alias εὐθύς. id est statim.

A.l.1.f.q.c.31 p.157.C.

†Af. ex codi. impressis græcis uerti pōt: Habet autem & ulcus ad cauitatem rationem eius, sine quo non, quādo, si ulcus inductum cicatrice fuerit, non amplius cauitas implenda carne potest.

De proprijs ulcerum differentijs, ac quæ ex ipsis indicationes præbeant. Cap. 10.

IN præsentia nanque redire ad proprias ulcerum differentias placet, ac propositum sermonem breuiter complecti, quo siqua ex his etiam indicatio remediorum sit reliqua, eam non prætermittamus. Ergo phlegmone laborans, & putrescens ulcus, & quod exeditur, & quod gangræna, & quod erysipelate affligitur, & cancerosum, & dolens, & indolens, quæque alia id genus ueluti ulcerum differentias loquuntur, siquis Empiricam curationem prodens, nec aliud cogitans pertractet, non est cum eo contendendum, si ulcerum ea differentias nominat: millies enim dictum est non oportere de nominibus contendere: Sin tanquam artificiosum aliquid de indicationibus dicturus, docendus est omnes iam dictos affectus compositos esse: alias uero esse differentias simplicis soliusque ulceris, & cui nullus alius

adiunctus sit affectus.Nam si ab acuto aliquo facta tantum diuisione,forma eius,quod uulnerauit,par- E
ti diuisæ impressa est,existent profecto sic multæ ulcerum differentiæ,obliquorum, rectorum, pampini
modo retortorum, hami ritu vncorum,aliter quocunque modo se habentium. Atq; hæ quidem diffe-
rentiæ omnes a figura sunt.A magnitudine rursus pro maioris minorisq; ratione mille aliæ.Nam & ma
gnum & paruum,& maius & minus ulcus ulcere tum dicitur,tum uero est. Quinetiam breue & longũ,
in summo residens,& in profundum penetrans.Atque in singulis horum,tum quod magis tale,minus-
que est,siue in spatij,siue magnitudinis,siue quantitatis,siue,quocunque modo appellasse libet,differẽ-
tia.Quod si hæc ita se habent,omnino profecto & æquale ulcus, & inæquale, penes diuisionis profun-
ditatem,erit.Quippe diffisso,si ita sors tulit,per longitudinem femore,potest superior diuisionis pars al
te descẽdere,inferior in summo corpore hærere:aut cõtra,in sũmo esse,quæ superior est,profunda,quę
inferior.Iã illa quoq;,nẽpe*diruptũ aliqua ex parte aut ex toto fuisse,& incisũ fuisse,& ubi,ꝙ uulnera-
uit,obliq; sub cutẽ se dedit, alterã ulceris partẽ in cõspectu esse,alterã sub cute latere,idq; uel ex super
nis partibus eẽ,uel ĩfernis,uel lateralibus,omnia hæc ulceris differẽtiæ sunt. Ab ipso tẽpore rursus aliæ
ulcerum differentiæ sumuntur, * cruentum, recens: exigui temporis, & diuturnum. Atque in omni-
bus his ipsa maioris,minorisque ratio numerosa est.Atque ab ipsa ulceris natura hæ differentiæ sumũ-
tur, maxime quidem propriæ,quæ a substantia rei capiuntur.Nempe,quæ a figura ducuntur,& a diuisio F
nis magnitudine,idque uel in longitudine, uel in altitudine, uel in ambabus dimensionibus: præterea
æqualitate in his,& inæqualitate:extrinsecus uero accedentes, & quæ scilicet rationem obtinent eius,
sine quo non,tum a tempore,in quo factum ulcus est,(ita enim aliud recens,aliud uetus uocatur) tum
ex eo,quòd totum pars ue conspectum fugit,uel conspicien dum se præbet.Iam uero & a generationis
ratione,eo,quod totum sit incisum,uel totum* diruptum: uel pars incisa,pars* dirupta. Quòd si,quæ a
loco quoq;, in quo est ulcus,differentias censeas,ueluti si finis musculi, uel principium musculi,uel me
dium,musculi,uel cutis,sit quod ulceratum est,uel iecur, uẽterve sit, in quo ulcus consistit, fuerint pro-
fecto & ipsæ ulcerum differentiæ,nòn utique a propria ipsorum natura,sed a locis, in quibus consistunt
desumptæ.At,cum phlegmone quis obsessum ulcus dicit,aut supercrescente carne pressum,aut cauum
deinde similes ulceris differentias dixisse se ijs,quas modo retuli, putat,hunc necesse est in medẽdi me
thodo falli. Quippe græce φλεγμαῖνον ἕλκος ex formula dictionis similem habet interpretationis figuram
cum paruo ulcere:ceterum, quod significatur,simile non est. Siquidem profundum, aut summotenus
factum,cum de ulcere dicimus,propriam eius differentiam ostendimus. φλεγμαῖνον uero omnino ulceris
differentia non est:cum possit phlegmone pars affici, etiam ubi ulcus non sit. Quo fieri arbitror,ut hic
immutare dictionem liceat.Si enim accidisse alicui ulcus cum phlegmone dixeris,propius ad rei natu- G
ram, & clarius interpretatus sis: non autem si alij cum magnitudine, alij cum paruitate factum dicas.
quippe cum & magis ex natura rei & clarius loquare,si huic magnum accidisse ulcus,illi paruum dixe-
ris. Adeo, si fieri possit, ut mutata dictio & rei naturæ conuenientior,& audituris clarior sit, commit-
tendum non est, quo minus id fiat. Quippe caput ad effugiendam in rebus deceptionem est, ut defi-
nita locutione utare. Quam nam igitur in talibus methodum statuamus? Etenim tradenda quæpiam
præceptio est,ac ueluti scopus,quo semper intentis discernere statim liceat,differentiam ne alicuius af
fectus dixerit quis, an alterius affectus complexum. Esto igitur tibi discrimen hoc: Quod consistere
seorsum,& per se potest, id nullius unquam alterius fuerit differentia.Ergo magnitudo,paruitas,ęqua
bilitas,inæquabilitas,tempus,& figura,ex eorum numero sunt,quæ alijs accidunt.Vlcus uero,& phleg
mone,gangræna,& putredo, singula seorsum, & per se consistere possunt. Sunt nanque corporis no-
stri affectus quidam præter naturam,minime ea,quæ affectibus necessario accidunt. Quippe omnibus
his necessario accidit,ut uel parua sint,uel magna,uel æquabilia,uel inæquabilia,uel recentia, uel inue-
terata,uel euidenter appareant,uel cõdantur, nec uideantur. Phlegmone uero affici, ex ijs, quæ ulceri
accidunt,non est,ueluti nec putrescere,nec gangræna tentari.Sunt enim hæc omnia ex morborum ge-
nere:siquidem affectus præter naturam sunt,& actionem uitiant. Alio rursus modo ulcus crucians, & H
ulcus sordidum,ceu quædam ulceris differentiæ,dicuntur. Ceterum compositum quippiam hic quo-
que indicatur,sed diuersa ratione,quàm ut phlegmone tentatum,aut putrescens ulcus dicebatur.Quip
pe hic affectus sunt phlegmone,& putredo:illic dolor,& sordes ex symptomatum sunt genere.Pari mo
do,& cum dicitur cacochymon ulcus,id est uitioso succo obsessum,aut fluxione uexatum,aut arrosum
causa cum affectu copulatur.Manifestumque ex talibus est methodi eius, quæ de medendo instituitur,
primos ac simplices,sineque ulla compositione morbos, ueluti elementa quædam esse. Quo magis in
commentarijs, qui de morborum differentijs sunt scripti, omnes eos enumerauimus. Sane nihil refe-
rat, primos, an simplices dixeris. quando quod primum est, simplex est: & quod simplex, primum,
† [ideoque etiam elementare. Indicatio uero curationis] ex differentijs fit,sed non omnibus.Nam re
cens uetusve ulcus nihil indicat: quanquam indicare uidetur non nullis. sed hi seipsos fallunt non ali-
ter,quàm in ijs,quæ ad uictus rationem spectant,cum aliam initij, aliam incrementi, aliam summi ui-
goris,aliã remissionis indicationẽ esse dicũt. De quibus latius in sequẽtibus dicturus,nõ est,quod nũc
sim uerbosior. Verum,quod tantum ad rem præsentem sit satis,id adijciam.Recẽs ulcus,cũ omnino ab
altero quolibet affectu est liberũ,nec symptoma ullum habet adiũctum, aliã putãt indicare curationẽ,
quàm uetus. Id uero non ita se habet. Siquidem,quod ulcus tantũ est, [nec quicquam aliud,] (est por
rò

† διεσπάσθαι .i.diuulsum.

*Pro ἔναιμον, legẽdum, παλαιὸν. i.uetustum, ut paucis post lineis indicatur.

A.l.1.f.4.c. 18.p.155. B.

† Multi codi. græci legunt, ut Linacer uertit. nõnulli tamen sunt, qui habent ὥστε καὶ στοιχειώδης ἔνδειξις ἰάσεως. i. Quare

Melior tamẽ uidetur Linacri lectio. & elementaris indicatio curationis.

A.l.4.f.4.t.1. c.3.p.861.c

A rò eiusmodi, cui nec cauitas adest,nec dolor,nec sordes,quodq; & omni alio affectu est liberum)ipsam
tantum ulceris sanationem desiderat:cuius utiq; propositus finis, uel unitio, uel agglutinatio, uel coi-
tio, uel continuatio est. Quippe millies diximus licere, appelles,ut lubet,modo rei nihil mutes. Eius-
modi igitur ulcus, siue recens, siue antiquum sit,eandem semper curationem requirit, nihil plane pro-
prium indicante discrimine eo,quod a tempore sumitur. At, si cauitatem alte reconditam sub cute ha-
bet, considerare oportet, utrum ea in superiore parte sit ita,ut sanies ex ea prona effluat:an in inferiore
sic, ut illic sistatur. Eius igitur, cui effluxus patet,eadem, quæ aliorum, curatio est. Cui non est, huic ip
si moliamur effluxum quendam, oportet. Eius duplex ratio est, alias tota cauitate desecta, alias in fun
do tantum aperta. Quando uero harum alterutra sit ineunda, docebit tum locorum ipsa natura, tum
uero ulceris magnitudo. Si nanq; & loca ipsa periculosam sectionem faciant,& ulcus magnum fuerit,
in fundo aperire magis expedit: Sin contra se habeant,perscindere præstat. Deligatio uero eius inci-
piat quidem superne, sed finiatur infra, vbi scilicet patet effluxus. Quòd autem differentia ea ulcerũ,
quæ a vulneratis omnibus particulis sumitur, ad indicandam curationem sit maxime opportuna, id in
superioribus est dictum. Verum ea quidem ut similarium, hæc autem,cuius nunc memini, ut instrumẽ
talium est indicatio. Sane dicetur de ea, quæ uel ut similarium corporum, uel ut instrumentalium indi-
B catio est, in sequentibus uberius. Nunc ad proprias ulcerum differentias est redeũdum,ac de ipso, seu
transuersum sit, seu rectum, seu profundum, seu in summo corpore,seu paruum, seu magnum,definien
dum. Transuersa nanq; ulcera, eo, quòd labra eorum magis diffident absuntq; a sese, coniungi diligen
tius postulant:ideoq; tum suturis, tum fibulis in his est utendum. Quæ uero per longitudinem muscu-
lorum sunt facta,hæc si a duplici initio deliges,nec suturis, nec fibulis egebis. Sin aliter deligare place
bit, vel fibulis,vel suturis utere: Sufficient autem paucissimæ omnino suturæ. Et magna quidem ulce-
ra, si recte ea,quæ prius dicta sunt,meministi,ijs,quæ ualentius siccent, medicamentis curabis: Parua
uero, uel quæ moderate siccent,abunde sanauerint. Profunda uero ulcera,omnino etiam magna sunt,
uoluntq; tum a duobus initijs deligari,tum uero nec labra sua præpropere glutinari. At,quæ profunda
multum longaq; sunt, ut duplici ratione sunt magna,sic duplicem quoque indicationem præstant. Ita-
que,& quæ ualenter siccent,postulant, & ne immature labra coniungas, & ut a duobus initijs deliges,
& ut altis suturis consuas. Ad eundem modum,& si multæ simul differentiæ coierint, quarum sua cui-
que sit indicatio,si quidem inter se minime pugnent, omnibus uti maxime expedit. sin aliquatenus se-
cum pugnent, quemadmodum distinguere de talibus oportebit, dictum quidem alicubi in præceden-
tibus est:locupletius tamen dicetur in sequentibus. Nunc enim finiendus hoc loco tertius hic liber ui
C detur. In quarto,qui sequetur,de ijs affectibus, qui ulcera comitari plurimum solent, disceptatio erit.
Tradentur autem cum his etiam internarum causarum curationes.

A.l.4 f.4.t.1. c.3.p.861.c.

GALENI METHODI MEDENDI, ID EST DE MORBIS CVRANDIS, LIBER QVARTVS.

ARGVMENTVM LIBRI.

Methodum tradit, qua maligna vlcera, quæ græci cacoethe dicunt, curentur.

Quot sint species solutæ vnitatis, ac quæ differentiæ ulcerum ægre sanabilium. *Cap.* I.

D VNVM esse morborum genus, ipsam quoque continuitatem solutam diximus.
Hæc in omnibus animalis partibus incidit: non tamen unum nomen in omni-
bus sortitur. Quippe,quæ in carnosa parte, Vlcus:in osse,Fractura(Gręcis Ca
tagma) dicitur: in neruo,Conuulsio,Græci Spasma uocant. Eiusdem generis
sunt,& quæ Græci Apospasma,& Rhegma,& Thlasma dicunt: illud in ligamẽ
tis: hæc in uasis musculisq; ex uiolento ictu, uel graui casu, uel alio quopiam
ualente motu excitata. Quæ uero Ecchymosis græce dicitur, plurimum unà
cum contusione ruptioneq; incidit. Fit autem aliquando & ex oris uasorum
apertione, quam Anastomosin uocant,& ex ea,quæ a non nullis Diapedesis dicitur, aliud utiq; tunc so
lutæ continuitatis genus. Iam uero & ex erosione, quam Anabrosin græce uocant, soluitur interim in
animalis partibus continuitas. Verum is iam mistus affectus est, ut qui aliud quoddam morbi genus
adsciscat, quod in quantitate partium consistit: veluti supra, cum de cauis ulceribus egimus, est mon-
stratum. Est enim horum ipsorum duplex ortus, alias ab excisione,sæpe ab erosione proueniens. Verũ,
excisio quo pacto eueniat,non latet.Erosio,si intrinsecus ab ipso animali prouenit,uitiosi succi soboles
est: Sin extrinsecus,aut a ualentibus medicamentis fit,aut ab igni. Et sane (ut dictum supra est) dili-
genter attendere oportet, & simplices affectus a compositis discernere. cum simplici morbo simplex
adhibenda

A.l.1.f.2.d.1. c.3.p.65.c.

adhibenda curatio sit,composito non simplex. At,quænam in compositis curandis tenenda methodus E
sit, supra est dictum. Ceterum non tantum generalitatem eius didicisse, sed etiam in singulis eius partibus exercitatum esse oportet:cum in his quoq;, alijs non paucis methodis (ut ita dixerim) particularibus sit opus propterea,quòd cuique morborum speciei sua sit methodi species. Ergo,quod reliquum est vlcerum curationis,in hoc libro exequamur, hinc sumpto initio. Omne ulcus aut solum est,ipsumque per se, nullo nec cum eo simul inuadente,nec ipsum præcedente,aut sequente alio affectu:aut cum alio quopiam uno multisve consistit: quorum alij non modo statim ab initio ulcus excitarunt, sed etiã nunc maius efficiunt:alij eius, sine quo non, ut ad curandi opus,ratione obtinent. Verum de his prius dictum est. At,quæ maius ulcus reddunt, de ijs hoc uolumine agetur. Ac duplex in his curationis *consilium est,ut uel eiusmodi affectus e corpore prorsus eximas,uel incommodum,quod inferunt,uincas. A.l.4.f.4.c.1.
Verum hoc, vbi exiguus plane affectus est, fieri licet: vbi magnus est, duci ad cicatricem ulcus prius c.3.p.861.c.
non poterit, quàm illi affectui remedium attuleris. Ergo, quinam & quot numero eiusmodi affectus sint,diligenter nobis considerandum est,inde nimirum sumpto initio, unde supra est cœptum. Omne ulcus,siue solum sit, siue unà cum cauitate, & subiectam sibi carnem naturaliter habere postulat, & nequid inter oras conglutinandas intersit. quod tamen sæpe fit,ita,ut pilus,arena,sordes, oleum,aliudve F
id genus glutinationem prohibeat. Ceterum hæc ceu symptomata quædam ulcerum sunt, & quæ morari sanationem,si sint, possunt: efficere,si non sint,non possunt. Subiectæ uero carnis affectus causæ rationem obtinet ad id,quod efficitur. Quippe ex hac,& per hanc, tum, quæ dissident,glutinantur: tum, quæ caua sunt,carne implentur. ea ergo plane pro natura sua se habeat,oportet, quo hæc utraq; commode perficiantur. Atq; ea recte quidem se habuerit,si,id quod reliquis etiam omnibus est commune, proprium temperamentum tueatur. Itaq; temperatam esse subiectam carnem ad ulcera tum glutinanda,tum carne implenda, prorsus oportet. Nunquid igitur hoc tantum satis est? An etiam sanguinem, qui affluit, & bonum esse & mediocrem quantitate oportet? Mihi id quoq; multo maxime uerum esse uidetur. Nam,& qui corruptus sanguis est, tantum abest, ut ad glutinandũ & carne implendum sit utilis, ut etiam ipse non nunquam corpus erodat, atq; exulceret: & multus humor, cum in ulceribus excrementa creet, sanationem (ceu prius diximus) moratur. Atque hi tres ægre sanabilium ulcerum modi uidentur: qui ex intemperie subiectæ prouenit carnis: qui ex uitio affluẽtis fit sanguinis: & tertius, qui ex mensura confluentis nascitur. An non ita facienda diuisio est, sed sic potius? Nempe ægre sanabilium rebelliumq; ulcerum alia propter ulceratæ carnis intemperiem, alia ob affluẽtem humorem talia fieri. tum intemperiem rursus ipsam bifariam diduci, cum alias in qualitate sola naturæ modum egressa subdita caro sit: alias etiam cum accessorio quopiam tumore. Iam ipsum confluxum bipartito G
etiam scindi, nempe in confluentis succi, tum qualitatem, tum quantitatem. Interim uero misceri dictorum affectuum aut aliquos, aut etiam pariter omnes. Porrò tradenda est medendi methodus non omnium simul,sed cuiusque seorsum.

De methodo curandorum ulcerum, quæ uel carnis intemperie, uel succi affluentia maligna sunt. *Cap.* 2.

AC carnis quidem intemperies si squallens siccaq; uidetur, aqua temperata fouens humectansque corriges. Quoties autem eo remedio uteris, esto tibi perfusionis humectationisq; meta, ut,cum primum rubescit attolliturq; particulæ moles,tum desinas. Quippe si ultra perfundas,quod attraxisti,id euocabis. itaq; nihil profeceris. Quinetiam medicamentorum humectandi facultas plenior esto, quàm ut in sana carne præceptum est. Si uero humidior,quàm pro naturali habitu, caro fuerit,cõtraria ratio ineunda est,ac medicamentorum facultas ad siccius transferenda, aqua uero nullatenus ad mouenda:immo, si lauandum ulcus uidetur,vinum, aut posca,aut decoctum austeræ cuiusquam herbę præparandum. Eodem modo & calidiorem,quàm par est, carnis habitum refrigerabis, & frigidiorem calefacies. Agnosces uero horum utrunq; partim colore,partim tactu,partim laborantis sensu. Quippe alias ustionem sentire se fatentur, alias manifestum frigus in particula,gaudentq; uel frigidis medi- H
camentis, uel calidis. Et alijs quidem rubor leuis insidet, alijs color magis albicat. Verum hæc distinguere propositi operis officium non est:quippe in quo non dignoscendi,sed medendi methodum instituimus:sed consequentia quadam sermonis inuitante digressi in hanc sumus. Rursus igitur ad ea, quæ proposuimus,reuertamur. Partium, quæ cum aliquo præter naturam tumore exulceratæ sunt, earum prius sanandus tumor est. Quæ uero omnis præter naturam tumoris curandi ratio sit, in sequẽtibus dicetur. Nunc,quantum eius rei coniunctum cum ulcerum curatione est,tractabitur. Cum labra tantum ulceris decolorata durave plusculum fuerint,excidenda ea sunt ad sanam usq; carnem. Cum uero amplius progressus eiusmodi affectus est,deliberatio incidit,excidendum ne omne id sit,quod præter naturam uisitur,an spatio potius curandum. Proculq; dubio est ægri animum hoc casu consulendum esse. Aliqui enim longiore tempore curari citra sectionem malunt: aliqui quiduis subire, dummodo citius sanentur,sunt parati. Aeque uero & mali succi,qui ad exulceratam partem confluit,ut ulcerans quidẽ est,sanatio eius hic dicetur:vt malignus succus est,aut copia redundans, in proprijs ipsorum locis tractabitur. Cũ ergo, qui exulceratis partibus influit succus,nec multo plus iusto,nec multo deterior sit, auerti hunc regeriq; conueniet, adstrictis scilicet refrigeratisq; ijs particulis,quæ ante exulceratã sunt. Inchoanda quoq; deligatio est a laborante ipsa particula,deducendaq; uersus sanam:veluti in fracturis ossium

A ossium præcepit Hippocrates. sed & quæ ulceribus ipsis admouentur pharmaca,siccent ualentius,oportet,quàm ea,quæ simplici admouentur ulceri. Quòd si sisti cõpesciq; medicamentis influxus nequeat, causa eius inuestiganda est, atq; hæc prius adimenda. Ac,si quidem ob partis, quæ fluxum recipit, imbecillitatem aliquam id fiat, huic nimirum medendum est. Fuerit autem hæc ulceratæ quoque partis propria quædam curatio. Sin propter sanguinis copiam, uitiosumve succum, uel corporis totius, uel alicuius suprapositarum partium,illa scilicet prius sunt corrigenda. Ac imbecillitas quidem partis,propter quam plus iusto succorum illi influit, omnino ab intemperie prouenit, non tamen ab omni. Eoq; fit,ut exulcerata caro non nunquam intemperata tantum sit,non autem imbecilla: non nunquã utrunque,& intemperata, & imbecilla. Quippe imbecillitatis affectæ partis ualentior intemperies causa est. Hanc autem,sicut prius dictum est, curabis utiq; calidam refrigerando, siccam humectando, frigidam calfaciendo, humidam siccando. Quòd si per coniugationem frigidior pariter humidiorq; locus sit, calfaciendo pariter ac siccando: & in alijs ad eundem modum, uincentem uidelicet qualitatem contraria semper oppugnans. Huius rei ratio hæc est: Quicquid rectum est non in animalibus modo plantisve, uerumetiam alijs quibusq;, id symmetron est,mediumq;, & omnis uitiosi excessus expers. Cui enim nec demere quicquam, nec adijcere non partem aliquam,non qualitatem possis,prorsus id recte B se habet. Contra,quod demi sibi aliquid,adijcive postulat, id iam ab optimo statu recessit. Ad quẽ utique redire aliter non est, nisi,& quod superuacuum est, tollatur, & quod deficiens est,adiungatur. Ac de ijs quidem, quibus partes quæpiam abundant,deficiuntve, alibi sermo erit. Vbi uero qualitas aliqua plus iusto inualuit,ibi & continuo uinci contrariam illi necesse, & continuo uitium corrigi ex ea, quæ uicta ante est, restituenda. Quippe refrigerans, quod immodice incaluit, unà,& quod deficit,restitues, &, quod superat,diminues. Quare,quæ per intemperiem aliquam a naturali habitu recesserũt, eorum sanationem per ea,quæ contraria uiribus sunt,fieri omnino est necesse. Atq; ad hunc modum caro,aliave carnosa quæpiam pars, quæ fluxione humoris ob imbecillitatem affligitur, sanari debebit. Vbi intemperiei affectum iam sanaueris, deinde etiam exulcerationis affectum sanabis, non aliter plane nunc curata intemperie, quàm si citra ulcus incidisset, Quo manifestum fit non esse ulceris, sed intemperiei propriam omnem eiusmodi curationem. Ad eundem modum, si aut alterius cuiuslibet particulæ occasione,aut etiam totius corporis,cum in eo sanguis malive succi redundãt, uitiosum aliquid exulceratis partibus influxerit,medendum prius est uel ei, quod fluxionis est causa, uel etiam toti corpori. Ita igitur & uarices,qui sæpe supra exulceratum locum sunt, prius sanabimus, ut deinde mox ulcus sanemus. Etiam qui ex liene, aut alia quauis notabili parte laborant, ipsa prius parte percurata, C mox ad ulceris curationem accedemus. Ceterum nulla harum curationum ipsius est ulceris, sed alterius cuiusquam affectus, qui ulcus uel gignit, vel certe auget.

Externam causam ad morbi quidem cognitionem necessariam, sed tamen nullam ex ipsa indicationem curationis præberi. *Cap.* 3.

NAm illud quoq; iam definiri tempestiuum uidetur,nullam *externarum,[uel(ut nunc loquuntur) primitiuarum]causarum curationis indicatricem esse,sed huius indicationem ab ipso affectu initium habere: quæ uero particulatim sunt agenda,hæc tum ab eo, quod prima *indicatio dictat,tum ue ro ab ægræ partis natura,tum ambientis temperie,quæq; alia sunt his cognata,inueniri. Nam(ut breuiter dicam)a nullo eorum,quæ adhuc nõ permanent,indicatio sumi eius,quod ex usu sit,potest. Sed propterea,q; ad eum affectum noscendum,qui omnino tum rationem,tum sensum lateat,sæpe cogimur de externa causa inquirere, opinatur vulgus hanc quoq; sanationis rationem indicare. Quod plane secus est. Apparet id liquido in ijs,quibus nosci affectus exacte potest. Siue enim ecchymosis,siue ulcus,siue erysipelas,siue putredo,seu phlegmone in parte aliqua consistat, superuacuum est causam,quæ horum quodlibet effecit,inquirere, nisi iam etiam faciat. Sic enim simul,quod iam factum est, curabimus: simul,quod adhuc facit,facere inhibebimus. Si uero fecit illa quidem,ceterum iam abijt,utiq;, quod fa- D
ctum est, curabimus: Quod adhuc non est,nec si uelimus,submouere id possumus. Quippe rei præsentis est curatio:eius autem,quod futurum est,prouidentia. Quod uero nec nunc lædit,nec læsurum timetur,id ab utroq; artis munere,tum eo,quod curat,tum eo,quod prouidet,excessit. Quare nec indicatio ab hoc ad curationem ulla,nec prouidentiæ ratio sumitur:sed,uti dictum est,ad eos tãtum affectus, qui nostram notitiam fugiunt,externæ causæ cognitio est utilis. Empiricis tamen ceu pars totius syndromes.i.concursus,in quo curationem obseruarunt,externa causa interim sumitur:veluti in ijs,qui a rabido cane,& omnibus,qui a uenenosis bestijs sunt læsi. Quinetiam ex Dogmaticorũ quoq; numero ijs, qui sine rationali indicatione,sola experientia curare se talia confirmant. Quippe his quoque externa causa seu pars totius syndromes,id est concursus, quæritur. Iis uero, qui ex priore usu uenenosarũ animantium uim norunt, atq; ab hac indicationem curationis sumunt,non sane ad curationis indicationẽ conducit externa causa cognita, sed ad præsentis affectus cognitionem: Nam pone, sciam scorpionis uenenum frigida ui esse,summãq;,ueluti a frigido,remedij indicationem,nullo tamen signo intelligam talem esse in hoc corpore affectum,manifestum est,si scorpium percussisse didicero, q; calfacere tũ corpus totum,tum punctam ab eo particulam conabor,nulla amplius expectata experiẽtia,sed ab ipsa rei natura indicatione sumpta. Monstratum enim in ijs libris est,qui de medicamentis sunt inscripti,in quibus exercitatum esse censui,quisquis ex his commentarijs fructum percipiet, nullam eiusmodi facultatem

*procatarcticarum.

tatem ſine experientia inueniri. Eſſet enim profecto felicitatis cuiuſdam munus, ſiquis inſpecto lithar- E gyro,aut caſtoreo,aut cantharide, protinus eorum vires intelligeret. Verum,ſicut in omnibus peccata tum ab ijs,qui modum excedunt,tum qui citra conſiſtunt, committuntur, ita nimirum hic quoque, ac Dis dia paſon (ut in prouerbio Græco eſt) non ſemel,arbitror,inter ſe diſcordant, & qui neque in hodiernum uſq; diem affirmant ſciri medicamentorum uires,idq; poſt tantam experiẽtiam: & qui ex una experientia ſciri eas cenſent. Nam & hoc præcipitanter inconſulteq; dictum eſt,ſi utiq; inconſultũ eſt, quod fieri omnino non poteſt: & illud hominum eſt,aut omnino attonitorum,aut plane litigioſorum. Verum de his plura expectare nunc non oportet, vtpote de quibus dictum latius eſt tum in tertio de temperamentis,tum in ijs libris,quos de medicamentis inſcripſimus. Ceterum,(ut dixi) ad noſcendos affectus aliquæ externarum cauſarum conferunt. Vbi uero præſentis affectus nihil latet, nulla iam externæ cauſæ eſt utilitas. Ac diximus quidem in ſuperioribus, non eſſe in idem coniungendas utraſque doctrinas, ſed ſeorſum empiricen,& ſeorſum tradendam rationalem. Memoria autem tenendum nũc quoq; eſt,quòd, quoniam propoſitum nobis in his commentarijs eſt ſolam rationalem tractare, quanquam ad quæpiam horum,quæ dicimus,non apponitur, quòd abſolute uera non ſint, ſed ſolis ijs, qui methodo curant, aliquis tamen eorum id per ſe ratiocinari ultroq; apponere debet. Nunc enim ipſi appoſuimus nullam externarum cauſarum ad curationis indicationem conducere, ſed ad affectus ali- F quando agnitionem,fatentes uidelicet externam cauſam ijs, qui empirice quiduis curant, unam eſſe partem totius concurſus: idq; ſiue ij ratione reliqua curant,ſiue omnia empirice. In ijs autem,quæ deinceps ſcribentur,non erit neceſſe hoc adſcribere. Rurſus igitur ad propoſitum redeamus,indubitatum illud principium præſumentes, quo etiam in præcedentibus ſumus uſi, ubi diximus primum ſcopum, quo medicus tendat, affectum ipſum,qui curari deſideret, indicare: ex hoc uero & reliqua omnia ſumi. Quòd uero cum hoc ſcopo nulla externæ cauſæ ſocietas ſit,ex ipſis maxime ulceribus,a quibus ſermo eſt ortus,intelligas. Finge enim † [ex eo,quod in partem aliquam procubuerit,] natum ulcus eſſe. Quod ſi ſit,ex uitioſis prouenire ſuccis manifeſtum eſt. Ita enim in morbis facere natura ſolet:cum corpus expurgat,omne excrementum ad cutim trudit. Atq; hanc quidem ulcerari,totũ uero corpus purgari accidit. Quænam igitur eſt eiuſmodi ulcerum ſanatio? Nempe,quæ reliquorum omnium, quibus nullus affectus malignus, quem cacoethe græce uocant, eſt adiunctus. Verum,ſi hoc ſic ſe habet,manifeſtum eſt nullam eſſe ad curationem a cauſa,quæ ulcus excitauit,indicationem. Atqui, ſi uitioſus ſuccus remaneret,omnino aliqua ab hoc quoq; indicatio ſumeretur. Verum alioqui etiam abſurdũ eſſet, ſi curationem poſtularet,quod amplius non ſit,aut ſi curationem indicaret,quod nullius indigeat. Quare dicere indicationem curationis ab externa cauſa ſumi, omni modo eſt abſurdum. Quoniam ergo nõ G ab hac, perſpicuum eſt ab ea,quæ præſens eſt,indicationem fore. At qualis tandem ea eſt indicatio? Nẽpe ei,qui exacte loquetur, quæ ad prouidentiam pertinet: (prophylacticen Græci uocant) qui abuti uocabulo uolet,* medicinalis. Quandoquidem ipſorum etiam ulcerum,ſiue tantum ulcera ſimpliciter ſint,ſiue etiam cum cauitate,ſiquis diligenter æſtimet, ex fugiendis proſpiciendisq; ijs,quæ naturæ officient,ſanatio perficitur. Et in ſumma,in quibus,quod efficitur,naturæ ipſius opus eſt,ueluti ulceris glutinatio,& ex carne impletio,in ijs ad eam,quæ prouidet, artis partem omnis pertinet cura: Ceterum ſanatio vulgo dicitur. Ideoq; etiam huius,quæ prouidet, partis artis in altero genere conſtitutum eſt, quod morboſum affectum iam præſentem ſubmouet: in altero, quod eum, qui nondum urget, prohibet. Itaq; hic quoq; iuniores medici de nominibus contendere ſe non intelligunt. Par autem erat,ſi de rebus ſtudioſi eſſent,illud inueniſſe, duas eſſe functionum medici primas differentias. Aut enim eos, qui nunc urgent affectus,ijs,quæ moliuntur curant:aut eos,qui non ſunt,fieri prohibent. Ergo præſentes iam affectus tollere, ſiue amouendis ijs,quæ naturæ opus impediunt, id fiat, ſiue per medicamenta quid ipſi moliamur,omnes profecto homines curare dicunt:cauere autem,ne accidant, proſpicere. Et ſane ea,quæ ſuccorum uitio ſunt exulcerata, curant ij,qui ratione ac methodo artẽ adminiſtrant, ſimul illos purgantes, ſimul ea,quæ naturæ motus impediunt, auferentes. Quorum utraq;, qui exacte loqui- H tur, prophylactica uocat. Vetant nanq; (ut in proximo oſtenſum eſt libro) omnia talia, aut ſordem ulceri,aut humiditatem nimiam uitioſamve innaſci.

† ἐξ ἀποσκήματος eſt in antiquis, ut etiam uertit linacer. ἐξ ἀποςήματος autẽ eſt in impreſsis. i. ex abſceſſu.

*θεραπευτική.

Falſa methodo ac improprijs nominibus uſum fuiſſe Theſſalum,cum de curandis ulceribus diuturnis loqueretur, ac de more loquendi Hippocratis & ueterum medicorum. Cap. 4.

NOn eſt igitur de nominibus anxie contendendum, ſed methodus potius aliqua ſanandorum ulcerum tradenda: qualem(arbitror) ipſe tum in proximo libro, tum in hoc præcipio. Ego nanque uel ſtupiditatem Theſſali demiror, ita de ulcerum,quæ cacoethe dicuntur, curatione ſcribentis: Sunt autem perquam neceſſariæ, & communitates ulcerum diuturnorum, ac non ſaneſcentium,aut poſt cicatricem inductam redeuntium: ad hoc ut in ijs, quæ non coaleſcunt quidẽ, æſtimetur, quid ſit,quod prohibeat,idq; tollatur: in ijs uero, quæ poſt cicatricem inductam renouantur,ut cicatricem tenere cogas, roborans ſcilicet (ſic enim τὸ *μετασυγκρίνειν uertimus) uel patientem particulam, uel etiam communiter totum corpus, atq;, ne facile patiatur, id præparans per ea, quæ hæc faciant, præſidia. Atque hæc quidem Theſſalus cum in principio ſtatim libri de Chirurgia propoſuiſſet, poſtea de ijs ipſis latius ad hunc modũ ſcripſit: Diuturna ulcera, & quæ non ſaneſcunt, aut quæ ad cicatricẽ perducta denuo reuertuntur, hæc indicant. Quæ quidẽ ad cicatricem non perueniunt, ut, quæ coitionem fieri uetant, auferas,

* Galenus nõ multo poſt, hanc dictionẽ declarat.

A auferas, ac locum affectum noues. Poſtquam ſimile recenti uulneri feceris, rurſus ut cruentum ſanes. Quòd ſi non proceſſerit,ut phlegmonen mitiges, & reliquam diligentiam adhibeas. Quæ uero ad cicatricem ueniunt,& rurſus ſe aperiunt,in acceſſionibus quidem, & exulcerationibus, ut ſimili modo cures ijs,quæ recens phlegmone,urget,ex ijs,quæ mitigare ſolent,cataplaſma inducens: idque donec deferueat ira.ubi deferbuit, adiuues ad cicatricem inducendam,poſt hæc ut partes circumpoſitas late cõplexus malagmate,quod ex ſinapi ſit cõpoſitum,rubere facias,aut alio quopiam, quod mutare poſſit, ac ut minus malo pateant,efficere. Quòd ſi ita non ceſſent,etiam totius communiter corporis curã habeas,ipſum per uarias exercitationes,& geſtationes, & uociferationes, adhibitis ſcilicet earum rerum peritis,*roborans,etiam uictus ratione gradatim tum aucta,tum diminuta, principio a uomitione per radiculas facto. Vteris etiam albo ueratro, aliiſque omnibus,quibus utimur in ijs, qui diuturni ægreque ſubmoti morbi uictus rationi ſubijciuntur. Atque hæc quidem eſt Theſſali dictio. Operæprecium vero eſt æſtimare hominis uel ſtuporem,uel audaciam:utique,ſi recte ſe dicere ſibi perſuaſit, ſtuporem: ſin conſcius ſibi nihil dicere,imponere omnibus legentibus ſperat,audaciam. Ex diuturnis ulceribus, quæ nam eſt,ò generoſiſſime Theſſale,curationis indicatio? Ego ſane neque ex his,neq; ex recentibus, nec omnino a tempore in ullo morbo curationem unquam inueni, ſed ex ipſo, quem ſanandum mihi B propoſui, affectu. Prorſus enim, ſi tempus ſpectabitur tanquam ab eo indicatio ſumatur, alteram omnino ſecundus:alteram tertius dies indicationem dabit:ad eundem modum,& quartus alteram a quinto,& ab his omnibus ſextus,& a reliquis ſinguli,qui poſt iſtos. Sic affectus,quos curamus,non ultra nobis ad conſiderationem proponẽtur,nec ab his indicatio ſumetur. quo tñ ne cogitari quidẽ magis alienũ a ratione põt. Quomodo ergo neceſſariæ ſunt diuturnorũ ulcerũ communitates, ubi nihil indicare tempus ipſum per ſe poteſt? Non enim profecto ubi a malis ſuccis ulcus eroditur, diuerſam ex eo poſt quatuor menſes indicationem ſumemus ab ea,quã ſtatim ab initio ſumpſimus. Ego ſane nec ſinerẽ quidem eiuſmodi ulcus diuturnum eſſe,ſed protinus in principio cauſam eius adimerẽ. Nam & noſſe affectũ a principio plerunq; licet,& ĩdicationẽ ab affectu ſumi eſt neceſſe. Tẽpus uero quid amplius,quàm dierum numerum docere nos poſſit, non hercle poſſum conijcere: niſi id uoluit Theſſalus, ad eiuſmodi ulcera noſcenda tempus omnino eſſe manendum. Verũ ſic primũ idiota prorſus ſit,ſi uidelicet fatetur non prius agnoſcere ſe affectum,quàm ulcus inueterauerit. Deinde illud quoq; aperte fateatur, oportet,ex alio ſuggeri ſanationis indicationem,ex alijs præberi affectus notitiam. Nam eſto conferat aliquid tempus ad agnitionem,certe indicatio curationis a tempore non ſumitur. Quid enim ad rẽ pertineat,ſiquod ulcus inueterauit,adimere,quæ coitionem impediant,& nouare locũ,qui affligitur? Nã, C ſi propter fluxionem malignam,quam cacoethe dicunt,uir inepte, ulceris labra hoc uel illo modo ſunt affecta,quid commodi erit,ſi ea excideris ante,quàm fluxioni ſiſtendæ conſulueris? Videlicet ulcus latius efficies,ueluti non nulli faciunt,eorum,qui ſimiliter,ut tu,ulcera curant. Siquidem cauſa,quæ ea & dura,& calloſa prius reddidit,adhuc manente nihil aliud ex his excidendis accedet, quàm ulceris amplificatio. Quippe illa ipſa,quæ excideris,perinde & dura,& calloſa rurſus erunt,atque ea,quæ prius. Quanquam ne id ipſum quidem adiecit prudens ſcilicet Theſſalus, calloſa,& dura, & decolorata exulceratæ partis excidenda eſſe,ſed abſoluto ſermone abſcindi,quæ coitionem morantur, iubet, ac nouari. Ac,ſi quidem ſubmouere cauſas,quæ glutinationem morantur,ſuaderet, & uetus ea ratio eſſet, nec ipſe eum accuſarem. Præcipitur enim ab omnibus fere antiquis medicis, quicunque ratione quadam, ac methodo de ulcerum curatione ſcripſerunt, cauſas, quæ illa creant, abſcindendas eſſe, æque profecto, ut ceterorum omnium morborum. Non enim arbitror, in ulceribus manente adhuc cauſa, quæ ea excitauit,hanc prius tolli expedit,in alijs morbis non expedit,ſed omnino in omnibus,in quibus effectrix cauſa adhuc manet, ab hac inchoanda curatio eſt. Quod ſi quæ coitionem impediunt non dixit de omnibus cauſis, quæ eam impedire poſſunt,ſed de labris tantum,ueluti ex ijs,quæ ſubiecit,oſtẽdit plus certe neſcire,quàm ſcire eorum,quæ ad ulceris curationem ſpectant,uidetur. Quippe fieri aliquã D do poteſt,ut & hæc cauſa ſola ſit,quo minus ſaneſcat ulcus. Poteſt etiam(ut dictũ eſt)cauſa eſſe, & quæ citra tumorem præter naturam ſit in exulceratis partibus, intemperies, & quæ cum tumore quidẽ aliquo coniuncta ſit,non tamen,qui omnino ſibi labra excidi deſideret. Poteſt & * uarix ſuperiacens, uel lienis auctior,uel in iecinore uitium aliquod,præterque hæc omnia imbecillitas partis ægræ, quæ ipſa quoque intenſa quædam eſt intemperies;quinetiam uitioſus in toto corpore ſuccus(cacochymian uocant)maxima ſcilicet cauſarum,quæ incommodare ulceribus poſſunt. Vexat ſane non minus ulcera,& ſuccorum æqualiter ſe habentium exuperantia,quam plethoran uocant. Horum quodq; ſi adimi Theſſalus iubet,laudo hominem,ceu ueteribus ſubſcribentem:ſin labra tantum,unum nouit ex multis, ſed quod nec opiliones lateat. Quippe,ſi opilio ulceris labra dura,& calloſa,& liuida,& nigra, & alio quopiam notabili coloris uitio uideat,prorſus ea circuncidere non dubitabit. Eſt enim circũcidere res promptiſſima:maius uero quippiam, atque artis egens, medicamentis ſanare: Theſſalus autem nec,quæ labra molliri medicamentis poſſunt, unquam nouit. Quippe fatentur eum penitus hanc artis partem declinaſſe ita utique ut ipſe quoque indicat,nec omnino experientiam rationalemve ſcientiam de ullo medicamento uiſus eſt habere,quod ipſum quoque ex libro eius de medicamentis oſtenditur. Verum de ijs,quæ ibi non recte ab eo ſunt prodita,in progreſſu operis dicemus. Nunc de diuturnorum ulcerũ ſanatione,quam in prius poſita dictione tradidit,paramus differere. Sane melius fuerat non diuturna,

ſed

* μετασυγκρίνων.

*Antiqui etiã legunt κιρσὸς ut Linacer, non συῤῥὸς ut in impreſsis.

sed cacoethe ea uocasse,tum naturam eorum narrasse, & causas generationis eorum exposuisse, cura- E
tionemque cuiusque,primùm quidem communem omnium,quatenus vlcera sunt: qualem in tertio li
bro descripsi:deinde priuatam cuiusque pro efficientis causæ specie:ueluti in hoc libro docui. Hic, cũ
nihil horum fecerit,& nouãdum ulceratum locum censet,&,vbi instar recẽtis uulneris fecerit,ut cruẽ
ta sanandum. Hoc sane quis in operibus artis exercitatus non euidentissime intelligat ab eo esse scri
ptum,qui nunquam ulcus curauit?Sanarene ulcus diuturnum,vt cruentum,quisquam potest, vbi id si
mile recenti vulneri fecerit?Vtrumne labris eius fibula adductis, an sutura coniunctis, an potius horũ
nullo,sed medicamento,quod cruentis sit aptum,& cum hoc sola deligatura fretus?Quis est,qui nõ no
rit ulcus omne cacoethes statim etiam cauum esse, vtpote ex rosione natum? Nunquid igitur insulse
Thessale fieri potest,ut coalescat cauum ulcus prius,quàm cauitas carne sit impleta? an non est hoc,vt
cruentum, sanare? Ergo ipse tu frustra cauorum ulcerum curandorum indicationem non esse glutina-
tionem, sed impletionem scripsisti. Quod si etiam non esset ex se cauum omne ulcus contumax,certe
dum(ut tu præcipis) excisis videlicet labris,vt cruentum, efficitur,ex necessitate cauum fit, maximam
que conquirit labrorum distantiam:adeo,vt non uideam,quomodo id glutines,& coire, vt cruentum,
facias.Nam,si adducere uiolenter labra,quæ plurimum distant, tentabis, phlegmonem necessario ac-
cersent,nec coalescent. Id,quod tantum intelligere mihi Thessalus videtur.Subdit enim: Si nõ fuerint F
uicta,ut phlegmonen mitiges. Satius uero fuerat scribere: Cum non uincentur,vt phlegmonen miti-
ges.Nam necesse est non esse uincenda.Verum,vt hoc quoque Thessalo donetur,atque id transeamus,
nec valde anxie examinemus, illud cuiuis apertum est, quod a communitate, quam ipsemet tradidit,
prorsus recessit.Quippe si quod obstat,auferemus,nihil amplius de communitate diuturnorum vlcerũ
qua diuturna sunt,sumemus.Sed detur hoc quoque.Videamus, quæ sequuntur. Scribit enim ad hunc
modum: Quæ ad cicatricem ueniunt,& rursus se aperiunt, hæc in accessione & ulceratione similiter cu
rabis ijs,quæ recenter uexata phlegmone sunt.Post hæc subdit:Malagmate,quod ex sinapis semine fit,
circumpositis partibus ruborem excitandum.Quid ais insane,etiam si acre & calidum sit, quod influit,
rubrefieri particulam ex sinapis semine oportet?ut,quod in multo tempore contrahere ex fluxione de-
bebat,id statim ex tuo medicamento obtineat,tota uidelicet vlcerata,atque erosa? Nã ueteres eas par
tium imbecillitates,quæ uel ex frigore, vel plurimo humore citra manifestum calorem acciderant, ru-
befaciendo curabunt.Tu rubrefactione in omnibus deinceps veteris: primum nullo facto discrimine,
propterne partis imbecillitatem,an propter fluxionis malitiam non sanetur ulcus. Deinde ordinem in
uertis.Nam,cum sinapi particulam vsseris,nec quicquam profeceris,tum ad corporis totius curationẽ
accedis.Cum contra,vt arbitror,tum ratione,tum experimento de ijs sit statutum,ut toto prius corpo- G
re a superuacuis liberato, tum calidum aliquod acreque medicamentum parti admouere sit audendũ.
Quippe eiusmodi medicamenta omnia cucurbitæ ritu ad se trahere a toto corpore sunt habilia.Itaque
nisi id prius vacuaueris,materiam fluxionis acri medicamento relinques.Hoc enim tum Empirici me-
dici fatentur,tum Dogmatici:hoc philosophorum optimi senserunt.Nam,cum eorum quoque memi-
nerit Thessalus,nõ alienũ sit eos citare testes.Quòd oculũ recte sanare ante totum caput nõ licet, neq;
hoc ante totum corpus,sic Aristoteles,ac Plato de morborum curatione senserunt, sane & Hippocra-
tes,& Diocles,& Praxagoras,& Plistonicus,& ueteres uniuersi.Thessalus uero solus non sic,sed primũ
ad medicamentum ex sinapi uenit:post de toto corpore solicitus est, ne hic quidem prudenter quicquã
docens.Nam,cum liceat corpore medicamento, quod purget semel uacuato, mox salubri uictu ipsum
reficere,hic uociferationum meminit,exercitationumque,& gestationum, & uictus certo ambitu mu-
tati,tum vomitionis ex radicula:mox summam his imponit,ipsum ueratrum: Idem scilicet,qui sine ul-
lo magno negocio omnia sanare promisit.Ego uero ne intelligere quidem possum, quomodo quisquã
aut deterius,aut maiore temporis dispendio, aut inani magis opera ulcus sanauerit. Age igitur, sicut
usu non nunquam uidimus,sic uerbis quoque hominem fingamus,cui sanari ulcus contumax sit opus.
Esto aliquis, qui cetera quidem sit sanus,sed ex scabenda derepente quapiam particula,ueluti brachio H
pustulam statim excitarit,mox eadem ipsa particula iterum atque iterum pruritu vexetur,pustulaq; di-
rupta vlcus decolor inæqualiter erosum gignatur: atq; hæc in tribus quatuorve diebus a principio inci
derint.Dicat mihi hoc loco quispiam ex medicis,qui Thessalum imitantur,quo nam pacto sanare eius
modi ulcus conueniat. Ego nanque cacoethes omnino id dico,& ob id,qualis sit totius corporis affe-
ctus,statim considerabo.Inueniã nanq; tum ex ulceris ipsius symptomatis,tum ex notis, quas totũ cor
pus præ se feret,cuius maxime generis sit is,qui redundat succus. Atque hunc medicamento protinus
educam,nec protraham,dum totus hominis cubitus affectum quendam contumacem rebellemque cu
rationi contrahat. At Thessali sectatores,ipsius uidelicet præcepta seruantes,primum expectabunt,dũ
vlcus inueteratum sit, quo in mirificam illã inueteratorũ ulcerum cõmunitatem recidat: quasi non lon
ge melius esset contumacium vlcerum,non autem inueteratorum communitatem,quæ curationem in
dicaret,tradere.Mox duorum alterum,aut excident,& ceu recens vulnus reddent, ac ueluti ad glutinã
dum partes eius adducent:aut primum, quod ex sinapi conficitur, medicamento vtentur. Quo non
proficiente,ad sublatas uoces,& gestationes,& reliquas exercitationes,& uictum per circuitus mutan
dum confugient.ab ijs uomitionem ex radicula mouebunt. Quòd si his ulcus non sanabitur,veratrum
dabunt.Sin nec id profecerit,hominem in Lybiam ablegabunt. Nam id quoque adijcere debuit Thes
salus,

Salus,post eximiam illam contumacium ulcerum curationem. Quippe in uociferationibus,gestationi-
bus,& alijs eiusmodi immoratur,quasi malum habitum corporis (quam cachexian Græci uocant) non
uitium humorũ(quam cacochymian dicunt)curent.Et quid miri,si tum fatentur se ulcus cacoethes sta
tim,ut est natum,non nosse:tum uero,dum sit inueteratum, ac sæpe cicatricem ducat, sæpe se aperiat,
manent* ante,quàm,quid facto opus sit,intelligant:vbi etiam eos, qui quoquo modo febricitent, ac-
cessionem,quæ tertio die futura non futurave est,transire censent? Adeo uidelicet ad unguem contem
plationem de crisi pernouerunt, aut summum morbi incrementum futurum prospicere possunt. Quid
igitur sæpe accidit?Nempe tabescere in lectulis horum culpa homines, qui statim secundo die explica
ri potuissent. Quippe non semel nos,aut bis terve, sed sexcenties tum ipsi multos febricitantes simul,
ut prima accessio desijt,lauimus:tum præceptores nostros id ipsum facere uidimus: intrepideq; de ce-
tero uictitare permisimus,ceu post febri carituros:quos sapiens scilicet Thessalus, qui primam diatri-
ton, (id est tridui inediam)excogitauit,prorsus arefecisset,totis (puto) tribus diebus fame confectos:
mox dein,arbitror,modice scilicet in quarto die nutriuisset:ab hoc paulatim reficiens, uix sexto aut se-
ptimo ad consueta munia,qui semel febricitassent,dimisisset. Adeo semper homines in morbis tabefa-
ciunt,a quibus utiq; facile possent liberari. Nam, cum paucissimis diebus sanari ulcus contumax inci-
B piens posset,Thessalus id in annum,aut etiam longius tempus incurrere sinit. Manere nanq;, dum id ci
catricem sæpe inducat,sæpe etiam se resoluat,vt scias,an contumax sit:mox,ubi curationem inceperis,
ne tunc quidem corpus statim purgare,sed primum medicamento ex sinapi, dein gestatione,& uocife-
ratione,& certo uictu,post radicula,ab his ueratro uti,hæc quid aliud,quàm annum expectantis, sunt?
An per deum immortalem,cum sex diebus,aut plurimum septem posset homo curari, multos menses
trahemus,quo uidelicet primum,an cacoethes ulcus sit,sciamus,dein curationẽ inchoabimus? Et quæ
demum necessitas erat propriam inueteratorum ulcerum communitatem tradendi, præsertim cum ni-
hil ad curationem conducat, licueritq; non inueteratorum,sed contumacium,nec horum mehercle cõ
munitatem indicatricem,sed curationem scribere? Quippe accidit quibusdam tum ulceribus tum mor
bis,ut contumaces rebellesq; ad curandum sint:nec tamen inde curationis indicatio sumitur, sed affe-
ctus ipse primam curationis* indicationem suggerit.Ex ea uero,& quæ sunt agenda,inueniuntur ad eũ
modum,quem ipse tradidi.Quare hoc est methodo curare,quod nos facimus, veteres imitantes:si mo
do methodum esse oportet unam quandam uniuersalem uiam, quæ omnium particularium sit commu
nis.Hic uero etiã in hoc fallitur,putatq;,quicquid omnino in ijs habetur,qui methodo aliquid faciunt,
ipsam methodum esse. Nam notitiam certe habeat, oportet, tum similis tum dissimilis, qui methodo
C quiduis molitur. non tamen ipsum hoc methodus est, similis scilicet dissimilisq; notitia, neq; hoc Ari-
stoteles Platove affirmat,quos falso Thessalus citare audet. Verum hæc ad præsens refellere non attri-
net. Quare rursus ad medendi methodum reuertor, promittoq; ostensurum me tum unum esse eius in
omnibus curationibus principium:tum uiam,quæ ab eo principio ad finem usq; ducit, in omnibus par
ticularibus similem esse. Quare, etsi in singulis morbis priuata quædam methodus sanandi uidetur,cõ
mune tamen in omnibus genus unum est. Auspicari nanq; perpetuo oportet ab indicatione,quæ ab af
fectu, cui mederi paramus,accipitur: Aestimare uero ac discernere, an causa, quæ affectum excitauit,
iam desierit:an nunc quoq; ipsum tum augeat,tum faciat. dein,si desijt,ad eam,quæ in tertio huius ope
ris libro traditur,methodum est ueniendum:sin adhuc facit, ad eam, quæ hic docetur. Quippe eadem
hac methodo tum phlegmones, tum febris, tum omnium uno uerbo morborum remedia inuenias,uti
que, si nihil etiamnum sit, de præcedentibus causis non laborans, sed ab ipso tantum affectu ordiens:
Sin nunc quoque aliquid sit, duos tibi curationis fines præponens, tum alia deinceps, vt dictum est,
faciens. Sed enim mirari stupiditatem eorum, qui Thessalum sequuntur, est operæpretium: non utiq;
quòd in talibus delinquunt, sed quòd dyspathias, & metasyncrisis, & imbecillitates, & firmitudines,
& alia id genus nomina non pauca proferentes, quæ per ea significentur, ne nunc quidem, si interro-
D ges,respondere possunt. Nam,quid sit,quod in omnibus diuturnis ulceribus græce dicunt μετασυγκρίνειν
τὸν ἕξιν, nec similiter inter se omnes, nec clare, nec prudenter respondent. Atqui, si uel antiquum no-
men esset, vel ab ullo Græcorum usurpatum, ex ijs fortassis, quæ illi scriberent,intelligi posset, de quo
id negocio dicerent. Nunc,quoniam stupiditatis ipsorum proprium est, utique ex Asclepiadis hypo-
thesi natum,sicut & reliqua eorum placita, æquum profecto est ipsi sua somnia interpretentur: vnde
scilicet, quod græce dicitur συγκρίνεσθαι τὰ σώματα καὶ διακρίνεσθαι, quasi miscери secerniq; corpora dicas, so-
lis ijs, qui corpuscula, & meatus, aut indiuidua, & uacuum,aut deniq; impatibilia, & inalterabilia, pri
ma elementa statuunt,liceat usurpare,sicut certe usurpant, & assidue ipsis nominibus utuntur. Quine-
tiam ipse Thessalus in canone, cum hæc principia confirmat, nouat quidem aliquid ibi quoq; præter
ea,quæ a Themisone & Asclepiade sunt posita: ceterum,quod sentit, docet sane non obscure. Non e-
nim prorsus, sicut Asclepiades,cum in symmetria quadam,(id est competentia) exiguorum meatuum
sanitatem,in ametria,(id est inconuenientia)morbum constitueret,reditum ad pristinam meatuũ sym-
metriam, sanationem putauit, ita Thessalus quoq; est arbitratus, sed totum exiguorum meatuum sta-
tum censet immutandum.Atq; ex hac opinione processit metasyncriseos nomen,idem plane indicans
potestate, quod græce metaporopœeseos, id est exiguorum meatuum status mutatio. Ceterum non
decebat ipsum, in quibus fugere ab incertis obscurisq; iubet,& tantum ijs commutationibus,quæ eui

*Impressi eo. & manuscripti quidam legunt ut Linacer: alii πρὸς τὸ γνῶσιν. i. ut intelligãt,quid facto &c.

denter apparent,animum intendere,in ijs quoq; Dogmaticorum uti nominibus. At noli (inquiunt ſectatores eius) cum his utitur,dogmatice eum audire,ſed ἀφελῶς, id eſt ſimpliciter. Nam ita ferre ſuppetias ex ſectatoribus eius quidam ſolent,uidelicet ad aliud rurſus nomẽ nos reuocantes,nempe ἀφέλειαν, [quam nos ſimplicitatem uertimus.] quam ne ipſam quidem, quid ſignificet, ipſe ſane intelligere poſſum. Si enim, ſicuti ipſi hoc quoque rurſus exponunt, ad aliud ſcilicet magis friuolum nomen nos remittentes,nempe græce βιωτικῶς, quod ipſum rurſus exponentes ſignificari per id dicunt idem,quod uulgo hominum ſimiliter, utiq; tantundem fuerit, ἀφελῶς ei, quod non definite, nec exacte, ſed ſine omni tum arte, tum ſcientia. Siquidem loquuntur homines,qui magis ſunt ad loquendum præcipites, artium nomina ſub ſenſibus quibuſdam,qui nullo fundamento nitantur: rogati uero, quid ſignificent, oſtendere clare non poſſunt. Quòd ſi hoc Theſſalij iſti accidere ſibi fatentur, loqui ſe quæpiam,nec intelligere ſe exacte, quæ loquantur, id ipſum profecto fatentur, quod nos illis obijcimus. Nam metaſyncriſis illa, ſi quidem de immutanda poropœia, id eſt exiguorum meatuum ſtatu, dicatur, certe intellectus aliquid habuerit,ſignificaueritq; rem aliquam, ceterum friuolam multis modis. Nam nec ex corpuſculis & meatibus corpora noſtra conſtant: nec, ſi hoc uerum eſſet, poſſet tamen aliquis docere, qua ratione ſinapi meatuum illorum ſtatum immutaret. Nec, ſi id quoq; oſtendere aliquis poſſet, conſentiens eorum ſectæ eſſet, qui ſe apparentibus communitatibus contentos eſſe dicunt. Ne igitur utantur hoc nomine, nec nobis negocia faceſſant. Licet enim & ſine metaſyncriſeos nomine, diuturnorum ulcerum curationem alijs uerbis dicere, ſicut Empirici faciunt. Quòd autem & in Atonias, id eſt imbecillitatis uocabulo, ſimili modo nugentur, monſtratum prius eſt in ſecundo libro. Si enim ſicut Empirici, nomen uſurpant,aliud prorſus non ſignificant, quàm quòd actio non ſeruatur. Sin aũt facultates aliquas gubernare animal proponunt, quales tum nos aſſerimus, tum omnes fere ueteres, præter id, quòd Aſclepiadis dogmatis contradicunt, etiam incerta,& de quibus parum inter auctores conueniat, attingunt, quamuis ea fugere iubeant. Sed dic nobis Theſſale clare, quid ſibi uelit illud μεταστυκρίνειν. Si nanq; exiguos meatus mutare, & falleris, &, quæ incerta ſunt,uſurpas. Si firmari ſanamq; reddi corporis particulam, uel hominem totum, nihil hic præter nomen plus, quàm Empirici, doces. Quippe ſciunt hi quoq; remedijs quibuſdam admotis reddi hominem ſanum, ceterum, qua ratione remedia id faciant, utiq; neſciunt. Neq; enim, an exiguos meatus mutet medicamenti facultas, neq; an ſymmetrian efficiat, neq; an totam patientis particulæ qualitatem alteret, poteſt Empiricorum quiſpiam dicere. Atque illi ſaltem ſunt modeſti: ut qui unum ſe ſolum ſcire dicant, huic ſcilicet morbo in hoc tempore ſi medicamentum ex ſinapi adhibeatur, ſæpe notaſſe ſe utilitatem ſecutam. Non tamen methodos loquuntur, nec ſupercilium attollunt, nec tali ſibi notitia placent, nec anti- quis maledicunt, nec Hippocratem pro nihilo habent, immo uero ipſum laudant, fereq; omnia uere dixiſſe affirmant. Hic uero Theſſalus, qui tum hunc, tum reliquos omnes medicos contemnit, Empirica contumacis ulceris præcepta ſe ſcribere non intelligit: quanquam, ſi uel hoc commode faceret, utique aliquid operæpretium faceret. Atqui ne id quidem feciſſe uidetur, cum ordinem remediorum inuertat, & prius partis remedijs utatur, quàm totum corpus præparauerit. Nam hoc inſignis inſcitiæ argumentum eſt: cum in uno eo fere omnibus medicis conueniat, quamuis in plurimis diſſentiant, quòd totum corpus uacuum purumq; ab excrementis ante ſit reddendum, quàm ulla pars ualentibus remedijs ſit ſubijcienda. Nam,ſiue experientia iudicare quis uelit, ſiue etiam ratione (tertium enim, quo iudicet, neq; in alia quapiam arte, neq; in ulla uitæ parte quisquam habet) maximum eſſe incommodum deprehendet,cum, toto corpore ſuam curam requirente,prius, quàm illi ſit proſpectum, afflictæ parti acre aliquod & calidum medicamentum ſit admotum. Trahit enim ad ſe, cucurbitæ more, ex toto corpore ſuperuacua,atq; ita in graui parte affigit, ut ægre auelli poſſint. Quo magis operæpretium eſt Theſſalios iſtos percunctari, undenam Theſſalo in mentem uenerit de contumacium ulcerum curatione talia nugari, cum nec Empiricus quisquam ante, nec Rationalis ita ſcripſerit: ſed nec ipſe Theſſalus,nec eius ſequacium quisquam eiuſmodi remediorum ordinem aut cum experientia conſentire,aut cũ rõne affirmare auſit. Adde,q; nec docere poſſunt,quomodo tẽpus indicet,non aũt affectus. Sed neq;(quod hoc maius eſt)quomodo Theſſalus,qui æſtimandum cenſet,quid ſit,quod cicatricẽ ulcerum moretur,atq; id tollendũ, non prorſus ſit ſtupidus, ſimul, cum hoc tantũ ſatis eſſe non uideat, diuturnitatẽ autẽ ulcerũ nihil eſſe ad rem: ſimul, cum non in ulceribus modo, uerumetiã reliquis morbis oĩbus id eſſe faciendũ,ueluti ueteres monent,non aduertit. Verum ad hæc nobis nihil reſpondent:ſed ſemper nõ recte intelligere nos dictantes, tanquam uidelicet ipſi uel Hippocratis, uel ueterũ cuiuſquã ſententiam ad unguem intelligerent,recte Theſſalum dixiſſe affirmant diuturnorum ulcerum unã quãdam communitatem eſſe: Ita enim Hippocratem quoq; ſenſiſſe in libro de ulceribus, cum ita ſcribat: Etiam ab inueteratis ulceribus id agere, ut ſanguis crebro effluat, conducit, quomodocunq; uidetur opportunum eſſe. Fortaſſis ergo ad rem pertineat, tametſi non prædixerim me de Hippocratis mente hoc loco diſſerturum, uel ſummatim aliquid de ea perſtringere. Fuerit uero, quod dicemus, non minus & priſcorum ſenſus interpretatio. Hos nanq; uiros,ceu nullius adhuc dogmatũ ſectæ addictos,ſed pura & ſimplici mente ſtudentes utile quippiam ad ſanitatem inuenire,credibile ſane eſt quædam uſu, quædam inueniſſe ratione: tum ſcripſiſſe, quæ inuenerant, ſubinde non adhibita inuentionis ſuæ ratione,aliquando uero & adhibita: atq; id feciſſe ipſius legentiũ utilitatis cauſa. Quippe, ubi ad dextrum inuento-

A inuentorum uſum conducturum poſteris ſperabant,ſi rationem inuentionis nouiſſent,tum eam diligẽter prodiderunt: ubi ſecus,& ſuperuacuam relatu putauerunt,& propterea omiſerunt. Nam,quòd ſermonis compendiũ priſci in primis coluerunt, id oẽs uel me tacente iam norunt. atq; ob hanc maximè cauſam non Hippocrates modo,uerũ etiam reliqui priſcorũ,medio interim tranſgreſſo, primo tertium adnectunt. Si enim primum ſecundi ſit ſignum,atq; hoc tertium ex neceſſitate ſequitur,ita tertiũ primo ſubijciunt, ſecundum prætereuntes. Oſtendi uero perſæpe tum reliquos antiquos, tum uero maxime omnium Hippocratem talia ſcripſiſſe. debetq;, qui callere priſcorum interpretandi genus uolet, in illis exercitari. Nunc uero ipſum, quod propoſitum eſt, tantum exponam.

Quid ſit ulcus, quod græcis appellatur cacoethes: ac de methodo ulcerum omnium curando- rum ex Hippocrate. Cap. 5.

NAm, quæ ulcera omnibus rite decenterq; factis tamen non ſanantur, ea medici græce cacoethe, nos maligna,contumacia,rebelliaue dicimus. Diuturna autem prorſus fiunt, cum duntaxat, ut ulcera ſunt,curantur. Quæ uero ſit ulcerum,ut ulcera ſunt,curatio,in libro,qui hunc præcedit,definitũ eſt. Hæc igitur ulcera & cacoethe,& inueterata,& diuturna uocant, indifferenter his nominibus in ipſis utentes. Quinetiam ad noſcendum,quod affectus ipſe, cacoethes,id eſt contumax ad ſanandum,ſit
B unà cum alijs notis etiam id, quòd peractis etiam,quæ decent,omnibus diuturna fiant,aliquam portionem habet. Non tamen aut ipſa diuturnitas,aut quòd diuturna & uocentur & ſint,idoneam curationẽ indicat,ſed ex hoc, quòd male affecta ſit ulcerata pars, licet colligere. Hoc uero inuento, & curationis ratio conſtabit. Quo,inquies,modo? Nempe,ubi tantum eæ partes, quibus ulcus inſidet,ita ſunt affectæ, ſi has ſanaueris: ubi totum corpus uitioſo aliquo ſucco abundat,ſi hunc uacuaueris. Ac ſignũ quidem uitioſi ſucci eſt ipſa ulceris diuturnitas. Inuentio autem eius, quod expedit, non ex diuturnitate, ſed ex ſucci uitio ſuggeritur. Quare tria hæc deinceps ſe habent,ſignum,affectio,& curatio: Signũ quidem, ipſa diuturnitas: Affectus, ſucci uitium: Curatio, eius uacuatio. Atq; hac ratione ſubinde ueteres inuenias medio prætermiſſo tertium ſtatim primo ſubijcere: ueluti Hippocrates fecit, cum dixit.

« Tum ab inueteratis ulceribus,confert,ut aſſidue ſanguinem effluere facias,utcunq; id opportunum ui
« debitur: non utiq; curationem indicante uetuſtate,ſed ſanguinis uitio. Quippe ipſe mox ſubijcit: Pro-
« hibet nanq; maxime quidem eiuſmodi ulcera ſaneſcere. Poſt uero etiam reliqua omnia, putredo ſan-
« guinis,& ſiquid ex ſanguinis tranſmutatione eſt ortum. Quinetiam poſt paulo, cum de ulceribus, quæ
« ad cicatricem non ueniunt,diſſerit: Nec ſi (inquit) quæ ulcus ambiunt, nigricent, ſanguine putri, aut
« etiam uarice fluxionem ſuppeditante, id genus ulcera coire poſſunt, niſi quæ ulcus ambiunt, ſana red-
« C das. Poſt etiam de uaricum ſanatione ſcribit. Ad hæc etiam purgationis meminit totius corporis, tum in alijs quibuſdam uulneribus,tum ijs quibus cariem,quam ſphacelon uocant,inſtare eſt metus. Præterea herpetibus, & eſthiomenis omnibus, (id eſt, quæ exeduntur.) Ita enim græce nominare ſolet ea, quæ humor aliquis erodit. Iam uero in ijs, quæ mox ſequuntur, rurſus ad hunc modum ſubiungit: In
« quocunque ulcere eryſipelas ſuperuenerit, purgatio totius corporis adhibenda eſt. Et in ſumma,ſi cu-
« rioſe librum de ulceribus reuoluas, inuenies ſemper eum ab affectu indicationem ſumere: uti uero interim & tempore, ſed ad affectum noſcendum. Quòd uero hæc ita ſe habeant, ex ipſo libri ingreſſu
« agnoſcas, qui talis eſt: Vlcera madefacere, quæcunq; ea fuerint, niſi uino, non oportet. Tum cauſam
« adijciens,ait: Nam ſiccum ſano uicinius eſt: humidum uero non ſano. Et mox: Vlcus enim humidum
« eſt: ſanum autem ſiccum. Ideoq;, per totum librum cum totius ulcerum curationis finem ſiccationem
« ſtatuat, mox particularia inuenit, etiam finis ipſius ſubinde nos commonefaciens. Cum enim ita ſcri-
« bit: Quodcunq; ulcus acuto telo cæſim percuſſim ue diuiſum eſt,medicamentum,quod cruentis ſtatim
*Hæc nõ ſunt in græco exẽplari, nec eo ſenſu, loco paulo poſt ſequente, ſunt ab Hippo. poſita.
« imponitur, Enæmon græci uocant,ac ſiccans,& quod ſuppurare uetet,admittit. Fit enim effluente ſan-
« guine ſiccius: Et rurſus: Quæcunq; probe & opportune purgata, ſemper ad ſiccius promouentur, [ijs
« caro magna ex parte non ſupercreſcit,] niſi ſi contuſa ſint: Et rurſus: Siquod coire nequit, humecta
D caro in cauſa eſt: In his omnibus primæ ſanandorum ulcerum* indicationis nos admonet. Siquidem ulceris, qua ulcus eſt, ſanatio, mediocris ſiccatio eſt. Cuius rei demonſtratio in libro, qui hunc præcedit, tradita eſt. Verum ulceris, quod cum alio affectu coniunctum eſt, cuius uidelicet præcedere curationem oportet, eius curatio, ut ulceris ſolius, non eſt, ſed prior illius affectus, ſecunda ulceris. Nam, ſiue phlegmone quæpiam, ſiue nigritia, ſiue ecchymoſis, ſiue eryſipelas, ſiue œdema ulceratam carnem obſederit, primum eius molienda curatio eſt. At uero, quòd ulcus interim non ſolum non commode curatur, ſed multo etiam maius redditur, id neminem lateat. Nam, ſiue contuſa fuerint circumpoſita ulceri ſoca, ſeu phlegmone aliusve tumor in his conſtiterit, propria eius affectus ſanatio inuenienda nobis eſt, illud pro certo habentibus, fieri non poſſe, ut ulcus ſanetur, niſi locus, in quo conſiſtit, prius ſit ſanatus. Ac proinde Hippocrates ipſe redigens nobis in memoriam ea, quæ ſtatim in libri initio tradiderat, tum quę reliqua paulo ante ſunt comprehenſa, tum uero hæc adſcripſit:

« Quodcunq; ulcus ceſim percuſſimve acuto telo eſt diuiſum,medicamẽtum enæmon,& ſiccans,& quod
« ſuppurare uetet,admittit. Sin caro aliqua telo tum cõtuſa,tum cæſaſit,huic ita medendum eſt,ut quàm
« celerrime ſuppuret. nam & minus phlegmone urgebitur,& neceſſe eſt carnes,quæ contuſæ ceſæq; ſint
A.l.4.f.4. T.1 d. p. 861. C * ταπείωσις etiam eſt in antiquis. * putrefactas & in pus uerſas liquari: poſtea nouã carnẽ naſci. Indicat.n. hoc ſermone manifeſte ſolos eos ulcerataru partiũ affectus non eſſe ſiccandos, in quibus gigni q̃ celerrime pus cupimus, utiq;, q̃ cũ

aliqua putrescentia pus fiat, obiter docens. Porrò omnia, quæ putrefiunt, ex calido & humido sic affi- E
ciuntur. Ideoq; etiam ea cataplasmata, quæ ex hordei farina componuntur, ceu quæ calefaciant humectentque, omnibus ijs affectibus, quibus moueri pus expedit, admouemus. Hordei nanq; farina ex aqua & oleo, itemq; panis ex aqua & oleo, præterea fomentum multæ calidæ aquæ, & tetrapharmaci uis, omnia deniq;, quæ calefaciunt & humectant, celerrime pus mouent. Ideoq; etiam ijs partibus, quæ phlegmone infestantur, ubi uehementius iam pulsitant, sic, ut iam desperetur de horum citra pus curatione, ueteres omnes eiusmodi applicant medicamenta: ante uero nequaquam. Atq; hoc Hippocrates ipse aperte nos docet in memoratis iam uerbis, quibus iubet, quæ sine contusione uulneratæ partes sunt, quam maxime siccare: quæ cum contusione quadam sunt læsæ, ijs quàm primum pus mouere. Quinetiam, cum dixit: Quæcunq; ulcera non probe &, ut conuenit, expurgata, semper prius pullulare incipiunt, ijs maxime caro supercrescit: Quæ uero probe &, ut decet, expurgata, semper ad ficcius promouentur, ijs, nisi sint contusa, caro ut plurimum non supercrescit. Quippe hic illud nisi sint contusa quod adijcitur, redigit nobis in memoriam, quod in superius proditis uerbis est dictum, nempe oportere omnia siccari præter ea, quæ contusa sunt. Neq; enim, sicubi cataplasmate, quod calfaciat humectetq;, illinuntur, quæ phlegmone infestantur, ex prima ratione id fit, hoc est, ut remedium affectus, sed ut symptomatis mitigatio. Siquidem ipsius phlegmones remedia sicciorum sunt uirium. F
Audi nanq; loquentem Hippocratem: Cataplasmata œdematum, & phlegmones, quæ in circa posi-
tis consistit, uerbascum coctum & folia trifolij cruda & epipetri folia cocta & polium. Quippe omnia
hæc siccandi uim habent: ueluti in commentarijs de simplicibus medicamentis docuimus. Et compe-
diaria obsessarum phlegmone partium curatio per id genus præsidia obitur, quæ sane uel affectũ pror-
sus submouent: uel, siquid exiguum, quod suppuret, reliquerint, alterum medicamentum acre, quod
educere pus queat, requiritur: uel, si tenuis circumposita cutis sit, uelisq; celerius explicatum, ægrum
sectio petenda est. Ceterum curatio phlegmones per hordei farinam dolorem lenire studentis est, non
medentis, & contra malum pugnantis. Verum de talium differentia in sequentibus plenius docetur.
Illa porrò mihi demonstrata manifeste puto, Hippocratem tum ulcera quæq; siccanda esse iussisse, tum
hunc esse curationis finem sanxisse, ipso scilicet affectu indicationem præbente, non tempore. Quòd
siquis hoc magis etiam sibi persuasum cupit, librum eius de ulceribus totum diligentius euoluat. Intel-
liget enim illud ipsum perspicue, tum unam esse ulcerum omnium generalem curationem, nempe quã
nos proximo libro docuimus: tum uero non minus illud, nullam esse a tempore nec in ulceribus, nec
in phlegmone, nec deniq; in alio quopiam affectu indicationem. Quoniam uero in hunc sermonis lo-
cum peruenimus, æquum est ostendere non modo horum, quæ iam retulimus, fuisse inuentorem Hip- G
pocratem, sed etiam reliquorum omnium, quæcunq; hunc scire, qui commode ulcus sit sanaturus, est
opus. Videtur enim is non solum ulcerum, quæ citra alium affectum consistunt, sanandorum rationem
inuenisse, ut quæ in siccando consistat, sed etiam priuatim per species affectuum cuiusq;. Nam aut ui-
tiosus succus ad partem, cui ulcus insedit, amplius non fluit, aut etiam fluit. Ac si non amplius fluit, ipsi
tantum, quod laborat, succurrendum est, si quidem uel liuidum, uel nigrum, uel rubrum conspicitur,
scarificando, ac sanguinem emittendo, mox (ut ipsius uerbis utar) spongiam statim sicciorem magis,
quàm humidiorem, superimponendo: (Neq; enim, arbitror, ignorabit quispiam particulam illam,
quàm, negationis hoc loco uim habere, tanquam ita diceret, sicciorem, non humidiorem.) Post hæc
uero etiam siccantia remedia applicando: Ab his, si res postulet, rursus sanguinem auferendo: ac mox
iterum talia peragendo, donec parta omnino sanitas sit: Quòd si labra ulceris dura callosaq; appareãt,
etiam ea excidendo. Etenim de his quoq; ita ait: Circularia ulcerum, si subcaua sint, circulo præcide-
re, quæ absceſſerunt, oportet, uel omnia, uel ex dimidio circuli secundum hominis longitudinem. Scri-
psit uero & de tumoribus, qui coniuncti cum ulcere sunt, uniuersis, quemadmodum curãdi singuli sint,
simili modo & de uaricibus. quando horum quoq; occasione contumax ad sanandum ulcus redditur,
quoniam aliqua ex his humiditas ad exulceratas partes defluat. Ad eundem modum, & cum ex toto H
corpore humor confluit, totum purgare iubet, nusquam uidelicet in his indicationem a tempore su-
mens. Nam & ridiculum plane sit adeo multas ac uarias, sæpe etiã contrarias indicationes ab una com-
munitate fieri. Nam, si etiam demus indicationem aliquam a tempore sumi, quæ tandem ea sit, dice-
re par est, ac summa quapiam una eam complecti: ueluti in reliquis omnibus ipse quoq; Thessalus fa-
cit, nedum nos. Quippe unum illi perpetuo indicat adstricti corporis affectus, nempe ut remittatur ac
relaxetur: unum rursus soluti, utiq; ut adstringatur. Quinetiam in ipsis ulceribus, quod sordidum est,
abstergeri postulat: quod cauum est, impleri: quod æquabile est, cicatrice induci: cui caro supercreuit
hanc sibi detrahi, etiam eo ipso auctore. Ergo, sicut in horum singulis, ita in diuturnis quoq; alterum
aliquid ad portionem ostendat, quod unum sit, uerum non potest. nam & excidenda ea præcipit. At,
quænam, quæso, sit ista rationabilis a tempore indicatio: tum remedio ex sinapi uti, de quo uanum
illud nomen metasyncriseos usurpat: ab hoc ex radicula uomitu: & postremo, cum nihil ultra inue-
niat, ueratro? Verum hæc quidem (quemadmodum dixi) etiam in sequentibus plenius dicentur, ubi
nihil usquam ullo in morbo a tempore indicari, sed signum id non nunquam affectus esse docebimus.

De indi-

A *De indicationibus uenæ sectionis, & humorum purgationis, quæ ab ulceratarum partium tem-*
peramento, & substantia sumuntur. *Cap. 6.*

VErum rursus ad Hippocratem reuertor: Quem sane diligentiæ nomine admiror cum in alijs omnibus, tum uero quòd scopum, qui medico ad indicationem non in uno alterove, sed prorsus omni morbo sit spectandus, non omiserit. Est porrò is, qui ab affectus magnitudine sumitur, quem non modo Methodici prætermiserunt, (non enim est id mirum) sed etiam rationalium plurimi, atq; etiam Empirici (quanquam alio modo) omnes. Nam, ubi † [in redundantis sanguinis (ut illi loquuntur) concursu,] uacuationem a se obseruatam dicunt, manifeste fatentur ob nullius alterius eorum, quæ in ægro uisuntur, respectum, se ad uacuationem accedere. Neq; hoc dico propterea, quòd purgatio uacuatio sit, quam redundantis sanguinis concursus non indicet, sed quòd etiam, tametsi redundantis sanguinis concursus non adsit, ad ipsam tamen sanguinis missionem interdum sit confugiendum: quãdo, si ualens morbus sit cum uirium robore, nemo est, qui sanguinem non mittat, qui utique in artis operibus sit exercitatus. Quippe ipsos Empiricos uidemus, cum lapsus ab alto quis sit, aut alias plaga aliqua contusas uehementer corporis partes habuerit, ad sanguinis missionem confugere, quanquã idem homo paulo ante sanus fuerat, prorsusq; redundantiæ sanguinis expers. Ex quo patet non hoc
B esse, quod mittendum sanguinem indicet, sed magnitudinem morbi, ac uirium robur, exceptis tamẽ a sermone pueris. Nam & alia ratione, siquis etiamnum sanus, nec adhuc quicquam læsus, in sanguinis redundãtis concursu sit positus, non statim huic mitti sanguinem est necesse: immo alij satisfacit inedia, alij cibi parcitas, alij soluta aluus, uel purgatio, uel frequentius balneum: alij sola exercitatio uel multa frictio abunde fuit. Missio uero sanguinis ne ab ipsis quidem Empiricis, ijs, qui ita se habent, necessario adhibetur. Ad eundem modum nec purgatio in sola uitiosi succi abundantia conuenienter susciputur. Sed, sicut missio sanguinis uel propter ipsius abundantiam, uel propter morbi magnitudinem, ita purgatio & propter abundantiam alterius cuiusquam succi, & propter uim morbi adhibetur. Ac de sanguinis missione tum in alio libro egimus, tum uero in sequentibus agemus. De purgatione in hoc libro differam. desiderant enim ægri hanc, non modo ut quod noxium superuacuum, quo urgentur, educat, sed etiam ut quod tum ad diuersum trahat, tum uacuet. Atque ob eam rem Hippocrates tum in reliquis omnibus operibus, tum in eo, quod de ulceribus prodidit, etiam morbi magnitudi-
" nem ad purgationis indicationem considerat, Purgatio inquiens, per aluum plurimis ulcerum pro-
" dest: præterea uulneribus, quæ in capite sunt accepta: item, quæ in uentre & articulis: ad hæc ijs, in
" quibus ossi caries impendet. Præterea, quæ suuntur, & quæ exeduntur & herpetibus, & reliquis, quæ
"C ulcera diuturna reddunt, etiam quæcunq; deliganda sunt, per aluum purganda sunt. His uerbis clare
" docuit ulceribus omnibus & uulneribus, quoties prævalida sunt, purgationem esse utilem. Cum enim
trifariam non hæc modo uitia, uerumetiam reliqua omnia grauia magnaq; reddantur, nempe uel propter afflictæ partis præstantiam, uel propter affectus magnitudinem, uel propterea, quòd sunt cacoethe, cuiusque horum seorsum uidetur Hippocrates mentionem fecisse, utique in capitis uentrisq; uulneribus præstantiam læsæ indicans partis. Ventrem autem hoc loco non solum inferiorem intelligendum esse, sed etiam superiorem, patere cuiuis arbitror. Diuiso nanque, quod inter collum & crura est truncho in duas capacitates maximas, prior sub thorace, secunda sub membrana, quæ abdomini subtenditur, (Peritonæon Græci uocant) continetur. Et sane uulnus, quod intra thoracem intrauit etiã peritonæon penetrauit, non paruum periculum affert, potissimum siquid interiorum unà sit uulneratum. Quinetiam cacoethe statim fieri, quæcunq; in articulis accepta uulnera sunt, id quoq; omnes fere sciunt, Empirici quidem ex sola ipsa experientia, cui soli attendunt: qui uero corporis naturę scientiam comparare studuerunt, ex ipsa uulneratarum partium natura. Vbi enim tendones, & nerui, & carne uacua, atque ossea loca sunt, hic doloris, uigiliarum, conuulsionis, & delirij periculum instat.
Tum hæc igitur uulnera, tum quæ suuntur, id est quæ adeo sunt magna, ut futuris indigeant, aut si non
D his, certe deligatura, alui purgationem desiderant. At uero iam dictum in proximo libro est, quæ magna ulcera sunt, ea uel futuris, uel deligaturis esse coniungenda. Quinetiam, quibus corrumpendi ossis periculum impendet, ea utiq; cum magnitudine phlegmones sunt. Iam, quæcunq; exeduntur, ea tum cacoethe sunt, tum malorum succorum soboles. Herpetes quoq; a bilioso excremento ortum habẽt, reliquaq;, quæ inueterantur omnia, ex huiusmodi quapiam causa proueniunt. Quare in omnibus his
" non sine ratione purgare per aluum iubet. In progressu uero hæc insuper adijcit: In omni ulcere, cui
" erysipelas superuenit, purgari corpus oportet, qua parte ulceri maxime conducit, siue id per superna,
* ἀντισπᾶν .i. reuellere. & sic linea seq. uertit. siue per inferna sit. Cuius etiam ipsius rei discrimen in libro de succis nos edocuit,* auertere nos iubẽs ad cõtraria, deriuare uero ad latera: quin etiam, cum maxime influit, tum ad diuersa reuellere. Dictum uero & de hoc in eo libro est. Quare nunc quoq; si etiamnum fluxio ualenter irruat, reuellere ad cõtraria studebimus, utiq;, si in superioribus ulcus consistat, per inferna purgantes: sin autem in inferioribus sit, superiorem uentrem uacuantes. At, si iam fluxio resistit, atq; in membro inhæsit, deriuare per uicina magis expedit. cum & in propinquiora translatio sit, & purganti medicamento promptior tum accessus, tum attractus e uicino detur. Hanc uero rationẽ ad aliã quoq; artis partem spectare, nempe quæ de succorum medicatione præcipit, neminẽ latere arbitror. Proindeq; in sequentibus etiam repetere eam erit necesse, ac totam absoluere. Nunc illud docere uolo, tum ipsam morbi siue uim, siue magnitu-

† ἐμὶ τῇ πλη-θωρικῇ καλου-μένῃ συνδρο-μῇ.

A.l.4.f.4.T. 2.c.2.p.867. C

A.l.1.f.2.d.3: c.11.p.87.C

nem appellare uelis, pro indicatrice quadam ſanguinis detrahendi, uel purgationis adhibendæ ſta- E
tuendam eſſe: tum uero Hippocratem hanc omnium, quos nouimus, primum *indicationem adinue-
niſſe. Ac de alijs quidem morbis in ſequentibus libris id oſtendam, de ulceribus uero in hoc, qui in
manibus eſt. Ac de purgationibus quidem mihi explicatum iam eſt. Nam, cum triplici genere mor
bus quiſq; ſit grauis, aut propter præcellentiam partis, aut propter affectus magnitudinem, aut propter
ipſius cacoethian, omnium horum meminit Hippocrates, ubi de purgatione egit. Quid igitur (dicet
aliquis) nunquid etiam ſanguinem detrahi interdum ſuadet propter has ipſas cauſas? Mihi uero id
quoq; iubere uidetur, uerum breuiter nec *ſine demonſtratione: ueluti tum ipſi, tum reliquis mos fuit.
id ita eſſe intelliges, primum quidem, ſi hæc eius uerba relegeris: Omni recens facto uulneri, niſi in uē-
tre ſit, expedit ex ipſo ſtatim ſanguinem plus minusve effluere. quippe phlegmone minus tentabitur
tum ulcus ipſum, tum quæ circumpoſita loca ſunt. Poſt hæc autem, ſi uerba, quæ in libro de ulceribus
ab eo ſunt ſcripta, tum quæ in alijs omnibus libris ſæpe propoſuit, recorderis, debere ſcilicet imitato-
rem eſſe medicum non tantum naturæ, ſed etiam eorum, quæ, cum ſua ſponte ueniunt, conferunt, cla-
re iam ſenis mentem intelliges de ſanguine, cum magna ſunt uulnera, detrahendo. Si nanq; expedit in
talibus ſanguinem effluere, non autem effluxit, quod deeſt, ipſe adijcias, oportet. declarant id ea,
quæ ſubiungit: quippe hæc ſtatim cum iam dictis uerbis copulat. Et ab ijs, quæ inueterata ſunt ulce- F
ra, ut ſanguis crebro fluat, efficere prodeſt, utcunq; opportunum uidebitur, tum ab ipſis ulceribus,
tum a circumpoſitis ulceri partibus. Nam, quoniam prædixerat omni ulceri recens facto ſanguinem
emitti debere, cernens, niſi etiam de inueteratis mentionem faceret, fore ut ab aliquo putaretur de re-
centibus tantum ita pronunciaſſe, idcirco illud recte adiecit, & ab inueteratis ulceribus ſanguinem mit
tendum eſſe. Ac, ſi perpetuum eſt, quod ab eo didicimus, incipientem fluxionem ad contraria trahen-
dam eſſe, fixam uero iam in laborante particula uacuandam eſſe uel ab ipſa particula, quæ affligitur, uel
a maxime uicina, in promptu nobis & de ſanguinis detractione colligere nũc eſt, quòd in principio hæc
e longinquo, poſtea ab ipſis exulceratis partibus ſit emolienda. Quinetiam, ſi ijs, quæ iam dixi, illud
quoq; adijcias, nempe quòd ipſum, qui redundat, ſuccum uacuandum eſſe Hippocrates ſuadet, alias ſan
guinis detractionem adhibebis, cum uidelicet is uincit: alias pharmacum, quod ad bilem flauam, uel
atram, uel pituitam educendam uim habet, dabis. Illius interim in omnibus his non immemor, non eſ-
ſe ulceris, qua ulcus eſt, ullam id genus curationem, ſed uel uitioſi, qui coniunctus eſt, ſucci, uel re-
dundantiæ, uel phlegmones, uel herpetis, uel eius generis alterius: Sed nec illius oblitus, quòd ali-
quid interim ex ijs, quæ ulceribus accidunt, indicationem propriam ſuggerat, ueluti magnitudo. Dic-
tum autem & de ipſis ulceribus eſt in libro, qui hunc præcedit: ubi ulcerum differentias omnes, & G
quot, & quæ ſint, & quæ ſit uniuſcuiuſq; indicatio, expoſuimus. Præberi tamen uacuandi indicationẽ
ab ipſa ægritudinis ui, in eo libro non dixi propterea, quòd & longiorem demonſtrationem require-
bat, & totius corporis curam cum ulceribus in eo non coniunxi. hic uero executus ſum, quantum ad
rem propoſitam erat utile.

*Græce legi-
tur & cum de
mõſtratione.
A.l.4.f.4.T.1.
c.2.p.861.B.*

*De reliquis indicationibus ulcerum curandorum, maxime uero de ijs, quæ a poſitu, & figura
partium oriuntur.* Cap. 7.

NAm abſolutus ſermo de hoc genere indicationis, quam a magnitudine morbi ſumi diximus, etiã
in ſequentibus habendus reſtat. pari modo de indicatione, quæ ab ætate ſumitur: præterea de ea
quæ ab humoribus ſanandis accipitur. Ad eundem modum, & quæ ab afflictis partibus indicatio ex-
hibetur, conſummatius in ſequentibus libris tradetur. Nunc enim, quod ab earum natura, id eſt tem-
peramento, & ſubſtantia ſumi ad curationem potuit, tantum diximus. Quæ uero tum a poſitu, tum a
forma, itemq; uſu, præterea ſenſus acumine, hebetudineve indicatio ſuggeritur, hanc non attigimus.
Dicatur itaq; & de his, quantum ſit ad ulcerum curationem utile. Igitur, quæ acuti ſenſus pars eſt, eam
quàm maxime citra dolorem curare tentandum. Tradita uero *eiuſmodi remediorum materia eſt in *σψωδύνων.
ijs libris, qui ſunt de ſimplicibus medicamentis inſcripti. Quæ parum acri ſenſu eſt, hæc, ſi affectus ita H
ſuadet, ualentiora remedia recipit. Et ptincipis quidem membri robur ſeruari oportet: ueluti latius,
ubi de phlegmone agemus, docebitur. Quod tale non eſt, licet, huic eam medendi rationẽ tuto adhi-
beas, quæ relaxando remittendoq; mitiget, Chalaſticen Græci uocant. Atq; hæc quidem in ſequenti-
bus fuſius tractabimus. In hoc libro indicationem, quæ & a poſitu, & a figura partium ſumitur, trade-
mus, atq; ita quarto huic libro finem imponemus. Hinc igitur excogitatum eſt ei, cui exulceratus uen-
triculus ſit, medicamenta eſſe bibenda: Cui gula, non ſemel, nec tota ſimul aſſumenda, ſed paulatim
& aſſidue. quando ex tranſitu & contactu uulneribus, quæ hîc ſunt, utilitas accedit, non ex continẽdo,
& diutius adhærendo, ſicut ijs, quæ in uentriculo ſunt. Quinimmo, & quòd craſſiora hæc, & magis lenta
ſint adhibenda, id quoq; a poſitu figuraq; eſt indicatum. Nam, quoniam gula tranſitus quidã come-
ſtorum bibitorumq; eſt, idcirco remediorum eget, quæ adhærere, & undiq; quaſi concreſcere, & agglu-
tinari poſſint: non aũt quæ elui ac defluere ſint prompta. Ac circa partes eius ueluti concreſcunt, quæ
craſſa ſunt: agglutinantur, quæ lenta ſunt. Quæ uero ulcera in craſſis ſunt inteſtinis, ijs, quæ per ſedem
injciuntur, remedijs magis egent: quippe cui magis ſunt propinqua. Quæ in tenuibus habentur (quo-
niam & lõginquiora ſunt, & medio ſitu poſita) ambo requirũt, & quæ ſuperne ſumuntur, & quæ per ſe-
dem infunduntur. Sane cõis oĩum internarũ partiũ indicatio eſt, ut ea eligãtur, quæ aĩalis naturæ maxi-
me

Ame ſint familiaria, ſiue ea cibi ſint, ſiue medicamẽta: fugiantur reſpuanturq; huic contraria. quanquam
in ijs, quæ foris ſunt, ulceribus innoxius etiã taliũ medicamentorũ eſt uſus, æruginis, æriſq; uſti, & æris
ſquamæ, & cadmiæ, & pompholygis, lithargyri, & ceruſſæ. Hæc igitur, & ſimilia interioribus exhiberi
non debebunt. Porrò proditum de natura horum eſt tum in tertio de temperamẽtis uolumine, tum in
libris de ſimplicibus medicamentis. Eligenda uero alimenta ſunt, ſi quidem ad cicatricẽ perducere, aut
glutinare ulcus ſtudemus, tum auſtera, tum glutinoſa, tum quæ minime mordeant: Sin emundare, quæ
modice abſtergeant: quod munus mel non coctũ præter cetera præſtat. Auſteræ uero potiones, & eiu-
ſdem rõnis alimẽta cuiq; ſunt nota. Voco auſterũ id, quod Styphon quoq; græce, id eſt adſtringẽs, di-
citur: Acerbũ uero, quod intenſum auſterũ eſt, græce Stryphnon. Quæ uero medicamẽta citra interna
rum partiũ moleſtiã ſumantur, ea tradita ſunt in his libris, qui de medicamẽtis ſunt ſcripti. Dicetur tã
& nũc eorũ formula. Ergo internis ulceribus opitulantur hypocyſtis, & balauſtiũ, & cytini punicorũ,
*σάμιος ἀσήρ. & galla, & mali coriũ, & *terra ſamia, & lemniũ ſigillũ, & rhois roſarumq; ſuccus, & acacia, aliaq; id ge-
nus, quæ ulceribus internis præſidiũ afferunt, nec ullam uiſceribus noxã inferunt. Danda uero hæc ſunt
ex aliquo adſtringentiũ decocto, uel mali cotonei, uel lentiſci, uel ſummorũ rubi uitis ve, uel myrtorum,
uel deniq; ex uino aliquo auſtero. Non latet aũt & de uini uſu, quod cauendũ id eſt, ubi phlegmones
B ſuſpitio adeſt: alias dari nihil uetat. Nec illud obſcurũ eſt, eiuſmodi medicamina præparanda, ac iam di
ctis humidis excipienda eſſe: tum uero tragacanthen, & gummi illis admiſcẽda: potiſſimũ ſiquis ea ijs
A.l.1.f.4.c.28 p.155.B quæ in gula ſunt, exhibebit. Sed & gargarizare quoq; iubendũ eſt ei, qui ad fauces & pariſthmia his ute
tur. At ad ulcus, quod in aſperã ſit arteria, ut ſupinus quàm diutiſſime in ore teneat, ac omnes, qui illic
ſunt, muſculos relaxet remittatq;, præcipiendũ. Influit .n. ſic ſenſim & paulatim de medicamento ali-
A.l.3.f.10.T.3.c.1.p.487.C. quid ſenſibiliter & manifeſte in ipſam arteriam. Nam, & cum naturaliter ſe habet, ſcire licet potionis
non nihil huc percolari. Sed, ueluti in ſecunda ualetudine, ita nimirum in aduerſa cauendum eſt, ne
largius influat, utpote quod tuſſim excitabit. Nam, quoad humor undiq; iuxta tunicas arteriæ, ceu iu-
xta murum aqua, deſcendit, tuſſim utiq; nõ cit: ſiquid per mediã ſpiritus uiam incidit, tuſſes ſtatim exci-
tat. Tum hæc igitur a ſitu & forma partiũ omnia ſunt deſumpta: tum uero non minus illud, quòd om-
nibus medicamentis, quæ thoracis & pulmonum ulceribus ſunt deſtinata, mel ſit admiſcendũ: quando,
ſi auſtera ijs duntaxat medicamenta exhibebis, ea in uentriculo morabuntur. Ergo digeſtionis eorũ in
corpus, inſtrumentum mel erit, ac celeris tranſitus ueluti uehiculum: cum eo, quod nec ulceri nocebit.
Ad eundem modum, quoties in ueſica, & renibus uitium conſiſtit, non ſolum mel ipſum, ſed etiam eo-
rum, quæ urinas mouent, quippiam, ulcerum medicamentis miſceri oportebit. Illud quoq; patere, uel
Cme tacente, cuiuis arbitror, exulceratas partes tum ex earum ſubſtantia, tum functione, tum utilitate,
tum poſitu, tum figura diſcerni. Monſtratum autem id abunde eſt in libro de notis affectorum loco-
rum. Verum non eſt de illis nunc locus. Rurſus igitur ad medendi methodum reuertor. Aio igitur nõ
hæc modo, ſed etiam alia non pauca ex figura partium poſituraq; indicari: quippe quando nec deliga-
re commode ægram particulam poſſis, niſi prius uel ex figura, uel poſitura, uel utriſq; indicationẽ ſum-
pſeris. ſed nec immittere in ſedem clyſteris fiſtulam commode queas abſq; eius generis indicatione.
Iam per penem injicere medicamenta in ueſicam ſæpe neceſſum eſt. Illud de cathetere apponere opus
nõ eſt, quòd eo probe uti omnino nequeas, niſi & poſitum & figuram totius ueſicæ plane perſpectã ha-
beas. In talibus ergo oĩbus clare patet non parum ad totam curationem affectum ipſum locum indica-
re. In ruptis autem, (quæ Rhegmata Græci uocant,) plures indicationes in idem concurrunt. ſiqui-
dem, & quæ a poſitura capitur, recte ad examen uenit. Nam propterea, quòd & in profundo corporis
ſunt, & latent, idcirco diuerſam curationem ab ijs, quæ apparent, poſtulabunt. Quoniam uero cum ec-
chymoſi quidem omnino, aliquando uero & cum contuſione circum ipſam præruptam carnem conſi-
ſtunt, idcirco plures curationes indicabunt. Semper enim pro affectuum numero, etiam medendi *in-
dicationes reſpondent. Ac docebitur quidem, ubi de phlegmone differemus, locupletius, quòd ualẽ-
D tiora medicamenta requirant, quæcunque in profundis partibus laborant, quàm quę in ſummo cor-
A.l.1.f.4.c.3. p.137.B pore ſunt affecta. Nunc id ſaltem arbitror patere, quòd ſolui neceſſum eſt præſidiorum, quæ foris appli
cantur, uim, ubi, quod ab his iuuandum eſt, in profundo latet. quare intendere hanc eatenus opor-
tebit, quatenus per tranſitum ad profundum eſt remittenda. Sane ecchymoſis omnis, uacuationem
pro remedio curationis indicat: quare calfacientibus huic & modice ſiccantibus medicamentis eſt
opus. Quippe, quæ uehementer ſiccant, digerunt illa quidem in principio euidentius, quàm quæ ſunt
imbecilla, ceterum non nihil ipſius uitij, ſcirrhoſum difficileq; curatu relinquunt. Ac dicemus de his in
ſequentibus diligentius. ſed & nunc, quantum ad rem pertinet, abunde eſt dictum. Quæ enim hume-
A.l.4.f.4.T.2 c.2.p.868.D. ctant calfaciuntq; pharmaca: præterea hæc, quæ omnes iam græce uocare Chalaſtica, id eſt relaxantia,
ſolent: atque ex his quæcunque ad ſiccius paulo uergunt, nec tamen adhuc clare manifeſteque con-
trahentia ſunt, quæ *Syntatica uocant, hæc omnium ſunt ecchymomatum remedia. Curandum ue-
ro eſt, ut unà cum ruptis, quæ in profundo hærent corpore, hæc tum uires magis habeant intentas: tum
ipſa magis acria magisq; *diſſipantia ſint: tum (ut ſemel dicam) tanto efficaciora, quanto magis a cu-
te ad profunda ecchymoſis receſſit. In talibus ſane nec cucurbitæ uſus ſit inutilis. Id etiam eſt inſtru-
mentum ad uiolentum attractum a medicis excogitatum. Ceterum, cum totum ecchymoma dige-
ſtum per halitum eſt, ſiccare iam uehementius ruptum ipſum permittitur, ac deligatura coniungere,

*Alias ξηραν-
τικὰ. i. exiccã
tia.
*τηκτικώτερα.
i. incidentia.*

omniaq; in ſumma facere, quæ, ut ulcus coaleſcat, efficiant. Ergo, ſi euocatum celeriter ecchymoma E
ſit, facile coaleſcet rupta ipſa caro. Sin longiore ſpatio, ſordes multa ſubnaſcens medium inter ulceris labra ſpatium occupat ita, ut iam coire ruptio non poſſit. Atque inde adeo fit, ut qualibet leui de cauſa nos hæc ſui admoneant. Nam, ſiue quis obriguit, ſiue parum concoxit, ſiue febri laborauit, ſiue ſe uehementius fatigauit, eiuſmodi particulis ilico dolet. Non enim in idem coiere ruptionis labra, ſed tantum prope ſunt admota. Quo fit, ut leue momentum ea facile ſeparet, & medium locum ſuperuacuo humore repleat. Et quid, quæſo, aliud, quàm aſſidue nouum ecchymoma his gignitur? & primo illi, cum uidelicet primum caro eſt rupta, ſimile: niſi quòd nunc ex tenui magis *ſanie conſtat, cum in principio e ſanguine ecchymoma eſſet: ideoque facilius etiam nunc, quàm intra initia, digeritur. Hæc itaque, quæ hactenus diximus, diſputationi de ulceribus ſatisfacient. Finemque iam quarto huic uolumini impono.

GALENI METHODI MEDENDI, ID EST

DE MORBIS CVRANDIS,

LIBER QVINTVS.

ARGVMENTVM LIBRI.

Sanguinis profluuia, quæcunque venis uel arterijs læſis contingunt, ſanantur, ac ulcera in pene uel in ſede.

Epilogus uniuerſæ ulcerum curationis ſuperioribus libris explicatæ. Cap. 1.

VEMADMODVM quis ulcerum curationem optime moliatur, cum duobus ante hunc libris docuerimus, illud obiter oſtendimus, reliquos omnes medicos, qui ſimplicium in nobis particularum elementis minime inquiſitis artem adeunt, non poſſe quicquam certa ratione ſanare, minimeq; omniũ, qui Theſſali dogma profitentur. Reliqui nanque ea ſaltem ulcera, quæ in diuerſis ſint partibus, diuerſis rationibus ſananda cẽſent, ipſa nimirum experientia docti. G
Qui uero Theſſalum authorem ſequuntur, propter excellentem ſcilicet ſapiẽtiam, omne ulcus, quacunque in parte animalis ſederit, ſimilis egere curationis putant. Quippe, ſi cauum ſit, impleri: ſi æquale, cicatrice induci: ſi caro ſupercreſcat, hanc detrahi: ſi cruentum recenſq; ſit, agglutinationem poſtulare aiunt: ceu uero, qui hæc norit, eum recte mederi ſit neceſſe: nec ſit hæc ratio etiam cuilibet e plebe communis, cum nemo ſit, qui horum quicquã ignoret. Ceterum nec, quemadmodum carne implendus ſinus ſit, nec, quemadmodum ad cicatricem perduci, quod impletum eſt, debeat, aut comprimi, quod ſuperauctum, aut coaleſcere, quod purum citraque ſinum eſt, intelligunt. Sunt enim eiuſmodi opera tantum medicorum, quæ uel ratione, uel experientia, uel utriuſq; ope ſunt inuenta. Rurſus igitur repetentes, ſummatim ea percurramus, quo dicendorum caput cum dictorum copuletur calce. Monſtratum eſt omne ulcus ſiccantia medicamenta requirere: Ceterum, quod ſinum habet, ut minus ſane, quàm reliqua, ſic ea, quæ, præterquam q̃ modice ſiccent, etiam abſtergendi facultatem obtineant, deſiderare: Quod uero coniungi ſibi labra poſtulat (cuiuſmodi ſcilicet ſunt, quæ medicis latine Cruenta, græce Enema dicuntur) huic tum, quæ magis etiam ſiccẽt, tum uero, quæ citra abſterſionem leuiter adſtringant, opus eſſe: Iam, quæ ulcera perduci ad cicatricem poſtulant, hęc non ſolum magis adhuc ſiccantibus, ſed etiam ſtrenue adſtringentibus remedijs egere: H
Quòd ſi caro eorum præter naturæ modum intumuit, acria & demolientia (quę eadem calida ſiccaque neceſſario ſunt) deſiderare. Si quod uero aliud ſymptoma ulceri adiunctum erat, ab eius natura curationis indicatio ſumebatur: atq; ex hac rurſus remediorum facultas petebatur: Si nanque ſordes innaſceretur, quæ hanc tollerent, opus eſſe: eaq; omnia abſtergendi uim habere multo ſane maiorem, quàm ea, quæ carne implerent: Si uero copioſior in his humiditas cerneretur, etiam quod magis ſiccaret, medicamento opus eſſe, ceterum quod propriam ſpeciem non egrederetur: Ac, ſi agglutinaturum medicamentum eſſet, ſiccans adſtringens q; id eſſe debere: ſi carne impleturum, ſiccans & abſtergens: atq; in ſingulis reliquorum, uti dictum eſt: Si uero intemperata ſubiecta caro eſſet, primum eius intemperãtiæ ſuccurrendum eſſe, utique, quæ ſiccior iuſto eſſet, hanc humectantibus: quæ humidior, ſiccantibus: tum quæ calidior eſſet, refrigerantibus: quæ frigidior, hanc calefacientibus: &, ſi gemina qualitate eſſet intemperata, pharmacum quoq; eligentibus, quod gemina eſſet qualitate contrarium: Quippe id omnium, quę præter naturam ſunt, commune eſſe, non poſſe ad naturam ſuam redire quicquam ſine ijs, quę ipſi facultatem haberent contrariam: Conſiderandas prꝫterea & intemperantiæ cauſas hoc tempore eſſe, ſiue hę totius corporis eſſent communes, ſiue quarundam partium propriæ, quę uidelicet per ſocietatem (quam Sympathian uocant) exulceratum membrum infeſtarent: Medendum uero primũ eſſe

A eſſe cauſę, quę intemperantiam adhuc foueret: poſt hanc uero ipſi, quæ iam facta eſſet, intemperantię: Quippe hanc communem* indicationem eſſe omnium, quæ ex cauſa quapiam oriantur. Oſtendimus autem tum ab ulcerum differentijs diuerſas præberi indicationes: tum eas, quæ a laborantis corporis temperamento ſumuntur, diuerſam ab his habere rationem. Siquidem illæ, cum ex ijs, quæ præter naturam ſunt, ſumantur, omnes contraria eſſe adhibenda dictant: hæ, cum ab ipſa natura capiantur, ſimilia. Nam, ſi qua ſiccior pars eſt, ea magis ſiccari poſtulat: quæ minus talis eſt, ea minus eſt ſiccanda. Ad eundem certe modum & de calefaciendo refrigerandoque eſt præceptum. Nec illud omiſimus, ex præcellentia membri, aut contrario ſtatu, itemque ex ſenſu acri hebeteve diuerſum medicandi conſilium peti.

De unitatis ſolutione in uena, uel arteria. Cap. 2.

ERgo, quod reliquum eſt huius morborum generis curandi, id nunc apponamus. Nos genus id, lucidioris doctrinæ cauſa, unitatis ſolutionem appellauimus. nec refert, ſi continuitatis ſolutionem uoces. Incidit hæc non in ſimilaribus modo, & ſimplicibus partibus, ſed etiam in compoſitis, & inſtrumentalibus. At uero remediorum indicationes aliæ a ſimilaribus ſumuntur, aliæ ab inſtrumentalibus. Quarum ambas norunt, qui methodum Hippocratis conſectantur, propterea, q̃ utrarunq; partium naB turam intelligunt: alteram autem duntaxat (nempe quæ ab inſtrumentalibus præbetur) qui Eraſiſtratum, & Herophilum ſequuntur. Quare in ijs, qui ſequentur, ſermonibus, quæcunq; a calido, frigido, humido, & ſicco corpore morbove indicationes ſumuntur, nullius certe methodum hi habebunt: quæ uero a forma, poſitu, præcellentia, acri ſenſu, aut his contrarijs præbentur, has nõ ignorabunt. Illuſtrius erit, quod dicimus, ſi partes ipſas propoſuerimus. Quoniam igitur de ijs maxime ulceribus, quæ in carA.l.4.f.4.t.2. c.16.p.872.f. noſis accidunt partibus, hactenus abunde tractauimus, nunc tempeſtiuum uidetur de ijs agere, quæ in arteria, uena, & neruo contingunt: nec de ijs abſolute, ſed ut in quouis ſunt uiſcere, uel deniq; inſtrumentali animalis parte. Ergo, ſicui arteria uenaue magna uulnerata eſt, & copioſum ſanguinis profluuiũ continuo ſuperuenit, & glutinari id uulnus difficile quidem etiam in uena eſt: in arteria uero non ſolum difficile, ſed etiam quod fieri (ſicut non nullis medicorum eſt uiſum) omnino fortaſſe non poſſit. Dicendum ergo uiciſſim de utriſq; eſt, ac prius de ſanguinis profluuio: ſecundo loco de agglutinatione. Quoniam autem, & per anaſtomoſin, & per diapedeſin, ut mox docebimus, profluuia huiuſmodi fiunt, non alienum ſit propterea, quòd curationem communem habent, etiam hoc loco de ijs meminiſſe, tametſi ex alio eſſe morborum genere uideantur. Sane profluit ex uena, uel arteria ſanguis, aut reſerato earum ore, aut tunica earum diuiſa, aut (ut ſic dicam) tranſcolatus, ſiue ſudoris modo tranſmiſſus. Por
C rò diuiditur ipſa tunica tum ex uulneratione, tum contuſione, tum ruptione, tum eroſione. Anaſtomoſis accidit propter tum uaſis imbecillitatem: tum ſanguinis, qui ad os eius impetu ruat, copiam: ad hæc, acrem quampiam, quæ illi extrinſecus incidat, qualitatem. Diapedeſis uero ex tunica quidem ipſa rarefacta, ſanguine uero tenuato oritur: accidere prꝫterea interim poteſt & ex gracilium uaſorũ ore adaperto. Dicendum igitur eſt de horum affectuum unoquoq; ſeorſum: ac primum de diuiſione, quam uel ex eroſione, uel uulnere, uel contuſione, uel ruptione diximus accidere. Quæ itaq; uulnerant, ea ſunt acuta, atq; ad ſecandum habilia: quæ contundendo ſoluunt, ea grauia duraq; ſunt: quæ rumpunt, omnia id tenſionis interuentu faciunt: idem & intenſior actionis uehementia facit, tum ſucci abundantia, non utique uirium reſpectu, ſed cum a uaſe ſuo non continetur: etiam caſus ab alto, tum graue quippiam durumq; incidens. Quippe eiuſmodi aliquid cum uel uaſis uacuis, uel puſillam omnino rem continentibus in ea inciderit, ſi durum ex oppoſito obiectum habet, contuſa reddit: at, ſi plenum uas ſit, prius id rumpit, quàm contundat: cum ſit, quod tum accidit, perſimile, ac ſi utrem ueſicamve impleas, atque in hanc lapidem iactes: uel contra lapidi utrem uiolenter illidas. Sane huic perſimile eſt, quod accidit in caſibus ab alto. Quam nanq; rationem uter habet ad lapidem, hanc homo habet ad ſolum. Quiſquis uero ex maximo acutiſſimoq; clamore, in pulmonibus uas perfregit, is uiolentię actionis acceptum maD lum referet. Similiter huic, & qui ex eo, q̃ prægraue onus aut humeris imponere eſt conatus, aut alias manibus attollere, uas fregit. Atq; hoc etiam magis, cui ex concitatiſſimo curſu, aut ualentiſſimo ſaltu, aut aliter particula ulla uiolenter extenſa id accidit. Eſt enim id quoq; perſimile, ac ſi funem, aut lorum quàm maxime diſtendas. Porrò perrumpi quoq; non pauca propterea, quòd ſanguinem, quem in ſe habent, non continent, potiſſimum cum flatulentus is ſit, indicio ſunt tum dolia, quæ ſæpe muſto rumpuntur: tum alia multa ualentiſſimorum corporum.

Quibus remedijs uenarum & arteriarum ulcera agglutinari, & fluxus ſanguinis deriuari, ac reuelli queat. Cap. 3.

AC, ſi ex uulnere, uel clamore, uel caſu, uel contuſione perruptum uas eſt, utiq; in his cauſa ipſa deſijt. Si uero ex abundantia, fieri poteſt, ut uas etiam amplius rumpatur, effectrice ſaltem adhuc manente cauſa. Atq; in hoc quidem affectu uacuanda quamprimum abundãtia eſt: abhinc ſanguis ſupprimendus: mox ulcus ipſum curandum. Vbi uero effectrix cauſa iam deſijt, primum ſiſtere ſanguinem expediet, poſt ulcus ſanare, [Quomodo igitur ſiſtemus ſanguinem?] Obturato quidem, quod perruptum eſt: auerſo autem atque aliorſum translato, quod per id ferebatur: quando, ſi id eo, quo inter initia, impetu confluat, oſculũq; uaſis pari modo pateat, citius plane moriatur animans, quæ profluuio laborat, quàm ſanguis ceſſet effluere. Porrò ulcus ipſum claudet uel labris eius, quę diſſident, in idẽ adductis:

adductis:uel oſculo eius obſtructo. Adducẽtur in idem labra eius tum noſtrarum manuũ opera,ubi ſic E
ad manum ulcus ſe exhibe.t:tum per deligaturam:tũ uero per ea remedia,quæ refrigerẽt,& adſtringãt.
Neque enim ſuere fas eſt arteriæ veneve vulnus: veluti dixerint, qui nullam a vulneratæ partis ſubſtan
tia naturaque ſumi indicationem aiunt. Obſtruetur uaſis oſculum & ſanguine ipſo concreto(qui Thrõ-
bos græce dicitur:)& ijs,quæ foris illi imponuntur. Poſſunt autem ſuperimponi tum carnoſæ ipſæ,quæ
circa ulcus ſunt,partes: tum in non nullis vulneribus ipſa cutis:ad hæc quæcũque ipſi comminiſcimur.
Ea ſunt & linamenta,quæ Motus græce vocant,& medicamenta ea,quæ idcirco, quod ex lenta craſſa-
que ſubſtantia conſiſtant,meatus obſtruunt, (Græci Emplaſtica vocant:)præterea quæ cruſtam, quam
Græci Eſcharan vocant, efficiunt. Quippe hãc quoque ceu ſeptum quoddam huiuſcemodi vlceribus
veteres excogitarunt. Efficiunt hanc tum ignis ipſe, tum quædam medicamina quibus ignea vis ineſt.
Atque his quidem rebus obſtruitur vaſis oſculum. Auertitur autem ſanguis,atque ad alia membra con
uertitur,tum ad proxima deriuatus:tum ad contraria reuulſus. Illud Parocheteuſin: hoc Antiſpaſin græ
ci vocant. Nam hæc quoque Hippocratis inuenta ſunt,omnis ſcilicet immodicę vacuationis commu-
nia remedia. Deriuatio ad vicina loca fit,cum id,quod per palatum vacuatur, per nares deriuatur: re-
uulſio autem ad contraria,cum ad inferna reuellitur. Rurſus,quod per ſedem profluit,id per vuluam de
riuamus:ſurſum uero reuellimus. Ita nanque & natura ipſa facere ſolet. Mulieri enim,inquit Hippocra F
tes,ſanguinem vomenti menſes ſuperuenientes remedio ſunt. Hac igitur de cauſa, ſi vel menſes con-
fertim eruperint, vel ſanguis ab utero quoquo modo profluxerit, ſurſum reuelles, cucurbitã maximã
ſub mammis defigens. Nam & hoc Hippocratis inuentum eſt. Eandem ob cauſam,cum e naribus ſan-
guis erumpit,id retinent maximæ in præcordijs defixę cucurbitæ. Infigendæ autem ſunt,ſi ex dextra na
re profluit,ſuper iecinorc:ſin ex ſiniſtra, ſuper liene. ſi ab vtraque nare, ſuper vtroque ſunt imponendæ
uiſcere. Quòd ſi reſolutus adhuc æger non ſit, etiam vena ex eo cubito incidenda eſt, qui profuſioni e
directo reſpondet. Vbi paulum detraxeris,mox vnam horam intermittens,rurſus detrahes,poſt iterum A.l.1.f.4.c.3.
atque iterum,pro laborantis uiribus. Ad hunc modum & reliquas omnes fluxiones (quippe commu- p.137.A.
nis ratio eſt)tum ad contraria reuocabis,tum per vicina deriuabis,vtique,quæ per aluum fluunt, ea vel
per vrinas,vel vterum tranſmittens:quæ vero per vrinas,ea vel per uterum,vel per ſedem transferens:
pari modo,quæ per vterum erumpunt,vel per vrinas,vel per aluum:quæ uero in oculis,aure,vel palato
fluxiones accidunt,eorum ad uicina deriuatio per nares eſt. Reuulſio vero in ijs,quę ſupra ſunt, omni-
bus,deorſum ſemper agitur:ſurſum,in his,quæ ſunt infra. Præterea a dextris ad ſiniſtra, ſicut ab his rur
ſus ad illa. ſimiliter ex ijs,quæ intus habentur,ad ea,quæ foris ſunt:contraque ab his ad illa. Ergo frictio
contrapoſitæ partis potiſſimum per ea medicamenta,quæ calefaciant:præterea uincula ualentius addu G A. ibidem. B.
cta,ijs,quæ ad contrarium reuocant,remedijs ſunt annumerãda. Non ſecus profecto & naturaliũ mea-
tuum,qui poſiti ex aduerſo ſunt,reclusio. Quæ vero id præſtare medicamenta poſſint,tradita eorum ma
teria a nobis eſt in libris,quos de medicamentis prodidimus: ſed de omni fluxione in ſequentibus etiã
libris tractare neceſſum erit: Nunc ad ſanguinis profluuium eſt redeundum. Quippe de genere obturã-
tium quodãmodo eſt & vinculum ipſis profluentibus uaſis iniectum: ipſique noſtri digiti, dum ea com
mittunt,ſtringuntque. Eſt & alia huc pertinens ligatio, quam Græci Epideſin vocant: quanquam ipſum
vas circulo non complectitur,ſicuti vinculum: uerum cum ex parte complexu ſuo committat quodam
modo uulnerati membri diſſidentia labra,&,quæ ſuperimpoſita ſunt,contineat, merito inter clauden-
tia remedia numeratur. Præter omnia iam dicta, inter hæmorrhagiæ remedia cenſeatur, & appoſitus
uulneratæ partis ſitus. Porrò appoſitus fuerit,ſi ad geminum hunc finem ſit directus: nempe ut & dolo-
re pars careat,& ſurſum ſpectet. Si uero uel prona ſpectet,uel doleat,nõ ſolum profluuium non ſiſtetur,
ſed etiam,ſi non ſit,prouocabitur. Ergo,qui hæc norit,ſiquando aſtiterit ei, cui ex uulnere ſanguis pro-
fluit,(de his enim primum agam)ilico digitum ſuper os uulneris uaſis imponat, blande innitens, ac ſi- A.l.1.f.4.c.22
ne dolore comprimens: quippe ſimul tum ſanguinem ſiſtet,tũ eum concreſcere in uulnere faciet. Qui p.152.E.
nimmo ſi uas,unde profluitur,alte ſit demiſſum,certius ipſius tum poſitum intelligat,tum etiam magni H
tudinem: præterea,uenane ſit,an arteria. Poſt hæc iniecto unco attollat,ac modice intorqueat. Quòd ſi
ne tunc quidem ſiſtitur ſanguis, ſi uena fuerit, tentet citra uinculum ſanguinem ſupprimere aliquo
ex ijs medicamentis, quæ ſanguinis ſupprimendi facultatem habeant. Sane optima horum ſunt em-
plaſtica ea, quæ ex frixa reſina, & farinæ triticeæ tenuiſſimo polline, & gypſo, alijſque id genus ſunt
confecta. Sin arteria ſit, duorum alterum, aut uinculo amplectens, aut totum uas prȩcidens, pro-
fluuium ſiſtes. Sane uinculum magnis quoque uenis inijcere interdum cogimur: atque etiam inter-
dum totas præcidere utique tranſuerſas. Incidet autem huius neceſſitas in ijs, quæ ex profundiſſi-
mo loco rectę aſſurgunt, præſertimque per anguſtas, uel principes particulas. Quippe ita retra-
hitur ex utraque parte pars utraque, celaturque ac integitur a ſuperiacentibus corporibus uul-
nus. Tutius tamen eſt utrunque facere, & uinculum uaſis radici inijcere, & quod deinceps habetur
præcidere. Radicem uaſis uoco priorem eius partem, quę uel iecinori propior eſt, uel etiam cor-
di. hæc in collo ab inferiore eſt parte: in brachijs & cruribus a ſuperiore: in ſinguliſque reliquarum
partium,prout ex diſſectione intelligere licet: quam nec ipſam amethodi iſti Theſſalij admittunt.

A *Quo pacto implenda carne ſint ulcera, cum ſanguinis impetum ſiiterimus: ac de medicamentis, quæ cruſtam inducunt.* Cap. 4.

HIs peractis implendum carne uulnus quàm primum eſt prius, quàm uinculum a vaſe decidat. Niſi enim producta caro prius locum, qui circa præciſam arteriam eſt, impleuerit, ſed locus aliquis uacuus ſuperfuerit, utique, quod Græci Aneuriſma dicunt, ſequitur. Quam ob rem eo potius genere ſanguinem ſiſtentium utendum ſuadeo, quòd ſua lętitia meatus obſtruat, (emplaſticon uocãt) quàm quòd cruſtam efficit, propterea, quòd & citius & minore cum periculo poſt ipſum impletur uulnus. Quippe
A l.3.f.17.c.9 p.655.C. periculum in altero eſt, ne, ſi deſluat cruſta, rurſum ſanguinis, profuſio ex uaſe excitetur. Optimum igitur omnium, quæ noui, medicamentorum, quo etiam ad cerebri membranarum hæmorrhagias tutiſſime utemur, eſt, quod nunc ſubijciam: Thuris pars una, aloes partis unius ſemiſſi miſcetur. mox cum utẽ di tempus inſtat, tantum huius cum oui candido ſubigitur, quantum mellis reddat craſſitudinem: hoc dehinc leporis molliſſimis pilis excipitur: deinde tum uaſi ipſi, tum ulceri toti liberaliter imponitur. alligãdum autem id forinſecus faſcia eſt ex tenui linteo. Cuius faſciæ primi quatuor quinque ue amplexus ipſi profluenti vaſi inijcientur. abhinc vaſis radicem verſus ducentur, in quibus uidelicet partibus radicem verſus ducere licet. Licet autem fere in omnibus præterquam cerebri membranis. His factis,
B ubi tertio die ſolueris, ſi tuto adhuc medicamen vlceri adhæret, aliud rurſus ſuper impones: ac ueluti linamentum id, quod ex pilis factum inhæſit, made faciens deligabis ita, vt initio deligaſti. Sin prius ſua ſponte linamentum decidat, radicem vaſis digito blande comprimens, quatenus videlicet nihil confluat, hoc quidem ſuſpenſa manu adimes, atq; alterum impones: ad hunc modum, quoad carne munietur, curare vas debebis, vtique à principio ad finem vſque particulam ſupinam ſeruans, cuſtodito tamẽ in hac ſitus figura, modo. Vitandum enim, ne dolor incidat, ac rurſus profluuium excitet. cum nihil ſit, quod profluuium magis, quàm dolor, proritet, & phlegmonas augeat. Hoc medicamento multifariam vtor, alias (vt dictum eſt) duplũ thuris aloe admiſcens: alias pari modo ambobus vtens: alias paulo ſuperante aloen thure, aut etiam pluſculo, ſed nondum duplo: etiam mannam pro thure aliquando inijciens. Eſt autem manna medicamentum, quod magis, quàm thus, adſtringat: Thus uero, quàm manna magis emplaſticum. Porrò conſtat in duris corporibus plus aloes eſſe immiſcendum, in mollibus plus thuris. Eritque alterum eorum magis adſtringens: alterum lentitia & craſſitudine ſua tenuibus ſpiramẽtis magis inhærens: quod emplaſticoteron uocant. Itaque etiam, magis tenax, ac (ut ſic dicam) reſinoſius deligas thus oportet, ubi magis eſſe emplaſticum medicamentum ſtudebis: id ſane tum mollius eſt tum albidius, tum quod manſum ritu aloes & mannæ non comminuitur, ſed partes ſuas ſibi cohærẽtes
C defendit, ueluti Chia maſtiche. Verum hæc eius tractationis ſunt propria, quæ de componendis pharmacis præcipit: quam in hoc opere non alicubi attigiſſe omnino non licuit. Siquidem aut nuſquam nobis particularis exempli facienda mentio fuit, ſed ipſis tantum uniuerſalibus contentos eſſe methodis oportuit: aut, ſi particularia poneremus, etiam præparatio eorum fuit attingẽda. Verum (ut ante eſt dictum) eius generis remediorum, quæ methodo ſint inuenta, uno alterove exemplo hic poſito contentos eſſe conueniet. Id uero ſemper mihi teneri memoria uelim. Sed reuertamur rurſus ad id, quod dicendo, parum abſoluimus. Mentionem enim iam dicti medicamenti idcirco pluribus feci, quòd ceteris id omnibus præſtare mihi perſuaſi: mirorque, ſicui melius inuenire continget. Ideoque tum in cerebri mẽbranis ſemper: tum in colli uulneribus eo utor: etiam ipſarum uenarum iugularium, quas Sphagitidas uocant: utpote cum harum quoque profluuium citra uinculum ſiſtat. Non eſt autem in his committendum, ut in opere properes, ueluti quidam ſtolidi chirurgi faciunt: ſed altera manu inferiorem uaſis partem comprimes, aut complexus tenebis: altera medicamentum uulneri impones, ac blande ei apprimes, donec concretum adhæſerit, mox deligabis ſuperne deorſum, non (ut in artubus) inferne ſurſum. ſiquidem radicem uerſus uaſorum ducere deligationem oportet, ac, quod confluit, reprimere. Sũt porrò & alia nõ pauca pharmaca, quæ citra omnem dolorem emplaſticam uim obtinent: uerum nullũ
D ita carne implet. Expedit autem quàm maxime in eiuſmodi caſu, ut priore medicamine cadente, caro circum uas ipſum ſit producta. At, quæ cruſtas generant, ubi cruſta decidit, magis nudam partem quàm pro ipſius naturali habitu, derelinquunt. Eſt nanque ipſius cruſtæ generatio ex ſubiectis circũpoſitiſque corporibus (ut ſic dicam) ſemiuſtis: ſic, ut cuiuſmodi in hyemem extinctos hos carbones rem parant, eiuſmodi ipſæ cruſtæ carnis exuſtæ ſint reliquiæ. Quare, quantum particulæ aduſtum ad cruſtã eſt, tantum profecto ipſi de naturali carne deperditur. Id itaque omne particulæ decedit, cum cruſta cadit. atque ob eam rem nuda ſineque carne uiſitur. Multiſque poſtea, quàm cruſta decidit, profuſio ſanguinis, quæ ægre ſupprimi potuit, ſuperuenit. Quare in his quoque quiſquis methodo adminiſtrare omnia uolet, is tum modos omnes, quibus ſanguis ſupprimatur, longe ante conſiderabit: tum eum eliget, qui minus ſit cum periculo, utens non minus & reliquis omnibus, quoties neceſſitas urgebit. Maximã autem neceſſitatem, uel cruſtificis medicamentis, uel ignitis ferramentis utendi animaduerti, ubi ex eroſione putreſcentis alicuius, profluuium ſanguinis concitatur. Quinetiam, ubi in tali affectu rotum, q computruit eſt ſublatum, tutius eſt uel ipſius ueluti radicem adurere, uel certe cruſtificis medicamẽtis uti. Hac uero ratione tum in pudendis, tum ſede ad talem neceſſitatem ſæpe deuenimus, quòd uidelicet hę partes tum propter naturalem *humiditatem, tum quod excrementorum ſunt canales, ex leui cã putreſcant: id uero, quo pro incruſtantium pharmacorum delectu conſilium diriges, erit non utique ſo

*Alias. θερμότητα. i. caliditatem.

lus calor,ſed cum quo adſtringendi facultas ſit coniuncta,qualis in chalcitide,& myſi & atramento ſu- E
torio,ſiue uſtis his ſiue inuſtis utere,uiſitur. Quæ uero ex calce non extincta conficiuntur, ea utiq; ua-
lentiora his ſunt:ceterum calx adſtringendi uim non habet. Excidunt igitur citius,quæ ab his fiunt cru
ſtæ: hærent autem corporibus diutius,quæ ab adſtringentibus. Quod utiq; longe eſt utilius: quando
ita prius naſcitur in imo earum caro, efficiturq; profluenti uaſi uelut operculum quoddam. Vnde nec
noſmet præcipites eſſe (ueluti nonnulli ſunt) ad cruſtas, ubi hæmorrhagias periculum imminet,detra-
hendas oportet,niſi in illis tantum affectibus, in quibus propter putredinem candens ferrum corpori
hominis admouere coacti fuimus. Appellant, neſcio quomodo,eum affectum omnes nũc medici Græ
ci νομὴν a uerbo,quod paſcere ſignificat,propterea,quòd pergere paſcendo id uitium ab ægris particu-
lis ad eas,quæ integræ ſint,ſoleat,atq; harum ſemper aliquid ægris adijcere: ita, ut non a ſubſtantia in-
dicatæ rei, ſed ab acceſſorio appellationem indiderint. Copia materiæ medicamẽtorum omnium, quæ
hac prædita facultate ſunt,in proprijs commentarijs dicta eſt. Proprios intelligo, & qui de ſimplicibus
medicamentis,& qui de compoſitione eorum ſunt ſcripti.

Capita methodi ſanguinis profluuium ſiſtendi, ac de eo profluuio, quod de profundo corporis erumpit. *Cap.* 5.

ERgo recenſitis huius methodi, qua ſanguinis profluuia,quæ ad manum ſunt,cures,capitibus mox F
ad eorum,quæ in alto ſunt corpore, tractationem accingemur. Qui igitur e uaſis profluit ſanguis,
aut propterea,quòd amplius non confluet,ſiſtetur: aut q̃ occluſa diuiſio erit:aut etiam propter utrunq;
ſimul:id quod reor tutiſſimum. Porrò confluere prohibetur & propter animi deliquium,& cum ad cõ-
traria reuellitur,& cum ad uicina deriuatur,& per refrigerationem tum corporis totius,tum uero præ-
cipue ipſius partis afflictæ. Hac enim ratione etiam frigida pota ſæpe hæmorrhagias ſuppreſſit.Idem fa
cit & frigida foris in fotu affuſa: ſed & poſca,& uinum acerbum,aliaque,quæcunq; uel aſtringendi,uel
ſimpliciter refrigerandi uim habẽt. Clauditur ipſa diuiſio,ſi uel contrahatur,conniueatq; id,quod diui-
ſum eſt,uel obſtruatur. Sane contrahitur tum adſtrictione,tum refrigeratione,tum deligatura,tum uin
culo exceptum. Obſtruitur uel intrinſecus,uel extrinſecus:Et intrinſecus quidem, a ſanguine cõcreto,
Græci Thrombon uocant: Extrinſecus tum hoc ipſo,tum uero linamentis,& ſpongijs, & cruſtis,& me
dicamentis ijs,quæ lentitia craſſitieq; ſua meatus obſerant,(Græci Emplaſtica uocant:) ad hæc corpo-
ribus ijs,quæ circumiacent,propius admotis.Quorum ſingula quemadmodum perficiantur,dictum iã
eſt. At,quæ de profundo ſanguinis profluuia erumpũt,ea nec uinculo,nec deligatura ſanes, ueluti nec
ignitis ferramentis,nec (ut ſemel dicam) ijs,quę diuiſum ipſum corpus partemve contingere machina
mur,immo per reuulſionem,ac deriuationem ad uicina: præterea cibum potionemq;, qui & emplaſti- G
cam uim habeant & refrigerent,& medicamenta,quæ adſtringant. Habes uero uberem talium mate-
riem in proprijs operibus.Quæ uero a partibus indicatio ſumitur,ea communibus,quæ iam dictæ ſunt,
curandi* indicationibus, ueluti auctarium in ſingulis affectibus accedit: ſiquidem inſtrumentis aliquã
do utimur pro partis ipſius proprietate, alijs ad uterum,alijs ad ueſicam,alijs ad omnia inteſtina craſſa.
Quippe in hæc,per clyſterem:in uterum,per ea,quę Metrenchytas Græci uocant, idoneorum aliquod
medicamentorum immittimus: Sic & in ueſicam,per indirectum foratas fiſtulas. Sane rariora ex his
profluuia ſanguinis fiunt,ſed tamen aliquando fiunt:&,quanquam non profuſione ipſa, periculoſa, at
certe ob diuturnitatem non ſine periculo. Siquidem quaternis diebus uidimus e uulua profluere ſan-
guinem, nec potuiſſe ullo remedio ſiſti, quoad quarto die *plantaginis ſucco utentibus nobis prorſus
conſtiterit. Eſt porrò id medicamen & ad ea,quę ex eroſione excitantur,ſanguinis profluuia utiliſſimũ:
cui etiam ualentius aliquod hoc caſu medicamentum,alias aliud ei miſcere ſoleo,utiq; ad totum reſpi-
ciens affectum:id quod ſemper eſt faciendum,ac pro maximo documento in omnibus habendum.Nã
in his ipſis,quæ ex uulua,ueſica,& inteſtinis profluuia citantur,ęſtimari debebit ipſius profuſionis quã-
titas,vt uidelicet hanc iam uel ut primam,uel ut ſecundam* indicationem curationis habeamus, nec
tamen obiter totius affectus non habentes rationem. Nam,ſi perruptum uas aliquod magnum eſt, aut H
uehementer recluſum hiat,utiq; adſtringentibus medicinis eſt opus, ueluti balauſtio, & hypocyſtide,
& rhoe,& omphacio,& acacia,& gallis immaturis, & malicorio. Sin uel exiguum uas eſt, quod perru-
ptum eſt,uel modice recluſum,ſic,ut non multus ſit,qui in eo profluit ſanguis,etiam aloe, & manna, &
pini cortex,& lemnium ſigillum,& ſpinæ ægyptię fructus,& crocũ,& lapis hæmatites, aliaq; id genus
ex uino nigro auſtero utilia medicamenta ſunt. Quòd ſi nec genus id uini præſto ſit,nec*plantago,nec
ſolanum, (quippe hæc quoq; ſunt idonea)coquemus in aqua & rubi germina,& cynosbati,id eſt cani-
ni rubi,& myrti,& lentiſci,& hederæ,in ſumma omnium,quibus adſtrictoria uis ineſt,ſiue radix ſit,ſiue
fructus,ſiue cortex, ſiue germen: ideoq; etiam adſtringentium malorum,maximeq; cotoneorum,item
que myrtorum,& meſpilorum decoctum idoneum ad propoſita præſidium eſt.

De profluuio ſanguinis ex eroſione, uel Diapedeſi. *Cap.* 6.

AT, ſi ex eroſione profluuium quoddam incidit,non eſt id magna ex parte profuſius, ſed exiguum
& paulatim effluens:eoq; Paſionis,uel Andronis,uel Polyidæ paſtillis utendum eſt,aut etiam(ut
dictum eſt) noſtro,† qui genere eandem uim obtinet,ceterum magis potentem. Siſtunt enim hæc ero-
ſionem:ſi tamen etiam toti corpori ſit conſultum, ut prius eſt dictum. Sin profuſior hæmorrhagia ſit,
ijs,quæ uehementiſſime adſtringant,utendum medicamentis eſt, quoad uehemens eius impetus fran-
gatur:

A.l.4.f.4.t.2. c.16.p.873.a.

*arnogloſsi. A.l.3.f.21.t.2 c.4.p.726.e

*arnoglossum

† ipreſsi cod. & manuſcripti quidam,ut Linacer tranſtulit,habent:

ſunt tamẽ qui addant τῷ διὰ χάρτου. i. ex charta confecto.

gatur:mox deinde admiſcendi illis paſtilli ſunt: poſtea ad ipſos ſolos ueniendum, cum aliquo ex ante A
dictis ſuccis aut decoctis. At uero,quæ extrinſecus profluenti particulæ admouentur,tum adſtringen-
tia, tum citra adſtrictionem frigida, hæc ipſe (ueluti plerique medicorum) non ubique probo: ſed
mihi contra omnino, quàm fieri res poſtulat, ipſum ſanguinem intro compellere, ac uenas, quæ in al-
to ſunt,implere uidentur. Vidimus enim quoſdam eorum,qui ex pulmonibus ſanguinem reijcerent,
ex thorace refrigerando manifeſte læſos:æque ut,qui ſanguinem uomuerunt,non nullos, quòd uenter
foris eſſet refrigeratus.Eodem modo & eorum, quibus ex naribus ſanguis profluxit, aliqui ex capitis
refrigeratione deterius habuerunt.Ergo nec omnino,nec ſine diſcrimine,nec omni tempore loca, quę
circa particulam,unde ſanguis profluit, ſunt poſita, refrigeranda ſuaſerim, immo poſtea, quàm in alia
prius auerteris:vt,exempli gratia,in naſo,ubi ſanguinis miſſione (ut diximus)ſis uſus, uel artuũ frictio-
ne deuinctioneq;,uel ad *præcordia defixis cucurbitis. Quin ne ſic quidem ad frontem & caput ilico
refrigerantibus utendum,ſed prius eſt ad contraria reuellendum, utiq; affixa in ſumma ceruice cucur-
bita. Quippe duplex eſt in ſanguinis ex naribus profuſione auerſio: & quæ eſt ad totius corporis infer-
na:& quæ eſt ad capitis poſteriora:propterea uidelicet,quòd ipſæ nares & in ſuperiore, & in anteriore
parte ſunt ſitæ. Aduerſatur aũt ei,quod ſupra eſt,id,quod infra: & ei,quod poſt habetur, id quod ante.

* Hypochondria. Quã dictionem Linacer fere ſemper præcordia tranſtulit.

Verũ de ſanguinis profluuio uel hactenus dictum abunde ſit.Patet nanq; & diapedeſin, quã uocant,re- B
frigerantibus aſtringentibusq; eſſe curandam:&, ſi propter tenuitatem ſanguinis aliqũ incidat,craſſiore uictu. Is uero cuiuſmodi ſit, dicetur in ſequentibus:dictumq; iam ad quendam modũ eſt in libro, qui
de attenuante uictu eſt ſcriptus. Iam uero ad memoratorum affectuum curationem eſt redeundum.Er
go,quod uenæ inſedit ulcus,ubi ad manum eſt,eandem deſiderat curationem ijs, quæ in carne accidũt,
de quibus,duobus ante hoc uoluminibus diſputaui.Nam,ſiue ex recenti uulnere factum eſt,id agendũ
eſt,ut medicamentis ijs,quæ Enæma uocant,coeat:ſiue ex eroſione,quæcunq; dicta de rebellium ulce-
rum curatione ſunt,ea prius ratione diſcernenda,mox,ut opere perficiantur,tentanda.Quinetiam,vbi
uinculo uas ſis complexus,aut medicamentis ſanguinem ſupprimentibus,aut ferramentis ignitis uſus,
illudq; tibi curationis propoſitum reſtet,ut,quæ circa ulceris labra ſunt,carne impleas, ijſdem omnino
medicamentis utere, quæ in methodo ſinuoſorum ulcerum nobis ſunt præcepta.

A.l.3.f.10.t.3 c.6p.492.e.

De uulneratæ arteriæ curatione. *Cap.* 7.

DE arteria autem uulnerata iam dictum eſt non nullis medicorum uideri non poſſe fieri, ut coeat. A.l.4.f.4.t.1. c.1.p.361.a.
Atq; id aſſerunt aliqui quidem ſola experientia ſe contentos profeſſi: alij uero etiam ratione uſi
eiuſmodi.Siquidem duram eſſe ac chartilagineam aiunt alteram arteriæ tunicam, taliũ uero nihil poſ-
ſe in unum coire, cum ſit mollium tantum corporum in unum coeundi habilitas: vt tum in externis ui- C
dere licet,nullo nec lapide cum lapide, nec teſta cum teſta unquam coeunte: tum uero in nobis ipſis,
quando nec chartilago cum chartilagine,nec os cum oſſe coaleſcat.Non enim fracta oſſa per vnitionẽ
cohærent,ſed per callum eum,quem poron Græci uocant,ceu glutino iunguntur. Igitur nos quoq; ab A.l.1.f.1.d.5. c.1.p.18.e.
experientia noſtra primum incipiamus,in mediumq; proferamus ea, quæ ipſi uiſu uſurpauimus. Vidi-
mus enim in mulieribus & pueris tum conglutinatas arterias, tum carne undique circundatas, idq; in
fronte,malleolo,& articulo brachij ſummæq; manus medio. Simile quiddam aliquando & agreſti con
tigit iuueni, dum ſanguinem ſibi mittendum ueris tempore curaret, quod noſtratibus maxime eſt in
uſu. Cum enim medicus, qui uenam inciſurus erat,brachium hominis deligaſſet, contigit attolli uelut
in gibbum arteriam:itaq; hanc pro uena medicus diuiſit. Exigua ſane inciſio erat: ſanguis autem flauus
& tenuis & feruidus ſtatim eiaculabatur,idq; cum quodam ueluti ſaltu. Ac medicus quidẽ, ut erat ad-
modum iuuenis,& operum artis parum peritus,uenam ſe incidiſſe putabat. Ego uero cum quodam a-
lio ex ijs,qui aderant medicis,utiq; ſeniore,ubi,quod accidit,aduerti, præparato ex emplaſtrorum ge-
nere,† [quod ſanguinem ſupprimit,medicamento,] tum inciſionem curioſe coniunxi, tum ſuper medi
camen ilico impoſui,ac ſpongiam molliſſimam extrinſecus ſuper hoc deligaui. Mirante uero, qui arte- D
riam inciderat,† [inſolitam noſtram in hoc caſu prouidentiam,] indicauimus homini rem factam, ſed
poſtea,quàm inciſi hominis diuerſorium exijſſemus:iuſſimusque, ne uel ſolueret nobis abſentibus,uel
ante quartum diem id aggrederetur,ſed ita,ut erat,deligatum haberet,ſpongiam duntaxat deſuper ma
defaciens. Poſtea uero,quàm in quarto ſoluentes plane cõglutinatam inciſuram inuenimus,rurſus idẽ
medicamen imponere iuſſimus, tum ſimili modo deligare, nec multis poſtea diebus ſoluere. Atq; ita
percurata eſt huius hominis inciſa arteria,ſola omnium,quas in cubito inciſas vidi. Nam reliquis om-
nibus aneuryſma,alijs maius,alijs minus ſuperuenit.Ac, quemadmodum quidem aneuryſmata curare
conueniat,in progreſſu dicetur ſuo loco,vtiq; cum reliquorum omnium præter naturam tumorum cu-
ratio tradetur. Nunc cœptam diſputationem abſoluamus. Siquidem arteriæ natura difficultatem qui-
dem durioris tunicæ ſuæ conglutinandæ prorſus indicat,non tamen eiuſmodi, quæ euinci omnino ne-
queat.Neq; enim ita eſt ſicca duraq;, vt os uel chartilago, immo longe his mollior,ac magis carnoſa.
Quo utiq; minus de unienda ſectione eius eſt deſperãdum,ubi tum ipſa ſit parua, tum hominis corpus
natura molle. Videtur autem experientia quoq; ipſa rationi ſubſcribere: cum & in pueris & in mulieri
bus propter corporum humiditatẽ & mollitiam,eam uiderim glutinari, & in uno iuuene, cui (ut dictũ
eſt) exigue erat inciſa. Cum uero ſanatu difficilior ſit arteria,quàm uena,non tamen eſt medicamento-
rum admodum diuerſus in utraq; uſus, immo ſpecie plane idem maioris minorisq; ratione euarians.

† ἐναίμῳ φαρμάκῳ.

† Quidã cod. legunt τὸν τρόπον τῆς ἐνθέσεως &c.i. modum inſolitę nobis in hoc caſu prouidentiæ. Alii τὸν λόγον τῆς ἐπιθέσεως &c. i. rationẽ ſeu modũ prouidẽtiæ, quæ nobis in hoc caſu ſuccurrit.

Quippe

Quippe tanto ſiccioribus medicamentis eget arteria,quàm vena, quanto ipſa eſt ſuapte natura ſiccio- E
ris temperamenti,quàm vena.Quòd ſi carnem circa gigni eſt opus,eadem ambæ requirunt: Siquidem
ad eundem modum prouenit carnis generatio in his circundandis, quo in cauis vlceribus prouenire
eſt traditum.At,quę in utero,veſica,vel inteſtinis venæ arteriæque ſunt, cum eadem genere medicamē
ta vbi exulceratæ ſunt,requirant,etiam inſtrumenta,quibus infundãtur,metrenchytas.i.vterimos cly-
ſteres,& ſyphonem rectum,& clyſterem deſiderant.Ad ea vero,quæ in recto inteſtino ſunt vlcera,etiã
per veſicã, cui ſit fiſtula recta ad finē annexa,inijcere liquatũ medicamen tepidum licet.Variabitur ita-
que remediorum conſiſtentia pro inſtrumentorum ſpecie,neque.n.fas eſt eiuſmodi inſtrumentis craſſa
medicamenta infundere,ſed humidiora poſtulant,atque idcirco mediocriter plerunq; calida. Proinde
ſicca medicamenta,magis ſunt idonea,quàm ea,quę liquabilia uocantur,quoniam facile,uel*plantagi
nis, uel alteriꝰ eius generis ſucco miſceãtur. Eiuſmodi medicamēta ſunt & crocũ,& põpholyx,& aloe,
& quæ Cephalica græce dicuntur.in ipſo autem primo producendæ carnis tempore, quod ſuppreſſio-
nem ſanguinis continenter excipit,etiam lemnia terra ſalutare auxilium eſt.

*arnogloſsi

De ulceribus pulmonis,& ſanguine de pectore erumpente. Cap. 8.

AT,quæ in pulmone hęſerunt ulcera,difficiliora ad curandum ſunt. Quibuſdam uero non difficilis F
modo eorum curatio,uerum etiam,quæ perfici omnino nequeat,uidetur,idque tum ratione con
iectantibus, tum experientia. Ratione, quoniam pulmo inter uiſcera propter anhelitum perpetuo ſit
in motu:cum utiq; quietem requirant ea,quæ ſint ſananda. Experientia,quòd neminē unquam eorum,
qui ita ſunt affecti,ſanatum uiderint.Atque de experientia quidem(nam hinc cœpiſſe par eſt) dubitare
fortaſſe licet propter agnitionem. Nos enim uidimus alium ex eo,quòd maxime uocem in clamore in
tendiſſet,alium,quòd ab alto cecidiſſet,alium in palæſtra percuſſum, non ſolum ſtatim grauiſſime tuſſi-
uiſſe,ſed etiam ſimul cum tuſſi alios unam duasve,alios plures heminas ſanguinis ſpuiſſe. Qui uero ita
erant affecti,aliqui omnino ſine dolore erant,alij in pectore dolebant. Quinetiam ſanguis ijs, qui do-
luerant,nec confertim reiectus eſt, nec multus, minuſque tum ruber,tum calens, ceu e longinquo ue-
niens.At,quibus citra dolorem eſt reiectus,ijs & confertim,& plurimus,tum ruber feruenſq; expueba
tur,clare docēs, quod nõ procul veniret.Porrò aliam dubitationē facit, nec hanc leuem,ipſa ſanguinis
ex thorace in aſperam arteriam tranſſumptio,propoſitam uidelicet à medicis,ijs, qui tranſmitti eũ per
membranam,quæ pulmonem inuoluit,poſſe non putarunt.Forteque(niſi multis eorum, qui ita ſunt af
fecti,tum ſtatim ortus dolor,tum uero quibuſdam eorum phlegmone ſuperueniens,quæ poſtea ſuppu
rauit,manifeſtum indicium prębuiſſent in pectore conſiſtentis affectus,)pronunciaſſent ſanguinem ex G
pectore per fauces nunquam reijci.Nunc vero his indicijs confuſi,a pectore quidem venire concedũt.
Ceterum, dum aliam viam, quàm per pulmonis membranulam inquirunt, multa,eaque abſurda pro-
ferre coguntur.quamuis in ijs,quos Empyus græce uocant,ipſum pus,quod medio ſpatio inter pectus
& pulmonem contineri ipſi fatentur,uideant,arbitror,apertiſſime ex pulmone expui. Nos vero in ijs,
quibus erat in pectore tantus abſceſſus, vt etiam oſsium aliquid carie corrumperetur, manifeſte ipſis
oſtendimus mulſam,quæ iniecta in pectus fuerat,ex pulmone expui.Sane nouimus in vrbe Roma,†[lo
eo profecto fluxionibus maxime obnoxio,]eiuſmodi affectus in pectore non raro conſtitiſſe,vt neceſ-
ſe fuerit ipſum os,quod affectum fuerat,excidere. In plurimis vero etiam membrana, quæ coſtis intra
ſubtenditur,unà cum corrupta coſta inuenitur putrefacta.Solemus ergo in curatione, mulſa per ulcus
infuſa,iubere aliquando quidem,vt inclinati in laborantem partem tuſſiant:ſæpe vero molliter concu-
tere:interim etiam organo,quod pus extrahit (Pyulcon Græci uocant) educere,quod intus ex mulſa
reliquum eſt.Hoc facto,vbi tum pus uniuerſum,tum etiam ſaniem*ulceris eluiſſe confidimus,mox me
dicamenta inijcimus.Ergo in eiuſmodi affectibus,ſi quem in medio pectoris ac pulmonis ſpatio humo
rem reliqueris,ſtatim hunc tuſſi eiectum contemplabere. Mirandi profecto ſunt ij,qui de uia per pul-
monē hæſitent, quo pacto non magis hæſitent,quemadmodũ craſſus ſanguis in fracti oſſis callo effun- H
datur. Nam & ipſe,qui effunditur,non paulo naturali eſt craſſior,& cutis ſubſtantia longe utiq; craſſior
pulmonis inuolucro ē. Quod igitur diximus,cũ uel caſu,vel præualida acutaq; voce vas aliquod in pul
mone rũpitur,citraq; dolorē confertim ſanguis feruēs floridus multuſq; cũ tuſſi expuitur, ſcire licet in
uiſcere vulnus eſſe. Aggrediēda vero curatio eſt,prout nos ſæpe ſumus aggreſſi. quibus utiq; non raro
ſucceſſit.Igitur laborãti ipſi iniũgendũ eſt,vt nec magno vtatur reſpiratu,ac ſemper agat ſilentiũ: præte
rea vena cubiti interna protinus incidēda:a qua bis terq; poſtea ſanguis eſt detrahēdus, utiq; eius auer
tendi cauſa:tũ artus oēs fricandi vinciendiq; ita,uti ipſi ſolemus.vbi hæc ſunt facta,primum poſca tum
diluta,tum tepida potui eſt offerenda,quo,ſiquis in uiſcere trombus.i. cruor concretus latitet, reſolu-
tus expuatur.atq; hoc nihil vetat bis ter ue ternis horis facere,Ab ijs uero ēt aliquod corũ,quæ tũ em-
plaſticam vim habent,tum adſtringunt, medicamentũ exhibendũ: idq; aut ex poſca diluta primũ, aut
ex malorum myrtorumue,uel alicuius eiuſmodi adſtringentium decocto. Rurſuſq; ueſperi medicamē
hoc ſimiliter dandum,circunciſo,ſi valentior ſit,omni nutrimento.ſin aliter,ſorbitionis, quod ſatis eſt,
exhibendum. Maxime uero ad rem pertinebit,ſi etiam poſtero die, modo fortis cubans ſit, parũ ſan-
guinis ab inciſa iã uena rurſum detrahatur: tum uictu medicamentiſq; eodē modo in quartũ uſq; diem
utatur,pectore interim,ſi æſtas ſit,undiq; melino roſaceoue madefacto:ſin hyems, nardino unguento,
Quòd

A.l.3.f.10.t.4 c.18.p.500.E F.

† Linacer uidetur legiſſe τόπῳ ῥευματικῷ. codices tamen græci habent τρόπο ῥευματικῷ uel τρόπον ῥευματικόν. ut ſic uertatur: Sane nouimus i urbe Roma eiuſmodi affectus rheumatico modo i pectore nõ raro conſtitiſſe. & ita legit ēt uetus interpres: A.ibidem.

A.ibidem.

A Quòd ſi emplaſtico aliquo uti medicamento placet,habes a nobis optimum, quo etiam ad reliqua uul
nera cum fiducia utare.conſtat id ex bitumine & aceto,alijsq;, quæ illis miſceri medicamentis ſolent,
quæ ænema barbara a medicis dicuntur. Quòd ſi mulieri mederis puero ue aut denique corpori,quod
mollis ſit carnis,quod ex chalcitide fit,ſatis habile medicamentũ fuerit.cuius uires in primo libro eorũ
quæ de medicamentorum compoſitione inſcripſi,explicauimus. Hac nos ratione multos, ad quos ſta-
tim,ut malum ſenſerunt,acceſſimus,percurauimus.Quippe hoc maximum eſt,cuique te attentum eſſe
magnopere oportet,an uidelicet ſtatim a ruptura uaſis facta curationem incipias, quo cruētum adhuc
uulnus prius,quàm phlegmonem excitet,glutines. Nã,ſi ea ſemel inuaſerit,exigua ſpes eſt eius poſtea
glutinandi.in longius tamen trahere poteſt tempus.Quòd uero eiuſmodi ulcera uel difficulter, uel pla
ne nunquam curari poſſint,hoc in cauſa eſt,quod,cum phlegmone ſoluitur,eluēda pus ulceris & ſanies
ſunt. Atq; ex utero quidem & ueſica tum ſua ſponte excernuntur, quoniam uidelicet pronis delabi li-
cet,tum elui præterea a nobis poſſunt:In pulmone neutrum omnino fieri poteſt. Quare omnibus,quæ
huic loco hærent,ulceribus una reliqua expurgatio eſt ea,quæ per tuſſes fit. At,ſi recte his tum reliquã
omnem quietem ſuaſimus: tum uero,ut ſenſim reſpirarent,nec quicquam loquerentur,ut uulnus gluti
naretur,iniunximus,quæ poteſt tuſſientibus eſſe ſanationis ſpes?Non igitur propterea, quod in perpe-
B tuo propter reſpirationem motu uiſcus id eſt,deſperata curatio eſt,uelut,qui ante nos fuere,ſenſerunt,
ſed propter ſaniei & puris uacuationem,Ideoq;,ſi ſtatim quis ſit aggreſſus, ac iam dicta ratione medea
tur,coeunt:ſin phlegmone prius occuparit,difficilem incertamq; curationem recipiunt,quando pus &
ſanies prorſus totaq; ex ſpatijs pulmonis non expelluntur,& tuſſis ægras partes ualde lacerat.At, quæ
ex pectore educuntur, triplex compendium præ ijs, quæ ex pulmone uacuãtur, habēt. Nam & uaſa
ipſa multo ſunt minora,& ſanies in ſpatiũ interius effluit. & in ſumma magis carnoſum pectus ē,quàm
pulmo.Nam aſperæ arteriæ ſubſtantia,quæ admodum carnis expers ſiccaque eſt,nulla alia animalis in
parte inuenitur.quæ etiam ipſa in eiuſmodi*reiectionibus rumpi ſolet,cum, ſiqua reliqua uena uel arte
ria ſit rupta,ipſis aſperis illæſis manentibus,per ſolas oſculorum(ut ſic dicam) coapertiones tranſlatio
ſanguinis fit.Itaq; nec calidus in talibus,nec ruber,nec multus ſanguis emittitur. Ac uidētur quidē pri
ma ſaltem fronte leuiores eiuſmodi affectus,ut qui copia uacuationis minime terreant. Sunt uero uel
ob hoc ipſum grauiores.Quippe concretus circa ruptum uas cruor,cui facilis tranſitus in aſperas arte-
rias non eſt,glutinationem prohibet.

A.l.4.f.3.T.1.

A.l.3.f.10.t.3. c.1.p.487.B.

A.l.3.f.10.t.4 c.8.p.300.E. F.

* πτύσεσι .i. caſibus.

De uulneribus ſepti tranſuerſi,ac earum partium,quæ intra peritonæum continentur. Cap. 9.

SImili modo & tranſuerſi ſepti uulnera,quæ foras non perueniunt,in carnoſis quidē partibus ſubin-
C de coaleſcere ſunt uiſa,eius motu non obſtante.Quæ in neruoſis eius hærent,inſanabilia ſunt. Sane
difficilis grauiſque curatio eſt etiam eorum,quæ in carnoſis ſunt partibus, ſi has iam phlegmone occu-
pauit.Idq; non ipſi modo diaphragmati,uerumetiam omnibus,quæ intra perithonæon ſunt contenta.
ꝙ in ea ſcilicet ſanies defluat. Ceterum danda opera eſt,ut ea quacunque ratione ſiccemus, tum per ea
præſidia,quæ extrinſecus imponuntur,tum per ea,quæ ex aqua uinove tenui bibuntur. Porrò horũ ma
xime idonea ſunt,& quæ propterea,quòd ex ſeminibus fiunt, Diaſpermatῶn græce dicũtur: & quod ſo
lenne nobis eſt,quoq; in pectore perforato ſemper utimur,quod ex caſia componitur. Ceterum tum
hæc,tum*humida quædam foris applicanda,quæ eiuſmodi uulneribus ſunt accommodata,ad tractatio
nem de medicamentis pertinent. Hic methodos tantum tradimus, quæ pręſidiorum indicent genus.
Quare, ſiquando quædam a nobis particulatim pro exemplis adhibeantur, hęc addita claritatis cauſa
fuiſſe exiſtimandum.

*ἐπιβρεχαί.

Aduerſus methodicos,quòd medicamentorum genera è partium ulceratarum ſubſtantia immutentur. Cap. 10.

RVrſus igitur propoſitas methodos repetamus,monſtremuſq;, quãtum generalis omnium ulcerũ
curatio per ſingulas animalis partes ſpeciatim immutetur.Hinc nanque diſcemus pręcipue qui-
D dem id,quod in toto opere eſt propoſitum:nempe minime in curationibus errare: uelut appendicē ue-
ro,etiam eorum,qui ſe Methodicos uocarunt,audaciam.Qui(ſiquid mihi,qui nec ad gratiam quicquã,
nec ad odium loqui ſoleã, eſt credendum,) cum omnium ipſi medicorum maxime a methodo ſint alie
ni,damnant(quatenus ſaltem ſcribũt,) non ſolum reliquos ueteres,ſed etiã ipſum omnium nobis me-
thodorum authorem Hippocratem. Ac Empiricus quidem omnia,quæ nos per indicationem in-
ueniri oſtendimus,ea dicit per experientiam ſibi cognita.Cum uero præter indicationem & experien-
tiam nullum inuentionis organum tertium præterea ſit,iſti neutro utentes, tamen appellandos ſe Me-
thodicos cenſent. Ergo ſequantur nos,& nunc ſaltem oſtendant ulceribus omnibus per ſingula mem
bra curandis unam eſſe ſanationis rationem. Audiamus homines, quo pacto ulcus curent,aut quales
indicationes ab eo ſumant.Num alias ullas,quàm quòd planum cicatrice ſit inducendũ:ſinuoſum car-
ne implendum:cruentum glutinandum?At quo pacto inueniam,quod cicatricem inducat:& quod car
ne impleat:& quod coaleſcere faciat?Ne labora,inquiunt.Sunt enim inuenta. Atqui haud ſcio,an re-
cte,aut an omnia.Fieri enim poteſt,ut uel ex deteriorum nota quędam inuenta ſint,potiora inuenta nõ
ſint:uel,ut quæ inuenta eſſe uideantur,etiam ipſa ſint mala: Indeque adeo accidere, ut quædam ulcera
prorſus non ſanentur,quædam longiore ſpatio,& cum dolore, & famis cruciatu minime neceſſario.
Neque enim audet quiſquam nouam aggredi experientiam prius,quàm ſibi perſuaſerit priorem curan
di

di rationem recte se damnasse: veluti in ijs ulceribus, quæ in pulmone consistunt, quæ ne agnouisse qui E
dem omnino fas est citra dissectionum actionumq; notitiam: quorum nimirum utrunq; auersantur. Ce
terum concedatur ad præsens cognosci ab istis Thessali sectatoribus ulcus, quod pulmoni insederit.
Nunquid igitur, sicuti hoc illis concessimus, sic etiam &, quòd sordidum sit, intelligant, an purum, an æ-
quale, an sinuosum, an saniei, uel puris plenum, concedemus, uidelicet uel ex diuino afflatu, uel per in-
somnium ea uidentes? An hæc quoq; quomodo agnoscant, percontabimur? An uero citra horum agni
tiones pharmacum quoduis exhibere concedemus? Ego nanq; existimo primum expurgandam esse
immundorum ulcerum sordem: implenda uero carne esse, quæ pura & sinuosa sint: rursus pus saniéq;
expurganda, quibus hæc circum hæreant: mox ita cicatricem inducendam. Isti uero, haud scio, quonã
modo talia ulcera sanauerint. nam Thessalus de his prorsus non scripsit, ne uidelicet uel ignorantiam
suam, uel inconstantiam proderet. Quippe uel rationi parum consona, & falsa de his dicent: uel, siquis
uera dixerit, eorum indicationem ex membri substantia, præterea situ formaq; accipiat, necesse esse.
Nam esto, ulcus in pulmone sordidum purumq;, & cum phlegmone, & sine phlegmone, & sinuosum,
& planum dignoscere norint. etiam illud scire eos detur, quanquam ne eius quidem, tametsi minimi,
inuentionem sibi uindicent, nempe quòd tale ulcus uiridi medicamento expurgetur, Macherionis (si
libet) uel Isidis. nihil enim refert. Respondeant igitur mihi, si ulcus in uiscere hæserit, quid facient? F
Num uiridis medicamenti aliquid deuorandum dabunt? Omnino ridicula res est. Sed dicant, unde nã
medicamen id in pulmonem deferendum sciunt? Quòd si id quoq; sciant, illud certe intelligere nõ po
terunt, an ipsam uim suam, quã in extrinsecus positis ulceribus habuit, seruabit. At esto sciant hæc quo
que, q & eandem tuebitur uim, quam in externis ulceribus obtinuit, & quòd sordes deterget: certe, an
tussim mouerit, intelligere non poterunt. Cum tamen, nisi per tussim sordes expurgetur, nullus sit de-
tergentis medicamenti usus. Ergo id quoq; istis detur. At illud saltem effugere non possunt, quin di-
uersam curationem in ulcere femoris, & ulcere pulmonis adhibeant. Siquidem alterum aqua perluũt,
alterum tussibus expurgant. Pone uero rursus ulcus, quod in pulmone sedit, crasso esse pure circunda-
tum. Nunquid tum quoq; uiride medicamen exhibebunt, an mel potius lingere iubebunt? At id dicãt,
unde nam inuenerint. Non enim profecto id respondebunt, quoniam tenuandi incidendiq; uim quan-
dam obtinet: cum ipsi a facultatibus eiusmodi disquirendis ultro diffugiant. Sed nec, q Empiricis in
eiusmodi notarum concursu inuentum est mel prodesse, propterea istis, sicuti illis, eo uti fas est. Primũ,
quòd experientiam contemnunt: deinde, quòd Empiricus in eiusmodi concursu, quænam sit in pulmo
ne affectio, ignorare se fatetur, ceterum, quæ conducant, se per experientiam obseruasse. At Thessalo
non satis est curare, quod omnino non norit, sed ab affectuum indicatione procedit. Sane, si omnia illi G
scire donemus, sicuti prius, non minus, quàm nos, at nũquam profecto effugiet, quin in diuersis corpo-
ris partibus curationis species mutetur. Non enim eadem curationis species profecto est aut mulsam
in uterum propter sordidum ulcus infundere, aut mel comedendum exhibere, aut spongia ulcus elue
re. Ceterum hæc adhuc parua: illa plane maxima sunt. Fingamus diutinum ulcus citra phlegmonen
in multis esse partibus, oculo, aure, naso, ore, femore, uentre, utero, sede, pudendis. Fingamus & illud,
si placet, ulcus eiusmodi uel planum omnino esse, uel exiguo minus planum: respondeantq; nobis isti
sectatores Thessali, qui hæc nusquam discreuit, quomodo id cicatrice tegemus? Nempe eo medicami-
ne, quod ex cadmia conficitur. Id enim ulceri, quod in femore constitit, belle cicatricem inducere po-
test. Sed num igitur & ei, quod in audiendi meatu constitit? Dicam fortassis incredibile, ceterum diis
ipsis notum. Deprehendi aliquando quendam ex sapientissimis istis Thessali sectatoribus sic ulcus me
dicantem diuturnum. Cũ citius homini auris putuisset ac uermes creasset, quàm medicamento, quod
ex cadmia componitur, inductum cicatrice fuisset: ceterum, permisso homine pluribus diebus medica-
mento similiter uti, postea, quàm in dies grauius auris oleret, & sanie impleretur, etiam incredibilius
quiddam, quàm prius, ausum uidimus. Quippe ratus meatum ipsum in profundo contraxisse phlegmo
nen, confugit ad tetrapharmacum. quod plane multo magis augere putredinem partis debuit: vtpote H
quod siccare ulcus prorsus non potest, maturare phlegmonen potest. Ergo, ubi hoc medicamento ad
affectum sanandum uno die est usus, ut facile uideres id maxime esse contrarium, & multiplicata sta-
tim saniei uis est, & fœtor intolerabilis obortus. Itaq;, qui propinqui laborantis erant, contingere am
plius aurem Thessalium non sinebant. Ille uero præ impudentia stultitiaq; uolebat non modo medica
menti tetrapharmaci aliquid inijcere, uerumetiam extrinsecus cataplasma relaxans imponere. At, cũ
eum propinqui hominis abigerent, timerentq;, ne in magno periculo æger foret, nos unum diem am-
plius permitti Thessalio asino curationem exorauimus. Erat autem profecto postridie tum sanies mul-
to copiosior futura, tum odor grauissimus. quo die tentaui, an fieri posset, ut sententiam Thessalij asselli
mutarem, ne omnes perderet ægros, immo aliquos iam, tametsi paucos, seruare aliquando posset, tam
aliena scilicet ab omni uera methodo deserta secta. Ergo sic agere cum homine sum orsus. Nunquid
(inquam) phlegmone tibi esse uidetur in intimo meatu, proinde relaxantibus uteris auxilijs? Ille tum
ita esse magnopere contendit, tum aliter esse non posse. An igitur (inquam) aliquando ulcus, quod cũ
phlegmone coniunctum esset, aceto acerrimo cum glaucio curatum uidisti? Minime gentium (inquit)
immo, siquis pastillis andronijs ex aceto liquatis utatur, etiam conuulsionem fortasse accersat. Ergo
(inquam) siquis alio quopiam medicamento, quod sit andronijs multo ualentius, ex acerrimo aceto
utetur,

Autetur, idq; ad aurem, ita propinquam cerebro inuolucrisq; eius particulam, nunquid plane te auctore conuulsionem accerset, si phlegmone præsertim aliqua subsit? Hæc tum ipsi, tum ijs, qui adstabant, uniuersis recte dici sunt uisa. Ergo, quantum (inquam) ad ipsarum partium habitum spectat, quæ ea, quæ ad summum siccent, desiderant, tametsi nunc curatione tua sint ueluti effœminatæ, iam tali medicamento uterer. Nunc quoniam plures iam dies male ipsas assuefecisti, transferre eas ad contrarium uno impetu, & semel non licet. Nam tibi ac Thessalo contemnere consuetudinem licet, non minus, quàm partium naturam: nobis autem non licet. sed primo die aceto utar cum glaucio: secũdo utar andronio: tertio ad ualentius aliquod, quàm ipsum sit andronium, transibo. Atq; hoc tribus quatuorve diebus usus, si mihi uehementius etiam medicamentum requirere ulcus uidebitur, eo etiam uti non dubitabo. Extrinsecus uero (inquam) imponam capiti ea parte, qua auris infestatur, non, me Hercules, sicuti tu, cataplasma, quod relaxare potest, sed eorum medicamẽtorum aliquod, quæ uehementissime siccare possunt: cuiusmodi est, quod ex salice conficitur: aut etiam ipsum andronium ex aceto illiniam: aut ex ijs aliquid, quæ hoc magis siccent. Nam, quoniam particula cui medemur, siccissima est, necesse est, ualentissime siccetur. Indicat enim ueluti uitium ipsum, ut curetur, sibi applicandum esse contrarium: sic particula ipsa, quod sit sibi simillimum. Itaq; &, prout dixi, egi: sanauiq; hominem, nul-
B lo potentiore requisito remedio. Quibusdam uero, qui potentiora desiderabant, quibus uno altero ue anno ulcus aurem infestauerat, ualentius omnibus iam dictis medicamentum adhibuimus. Id fuit ferri scoria tunsa, cribrataq; tenuissimo cribro, mox in tenuissimum ueluti pollinem læuigata, post cum acerrimo aceto ad mellis sordium q; crassitudinem cocta. Constat autem multiplex esse debere in mistione acetum. Verum (quod sæpe iam dixi) materiæ medicamentorum copiam ex alijs commentarijs petes. Nunc, quæ ad methodum spectant, absoluantur. Nam audiendi locus, quoniam est sicciss-imus, idcirco medicamentis eget, quæ uehementissime siccent. Quorum nullum reliquarum partium cuiuis applicasse expedit: sed oculo exulcerato collyrium fortasse, quod ex thure conficitur: naribus uero, quod multo sane magis siccet, quàm ut oculis conueniat, minus uero, quàm ut auri quadret. Itaq; & prius comprehensi omnes pastilli utiles sunt, & medicamen, quod ad Musam refertur, aliaq; generis eiusdem. Vlcerum uero, quæ in ore accidunt, quæcunque admodum sunt humida, ea medicamentis egent, quæ uehementer siccent, ueluti diphryge, tum ipso per se, tum ex melle, & uino, & mulso: præterea & quæ iris dicitur, & quæ anthera, hisq; uel siccis, uel ex melle, uel mulso, uel uino. Vtile uero ad talia est & Musæ medicamen: præterea rhois succus, & omphacium, aliaq; quæcunque strenue siccant. Quid enim materias percensendo morer? At, quæ simpliciora oris ulcera sunt, hæc sanare cõmode pos-
C sunt etiam medicamenta, quæ modice siccant, ueluti hæc ipsa, quæ propterea, q in assiduo sunt usu, Stomatica græce sunt dicta. Ea sunt, quod ex moris conficitur, & quod ex rubi fructu, & quod ex succo coticis iuglandium uiridis, atq; etiam his magis quod ex musto, & cupressi sphærulis cõponitur. Quæ uero in ore admodum humida ulcera sunt proxime ossa, unde carie tentari ossa periclitentur, hæc propter ossium naturam, quæ sicca est, uehementissimis medicamentis indigent. Itaq; ego iam cõprehensos pastillos semper læuigo, ac siccum ipsum medicamentum superimpono.

De indicationibus, quæ a substantia, ab affectu, a forma, atque a situ partium sumuntur, exemplo ulceris in pulmone. Cap. II.

POrrò dicta paulo ante sunt & ad uesicam, & uterum, & intestina, & pulmonem idonea medicamentorum genera, quibus sit in singulis utendum, genere quidem medicamenti ab ipsa curandarum partium substantia desumpto, sed cum affectu prius etiam æstimato, modo uero utendi eius, tum a forma, tum etiam situ. Hinc nanque excogitati sunt, & auricularij clysteres, quos Otenchytas uocãt: & uteri clysteres, quos Metrenchytas: & recti syphones, quibus in uesicam aliquid infunditur, quos Catheteras dicunt: & ipsi clysteres. Hinc rursus, quæ in uentriculo, pectore, & pulmone ulcera consistunt, per ea, quæ eduntur, ac bibuntur, esse curanda: Quæ uero in intestinis, bifariam. Nam, quę uici-
D cina uentriculo sunt, his per comesta, & bibita succurritur: quæ uero inferius sunt sita, per ea, quæ inijciuntur. quando neq; ad ea, quæ uicina uentriculo sunt subire potest, quod per sedem infunditur: nec integris uiribus ad inferiora pertingere, quod per os sit ingestum. Ideoq; etiam, quæ ulcera in thorace, & pulmone consistunt, tum difficilius ijs, quę sunt in uentriculo, sanantur, ut quorum situs longius absit, atq; idcirco medicamentorum uis remittatur: tum propter hoc ipsum multo ualẽtiora ea, quæ deuorentur, præsidia requirunt, quàm si ipsis statim ulceribus admouerẽtur. Indeq; adeo excogitata medicis sunt, ubi expurgandum ex pectore, & pulmone pus est, fortissima, quęq; maxime dissecent, pharmaca, taliaq; omnino, quę, si ulcus in uentriculo esset, ipsum exacerbarent. Quinetiam, q hęc per tusses expurgentur, non aliunde, quàm ex forma particularum est desumptum: quòd hæ nullum talem exitum habeant, qualem uterus, uesica, sedes, auris, nasus, & os. Hinc etiam fit, quòd uentriculus utrinq; expurgari possit, sursum per uomitũ, deorsum secundum naturam. Quippe hoc genus indicationum ab instrumentalibus, quatenus instrumentalia sunt, est sumptum: sicuti, quæ siccandum esse docent, ab ipsarum similarium substantia sumuntur. Ab ipsis uero morbis rursus tales, ueluti ab ulceribus (quoniam de his disputatio erat) & quòd siccanda sint, ut supra est cõprehensum, & quòd, qui e uentriculo eluere pus uolunt, non sine periculo uomitum mouent, sicuti si aliter infixam illi pituitam per oxymeli ac radiculas detergerent. sed tutius deiectione utuntur, cum uomenti periculum sit, ne &, quod

exulceratum ẽſt, dilaceret, & ſuccum quempiam inutilem ex uicinis attrahat. Quo nomine (ut dixi) & ulcera, quæ pulmoni inſident, difficillima ſanatu ſunt, ut quæ nec citra tuſſim expurgare poſſis, &, ſi tuſſim excites, lacereueris. Itaq;, quaſi per mutuas operas, malum ijs in orbem redit: quippe cum, quæ lacerata ſunt, rurſus phlegmonen excitẽt: ſecundo rurſus phlegmonen ipſam maturari, & pus expurgari deſiderant. Quare ex omnibus ſanandi difficultas his exoritur: & quòd ea, quæ idonea ulceribus medicamenta ſunt, contingere ulcus, ſicut in uentriculo, non poſſunt: & quòd per medium interuallum fere uim ſuam amittunt: & præterea quod reſpirando mouentur, & tuſſiendo lacerantur. Itaque, cum in pulmone ruptum uas eſt, ſcire aperte licet, niſi protinus, ante, quàm phlegmone excitetur, glutinatum ſit, id poſtea inſanabile fore. E

A.l.3.f.10.t.4 c.18.p.300.f.

De ulceribus, quæ in aſpera arteria ſunt, & in ſumma eius parte, ac de lactis, quod apud Tabias habetur, perfectione. Cap. 12.

A.l.3.f.10.t.5. c.5.p.306.e.

CEterum ulcera, quæ in aſperæ arteriæ interiore ſunt tunica, & potiſſimum, quæ ſummæ eius parti (quam Larynga uocant) ſunt uicina, aut etiam in ipſa, hæc & curationem recipiunt, & nos non paucos eorum, qui ita ſunt afflicti, ſanauimus. Sane curationem eorum hinc maxime inuenimus. In grauis huius peſtilentiæ initio (quæ utinam aliquando ceſſet) iuueni cuidam, cum nouem iam dies ægrotaſſet, totum corpus ulceribus ſcatebat, † [ueluti omnibus fere, qui euaſerant.] Eo die etiam tuſſiebat paululum. Poſtridie uero, ubi ſe lauerat, ilico & uehementius tuſſiuit, & tuſſi expulit cruſtulam, quam græce Ephelcida uocant. Eratq; homini ſenſus manifeſtus ulceris in aſpera, quæ in collo eſt, arteria prope iugulum nati. Quin aperto quoq; hominis ore fauces eius inſpeximus, num quid in ijs alicubi ulcus eſſet. ſed nec ſic inſpectantibus apparuit uitium. & plane laboranti ſenſus eius aliquis manifeſtus ex comeſtorum bibitorumq; tranſitu fuiſſet, ſi illic ulcus fuiſſet. Quinetiam ex aceto, & ſinapi, certioris notitiæ cauſa, quædam ei deuoranda dedimus. Sed nec horum quicquam eum momordit. & ſenſus doloris manifeſte in collo erat. Quo loco etiam adeo irritabatur, ut tuſſire impelleretur. Suaſimus itaque reniti quantum poſſet, nec tuſſire. Quod & fecit, eo certe facilius, quòd exiguum erat, quod proritabat. & nos omnibus modis operam dedimus, ut ulcus ad cicatricem peruenireţ, foris medicamentum aliquod, quod ſiccaret, imponentes: tum cubanti ſupino humidum aliquod ex ijs medicamentis, quæ ad eiuſmodi ulcus facerent, exhibentes: ac iubentes id in ore continere, paulatimq; permittere in aſperam arteriam defluere. Sic igitur faciens ſentire ſe manifeſte aiebat adſtringẽtis medicamẽti circa ulcus uim, ſiue ea uis huc † tranſmiſſa eſt, ſiue medicamen ipſum roris ſpecie in arteriam ad ulcus defluxit, & tanquam percolatũ eſt. Erat autem nec æger ipſe medicinæ imperitus, ſed ex ijs quidã, qui ex uſu, & exercitatione empirice medicabantur. Ergo ſentire ſe aiebat tum medicamentum in arteriam defluere, tum tuſſim quoq; aliquando mouere. Obluctabatur tamen plurimũ, ac tuſſim cohibuit. Igitur ipſe quoq; ſua ſponte Romæ quidẽ, ubi correptus fuerat, triduum etiamnum poſt nonum diem eſt moratus. poſt hoc conſcenſo nauigio, primũ per flumen ad mare nauigauit. quarto die poſt, naui peruenit ad Tabias. uſuſq; eſt lacte, quod & mirificam plane uim habet, nec ſine cauſa prædicatur. De cuius uſu aliquid dicere oblatũ nũc tempus uidetur, nec de eo tantum, quod apud Tabias habetur, uerumetiã de alio omni. Neq; .n. ijs modo, qui Italiã incolunt, eſt ſuccurrẽdũ, ſed, quoad fieri poteſt, qui ubiuis habitãt gentiũ. Igitur ad lac, quod in Tabijs habetur, commendandũ multa concurrunt, & locus ipſe ſatis editus, & aer illi circundatus ſiccus, & paſcuũ pecoribus ſalubre. Atque hoc quidẽ alibi quoq; arte præparare licebit, ſiquis in colle modice edito herbas fruticesq; ferat, qui ſalubre ſimul adſtringensq; lac reddant. quorũ exẽpla paulo poſt dicẽtur. Ceterũ, ut ambientẽ aera ſimilẽ reddas, fieri omnino nequit: Eligere tamẽ ſimillimũ ex ea, quæ datur, aerum copia licet. Simillimus aũt is fuerit, cui eadẽ adſunt, quæ illi. Altitudo collis mediocris, uia a mari ad ipſum triginta ſtadia, ampliusq; aliquid, ſed non multo. Locus aũt ipſe uerſus mare. Nempe Tabiæ in imo maxime ſinu eſt, qui inter Surrentum, & Neapolim conſpicitur, magis tñ in latere, quod ad Surrentũ pertinet. Porrò totum id latus collis eſt ſatis magnus, longitudine ad Tyrrhenũ mare porrectus. Inflectitur aũt leuiter collis hic ad occaſum: nec in meridiẽ in totum plane procurrit. Ergo hic collis a uentis ijs, qui ab ortu flant, Euro, Subſolano, & Borea, tutum defendit ſinum. Coniungitur illi in imo ſinu alter collis non paruus, quẽ & ueteres Romani in hiſtorijs, & qui nunc diligentiores ſunt, Veſuuium nominant. Celebre nunc nouumq; nomen Veſuuium eſt, oĩbus hominibus notum, propter ignem, qui in eo ex terra ſubmittitur. Quæ res non parũ mihi ad ambientis aeris ſiccitatem conducere uidetur. & alioqui præter ipſum ignẽ, nec ſtagnum propinquum, nec palus, nec fluuius alicuius momenti uſquam in ſinu habetur. Omnibus uero uentis, qui ab Arcto ad æſtiuum occaſum perflant, Veſuuius collis obijcitur. multusque cinis ab eo ad mare uſq; peruenit, reliquiæ uidelicet materiæ, tum quæ in eo combuſta eſt, tum quæ nunc etiam uritur. Omnia hæc aerem efficiunt ſiccum: Licet porrò & alibi terrarum eligere collem ſimili modo ſiccum, ſcilicet nec longe a mari, nec adeo magnum, ut uentorum impetui ſit expoſitus: nec adeo humilem, ut ſubiectorum camporum halitum prompte recipiat. Caueatur autem, ne ad Septentrionem ſit uerſus. ita enim eſſet auerſus a Sole. Quòd ſi etiam in temperato orbis loco collis ſit, ueluti is, qui ad Tabias conſpicitur, longe magis ad rem pertineat. Hoc in colle ſunto herbæ quidẽ, agroſtis, & lotus, & polygonon, & meliſſophyllon: Frutices uero lẽtiſcus, & arbutus, & rubus, & hedera, & cytiſus, alijq; his ſimiles. Atq; ita tibi collis præparetur. Pecora uero, quæ in colle ad Tabias paſcuntur, boues ſunt.

Eſtque

† Cod. impreſſi & multi ẽt ex manuſcriptis legũt, ut Linacer uertit. καθάπερ καὶ οἱ ἄλλοι σχεδὸν ἅπαντες οἱ σωθέντες. & ita ẽt uetus interpres. Sunt tamen, qui nõ habent, οἱ σωθέντες. vt ſic uerti poſtea deberet, ueluti aliis fere omnibus.

† κατὰ διάδοσιν. i. per tranſumptionem, eſt addendũ.

AEſtq; eius animalis lac ſpiſſum ita, ut aſinorum tenue. Ego uero, ne quod lactis genus uſui deſit, ex uaccis craſſum, ex aſinis tenue, ex capris medium, & boues, & aſinos, & capras in paſcua depulerim. Veteres uero etiam mulierem lactantem ijs, qui phthoe conſumerentur, adſtare uoluerunt. Quorum ſententiæ ipſe quoq; accedo, & quòd familiare id ſit, & quòd prius, quàm ab ambiẽte refrigeretur, id ſumi uoluerint. Porrò hoc tibi de lactis uſu pro maximo præcepto ſit, ut ij, quibus eo eſt opus, omnino id aſtante animali ſtatim mulctum bibant, etiam melle iniecto, ſi cui cogi in uentriculo ſolet, quòd ſi ipſum deſcendere ad aluum citius cupis, etiam ſale. Atq; ille quidem adoleſcens, cum ulcus in arteria ex peſtilenti morbo haberet, ſanatus eſt: ac poſt eum ſimiliter alij. Alter uero adoleſcens annos natus circiter decem & octo, cum multis diebus ex * deſtillatione laboraſſet, primum quidem ſanguinem floridum cum tuſſi expuit, non ſane multum: poſtea uero etiam tunicæ ipſius partem, quæ tegens intrinſecus totam arteriam, in fauces & os per ipſum arteriæ caput (Larynga uocant) aſcendit. Videbatur autem mihi, tum ex craſſitudine eius coniectanti, tum ægri ſenſu, ipſius laryngis eſſe interna * tunica. Quinetiam læſa illi ex eo uox eſt. Atq; hic quoq; longiore quidem tempore, ſed tamen ſanatus eſt. Ceterum, qui ex peſtilentia hoc uitio laborarunt, propterea mihi facile ſanati uidẽtur, quòd præſiccatum ijs præpurgatumq; totum corpus fuerit: quippe cum & uomuerint ex ijs non nulli, & omnibus B uenter profluxerit. Atq;, cum ita iam uacuati eſſent, qui euaſuri erant, ijs puſtulæ, quas exanthemata uocant, nigræ toto corpore confertim multæ apparuerunt, ulceroſæ quidem plurimis, omnibus certe ſiccæ. Eratq; intuenti perſpicuum reliquias eas eſſe ſanguinis, qui in febri putruerat: quas, ueluti cinerem quempiam, natura ad cutim truſiſſet, ſicuti alia ex ſuperuacuis non nulla trudit. Verum medicamentis ad eiuſmodi exanthemata opus non fuit, cum ſiderent ſua ſponte, ad hunc modum: alijs quidem, quibus uidelicet exulcerata ſumma pars fuit, decidit ipſa ulceris cruſtula, quam Ephelcida nominant, deincepsq;, quod reliquum fuit, propinquum ſanitati erat, ac poſt unum duosve dies ad cicatricem peruenit: alijs, quibus ſcilicet ulcerata ſummitas non eſt, exanthema quidem ipſum, & aſperum, & ſcabioſum erat, decidit uero ueluti * ſquamma quædam: ac dehinc omnes fuere ſani. Nihil itaque miri, ſi etiam ij, quibus eiuſmodi exanthemata in pulmone ſunt orta, propter ulcerum ſiccitatem ſunt ſanati. Quod nanq; in ceteris ulceribus uniuerſis ſupra monſtrauimus curationis eſſe propoſitum, hoc iam ijs, quæ ex peſtilentia ſunt orta, præſto fuit. Omnia nanq; ſicca, & aſpera fuere, plurima quidem ſcabiei, quædam uero etiam lepræ ſimilia. Ergo, cum experientia rationi atteſtetur ulcerum curationem hunc unum habere * finem, ut ſiccentur, poterit quiſpiam ex ijs, qui ſanguinem ex pulmone reijciunt, ſeruare permultos ita, ut nos fecimus.

Catarrho.

* σῶμα. i. corpus.

* λῆμμα. i. cortex.

C *De curandis ſtatim ijs, qui ob deſtillationem, aut membrorum ſpiritus refrigerationem ſanguinem reijciunt.* Cap. 13.

AC, quemadmodum quidẽ medendum ijs ſit, qui notabile in pulmone uas fregerunt, inde adeo quòd ab alto ſint lapſi, uel immodice clamarint, uel pondus ſupra uires ſuſtulerint, uel quòd durum * magnumq; aliquid extrinſecus ipſorum pectori inciderit, dictum prius eſt. Quemadmodum uero, qui ex catarrho ſanguinem reijciunt, commodiſſime tractentur, nunc dicemus, propoſita claritatis cauſa curatione, quam Romæ in ſplendida muliere peregimus. Hæc nanque, cum eiuſmodi ſermones audiſſet, quales nunc de ijs, qui ſanguinem ex pulmone reijciunt, habuimus, ſiue ex catarrho id, ſiue uehementi tuſſi paululum quiddam per noctem expuerat, ilico ad me miſit, † [ſe, quicquid exigerẽ, præbituram promittens.] Audiuerat uero ante id tempus, niſi quis ilico præſidium ſtrenue afferret prius, quàm ulcus phlegmonen contraheret, eum operam amiſſurum: atq; hanc eſſe præcipuam eorũ qui ſanguinem reijciunt, interitus cauſam. Igitur incidere mulieri uenã, quæ iam quatriduum propter catarrhũ propemodũ ſine cibo egiſſet, non placuit, ſed iuſſi, ut acri uteretur clyſteri: tum crura manusq; calfacienti pharmaco plurimum fricaret, & uinciret: mox caput raderet. cui deinde medicamen, quod ex palumbium ſtercore conſtat, impoſui. interpoſitisq; tribus horis in balneum duxi, ac laui, nullo caput D contingens pingui. dein caput idoneo pileo contexi, & pro eo, qui tum erat, temporis ſtatu, nutriui ſola forbitione: poſt quam ſtatim fructũ aliquem autumnalium auſterum dedi. Deinde, cum dormitura eſſet, quod ex uiperis conficitur, medicamentũ dedi [theriacen uocant] circiter quatuor menſes ante confectũ. Habet .n. id ætatis adhuc præualentem papaueris ſuccum, qui in antiquatis ignauus reddit. ideoq; & ſomniferum eſt, & fluxiones tum ſiccat, tum leuiter craſſat. Finito uero prorſus catarrho, liquido apparebat tum ex reſpirandi ſpecie, tum ſonitu, ſemel excitatæ tuſſis pulmonẽ purgatione egere. Ceterum exhibere hanc non placuit ſecundo ſaltem die, ſed in omni taciturnitate, & quiete muliere ſeruata, tum artubus eius perfricatis uinctisq;, iuſſi reliquas quoq;, oẽs partes perfricari, excepto capite, quod adhuc ex medicamento incaleſcebat. rurſus aũt ueſperi dedi * theriaces ceu fabæ noſtratis magnitudinem. Erat uero, quod pridie acceperat, hoc longe amplius. Poſtea uero, quàm hac quoque nocte probe dormiuiſſet, tertio die mane mel coctum copioſe exhibui, ac in quiete ſeruaui. Procedente uero die totũ corpus ſimiliter perfricui, ac ptiſanæ cremorẽ cum pane exiguo pro cibo ſumere iuſſi. Mox quarto die mane quidẽ dedi medicamentum, quod ex uiperis ſit, ſed quod iam in ætate uigoris eſſet, idq; cũ copioſo melle. Capiti uero mulieris eodẽ pharmaco, quod uehementer cum ſiccat, tum cale facit, impoſito, ac deinde ipſa lota, nutritaq; modice, ualentius iam pulmonẽ expurgare in quinto ſum aggreſſus. Ac dehinc rurſum, rurſumq; ex interuallo ad caput quidẽ cõſueto cerato, quod thapſian reci

* Alias grauedque.

A.l.3.f.10.T.3.c.6.p.991.B

† Ex græcis clarius. Promittens præbere ſe, quic quid uellem, facturam. id eſt, ut uetus etiam tranſlatio habet, omnibus præceptis meis quã tumlibet arduis ſe obſequuturam. neque enim de præmio hic intelligẽdũ ẽ.

pit,ſum uſus. Totam uero corporis curam,in geſtatione,frictione,ambitione,lauandiq; abſtinentia, ac E
uictu tum moderato, tum uero boni ſucci,ad reficiendum direxi. Hæc itaq; mulier recte ſeſe habuit,
minime lactis opem requirens. Alteri uero adoleſcenti, cui non ex deſtillatione, ſed ex refrigeratis
ſpiritus inſtrumentis orta tuſſis fuerat, cum ſanguinem & ipſe ad dimidiam heminam reiecisſet, ſtatim
uenam incidi, ac bis eodem die ex ea ſanguinem detraxi: deinde rurſus poſtridie bis: ſed artuum fri-
ctione & uinctura priore die uſus, ad ueſperam dedi pharmacum noſtrum, quod diaſpermaton dicitur.
Secundo die poſt alteram detractionem impoſui toti pectori ceratum, quod ex thapſia conficitur,mox A. ibidē 492.
ueſperi, ne ſupra modum calfaceret, id auferens. Tertio die rurſus ad tres horas impoſito, hominem F
laui. Cibaui autem ſimiliter tribus his diebus: prioribus quidem duobus, ſorbitiunculis: tertio uero
ptiſanæ primum cremore, deinde piſce ſtatim aliquo, qui & facilis concoctu eſſet, & ſimplici ratione
præparatus, adiecto. Dedi quoq; medicamentum diaſpermaton, & ſecundo, & tertio die ſimiliter ad
ueſperam: quippe quod & ſomnum conciliat,& ſenſum doloris eleuat,& ſiccandi uim habet. Tum uero,
cum & ſpiritui delegatæ partes in naturali temperamento eſſent, & totum corpus uacuatum, ac
nulla phlegmones ſuſpicio circa ruptum uas ſupereſſet,expurgare cœpimus. Mox bibito medicamento,
quod uiperas habet, ætatis iam uigentis, ad Tabias dimiſi. Sic ego omnes, qui primo ſe die mihi
curandos permiſerunt, ſanaui. F

De curando pulmonis ulcere, quod tribus, quatuorve diebus inſedit. Cap. 14.

QVi uero poſt duos,aut tres, non omnes: ſed aliquibus eorum inſanabile ulcus fuit. Quotquot
autem phlegmone ſic occupauit, ut iam febricitarent, horum nullus eſt in totum perſanatus.
Sed qui poſtea ſic per omnia præſidia rite tranſierunt, ut ſiccaretur ulcus, ij tantum ſaltem lu-
crifecerunt,ut illud nec ultra progrederetur,nec maius fieret,ſed ſiccatum, ac callo duratum, longio-
re uita frui hominem ſineret. Ex ijs uero, qui ulcus in pulmone habent,ij demum inſanabiles mihi eſſe A.l.3.f.10.T.
uidentur, qui ex ſucci uitioſi eroſione id poſſident, quorum aliqui ceu ſalſilaginem ſputum ſuum ſentire ſe aiunt: nam longo arbitror tempore omnino opus eſſe,ut ſucci corrigatur uitium. In tempore ue- 5.c.5.p.506.
ro neceſſe eſt duorum alterum, aut ſiccando ulcus, ceu callum fieri, eoq; fore omnino inſanabile: aut E.F
non ſiccando,tum ipſum putreſcere,tum quæ circa ſunt depaſcere,atq; ita ſpatio pulmones putrefacere. Porrò multi ex ijs,qui eiuſmodi ſuccum uitioſum cógeſtiſſent, cum ex eo tuſſirent,non tamen etiam
num ſanguinem reijcerent,huius noſtræ prouidentiæ compotes facti,prorſus ſunt perſanati. Oportet
autem in principio nullius rei æque eſſe ſolicitum,quàm ut neq; tuſſiant, neque ex capite aliquid in pul
monem defluat. Cauetur id triplici præſidio,purgatione primum: ſecundo,medicamine,quod diaſper
maton dicitur: tertio, ipſi capiti prouidendo. Quod purget, diuerſas facultates habeat,oportet: cuius G
generis noſtræ ſunt pilulæ, quæ ex Aloe, Scammonia, Colocynthide, Agarico, Bdellio, & Gummi
Arabico conficiuntur, ad plures uidelicet excrementorum purgandas ſpecies. Sane ſatisfaciant ad
uſum,& quæ ſine gummi componuntur. Poſtea uero,ſi res poſtulabit, etiam ijs, quæ nigram bilem ex-
purgent, utare. Capiti prouidebitur cerati uſu,quod fit ex thapſia. Atq; hæc quidem in principio per-
agenda ſunt. Poſt uero reficiendus æger ſalubriter eſt cibis boni ſucci, frictione, inambulatione, &
balneo. Tradetur autem de his methodus in idoneo operis loco. Porrò ij ſunt, qui maxime lac requi-
runt, neglectoq; eo, omnium maxime ſunt inſanabiles. Ceterum de mittendo his ſanguine ſciri illud
licet. Quicunq; parum habere ſanguinis uidebuntur,ijs ad quendam ſuccum probiorem (ſicuti prædi-
xi) reductis detrahere ſanguinem poteris, tum rurſus reficere: eoſdem etiam rurſus purgare, ac rurſus
reficere: denuoq;, ſi res ſuadet, ſanguinem mittere, potiſſimum, quibus ueluti limus uitioſus & craſ-
ſus,totus eſt ſanguis: At, qui ualidi ſunt, multiq; ſanguinis, ijs ſtatim a principio eſt detrahendus.

Quàm perperam Eraſiſtratus, ac Theſſalus ſanguinis reiectionem curarint, ac de ulceribus, quæ in ſede, ac pene conſiſtunt. Cap. 15.

HOrum,quæ retuli,uel modo,uel ante,ſiue ea inueni ipſe,ſiue iuxta Hippocratis uiam uſurpaui, ni- H
hil plane non examinatum,ac iudicio comprobatum eſt,ſed per experientiam omnia iudicata: in
quibus erroris pericula ipſi pertulimus. Fructum ex eorum uſu habituri ſunt, quibuſcunq; artis opera
ſunt curæ. Siquidem alij ueri ſunt, alij ſophiſtarum ſermones. Quanquam quid ſophiſtas memoro? Cũ
etiam non contemnendorũ medicorum aliqui, etiã qui integra uolumina de ſanguinis reiectione pro-
diderunt,alia quidem multa,& parua recte perſcripſerint,maximorum autem auxiliorum nullius memi
nerint,parum intelligentes per multa illa & parua,quæ recte admonent, longum ipſis ægrotis compa-
randum interitum. Per hæc autem tria, qui plane deplorati non ſunt, omnes ſeruantur: per ſanguinis A.l.1.f.4.d.t.
miſſionẽ,& purgationẽ,& ea,quæ caput roborãt. Sane in ſequẽtibus,cũ de ſuccorũ curatione præcipie p.134.F
mus,dicemus de ſanguinis miſſione diligentius. Minime igitur(ſicuti medicorũ nõ nulli cenſent)a par-
uis incipiendũ auxilijs eſt. Nec, ſicut illi dicunt, ſentiendũ, iſta ſcilicet prius eſſe tentãda: mox, ſi nihil
profecerint,aggredienda maiora. nam in morbis, in quibus periculũ nõ impendet, uera ea opinio eſt:
at,ubi moriendũ ægro prorſus eſt,ſi pthithoe ſemel exceptus ſit,alieniſſimũ a ratione eſt a minoribus in-
choaſſe. Nam,ſicuti reliqua omnia ab Hippocrate tradita,ita illa quoq; ſententia recte eſt dicta, Nem-
pe ad ultimos morbos ultima prorſus remedia maxime ualere. Quanam igitur inductus opinione Era
ſiſtratus in talium affectuum principio ſegnis tardusq; eſt, poſt diligens cum perijt occaſio? Nam ſan-
guinis miſſione, cum ſanguis reijcitur, nuſquam prorſus utitur, uitioſiſſima ratione inductus. ſed nec
purgat

A purgat quenquam, nec caput ſiccat. Quibus nimirum ſiquis phthoe occupari periclitantes fraudet,
quamuis reliqua omnia probe peragat,nihilo plus,arbitror, agat. Nam ſanguinem mittere recuſat, ac
ſolis artuum deuinctionibus ad eum auocandum utitur, quo (ut ipſemet ait) ad phlegmones tempo-
ra ſat nobis ſanguinis ſuperſit,nec propter inopiam eius ægrum nutrire cogamur. Sed heus tu Eraſiſtra
te, dicat arbitror aliquis, ſi poſt uenam ruptam phlegmone iam pulmonem occuparit, non eſt, quod
ſpẽres hominem ſanandum propter ipſas, quas paulo ante comprehendi, rationes. Quare amplius
opera tua non egebit,proditus uidelicet per te inter initia. Quippe idem facis, quod gubernator, qui
ubi per eius incuriam euerſa nauis eſt, uectorum cuipiam aſſerem in manum dat, indeq; ſalutem com-
parare ſuadet. Sed Eraſiſtratus fortaſſe exiſtimabat phlegmonem eſſe ex ijs,quæ neceſſario uulnus co-
mitentur. Verum, ſi ita ſentiebat, in magna plane erat ignorantia. cum uidere cuiq; liceat ſexcentis
eorum, qui quotidie ſingulari certamine decertant, maxima citra phlegmonen glutinata uulnera ſic,
ut ſecundo uel quarto die ſint omnino in tuto. Nos uero etiam plurimos ex ijs, qui uas in pulmone ex
caſu, clamore, plagave rupiſſent, prius, quàm phlegmone in uaſe rupto excitaretur, curauimus.
Quòd ſi horum quoq; pulmones phlegmonem inuaſiſſe aſſerit, ipſe ſuis ipſius placitis repugnat, ſimul
princeps uiſcus, quod maxime uicinum cordi ſit,phlegmone laborare affirmans, ſimul hominem febri
B carere, itemq; rupta phlegmone nihil expuiſſe. Ergo a nobis quoque inuicem audiat nec fieri poſſe,
ut glutinetur ulcus, ſi phlegmone pulmonem inuaſerit, omninoq;, ſi inuaſerit, febricitaturum, ac pu-
rulenta deinde, cum phlegmone ſoluitur, tuſſi exputurum. Ergo, ſi quis nec febricitabit, nec tuſſiet,
nec ſaniem aliquam ex ulcere & phlegmone ſpuet, quæ ratio eſt, ut huius ineſſe pulmoni phlegmonẽ
dicas? Itaque tum hoc maximum certe præſidium non recte ab eo damnatum eſt, tum purgatio ſine
ulla mentione prætermittitur. Ac nec ullam pharmacon, quod efficax ſit, contra ullum ex comprehẽ-
ſis generibus ab eo eſt poſitum. Quin, ſiue caput fluxionem mittat, eo ſtatu ſeruabitur: ſiue ex intem-
perie ipſorum ſpiritualium tuſſis incidat, etiam ipſa ſic manebit. Ergo Eraſiſtratus ſtatuario illi aſſimilis
uidetur, qui reliquis omnibus partibus ſcite perfectis, ſtatuam reliquit cæcam. Nam quæ, quæſo, re-
liquæ pulchritudinis gratia, cum oculos deſideres? Poſtea, ſi dijs placet, cum tanti uiri maxime aber-
rent, egregius, uir Theſſalus, qui artem ne nouit quidem, Methodicum ſe cenſet appellandum. Ac
nunc ferme omnes ſectatores eius ſanguinem mittere uidemus, tum alijs ægrorum non paucis, quibus
non ſolum non utile, ſed etiam noxium exiſtimare id præſidij oportebat, præſertim ſi proprijs ipſis hy-
potheſibus ſtarent: tum uero ijs qui ſanguinẽ, ſiue hunc per uomitũ, ſiue etiam cum tuſſi, reijciunt,
modo ualentes uires habeãt. Sed quomodo cohærebunt hæc ſecum, ut uenam, ubi ſanguis reijcitur,
C incidere iubeant, & in commentarijs ſuis ſcribant remedium id adſtrictis uitijs conuenire? Ergo ne ſe
Methodicos amplius nominent, ſed Empiricos, ſi reiecta ratione, quam eſſe rectam putabant, ex-
perientia utuntur ad inuenienda præſidia. An igitur in ijs quidem clare deprehenduntur nec methodo,
nec omnino ratione aliqua quicquam facere, ubi uero partes inutiles eſſe ad curationis inuentionem
aiunt, non multo magis? Atqui, ſiquis ad memoriam reuocet ea,quæ de auribus,naribus, oculis,ore,
pectore, pulmone, præterea utero, ueſica, & uentriculo, diximus, errare eos tota uia uidebit. Talis
igitur erat, qui ad phlegmonem, quæ in pudendo erat, macedonico medicamento eſt uſus, ac cum eo
etiam cataplaſmate, quod relaxandi uim habebat, nempe ſolemni hoc, quod ex pane, aqua, & oleo
conficitur. Etiam alius quidam illi perſimilis, qui ad ſedem exulceratam iiſdem eſt uſus. Verum de
A. l.3.f.20.c. talibus,ubi de phlegmonis diſputabitur,agemus. Ceterũ ulcera,quæ citra phlegmonem in pene ſede
21.p.703.A ve cõſiſtunt,nullum cataplaſma deſiderant,ſed medicamen,quod cicatricem inducat. non tamen, me
hercle eius naturæ,quæ ulcera,quæ in carne ſunt,inducere cicatricẽ poſſit, immo quæ tanto magis ſic-
care poſſit, quanto hæ partes ſunt carne ſicciores. Quinetiam, quod magis admirere, ipſorum, quæ
in pene ſunt,ulcerum magis etiam ſiccari poſtulant, & quę in toto cole hæſerunt, & quæ extra hunc ẽt
finem eius, qui glans dicitur, infeſtant: minus uero, quæ in præputio ſunt: atq; etiam his minus,quæ-
D cunque in reliqua ſunt cute,quæ totum colem ueſtit. Cum igitur humidum in glande ulcus quidam ex
amethodis iſtis medicis,iſtis inquam Theſſalijs,ſanare aliquãdo non poſſet medicamẽtis ijs, quæ epu-
lotica uocantur,id eſt,quæ cicatricem inducunt,adhibuit in conſilium me. Vbi igitur ex me audiuit lõ-
ge ſicciore medicamento particulã egere propterea, quòd ſiccioris naturæ eſſet, primum non credidit:
ut uero coactus neceſſitate eſt aliquo ex noſtris medicamentis uti,tribus diebus ſanatum ulcus eſt.per-
ſpicuumq; erat medicum non tam fuiſſe de ſalute hominis lætatum, quàm inde adeo triſtatũ, q̃ in mala
diſciplinæ ſecta fuiſſet educatus. Siquidem medicamen,quod ex * papyracea charta combuſta ſit, hoc
ſcilicet nobis uſitatum, id genus ulcerum ſanat: ſicuti etiam anethum uſtum ſimili modo inſperſum:
itemq; cucurbita ſicca atque uſta ad eundem modum: alia præterea multa ex ijs,quæ uehementer, ſicut
illa, ſiccant. Siqua uero eiuſmodi ulcerum ſine madore ſunt, ac recentia, ijs ſola aloe ſalutare medica-
men eſt. Inſpergitur autem ſicca, ſed in tenuiſſimum ceu pollinem redacta. Hæc uero etiam,quæ in ſe-
de conſiſtunt, ſicca ulcera probe percurat. Simillimam huic uim habet & cadmia uino elota, & ſicca.
A ibidem. Ab hac quoque non longe abeſt argenti ſpuma, Lithargyros græce dicta. Deinceps uero molybdæna
ſequitur. Omnibus uero tum minus inferens doloris,tum nullo minus efficax pompholyx eſt. Sin hu-
midiora ſunt, ipſe per ſe pini cortex, itemq; lapis hæmatites uocatus idoneus eſt. Quod ſi profundi-
tas quæpiam ipſis adſit, ubi excitata fuerint, dictorum alicui tantulum mannæ admiſcendum eſt,

quantum sit ad carnem gignendam satis. Neq; igitur horum quicquam uel per somnium norunt, qui E istius sunt alienæ a methodo sectæ, cum omne ulcus, in quacunque animantis sit parte, eandem postulare curationem opinentur: neq; etiam, quemadmodum fuere quædam ulcera oporteat, ueluti ea, quæ in abdomine contingunt: de quibus in sequenti libro cum ijs, quæ restant, uniuersis agetur.

GALENI METHODI MEDENDI, ID EST DE MORBIS CVRANDIS, LIBER SEXTVS.

ARGVMENTVM LIBRI.

Neruorum, tendinum, ligamentorum, partiumq;, quæ illorum natura participant, ossium quoque curationem absoluit. F

Prolixitatis librorum excusatio, ac quæ hactenus monstrata sunt. Cap. 1.

ON dubito fore non nullos, quibus esse prolixus uidebor, qui unum hactenus morborum genus, quemadmodũ methodo curetur, exponam. Par est aũt, non tam mihi longitudinem hanc imputent, quàm ijs, qui parum intelligentes, quæ rectissime ab Hippocrate sint scripta, ea calumniari sunt conati: quos, ne quemadmodum ulcus quidem recte curent, scire ostendi, nedum, quod maius sit, quicquam. Atq; ipsum quidem morbi genus, cuius una species ulcus est, seu continuitatis, seu unionis solutionem uoces, nihil referat. Illud monstratum est, methodum curandi eius, in quocunq; corporis membro sit, quæ quidem ab affectu ipso sumantur, indicationes seruare communes, quæ uero ex partibus præbeantur, alias atq; alias habere. Cum .n. in carnosis particulis inciderit, nominatur quidem ulcus: habet uero curationis * indicationem omnium quidem, quæ præter naturam sunt, communem, sui scilicet ademptionem: quam uero, ceu affectus, præstat, ut per contraria tollatur: quã, ut G diuisio est, unitionẽ. Quippe generatio huius uitij in diuisione unitatis consistit. Ideoq; in osse uocatur fractura, græce Catagma: in neruosis fibris Spasma: in musculis ulcus & ruptio: quorum differentia prius iam dicta est. Idem tamen morbus, cum in neruum & arteriam & uenam inciderit, nullam propriam appellationem est sortitus, mutuatur aũt interdum ulceris, interdũ uulneris uel ruptionis appellationem. Ceterum parum esse de nominibus solicitum debere eum, cui rerum scientiam inuenire sit propositum, sæpe iam diximus. Itaq; huc potius nominibus neglectis properemus: quando non ex horum exquisita impositione, sed ex appositis remedijs ægro salus paritur. Rursus igitur reuocandum ad memoriam est, quemadmodũ audacissimus Thessalus, cum nullam curandi ulceris methodum tradiderit, oẽs tamen dixisse se arbitratur. Siquidem, quòd sinuosum ulcus postulet impleri, & simplex gluti nari, hæc nec idiotis sunt ignota. Quemadmodum tamen methodo quis pharmaca inueniat, quibus uel impleatur, quod sinuosum est: uel glutinetur, quod simplex est, hæc uulgus non nouit. ad id est, quod medicis considerandum proponitur, atq; in eo alius alio est præstantior. Quippe, ueluti in præcedentibus ostendimus, & inueniet remedia, & inuentis recte utetur, quisquis in medendi methodo est exercitatus.

Aduersus Thessalum de nerui punctura, ac de medicamentis, quibus curatur. Cap. 2. H

VT enim iam aliquid persequamur, quod præcedẽtibus sit deinceps, fingamus quempiam ad nos uenire, cui tantum cutis acu sit puncta. Hunc hominem, si is sit, cui facile ulcera sanescant, etiam si citra medicamentum nudoq; membro ad opera consueta dimittas, nihil sentiet mali: sin, cui difficulter sanentur, primum quidem dolebit, post etiam tum pulsu particula infestabitur, tum phlegmone. Ac Empiricus quidem examinando percontandoq; hominis naturam discet: Nos uero, tum ex eiusmodi examinatione omnibus his usi, quæ per experientiam inueniantur: tum nihilominus ex ijs notis, quas de boni succi maliq; naturis habemus: præterea de ijs, qui acris hebetisq; sunt sensus: tum plenitudine grauatis, modiceq; se in succis habentibus: non ignari, quòd, qui uel plethoricus est, uel uitiosis succis premitur, uel acris est sensus, uel horum quibusdam omnibusve premitur, phlegmone tentabitur: qui contra est affectus, nihil mali sentiet. atq; hæc prospicientes, non equidem medicamen, quod glutinet, imponemus, cuiusmodi plurima sunt eorum, quæ Enæma uocant, (ea sunt, quæ recentibus statim applicantur uulneribus) immo molle & blandum, & quod dolorem mitiget. si quidẽ, ubi magna diuisio est, ibi studium impendi debebit, ut magis siccantibus remedijs labra ulceris uniantur, atq; coalescant: ubi autem acu stilove facta diuisio est, id duntaxat curandum est, ne phlegmone particula tentetur. Atq; ex hoc manifestũ est cruentorũ ulcerum * indicationem, quæ a Thessalo est prodita, nihil nos maius

A maius adhuc docere, quàm sit cuilibet e plebe notum. Non enim scire, quid fieri oporteat, id magna res est, ut quod omnibus hominibus natura insit: sed, quibus rationibus illud efficias, id uero scire artificum est. Nam, si nauem quispiam sit ædificaturus, scimus profecto omnes, etiam qui nauium fabri non sumus, quo loco poni gubernacula debeant, quo loco puppis, quo prora, ac reliquorum quidquid: ceterum nihil nobis hæc ad rem conferunt, utpote nescientibus, quemadmodum ipsa struantur. Aeque, & qui ædes molitur, utique non ignorat, nec quòd iacienda primum parietum fundamenta sint, nec quòd super his erecti minimeq; inclinantes erigendi sint parietes, nec quòd super his strui tectum oporteat, nec quòd ostia, & fenestræ, singulæq; reliquarum domus partium proprijs collocãdæ sint locis: uerum hæc ad domum ædificandam quid conferant, quoad ipse fabrilis artis ignarus ea fabricare nesciat? Vni igitur Thessalo omnium hominum sapientissimo, nosse, quid fieri oporteat, ad artificiosam notitiam satis esse uidetur. Sed nos per superius comprehensa monstrauimus id esse operum, quæ ex artibus expectentur, ueluti principium quoddam, nondum aliquam eorum propriam partem, sed quæ etiam sit cuiuis e plebe communis. Quippe primæ in omni arte indicationes omnibus hominibus natura sunt præsto. Quare, si hæ satis sunt ad opifices faciendos, nihil uetat, quin & naues ipsi ædificemus, & materiam fabricemus, promptumq; sit omnibus tum calceos facere, tum ueB stes, tum domos, sed & architectos esse, & cithara personare, & rethoricari. Verum non ita se res habet: nec, qui uulneratæ parti naturalem unitionem esse moliendam nouit, is medicus est, sed qui, quibus id rebus perficiat, intelligit. quanquam ne hoc quidem ipsum per se satis est, si quis etiam, quo pacto his sit utendum, nesciat: sed, qui uiam omnem curationis eousq; percalluit, ut ipsum consequi destinatum finem queat, is demum est, qui mederi nouit. Ergo istis amethodis Thessali æmulis illud accidit, ut, cum maiora uiribus audeant, nec ad ea, quæ consequi alioqui possent, accedant. Quippe, cum dudum stilo quidam uulneratus in manu esset ita, ut tota diuisa cute aliquid neruorum, qui subeerant, pungeretur, sapiens scilicet Thessalius in principio emplastrũ quoddam imposuit, quo sæpe in maximis uulneribus usus prospere fuerat. Putabat .n. (arbitror) omne uulnus eandem curationem requirere. Phlegmone uero oborta, ad cataplasma, quod ex farina tritici componitur se conferens, atq; interim hominem putrefaciens, intra septimum diem iugulauit. Nec sane comprehendere numero est, quot, ubi in Pæonias istorum manus incidere, conuulsione perierint: quo, si dijs placet, sanctio illa Thessalia seruetur, Omne cruentum ulcus similiter esse curandum, idq; partibus ijs, quæ laborent, nullam indicationem conferentibus. Ceterum uera ipsa methodus non perinde, atq; hæc Thessali, est amethodos, immo potest uel nunc etiã post tot tantosq; medicos non solum meliora medicamenta, A.l.4.f.4.T. 4.c.1.p.883.C C quàm prius fuere, sed etiam uniuersum curationis modũ inuenire. Nemo .n. statim ab initio ijs usus, quæ nos inuenimus, ex nerui uulnere in cõuulsionem incidit. Aduerti nanq; ubi punctus neruus esset, ei ex sentiendi, quod obtinet, acumine necesse esse tum dolorem incidere, quàm reliquis partibus, maiorem, tum ex necessitate phlegmonen consequi: nisi quis & medelam dolori inueniret, & phlegmones generationẽ prohiberet. Rationabile igitur mihi est uisum cutis quidẽ uulnus apertũ inglutinatumq; custodire, quo per id ex neruo uulnerato sanies efflueret: totum uero corpus superuacuis humoribus liberare: ac, nequis dolor uulneratam partem urgeret, in primis solicitudinem habere. Itaque etiam medicamenta excogitaui non pauca, quæ uulneri imposita ad utrunq; mire sunt comparata, tum ut dolorem mitigent, tum ut exitum saniei patefaciant. Tutius uero fuerit etiam, siquis cutem latius incidat, ac totũ corpus sanguinis missione inaniat, utiq; si fortis sit uirtus. Si uero uitiosis succis repletũ corpus sit, protinus purget. Aqua uero calida, quanquam reliquas phlegmonas ualde mitigat, uulneratis tamen neruis est inimicissima: cum præsertim eorum substantia ex refrigerata concretaq; humidiore materia sit condita. Omnis enim eiusmodi constitutio per ea, quæ simul calefaciunt & humectant, resoluitur ac putrescit. Itaq; ab aqua calida eos, qui ita uulnerati fuerant, omnino prohibui, utilius iudicans oleo calente fouere propterea, quòd demonstratum a me est, hoc quoq; si frigidum applicetur, teD nues meatus obstruere: sin calidum, digerere. Porrò fugi ex huius quoq; generibus & crudum, quod Omotribes græce dicitur, & quod deniq; adstringendi uim haberet. Delegi autem tenuissimum, cuius generis Sabinum est: quod etiam utilius fuerit, si bimum trimumve sit. Quippe id, quàm recens, magis per halitum digerit, quoq; magis est antiquum, hoc semper magis digerere est potens: uerum dolorẽ minus sedat. In pharmacis autem huc omne consilium direxi, ut esset eorum facultas tum tenuis, tum modice excalfaciẽs, & quæ siccare citra dolorem posset. cum sola hæc trahere ex profundo saniem neque contracta neq; demorsa particula possit. Vsus sum autem primum terebinthina resina, tum per se, tum etiã paulũ euphorbij admiscẽs: Et per se quidem in pueris, & mulieribus, & generaliter ijs, qui molli essent carne: Cum euphorbio uero in ijs, qui dura. Non secus aũt & propoli, nõ per se modo, uerum etiam cum euphorbio ipsam molliens: quòd si durior esset, cum tenui quopiam oleo. Quin & sagapeno in duris corporibus sum usus, utiq; cum oleo & terebinthina id miscens: sed & opopanace ad eundem modum, quo & sagapeno. Mihi uero & lachryma cyrenaica non inutilis fore uidetur, siquis * emplastrum ex ea faciat, cuiusmodi est, quod nos ex euphorbio composuimus. uerũ nondũ id experientia, quẽadmodũ reliqua oĩa, comprobauimus. Quippe præcedere opõrtet eam, quæ a uera methodo proficiscitur, remediorum inuentionem, huic uero experientiã ad certiorẽ ẽt fidem subscribere. Siquidem ex tali methodo ẽt sulfur, quod ignẽ expertũ non sit, quodq; lapidosum nõ sit, sed omnino tenuiũ

A ibidem.

* Alias φάρμακον ἐπίπαστον.

partem,ei,cui neruus vulneratus esset, conducturum speraui mus, tantum eius tenui oleo miscentes, E
dum,quod ex utrisq; mistum erat,fordium haberet crassitudinem. In ualentioribus uero durioribusq;
corporibus etiam si ad mellis spissitudinem redigas,sic quoq; iuueris:nam id quoq; comprobatum ex-
perientia est. Quinetiam lotam calcem similiter oleo admistam his applicandam excogitauimus: quæ
etiam,si mari lauetur, magis proficiet. Lauatur optime per æstatem in æstu caniculæ. Quòd si bis terve
eam laueris, utilius medicamen efficies. Quo pacto autem talia præparanda sint, ex cõmentarijs,quos
de medicamentorum compositione edidimus, intelliges. Nunc mihi tantum dixisse sufficit me tum A. ibidem.
hæc,tum alia multa medicamenta aduersus neruorum vulnera inuenisse, cum nec sub aliquo magistro
ea usurpata uiderim, nec in ueterum alicuius aut medendi libris,aut quos De facultatibus † inscribũt,
prodita:sed ex ipsa rerum natura indicationes sumpserim. Id quod proprium esse medici methodo utẽ †Addunt cod.
tis existimo. Mirificus autem Thessalus,cum ne unum quidem medicamentum inuenerit, iam pridem græci ἐξ ἰδίας
materiam eorum notam esse affirmat. Atqui multorum medicamentorũ,quæ nos excogitauimus, non σοφίας. i. pro-
modo Thessalo,& qui ante eum medici fuerunt, materia nota non est, sed nec ijs, qui post eum in hũc pria sapiẽtia.
usq; diem fuerunt. Siquidem ipse, cum accersitus aliquando essem ad quendam, qui a Thessalijs istis a
methodis medicis putris fuerat factus,ac cernerem eum cataplasma,quod ex triticea farina fit, imposi
turum,ubi nullum ad præsens mihi medicamentum erat, poposci ex figulo quodam,quem uideram, æ- F
griuicino aquam lixinam: tum coquens in ea farinam hordeaceam,non autem sicut illi in oleo & aqua
triticeam, imposui. Postea uero farinam erui simili modo coctam, iam phlegmone inflammato & pu-
tri ex bella horum curatione neruo imponens, vindicaui ab ea putrefactione hominem. Verum de ijs,
quæ cum phlegmone putrescunt, alia disceptatio sequetur, eaq; diffusa in opportuno operis loco. De
neruis uero vulneratis satisfaciant, quæ dicta iam sunt. Et sane ex ijs,quæ ipsi inuenimus, plurimi uno
illo emplastro utuntur,quod ex euphorbio,& cera,& fricta resina est compositum. Cui,nescio quomo-
do,aliqui sinopidis aliquid postea miscuerunt,aliqui ochræ,quo uidelicet fucatum,unde conpositur,
lateret,ægre ferentes,si meum id esse uideretur. Verum non est a principio sic a me compositum. Mi-
scuerint fortassis ei non nulli & e salis flore aliquid,aut aliud quippiam tale, quod colorem eius immu-
tet,nec uim eius minuat. Potest quis per ignorantiam etiam tale aliquid immiscere, quod facultatem
eius immutet. Verum nos illud ex cera,resina terebinthina, pice, & euphorbio composuimus, immi-
scentes ex cera partem unam, ex terebinthina, & pice, utriusque partis unius dimidium, sic, ut quod
ex utrisque conflaretur, ceræ par esset. licet autem interim, & plus sit, quod ex ambobus cõsit, quàm
cera. licet rursus & alterum eorum tantum ceræ admiscere. Quinetiam in penuria terebinthinæ tum
humidam pineam, tum etiam frictam commode admisceas: non minus etiam his & abietinam immit G
tas. Strobilina uero duris tantum corporibus idonea est: ad mollia uero immiscenda non est. Si itaq;
humidam resinam immiscebis, tunsum cribratumque euphorbium reliquis immittes liquatis (esto ue
ro pondus eius, ceræ pars duodecima: etiam plus aliquando, ubi scilicet ualentius efficere est in ani-
mo) Sin siccam, sicuti quæ fricta est, utique olei pusillum desiderabit euphorbium. Quare ego tum id
cum oleo contundens, ac ad fordium spissitudinem redigens, mox reliquis post liquationem refrige-
ratis * terens misceo, Sæpe etiam tantulum aquæ immiscui medicamento conficiendo,quantum in mi *ξύσας.
stis ipsis liquandis tum absumi, tum euanescere prorsus potuit. Verum omnia huius generis ad tracta
tionem de medicamentorum compositione magis attinent. Nunc sufficerit,sicuti antea fecimus,indi
cato, quale esse debeat medicamenti genus, pauca particulatim exempli causa apponere. Vberem
nanq; omnium materiam in opere de simplicibus medicamentis inuenies. Præparare autem debebis,
ut in opere de eorum compositione est traditum. Nunc igitur satis est hoc tantum dixisse, atq; ad alia
transire. Vulnerati nerui curatio medicamenta postulat, quæ & tepidum calorem excitent, & ualen-
ter siccent:tum quæ ex substantiæ suæ natura & trahendi uim habeant, & tenuium sint partium. Sane
non ad medicamentorum modo uictusq; inuentionem ipsa medendi methodus proficit, sed etiam ad
ipsum inuentorum usum. Nam ueluti in superioribus ostendimus, quisquis citra methodum, quæ ulce H
ri apta medicamenta sunt, molitur, eum ne minimo quidem eorum probe uti posse, ita & nunc osten-
dere licet. Siquidem intellexisse, quantopere affectum uel siccarit, uel calefecerit, uel mitigarit, uel A. ibidem.
lacesserit medicamenti applicatio,is demum potis est,qui methodo quadam curat. Idem uero ipse so-
lus etiam intendere ea, quibus inter initia est usus,uel remittere nouit. Cum nanq;, quod δι' εὐφορβίου pro
pterea,quòd euphorbium accipit,uocant, quidam vulnerato neruo statim imposuisset, idque subinde
prius prospere fuerat expertus,tertio die indicauit mihi uulneratam partem tum dolentem,tum phleg
mone tentatam, miratus medicamen nihil contulisse. Percontatus igitur laborantem sum,num primo
die,cum impositum medicamentum esset,calorem quempiam ueluti ex Sole suauẽ sensisset. is se quic-
quam eiusmodi sensisse negauit. Rursus itaq; percontabar & medicum, quanto iam tempore præpara-
tum apud se medicamentum habuisset,ac quos eo sanasset. Ille plus anno apud se habuisse:sanatos ue
ro a se aiebat pueros duos,& adolescentem unum. Cum autem & de corporis habitu adolescentis roga-
ssem,album eum,molliq; corpore fuisse affirmabat. His ergo auditis cum intelligerem,ut ad propo-
siti adolescentis temperiem,euphorbiũ deesse, postulans tum ipsum emplasticũ medicamentum, tum
etiã euphorbium,sumensq; ex his,quantũ ad ea inter se miscenda satis putaui,iussi manibus medicamẽ
tum subigere,ac euphorbiũ diligenter contundere. postea,quàm hæc facta sunt, miscere ea simul iussi.

Ipse

A Ipse uero oleum Sabinum vtiq; subantiquum modice calefaciens,foui vulneratam partem. Resectoq;
leuiter punctura,quod conniuebat,foramine imposui medicamen:iniunxiq; homini inediam. Medico
uero præcepi, vt uesperi rursus cum solueret,ac simili modo,quo me uiderat,oleo uteretur. Atque his
peractis apparuit postridie pars ægra & sine dolore,& sine phlegmone. intellexeruntq;, qui huic operi
aderant,omnes uerissimum esse(quod nos sæpe usurpamus) non esse adeo magnum,quod medicamen
præstare possit,nisi nactum sit,qui eo dextre utatur. Est autem dexter usus,qui tali plane methodo, qua
lem ipsi iam sæpe in commentarijs,qui ante hunc sunt,ostendimus,procedit, omnium medicamentorũ
usu ad calidum,frigidum,humidum,& siccum,ueluti ad normas,relato. Quam nimirum methodũ non
solum amethodi Thessali sectatores probe tractare non ualent, sed nec Erasistratus, nec alius medico-
rum quisquam,qui corporum elementa aut prorsus non inuestigarunt,aut alia,quàm quæ comprehen-
sa a nobis sunt,posuerunt. Sed de his hactenus.

De curandis neruis per longitudinem, uel transuersum uulneratis, ac contusis. *Cap.* 3.

SI autem non punctus, sed plane cæsim uulneratus neruus sit, considerandum est, quo pacto facta
vulneratio sit, vtrum ne per transuersum neruum,an per longitudinem eius:tum uero quantum in-
teruenientis diuisum sit cutis. Proponatur igitur primum,multum esse cutis adapertum adeo, ut ner-
B uus nudus appareat, isq; per directum non per transuersum diuisus. Huic neruo nullum iam memora-
torum medicamentorum, quæ ex euphorbio ac similiter acribus, emplastri specie fiunt, applicabis. nu
datus nanq; non feret eorum uim ita, ut, cum interposita cutis erat, tulit. Optime igitur eo casu calce
elota in multo oleo soluta utere. Salutare uero est, & quod ex pompholyge medicamentum fit, si in
largo rosaceo sit liquatum: quod utiq; melius fuerit,si tum rosaceum ipsum,tum oleum salis sit expers.
Siquidem nudato neruo, omnis curationis consilium huc tibi dirigendum est, ut minima cum mordi-
catione sicces. Possunt uero id præstare plane paucissima medicamenta. Esto igitur hoc casu calx salu-
bri aqua æstatis tempore sæpe elota. Esto præterea (ut dictum est) & pompholyx elotus,ita uidelicet,
ut elotus habetur in eo composito medicamento, quo publice utimur, quodq; alia elota in se non pau
ca continet. Quippe,quæ ex metallis consistunt,ea elota esse omnia oportet,si modo citra morsum ul-
lum sint siccatura. Salubre uero medicamentum est,& quod ex melle sub emplastri specie componitur,
utiq; cum ex optimo fit melle. Solui uero & id rosaceo oportet, quod tum reliquis conditionibus sit
optimum,tum salis omnino expers. Quinetiam ceram,quæ eiusmodi medicamentis sit miscenda,elo-
tam esse conuenit. Aeque, & liquid terebinthinæ resinæ injcies, hæc quoq; elota sit,oportet: atq; hac
magis,si alterius cuiusquam resinæ quid immittes. Quippe medicamentis omnibus, quæ laueris, acris
C mordensq; sanies eluitur,atq; abstergitur. Si uero robustus sit, qui uulnus accepit,& cui corpus sit a su
peruacuis humoribus mundum,in hoc fas est etiam ualentioribus remedijs non nullis uti: ueluti ipse
aliquando,cum id genus uulneris in carpo accepisset iuuenis quidam philosophiæ studiosus, alioqui
corpore bene habito, & tum in æstiuo Sole perusto, ex Polyidæ pastillis sapa solutis, postea super cali-
da aqua tepefactis linamenta imbuta imposui. Nam id quoq; uel in primis semper habẽdum curæ est,
nequid ex ijs, quæ uulnus contingent, frigidum sit. quandoquidem ipsa laborans pars & sensilis ma-
xime est, & principum partium primati continua, & temperamento suo frigida: quorum omnium oc-
casione & ex facili a frigido offenditur, & suam offensam impertit cerebro. Quòd si ex iis fuerit, quę
in musculos perueniant, etiam conuulsionem facile accersit. Siquidem monstratum est musculos uo-
luntarij motus instrumenta esse. Idem fore & in tendonibus expectabis, ijsdem de causis. Ceterum
cum memoratum remedium tum uulneri ipsi iuuenis imposuissem, tum uero partium,quæ supra erant,
non parum eodem complexus fuissem, quæ circa axillas, collum, caputq; eius erant, omnia calente
oleo assidue madefeci. Detraxi uero illi & primo statim die sanguinem scarificata uena. In quarto
igitur hic quoque iuuenis recte habuit adeo, ut & rugosum, & paruum, & contractum ulcus jam cer-
neretur. Veruntamen consultius usum est usq; ad septimum nihil nouare. post quem diem plane red
D ditus est sanus. Sane oleo perfundere tale ulcus non oportet, præsertim cum, ut nunc comprehensum
est, curatur. Nam oleum pastilli huius uiribus est aduersum, ac fordidum ulcus reddit. Neque enim
parum interest, nudo ne neruo oleum, an per interpositam cutem admoueas. Abluenda igitur a vul-
nere sanies est molli lana specillo circumuoluta. Madefacere uero lanam si placet, ne scilicet ficco ul-
cus attingas, sireum, id est sapa, suffecerit, quam & hepsema uulgo apud nos in Asia uocant. In hac
igitur lanam intingens, mox exprimens, ulcus detergebis. Esto uero hæc quoque ipsa tepida primis
maxime diebus. Quòd si omnia ex sententia successerint, etiam uino dulci madefacere citra pericu-
lum licebit. verum dulce id omni mordente qualitate careat, cuiusmodi tum theræum est,tum scybe-
lites, atque ab his, quod caryinum uocant. Quæcunq; uero & dulcia pariter & fulua sunt, ueluti fa-
lernum, inutilia sunt. quippe acria sunt omnia talia, ac supra modum calida. Vlcere uero iam ad cica-
tricem ueniente, quæ alba plane sunt & tenuia,nec multam aquam tolerant, nec odora sunt, ea dul-
cibus præstant. Aquæ uero usum ad neruum uulneratum semper fugies,sicuti etiam relaxans cataplas-
ma. Ad iam dicti uero pastilli usum prope etiam accedit & medicamenti usus,quod Diachalciteos uo-
camus, quo publice utimur. Liquari uero etiã hoc debebit æstate rosaceo,hyeme sabino oleo. Descri-
ptum autem est medicamentum hoc a nobis in primo de medicamentorũ compositione. Polyidę uero
pastillus,uel trochiscus,uel quomodocunque appellasse libet,omnibus ferme notus est. Cuius si copia

non

non est,Andronis,vel Pasionis pro eo est sumendus,vel noster, qui etiam omnibus illis est valentior. E
Sane iam dictum est robustis corporibus valentiora medicamenta, imbecillis mitiora esse adhibenda, Ista & vera methodus inuenit, & experientia confirmat. Thessalus vero cum suis unà sophistis in alto throno residens ἐν κριμυξοις ανδράσιν. i. apud pecuinos & brutos homines (ut Cercidas ait) in pretio erit, dum suis rationibus confirmat omnis vlceris recentis eandem esse curationem, neque hanc, ullam ex partium natura indicationem sumere. Vnus tamen magni in eius sapientia nominis, admirandam vulneratorum neruorum curationem excogitauit. nam protinus eos totos præcidit ne admonito quidem, qui vulneratus fuerat: quanquam in hoc quoque a secta sua desciuit. Siquidem par erat vel & musculos vulneratos, & arterias, & venas, & aliud quiduis totum præcideret: vel nec neruum. Alioqui sic, quod fugiunt, id facere deprehenduntur, vt diuersam pro discrimine partium indicationem accipiant. Verũ hos iam mittamus, ac de transuerso nerui vulnere agamus, in quo maior conuulsionis metus impendet phlegmone scilicet a desectis fibris ad non sectas communicata, ceterum conuulsione ab ipsis non sectis excitata. Ac, quæ ad vlceris curationem attinẽt, his quoq; sunt eadem. Ceterum detrahere largiùs sanguinem, ac tenui magis, quàm in illis, vti victu, tum in quiete omnino ac lectulo molli hominem cõtinere oportet: tum oleo calenti vbertim in axillis, collo, tendonibus, ligamentis, & capite uti. Quòd si vulneratus neruus ex ijs sit, qui in crure habentur, sicuti cum in manu erat, alæ, ita in his bubones largo F
oleo imbuendi: tum per totam spinam ad collum, & caput ascendendum. Contusi vero nerui, vbi cum his unà cutis quoque contusa exulceratáque est, medicamenta postulant, quæ in siccando quidem cõmune nerui ulcera sanantium consilium seruent, ceterum quæ partes, quæ per contusionem a se dissideant, contrahere constringereq; sint apta. Qui vero absque cutis simili affectu sunt contusi, hos oleo calente, cui euocandi facultas insit, sæpissime profundere oportet, ac totius corporis similem curam habere. Semel hoc incidere uidi, sanauique id mature, ipsa ex oleo perfusione. Verum unà cum cute neruos contusos sæpenumero vidi. & propter eius symptomatis frequentiã athletæ ipso vsu edocti habent cataplasma quod ex oxymelite & fabacea farina conficitur: quod plane salutare medicamentum est. At, si dolor unà cum contusione uexat, etiam picem liquidam immiscere, ac bene coquere, tũ calẽs medicamentum imponere oportet. vbi vero magis siccans efficere voles, erui farinã iniijcies. Quòd si, ut amplius quoq; siccet, desiderabis, irim illyricam immittes. Totius autẽ corporis cura his quoq; communis est. at si totus præcisus nerus sit, metus præterea nullus instat: * debilis tamẽ particula manebit. Curatio uero eius communis est cum ea, quæ aliorum est ulcerum, quamque unam Thessali imitatores norunt. Ergo de neruis hæc absũde sint dicta. Phlegmonẽ uero, quæ his superuenient, quemadmodũ curandæ sint, vbi de phlegmonis agemus, docebitur. G

* ἀνάπηρος .i. mutila.

De uulneribus ligamentorum, intestinorum, peritonæi, & omenti, & quo pacto futuræ fieri debeant, cum partes abdominis internæ uulneratæ sunt. *Cap.* 4.

LIgamenta uero, (quæ græci Syndesmus uocant,) cum simillimam habeant tendonibus speciem, valentissimorum remediorum uim tolerant: quòd nec ad cerebrum pertingant, & sensus sint expertia. nam nerui omnes, alij ex ipso statim cerebro ortum habent, alij spinali interueniente medulla. Tendones quoque, quoniam compositam eorum esse substantiam ex neruo ligamentoque ostendimus, quatenus nerui participes sunt, eatenus ex cerebro oriuntur, ceterum minus saltem, quàm ipsi nerui, conuulsionem accersunt. Ligamenta uero, cum ex osse ortum habeant, quæcunque rotunda sunt, ea neruis assimilia sunt, duritie tamen plurimum dissident. Verum in eo quòd alba sunt, & exãguia & cauitate carentia, & in fibras diuiduntur, similitudo illis cum neruis, & tendonibus constat. Ergo, ubi teretia ligamenta tendonesque uisuntur, qui dissectionum sunt ignari, neruos eos imaginantur, potissimum, qui multo duriora ea neruis esse non intelligunt: at, ubi lata sunt, ibi ea a neruis diuersa esse intelligunt: quanquam ne id quidem omnia: ceterum ipsa a sese discernere non ualent. Verum tu, qui præsertim cuiusque trium partium naturam perspectam habes, tum uero & formam, & quam in toto corpore posituram obtinent, in quocunque membro uulnus fieri contigerit, statim intelliges, neruus ne H
sit, quod in eo uulneratum est, an ligamentum, tendove. Et de nerui quidem ac tendonis curatione iam dictum nobis est. Ligamentum uero uulneratum si id est, quod ab osse ad os permeat, & maxime sine periculo est, & quod omnino siccans quibuslibet medicamentis, nihil hominem offendes. Sin id, quod in musculum se inserit, quanto est neruo & tendone minus periculo opportunum, tanto utique, nisi rite curetur, reliquis ligamentis magis terrere debet. Horum nihil peragi methodo ab ijs medicis potest, qui indicationem, quæ a particulis sumitur, utilem esse ad ulcerum curationem negant: nec ab ijs, qui id quidem confitentur, sed tamen cuiusque particulæ naturam ignorant: quæ nimirum (sicut ostendimus) ex ipso elementorum constat temperamento. Verum ij, quanquam nihil aliud, saltem, quę ex instrumentaria partium constitutione indicantur, intelligunt: Thessalus uero, & qui sequaces eius sunt, etiam hæc ignorant: Veluti statim, si diuisum abdomen tam alte sit, ut intestinum ex eo procidat, nec quemadmodum id reponere conueniat: nec, si omentum exciderit, abscindendum ne id sit, an non: nec an uinculo id excipiendum, an secus: nec an suendum uulnus sit, necne: nec, si suendum sit, qua ratione suendum, quicquam intelligunt: ut quę ne nos quidem intelligeremus, nisi ex dissectionis ratione, omnium, quæ istic continentur, partium naturam didicissemus. quam etiam exponere necessum est, nõ claritatis modo gratia eorum, quæ dicenda sunt, sed etiam probationis. Cutis extrinsecus omnibus ante-

A.l.3.f.22.r.1 c.1.p.739.A. A stat. hæc uero in membranã finitur. A cute, medio circiter loco, neruea tenuitas musculorum (quã Apo neurosin Græci vocant) gemina tenditur, membranarum ritu. Eas plerique anatomicorum duas esse minime norunt, cum & unà cohæreant coalescantque sic, vt labor sit eas separasse, & summa præterea sint tenuitate. Post has deinceps habentur duo musculi recti, & carnosi, qui à pectore ad ipsa pubis ossa perueniunt. Atque hæc quidem memorata omnia & sibi cohærent coalescuntque, &, quod conflatum ex ipsis est, Græci, † [qui, quemadmodum diuisum ventrem sui conueniat,] prodiderunt, Epigastrion, id est abdomen, nominarunt. Quod uero hoc deinceps excipit, ab illis quidem uocatur Peritonæon, putantibus uidelicet vnum, & simplex id esse corpus, minimeque compositum, sed falso: cum id compositum ex duobus corporibus sit, quorum utrunque, & exangue, & neruosum sit. Verum alterum eorũ neruosa tenuitas eorum musculorum est, qui per transuersum se agunt: Alterum membrana prætenuis, uelut aranea, quæ utique uere est peritonæum. Ac tale quidem in medio sui est abdomẽ. Partes uero eius quæ utrinque ad latus ad quatuor quasi digitos recedunt, hæ statim a cute obliquos musculos habent: priores quidem, qui a pectore demittuntur: secundos, qui ab ilibus ascendunt: deinde post hos transuersum musculum, sub quo est peritonæon. Ergo & minus periculi in hoc loco, quàm in medio est, cum tenuem eiusmodi membranam qualem aponeurosin vocant, nullam habeat: &* futura in medio difficulter administratur: quippe cũ & procidãt hac parte maxime, intestina & ægre inibi* cõtineri queãt. Qui enim constrinxerant contraxerantque ea, recti illi carnosique musculi erant, quos ex pectore ad pubis ossa demissos diximus. Ergo, quoties horum aliquis est uulneratus, duplici de causa procidere intestinum est necessum, a partibus quidem, quæ sunt ad latus, propterea, quod musculis, qui istic sunt, cõstringitur: a medijs vero, quòd nec musculum eum, qui contineret, habet etiamnum ualidum, & quod locus opportune ad procidentiam est comparatus. Quòd si maius etiam uulnus fuerit, tum plura necesse est intestina excidere, tum difficilius denuo immitti. Porrò alia ratione parua uulnera tractatu sunt difficilia. Nam, nisi, quod procidit, ilico in locum suum reponas, inflatur, surgitque in tumorem. quo euenit, vt per angustum foramen immitti nequeat. Minus igitur graue in eiusmodi vulnerationibus mediocre foramen est. Atque hæc quidem præscisse oportet. Proximum est, ut, quemadmodum quis hoc genus vulnerum commodissime contrectet, consideremus. Nam Thessali præceptum, quo censet enæmis ea præsidijs glutinanda esse, parum satisfacere manifestius puto, quàm ut quenquam latere, qui compos sit mentis, possit. Quoniam igitur principio id agendum est, ut intestina, quæ exciderunt, in suum locum recondantur: secundo loco, ut vlcus suatur: tertio, ut medicamen imponas: quarto, ut nequa præstantior pars simul afficiatur, prospicias, age iam de primo horum agamus. Cum igitur triplex (ut dictũ est) C discrimen horum vulnerũ in magnitudine sit, propriam a quoq; indicationem sumere tentemus. Esto autem principio vulnus adeo paruum, ut inflatum iam, quod excidit intestinum, remittere amplius nõ sit. Nunquid igitur hoc loco alterum e duobus est necessum, aut flatum educere, aut vulnus ampliare? Præstiterit autem (vt arbitror) prius, si modo id consequi liceat. At non alia potius ratione id consequare, quàm si causam, unde excitata inflatio est, submoueris. Ea igitur quę demum est? Certe ambientis aeris refrigeratio. Itaque etiam sanatio ex calefaciendo petetur. Ergo spongia molli, & ex calente aqua madenti, ac mox expressa calfacere intestinum conueniet. Præparetur vero interea uinum austerum calidum. quippe id magis calfacit quàm aqua, ac robur intestino acquirit. Quòd si huic etiam præsidio intestini inflatio non cesserit, incidendum peritonæi tantulum est, quantum ei, quod excidit, reponendo sit satis. Appositа porrò ad eiusmodi incisionem sunt ea, quæ Græci Syringotoma vocant, idest quæ ad fistulas incidendas sunt comparata. Scalpelli vero, quibus acies utrinque habetur, aut quibus cuspis acuta est, omnino fugiendi sunt. Situs uero laboranti appositus fuerit, cum in inferiore parte factum vulnus est, si sursum vergat: cum vero in superioribus, si deorsum. Vnum autem vtrobiq; cauetur, ne, quod exciderit, ab alijs quicquam intestinis degrauetur. Itaque ex hac ratione conueniet, vt, si in dextris vulnus sit, corpus in contrariam partem inclinetur: sin in D
sinistris sit, in dextram sic, ut, quæ vulnerata pars est, semper altiorem locum occupet. Atque hoc tũ in magnis, tum etiam in mediocribus vulneribus conducibile fuerit. Quippe id omnibus commune consilium est. Ceterum repositio intestinorum in suum locum, ubi ex magno exciderunt uulnere, plane ministrum postulat dextrum. Debet enim, ubi manibus suis totum vulnus extrinsecus apprehenderit, intro reprimere, tum constringere, ac exiguum semper suenti prænudare: quinetiam id ipsum, quod assutum est, modice comprimere, quoad totum persuatur. Iã uero, quæ commoda ratio suẽdi abdominis in talibus vulneribus sit, deinceps doceamus. Quoniã coire coalescereq; cum peritonæo oportet abdomen, incipiendum quidem a cute est, atque ab externo introrsus acus inijcienda. Vbi vero tum cutem, tum rectum musculum totum transierit, præterito, quod ei subest, peritonæo, per reliquum peritoneum eam ab interno extrorsus inijcies, atque inde per reliquum abdomen ab interno extra transmittes. Vbi hoc penitus transmisit, rursus ab externo introrsum idem abdomen est perforandum. Mox, ubi peritonæum, quod illi quoq; subhæret, præterieris, atq; ad contrariũ ueneris, hoc quoq; ab interno extrorsus perpungendũ, unàq; cum eo totum ipsi uicinum abdomen. Deinde ab hoc rursus incipiendum, atque id cum contrario peritonæo consuendum. ac rursus uicina quoque cute transmissa, iterum ab ea parte acus introrsus est inijcienda, consuendumq; abdomen id cũ contrario peritonæo, ẽt inibi uicina cute trãsmissa. Atq; hæc iterũ iterumq; faciẽda, quoad totũ vulnus similiter consuerimus. Interuallum uero

quod futuris interuenit, quod ad compescenda pertinet ea, quæ subsunt, breuissimum esse postulat. B Quòd uero ad firmitudinem ipsius cutis, quæ in interuallis futurarum est, nec ubi rumpatur, breuitas parum tuta est. Quare utriusq; uitato excessu, eligenda mediocritas inter utrunq; est. Iam hoc quoque omnium ulcerum commune quodammodo est: sicuti etiam ipsius, quo suuntur, fili consistentia. Nam, quod iusto durius est, cutem rumpat, necesse est: quod mollius, ipsum prius rũpitur. Aeque uero, si proxime summas oras acum transegeris, quod reliquum est cutis, quoniam minimũ est, dum uiolenter adducitur, cogitur perrumpi. Si plurimum ab ijs recesseris, multum cutis inglutinatum relinques. Hæc, tã etsi omnium sint ulcerum communia, maxime tamen fugienda in abdomine suendo sunt. Ipsa uero abdominis sutura aut iam dicto modo administrabitur, utiq; siquis huc studium dirigat, ut peritonæum abdomini coalescere faciat (uix enim cum eo coalescit, utpote neruosum:) aut sicut non nulli faciũt, qui, quæ cognatæ naturæ sunt, ea committunt, utiq; peritonæo peritonæum, abdomini abdomen. Id fiet ad hunc modum. Oportet a uicino nobis abdomine incipere, atq; ab externo introrsum per id tantum acum transmittere: post præteritis utrisq; peritonæi labris, ex aduersa parte ab externo introrsus ℘ utrunq; eius labrum acum reuocare, deinde rursus hanc reuocare, atq; ab interno extrorsum per aduersum abdomen traijcere. Hic modus a publico, & exprompto, quo uidelicet uno adactu per quatuor labra acum transmittunt, hoc discriminis habet, quòd totum peritonæon intra abdomen prorsus abscon F dit. Deinceps uero de medicamentis præcipiamus. Sane hæc quoq; eiusdem esse materiæ debebunt, cuius sunt ea, quæ Enæma dicuntur: quæq; aliarum quoq; partium unire uulnera in superioribus commentarijs ostendimus. Deligatio uero extrinsecus, uel præcipue in his necessaria est. Quarta uero curationis in his pars non paulo ab alijs dissidet. siquidem, quod inter bubones, & axillas est, id totũ mollia lana ex oleo mediocriter calido imbuta circundare oportet. Satius item fuerit, & si per clysterem intestinis aliud simile infundas. Quòd siquid ipsorum intestinorum sit uulneratum, quæ extrinsecus fieri debent, omnia similiter, ut diximus, sunt peragenda. Ceterum, quod injicitur, vinum nigrum, austerũ, & tepens erit, eoq; magis si totum perforatum usq; ad internum meatum sit. Ac crassa quidem intestina facilia sanatu sunt: e contrario difficilia, quæ tenuia sunt. Ieiunum tamen omnino incurabile est, tum propter magnitudinem multitudinemq; uasorum: tum quòd tunica eius prætenuis neruosaq; est: adde, quòd tum bilem synceram hoc intestinum recipit uniuersam, tum quòd omnium iecinori maxime est uicinum. Ventriculi uero quæ carnosæ partes infernæ sunt, curare cum fiducia tentabis. Nam fieri potest etiam, vt bene cedat, non solum quòd hæ crassiores sunt, sed etiam quòd sanantia medicamenta facile hoc loco ipsius subsistant. At, quæ in ore eius ac gula ulcerum sunt, duntaxat contactu medicamentorum in transitu fruuntur. Quæ uero in ore eius sunt, ijs sensus quoq; acumen sanationi obstat. Verum, G quanam ratione uentriculi vulnerati, aliorumq; exitialium uulnerum Hippocrates sanationem moliatur, ab ipso peti est satius. Ego nanq; non eo consilio, ut nemo Hippocratis libros legat, ad hoc opus scribendum accessi. Verum quoniam is mihi primus idonea usus esse uia uidetur, nec tamẽ eam totam compleuisse, cum quædam minime limitata, quædam imperfecta obscuraq; ab eo prodita inuenire liceat: idcirco ipse tum omnia ea lucide explicare, tum, quæ parum discreta sunt, distinguere, tum, quæ deficiunt, supplere studui. Vbi igitur aliquis se in his nostris primitus exercuerit, tunc se ad libros Hippocratis legendos conferat: ac tum eius de ulceribus librum relegat, tũ quæ de vulneribus exitiosis scripsit. Porrò simul maximum adiumentum ex his nostris libris habebit: simul certo intelliget neminem methodicæ sectæ, quæ nomine speciosо se uenditat, re autem maxime est a methodo aliena, commode ulcus sanare posse: sed nec reliquorum Rationalium quempiam, quicunq; parum cognitis similariũ partium elementis artem aggredi censent. Quippe nesciunt hi quoq; rationalem simplicium animalis partium curationem, ut qui ab instrumentalibus tantum indicationes sumant. Ceterum paucis etiamnum contra Methodicos additis de istis, quæ in uentriculo accidunt, vulneribus, alio stilũ conferemus. Vulnerato peritonæo excidit subinde omentum: quod primaria ne pars sit, an non primaria, uel ex quibus condatur, uel quam habeat actionem usum ve, hi compertum non habent. Itaq;, si iam liuet, aut nigri- H cat portio ea, quæ excidit, ibi quid faciant, audire est operæpretium: vtrum ne præcident, an intra peritonæon remittent. Omnino enim uel ab ipsa experientia, quid agendum sit, intelligent, uel ab ipsa particulæ natura indicationem sument. Atqui refugiunt hęc utraq;: eam quidem, quam experientia suppeditat, cognitionem, dum uenerandum scilicet hoc sectæ suę nomen methodum extollũt: eam uero, quæ ex particulæ natura suggeritur, q̃ nec substantiam eius norunt, nec actionem, nec usum, dum a dissectione ceu inutili abhorrent. Itaq; nesciunt, sit ne ex ijs, quę necessariæ ad uitam sint, an quæ necessariæ quidem non sint, non tamen omnino infimæ notæ: sed nec an cum eius affectu simul afficiẽda pars aliqua primaria sit, an secus: addę, quòd nec an uasorum, quę in eo continentur, aliquod possit per sanguinis profusionem hominem interimere: nec siquis post nigrum eius abscissum, quod integrum est, uinculo complectatur, quo sanguinis profluuium declinet, an id ipsum periculo ulli sit futurum: nam leui saltẽ intuitu omentum neruosum uidetur. proinde, nisi quis exacte naturam eius habeat compertam, nunquam audebit uinculo uti, conuulsionis scilicet metu. Horum cum nihil mirifici isti Methodici intelligant, vbi nigrum redditum omentum est, sane dicere, quid agendum sit, non possunt. At nos (arbitror) possumus, qui, cum usum eius non adeo esse animali magnum, substantiamq; eius ex membrana tenui ac arterijs uenisq; compositam sciamus, horum tamen initia ex maximis orta tum arterijs, tum uenis intelligamus,

A.l.3.f.16.t.1. c.2.p.615.a.

A.l.4.f.4.t.1. c.7.p.861.b.

A intelligamus, sanguinis quidem profusionem cauebimus, coafficiendos uero neruos non timebimus, proinde id, quod supra nigricans positum est, uinculo excipiemus: quod post uinculum est, amputabimus: atq; ut in imo fine iam comprehensæ gastroraphiæ uinculi fines pendeant, curabimus, quo nimirum facile eas, cum ex uulnere suppurante euomentur, recipiamus.

De ratione fracturarum ossium curandarum. *Cap.* 5.

AC de reliquis quidem corporis partibus dictum abunde sit: nunc de ossibus agendum superest, quando his quoq;, de quo nunc agitur, morbus accidit, quem unitionis siue continuitatis solutionem appellamus. Huic, cum in hanc inciderit partem, proprium nomen inditum græce est Catagma, omnibus fere hominibus, qui græce loqui norunt, tritum. Apagma nanq;, medicorum appellatio propria est, plebi inusitatum. Solent autem ita nominare, quoties ossis finis, qua parte maxime cum alio committitur, abruptus est. sed & e fracturis ipsis, quæcunq; fracti ossis partes iam prorsus separarunt, eas Cauledon factas græce dicunt. Patet uero eiusmodi diuisionem per transuersum esse factã: ueluti alteram per longitudinem magis esse, in qua sane non omnino separantur a se partes sic affecti ossis, sed ueluti per rectitudinem finduntur. quod genus Schidacedon fieri dicere solent. Non desunt ex medicis iunioribus, qui adeo ambitiosе omnes fracturarum differentias proprijs interpretentur no B minibus, ut etiam aliquam Raphanedon, id est ad raphani speciem fieri dicant, non contenti oratione os, quod uarie sit fractum, explicasse. At non Hippocrates huius fuit sententiæ, sed, quoad fieri licuit, usitatissimis utens nominibus, oratione interpretari non est grauatus non has modo fracturarum differentias, uerumetiam earum, quæ in capitis ossibus eueniunt. Ac si ad eum modum de omni uitio egisset, profecto breuis mihi proposita tractatio fuisset. Nunc, cum plurimorum uiam, qua sit insistendum, indicarit, sed, quæ particulatim sunt agenda, inchoata indefinitaq; reliquerit, necessum est, in illis immoremur: nec tamen in ipsis plus iusto, sed, quæ tradita illi perfecte sunt, ea summatim commemoremus: quibusdam etiam demonstrationem adijciamus, utiq; ijs, quæ ab eo ratione parum sunt munita: eorum præterea, quæ parum sunt definita, quædam definiamus: &, quæ inordinata sunt, ea in ordinẽ disponamus: postremo ex ijs, quæ ille parum lucida reliquit, quibusdam lucem addamus. Verum, si in singulis uerba eius adscripsero, expositorij commentarij longitudinem liber noster habebit. Nec deerit fortassis aliquis, qui immo dicam longitudinem nostram, hic merito accusabit, qui de hac in tertio, & quarto uolumine parum merito est questus. In his enim necesse fuit mihi multa Hippocratis ex eo libro, qui de * vulneribus inscribitur, loca apponere: quibus reliquis medicis ostenderem, cuiusmodi res sit methodo quadam ulcerum curationem conscribere. In libro autem, quo de fracturis præ- *vlceribus.

C cipit, quis adeo est stupidus, ut doctrinam eius omnem, ceu lucidam planeq; absolutissimam non suscipiat? Quòd siquis etiam, unus uidelicet alterve dicat parum se id opus mirari, his opportunissime respõ- «

deatur illud poetæ: Hos vnum atq; alterum permitte tabescere. Quænam igitur sit fracturæ curandæ uera methodus, quamq; ipsa rei natura prescribat, iam tempestiuum dicere uidetur, atque hinc sumpto initio. Quoniam fracti ossis soluta partium continuitas est, vtiq; finis, quo tendet is, qui eas curabit, sal tem primus, vnitio est. Quòd si is per affectarum partium siccitatem perfici posse non uideatur, restat alter, qui est, ut alterius cuiusdam interuentu glutinentur. qui si nec ipse comparabilis aduertitur, insanabile esse uitium dixeris. Quòd igitur coalescere nequeat tam durum os, quàm id, quod in iuuenibus & adolescentibus, & uiris, multoq; magis in senibus cernitur, id profecto uel cuiuis patere potest. Potest certe illud tantum unitionem recipere, quod abunde molle est: cuiusmodi conspicitur in pueulis. Quòd autem alia quapiam interueniente substantia ceu glutino quodam agglutinari colligarique secum separatæ fracti ossis particulæ queant, hinc maximè speret quispiam. Monstratum est omnem animalis particulam proprium ac simile sibi trahere alimentum. Id si uerum est, ossium certe idoneum nutrimentum, & crassius, & magis terreum, quàm aliud quoduis nutrimentum in toto animali, fuerit. Non est igitur nec a ratione alienum, nec quod fieri omnino non possit, vt, quod ex hoc ipso proprio D alimento redundat, & in labris fracturæ concrescit, suo ipsius interuentu illa quoq; conglutinet. Quinetiam ita usu euenire conspicitur: subscribitq; spei, quam ratio suppeditat, etiam experientia ipsa. Itaq;, considerandum deinceps est, quanam potissimum ratione corpus hoc, quod fracturis innascitur, quantum qualeq; sit, prouenire possit. Nam, quòd nec quantumlibet, nec qualecunque, sed quod mediocritatem in vtroq; seruet, requirimus, id plane est euidens. Porrò huius symmetriæ tum qualitate, tũ quantitate inuenta, deinceps est, ut, qua maxime quis utrunq; assequatur, rationem ipsam quærat. Sed nec tempus, quo hæc effici conueniat, minus necessarium quæsitu est, utrum ne statim a fractura facta, ueluti statim in uulneribus moliebamur unitionem: an id commodum tempus non est, sed aptius aliud requirendum. Sane inuenias hoc quoque, sicuti & reliqua omnia ex ipsa rei natura edoctus. Quænam igitur est ipsius rei natura? Nempe os fractum sub aliqua paulo ante comprehensarum differentiarum. Age igitur uideamus, nunquid a singulis differentijs aliquid desumi ad eius curationem possit, ab ea quam Cauledon, id est per transuersum, fieri diximus, orti. Diffident sic a se in hac fracti ossis partes, ut ẽ directo non iaceant. Quare patet primum id esse agendum, ut in directum agantur: tum eorum, quæ deinceps sunt, aliquid geratur. Sane eum situm habuerint, siquis ea, quæ sic dissident, integræ partis exemplo usus, in contrarium adducat: a qua nimirum certissima indicatio transpositionis eorum erit. Fieri enim potest, ut tum prorsum, tum retrorsum, tum in hanc partem, tum in illam membri

bri facta translatio sit. Quæcunque igitur retrorsum magis sunt acta, ea prorsum impelli conueniet: E
nec minus alteram quoq; fracti ossis partem modice ad contrarium retrudi. Contra, quæ prorsum sunt
emota, hæc rursus ipsa quidem retrorsum, reliquam uero partem sensim duci prorsum. Eodem etiam
modo, & eorum, quæ ad dextram sunt detorta, medicatio est, si ad sinistram ducantur: contraq; eorum,
quæ ad sinistram, si mutentur ad dextram, semper scilicet altera parte modice in contrarium acta. Ce-
terum in adducendis contrario motu partibus, ne quæ frangantur earum extantiæ, non leue periculum
est. Neq; enim (ueluti in serra desectis uisitur) leuis est utriusq; partis finis. Nam, si illæ frangantur, nō
poterunt ad amussim secum coaptari fracti ossis fines, duplici de causa. Nam, siue ipsa fragmenta inter
partes coniungendas interciderint, non sinent ea, quæ adaptantur, se contingere: siue quid forte os-
sium extra ceciderit, ne sic quidem eorum, quæ effinxeris, exacta coniunctio erit sic, vt pristinam unio-
nem imitentur: quippe quæ solum tum demum erit, cum ossis extantiæ in suas cauitates fuerint recon
ditæ. Quòd si semel comminutæ perierint, necessum est, inter applicata simul ossa uacans interueniat A.l.4.f.4.t.1.
spatium, in quod sanies collecta, atq; in tempore putrescens, totum pariter membrum secum corrum- c.7.p.864.c.
pet. Atq; ob hæc quidem, quæ dissident ossa, e directo admota esse oportet. quod commode certe fie-
ri nequit, nisi retrorsum prius sint tacta: Antitasin uocant. Oportet igitur aut manibus ipsis, utique
si paruum sit membrum, aut uinculis circumpositis, aut unà cum ijs etiam instrumentis, cuiusmodi nos F
Hippocrates docuit, antitasin ossium facere. Postea uero, quàm abunde retracta fuerint, nec ullus su-
persit metus, ne se in adducendo tangant, tum in directum opponere, uinculaq; remittere, ac muscu-
lis ipsis diductorum in idem commissionem permittere: interim uero teipsum quoque manibus sub-
seruire, ac, si cubi aliquid paulum subsultet, corrigere, atque formare. Ab ijs secundum, quo diriges,
fuerit, ut immotum prorsus membrum consistat, nequid eorum, quæ effinxeris, moueatur: quando ita
necesse est ea rursum dissidere. Ac, si ipsi quidem ægrotanti, vt quietudini membri prospiciat, permi-
seris, uigilans fortassis probe id curauerit, at dormiens omnino membrum mouebit. Vt igitur non
dormientis modo hominis, sed etiam ad desidendum, itemq;, cum cubile resternitur, surgentis, eo-
rum, quæ formata sunt, positura seruetur, tuta deligatura complecti fracturam oportet, quæque fracti
ossis partes secum coarctare ad amussim possit. At uero, cum laxior deligatura ossibus moueri permit-
tat, arctior uero constringendo, dolorem excitet, danda opera est, vt uitato ambarum incommodo,
utriusque fruamur commodo. Id fiet, si, quod nimium est, declinabimus. Ergo nec adeo arctare deli-
gaturam debebimus, ut iam comprimat: nec adeo remittere, ut laxa sit. Ac, si quidem æqualis esset
crassitudinis membrum quodq;, utique latissima fascia esset commodissima, vtpote quæ totum æqua-
liter continenterque ex omni parte fractum os complecteretur. Sed, quoniam id non est, pectori qui- G
dem latissimam licet circumponas, artubus certe & iugulo non potes, sed in talibus utilior est angu-
sta, utpote quæ nec rugas contrahet, & totius membri, cui circundata est, cutem continget. Verum, si
paucis complexibus fracturam continet, parum tuta est. Quantum igitur securitatis ex angustia de-
ficit, tantum ei ex iniectionis numero, & uersus integrum deductione est adijciendum. Sed, quoniam
deligationum, quæcunque citra dolorem carnem constipant coarctantque, id uirium habent, ut ex ijs
partibus, quibus primum inijciuntur, succos exprimant in eas, in quas ipsæ sunt finitæ, reponant, atq;
figant, non alienum a ratione arbitror deligaturæ principium super ipsam fracturam inijci, abhinc ue-
ro ad reliquum membrum dispensari. Etenim, qui contra deligat, is ab integris ad ægram partem san-
guinem compellit. Atqui, si ab ægro loco incipiat, in integrum finiat, non solum innoxia eiusmodi de
ligatura in ijs, quæ diximus, erit, sed etiam utile quiddam contulerit: quippe cum nullam circum fra-
cturam sinet excitari phlegmonen: cuius rei curam habere in primis oportet. Timendum enim est, ne
tum ex illa in diuersum uulsione, quam membrum in suam formam effingentes administrauimus, tum
uel magis ex eo, quòd causæ, quæ fracturam faciunt, plerunq; circundatam ossibus carnem constipan
do contundendoq; prius lædunt, magnæ subsequantur phlegmonæ. Nec sane mirer, si phlegmones
quiddam simile etiam ipsis fractis ossibus ad portionem accidat. quādo etiam, quæ parum probe sunt H
curata, magis humida, quàm pro natura sua, manifeste cernantur: vbi uidelicet unà cū uulnere os per-
fractum sub aspectus notitiam uenit. Quinimmo nec ossis caries, quem sphacelon uocant, ex alia oc-
casione oboritur: quæ ipsa totius ossium substantiæ corruptela quædam est. Non igitur negligendum,
quin totum superuacuum humidum ex omnibus, quæ circa fracturam habentur, partibus exprimas.
Incipies itaq; ab ægra parte, ac, cum bis terve circundederis, inde sanum uersus progredieris. Siquidē,
qui ita deligat, & ab integris ad laborātem partem sanguinis confluxum arcet, &, quod iam collectum
in ea est, exprimit. Cum uero duæ partes sint, quę & recipere aliquid a laborante particula, & transmit
tere ad eam possint, utiq;, quę superiacent, tum propter multitudinem, tum magnitudinem ad ambo
magis sunt habiles: Extremę uero, propter contrarias conditiones, exiguum quidem aliquid uel reci-
pere, uel transmittere possunt, multum uero nec ægris partibus submini strare, nec ab ipsis recipere.
Quocirca, cum duas primas fecerit Hippocrates deligaturas, priore quidem tū, quod in laborante par
ticula continetur, ad superposita expellit: tum, quod ex his confluit, repellit: reliqua uero primis quidē
complexibus, quos super ipsam fracturam facit, itemq; fasciæ ad inferna progressu, eo quædam extru
dit, quædam, ne quid illinc cōfluat, prohibet: Reliquis deinceps oībus, quibus uidelicet ab infimis par
tibus sursum recurrere deligaturam cēset, ut eodē uidelicet loco cum priore finiatur, tum ad superiora
repellit,

A repellit, tum confluxum ab ijs prohibet. Muniunt igitur ac stabiliunt fracturam, nec phlegmonen ori-
ri sinunt prima duo lintea. non tamen, ea quæ dicta sunt, ad ambos hos usus satis faciunt, [præsertim] so
la. Vnde ad eorum quidem tutelam Hippocrates præsidium excogitauit, vt splenia unà cum exteriori-
bus fascijs adhiberentur, quæ hæc quoque ipsa stabiliant. Ne autem phlegmone oriatur, medicamento
quopiam ex ijs, quæ phlegmonen prohibent, uti iubet: quale nimirum est ceratum humidum. Hæc igi-
tur omnia ratione, ut comprehensum est, dictante, sunt inuenta: & præter hæc ipsa repositionis figura:
quæ ipsa quoque geminæ indicationi subijcitur, priori, quæ ex solis communibus notionibus pendet:
alteri, quæ ex curandorum organorum naturali constitutione præstatur. Prior igitur eam, quæ maxime
a dolore abest, eligendam figuram suadet: quo nec phlegmonen particula contrahat, & æger persistere
in unà ea diutissime immotus possit. Secunda, quę ex curandorum sumit natura, arterias, venas, neruos,
& musculos, quàm rectissimos poni præcipit. Sed & consentiunt inter se hæ indicationes: quando & re
ctissima cuiusque partis figura maxime est à dolore aliena: & quæcunque magis, quàm alia, est, a dolo-
re libera, ea maxima naturalis membro, est brachio quidem angulosa, quæ Engonios græce dicitur: cru
ti uero, quę paulominus porrecta est. Porrò ad dolorem uitandum non modo naturalis habitus cuiuis
instrumento est utilis, uerumetiam consuetudo quoque conducere non nihil uidetur. Atque hæc qui-
B dem figuræ, in qua custodire membrum conueniat, inueniendæ ratio est. eadem porrò inueniendæ figu
ræ ratio est & in retractione partium a se: quam* Antitasin uocant, & cum in naturalem situm aptantur,
fracti ossis partes. Etenim expedit, vt in rectissima atque a dolore alienissima forma membrum tū† [re-
trorsum retrahas,] tum in naturalem habitum coaptes: multoque etiam magis vt sub eadem figura tū
deliges, tum ad quietem reponas. Siquidem sub alia deligare, in aliam uero mutare, non dolorem mo-
do incitare potest, uerumetiam ossa intorquere. nam, nisi eorum, quæ præcepta sunt in commentarijs,
quos de musculorum motibus scripsimus, obliuio obrepsit, necesse est, ubi figura mutatur, alios muscu
lorum tendi, ac uelut contractos rotundari, alios solui, ac remitti. Ergo, vbi tenduntur, tum premi eos a
deligatura, ē necesse tū ex cōpressione ipsa dolere: vbi vero tēsio remittitur, ea in parte deligaturā esse la
xam, fracturamque fulcimento destitui. Horum igitur omnium causa tum extendere, tum effingere, tū
deligare, tum reponere vna ea figura, quæ doloris minimum habeat, præcipue est studendum. Atque ad
primum quidem opus, quod in fracturis molimur, nullum iam relictum est præceptum. Soluere autem
ex Hippocratis sententia tertio die debebis, quo in membro præter solitū cooperto nec dolor nec pru
ritus creetur, nec eius, quod iam infixum fracturæ est, perspiratio prohibeatur. Cuius occasione nō mo
do noxius pruritus quibusdam accidit, sed etiam cutem ex acrimonia saniei erosam exulcerari. Infundē
C dum igitur tantum temperatæ aquæ est, quantum ad euocandam eiusmodi saniem est satis. Quod si
rursus quoque simili modo facies, utique septimo id a primo die facere debebis. Apparuerint uero iā
omnia, modo nihil impediat, phlegmone libera, ac, quàm pro naturali habitu, magis aliquando gracili-
lia. Tum igitur licebit & ferulas circumponere, & soluere ex maiore interuallo, Nam antea, cum phleg
mones scopus uincere, tutum non erat ferulis, premere. Nunc cum ea desijt, ac stabilire fracturam est
opus, sane non incommode his utare. Sed & soluere ex maiore interuallo licet, videlicet non desiderā-
tibus præterea partibus saniem excernere. Quinetiam callus, quem Poron Græci dicunt, felicius ita
prouenerit: quando ad hunc gignendum (sicut dictum est) cogi concrescereque aliquid proprij ossium
alimenti oportet. Non est igitur hoc a labris fracturæ eluendum, aut foras euocandum, quod certe assi-
dua solutio faciet. At vero nec tanto interuallo intermittendum, ut nescias, quemadmodum fractura
procedat. Vidimus enim non semel, cum ualenter siccarentur ossa, ægre proueniſſe callum. Expedit igi
tur, istis tertio uel quarto die modice aquam calidam infundamus, hanc metam finiendæ perfusionis
habentes, cum carnes in rubrum tumorem attolluntur. Atque in his quidem prius, quàm subsidere inci
piant, desistendum est. Contrà, ubi digeri quid uolumus, non prius est desistendum, quàm quod ex per-
fusione intumuit, subsidat. In quibus uero, quo minus callus in fractura proueniat, humiditas abundan
D tior obstat, ibi hanc siccare (sicut prius est dictum) conuenienti deligatura, & perfusione aquæ, quæ uel
minima omnino sit uel plurima, conabimur. Quippe minima, cum prius desistat, quàm aliquid cōfluat,
&, qui ad manum humores sunt, per spiritum digerit: & qui in alto sunt, modice liquat. Expedit autem
ita solui liquarique ea, quæ per deligaturam sunt expellenda. Plurima uero digerit plus, quàm attrahit.
Sane constat in ea quidem deligatura, quæ exprimet minus esse arctandos fasciarum fines: in ea uero,
quæ ad renutriendū est comparata, nec minus hos arctandos, & vniuersos circunductus laxiores facie
dos. Quoniam autem non solum, quo tempore subueniendum callo gignendo sit, sed etiam, quo pa-
cto, est inuentum, reliquum fuerit de uniuersa uictus ratione præcipere. Ac, quod in principio quidem
sit tenuissime cibandum, id, ubi de propria phlegmonarum curatione agemus, dicetur. Porrò monstra-
bitur, & quod uenam incidere interdum oportet, & per uentrem superuacua expellere. At, quo tempo
re callus gignitur, nutriendum corpus est cibis boni succi, & qui multum nutriant, ex quibus proueni-
re succus soleat non solum bonus, sed etiam tenax, ex quali fieri callum maxime expedit: quippe cū ex
sero sa humiditate ac tenui gigni prorsus nequeat: ex crassa uero, sed quæ fragilis sit, ac pinguitudinis ex
pers, gigni quidem poterit non segniter, ceterum tempore siccescens, friabilior atque ita fractioni ob-
noxius reddetur. Magnitudo calli ea sit, quæ & ossibus tuto uinculo sit, nec musculos tamen cōprimat.
Nam, qui minor iusto est, hic ossa parum redder tuta: qui maior est, dolorem musculis inuehet. Attendē-
dum

* Alias diatasin. i. extentionem.
† Διατείνειν. i. extendas.

primum fracturæ aliquid nudare quo, uidelicet detergere & abluere saniem a membrana liceat: post E
uero cum phlegmones tempus præterijt, omniaq; ficca ad unguem sunt, carnem producere, ac cicatri-
ce locum includere. Non est hic sermo nudus, rei umq; uacuus, cuiusmodi est ille sophistarum, qui ope
rum artis nescij quærunt, cur capitis fracturæ callum non ducant. Ducunt. n. uiri boni. Vosq; tam
*dementes estis, ut eorum, quæ non sunt, tanquam sint, causas assignetis. Nouimus. n. aliquando sin- *ληρώδεις.
cipitis os fractum. quod autem os huic ossi protinus succedit, temporis os uocatur, in quo ipsas squa-
matim compactas commissuras esse accidit. in eo luculenta fractura longissime pertinebat: quam ipse
equidem minime contingens, sed tantum sincipitis os excindens, hominem sanaui sic, ut nunc quoque
multos iam annos uiuat. Quòd si sincipitis quoq; os dimisissem, putruisset citius, quæ illi suberat, cere-
bri membrana, quàm callum fractura duxisset. Nam, si nulla ex læsis partibus sanies intro conflueret,
superfluum esset os excindere. Ergo illi, prout solent, nugentur. Ego uero in alia similiter se habente
fractura cogitaram supernũ os dimittere, ac, quod a lateribus erat, quo sanies defluere, eximere. mox,
cum & crassitudinem eius & duritiam æstimassem, utilius fore iudicaui supernum os potius eximere, q̃
ob defluxus solicitudinem cerebrum ualenter concutere. Cogitaui præterea accidere posse, ut, si a late
re magnum fieret in ossibus foramen, promineret, fortassis hac parte cerebrum. Est porrò & in lateri- F
bus non uno in loco etiam neruorum, horumq; non leuis momenti, quidam exortus: cum in supernis
capitis ne minimus quidem usquam oriatur neruus. His admonitus abstinui ab eximendo osse, quod
in latere capitis esset. At callum semper duxit, modo rite curaretur. Ac iam, quod disquiramus, hoc
fere supereſt, quænam sit, postquàm foratum os est, tum medicamentorum, tum uniuersæ diligentiæ
nostræ præcipua omnium ratio: utrumne blandissima, & quæ maxime uoluptati cubantis subscribat,
ueluti qua nunc pleriq; utuntur: an quę huic maxime est aduersa, nempe quæ per medicamenta, quæ
uehementissime siccent, perficitur: cuiusmodi & Meges Sidonius laudat, & ciuis quidam noster sem-
per est usus sic, ut etiam emplastrum, quod Isin uocant, ilico nudatæ membranæ imponeret, & super
hanc foris oxymeli. Sane is senex erat satis exercitatus in hac artis parte: ceterum neq; alium quem-
piam his usum uidi, nec ipse uti sum ausus. Tantum tamen testificari Eudemo possum (nam id seni no-
men erat) magis fuisse seruatos, qui ab illo curabantur, quàm qui ab ijs, qui blandis utebantur. Aggres
sus uero fuissem aliquando ipse quoq; experiri eiusmodi curationis rationem, si perpetuo in Asia man-
sissem. Sed, cum Romæ plurimum agerem, ciuitatis morem sum secutus, permissa ijs, quos Chirur-
gos uocant, maxima eiusmodi operum parte. Ceterum ipsam rei naturam æstimans, talem quandam
determinationem longa nostra experientia confirmatam concipio. Qui auditorius meatus dicitur, nõ
solum usq; ad cerebri duram membranam pertinet, sed etiam neruum cõtingit, qui in ipsum a cerebro G
descendit. Is autem, quamquam ita positus in uicino, tamen uehementissima (sicut dictum prius est)
medicamenta tolerat. Nihil igitur miri sit, si post forationes crassa cerebri membrana ante, quàm no-
tabiliter phlegmone occupetur, ualentissimis gaudeat medicamentis, ceu siccam naturaliter substan-
tiam habens.

GALENI METHODI MEDENDI, ID EST DE MORBIS CVRANDIS.

LIBER SEPTIMVS.

ARGVMENTVM LIBRI.

Ventriculi exemplo uniuersas partium intemperies curare docet, siue illæ quidem
simplices, siue cum succorum affluxu consistant. H

Galenum ueritatis ac scientiæ studio inflammatum ad exercitationem tantum, ac ob amicorum preces, hos, & reliquos omnes libros scripsisse. Cap. 1.

MEDENDI methodum, Eugeniane charissime, quam olim in Hieronis gratiam
scribendam susceperam, postea, quàm illum subito longum iter ingredi coa-
ctum, non multo post diem obijsse nunciatum, ipsi quoq; persequi destitimus.
Tu enim mihi conscius es, neq; hoc me opus, neq; aliud ullum popularis auræ
studio fuisse aggressum, sed quo uel amicis gratificarer, uel meipsum simul uti-
lissima ratione ad rem propositã exercitarem, simul † [ad obliuionẽ senij] (ut
Plato inquit) commentarios mihi reponerẽ. Quippe multitudinis laus, com-
modum ad usus non nullos instrumentũ uiuentibus aliqñ est: mortuis certe
nihil prodest, sicut neq; uiuentium quibusdam. Nam, qui uiuere in tranquillo optarunt, ac fructum ex
philosophia ceperunt, & ijs, quæ corpori curando sufficiunt, sunt contenti, ijs utiq; impedimento non
paruo est apud uulgum fama, ut quæ eos a rebus pulcherrimis plus iusto transuersos auferat: ueluti me
quoq; † εἰς τὸ τῆς λήθης γήρως.

A quoq; non ignoras ab ijs, quæ sunt molesta, sic non nunquam tædio affectum, ut bono interim spatio ne
tangere quidem librum possim. Ego uero (haud scio qua ratione) ab ipsa usq; adolescentia mirifice,
siue inspiratus, siue furore percitus, siue quomodocunq; dixisse libet, & uulgi famam contempsi, &
ueritatis scientiæque studio flagraui, nullam esse hominibus nec honestiorem nec diuiniorem posses-
sionem ratus. Atq; ideo nulli librorum meorum nomen meum præscripsi: immo uos (sicut ipse testis
es) rogaui, ne me immodice (ut soletis) apud homines laudaretis: nec nomen meum operibus, quæ
proderem, inscriberetis. Ob hæc igitur omnia etiam medendi methodus, quam inceperam, a me est
deposita, cum capita inuentorum breuibus commentarijs mihi ipsi scripsissem, nec ullam * pleniorem
docendi rationem etiamnum adiecissem. Nunc, quando & tu, & alij ex amicis non pauci exigitis, quæ
subinde me opere in ægris peragere uidistis, ut ea in commentarios redigam, adijciam huic operi,
quod reliquum est. * πληρεστέραν.

Quid superioribus libris est actum, quid sequentibus agendum: & quod imbecillitatis affectum Empirici & Dogmatici non recte intellexerunt. Cap. 2.

ERgo in horum commentariorũ tertio, quarto, quinto, & sexto, quemadmodum similarium instru-
mentaliumq; partiũ communẽ morbũ curari conueniat, scripseram, idcirco nimirũ ab eo auspica-
B tus, quòd & conspectior reliquis esset, & euidenter oẽs propemodum priores medicos, qui certa me-
thodo artem tradere polliciti, a methodi in ipsis curationibus deprehenduntur, confutaret. Nam, cum
ab Hippocrate discesseris, qui nobis omnium salutarium præceptorum semina præbuit, reliquorum
certe nemo uel conatus est genus hoc morbi methodo curare. Postulant autem, & quæ Hippocrates
ipse reliquit, non malos agricolas, qui ea tum seminent commode, tum augeant, tum perficiant. Id
autem fecisse ante nos neminem, sed plerosq; etiam semina, quæ reliquit, corrupisse, ijs, qui animum
aduerterũt, clare mõstratũ arbitror. Itaq; hoc morbi genus uel cõtinuitatis solutionẽ, uel unitionis, uel
qualitercunq; est libitum, appellare cuiq; permisimus: quando de nominibus nec in hoc opere, nec in
alio medicinaliũ ullo laboramus, sed quo pacto artis maxime finem consequamur. Reuertamur autem
nunc ad morbum eum, qui omniũ est primus, nempe, qui in similaribus nascitur, quibus scilicet primum
animantis functiones referuntur acceptę. Siquidem monstratum in alijs operibus est, quemadmodum
instrumentalium quanq; partium aliquid agere dicamus, ueluti oculum uidere, aut crus ambulare: Esse
enim sicuti id, quod præcipuũ est actionis crurum, non cruris totius, sed musculosi in eo generis, sic ui-
sionem non oculi totius, sed cryſtallini in ipso humoris: ac in reliquis quibusq; organis ad portionem.
Porrò ostensum in secundo horum uoluminum est genus hoc morbi nõ solum cognitu esse maxime ne
C cessarium, sed etiam neminem ipsum ratione curare posse, qui prima corporis elementa non norit: Præ
terea non intelligere ea, quæ dicant, non nullos eorum, qui rationales se nominant, quoties imbe-
cillitatem esse dicunt uel uentriculi, uel intestinorum, uel iecinoris, uel oculorum, uel alterius
cuiuslibet partis. Si nanque ita nominãt infirmitatem impotentiamq; ad naturale opus, nihil plus
plebeio intelligunt: quippe quem dicere audias imbecillum sibi uentriculum esse, non. n. concoquere
eum uel minima leuissimaq;, quæ sumpsit. Quòd si imbecillitatem quæ est in uentriculo, affectũ quem-
piam esse aiunt, interpretentur, quæso, nobis quemnam demum hunc esse uolunt, quemadmodum in
phlegmone fecerunt. nam Empirico sat fuerit, si symptomata laborantis particulæ exposuerit, nempe
tumorem præter naturam, & renixum, & pulsatilem doloré, & tensionem, & ruborem, aliaq; id genus:
imponitq; non nunquã breuitatis docẽdi causa cunctis simul collectis unũ nomen, sicuti comprehen-
sis iam phlegmonen. Dogmatici uero non itidẽ, sed ipsam morbi naturam inspiciunt, quã symptoma-
tum illorum collectio necessario sequitur. Siquidem Erasistrato uidetur sanguis, qui in arterias inci-
dit, ubi spiritu impellitur, in exitu earum impactus hærere, idq; phlegmone esse. At par (arbitror) erat
uel Erasistratum ipsum, uel aliquem ex sectatoribus eius simili modo, affectum, qui in imbecillitate cu-
iusq; partis subest, interpretari. Tanquam. n. de phlegmone, in quidnam translatus naturalis partis ha-
D bitus sit, explicuit, ita ratio exigebat, ut & translatio cuiusq; particulæ in imbecillitatẽ ab eo explicaret.
Nõ. n. cũ pro naturæ rõne est affecta, ad propriã actionẽ est imbecilla: sed accessit oĩno aliqua præter na-
turã occasio, quæ eã dissoluit deiecitq;, & mortuæ simile effecit: quã utiq; nec Erasistratus dixit, nec He
rophilus, nec alius quispiã medicorũ, qui de primorũ corporum natura ausi aliq̃d pronunciare nõ sunt.

Communis methodus intemperiei dignoscendæ, & curandæ. Cap. 3.

CEterum immorandũ in his diutius nõ est cũ pręsertim abunde prius monstratum sit & genus hoc
morbi utilissimum esse, quod a medicis disquiratur: &, qui commode id sit tractaturus, huic neces
se prius esse de elemẽtis considerasse. Itaq;, qui nobis habendus sermo est, is totus ex prius demonstra-
tis elementis absoluetur: de quibus unũ (ut scis) uolumen edidimus, quod De elementis secundũ Hip-
pocratem inscripsimus. Sane eadem opinio de corporis natura est tum Diocli, tum Mnesitheo, tum
Dieuchi, tum Athenæo, tum probatissimis fere quibusq; medicorũ, itidem ut præstantissimis philoso-
phorum: ut qui ex calido, frigido, humido, & sicco mista putent tum alia corpora uniuersa, tum uero
animantium in primis. Ceterum ei, qui de his omnibus primum pronunciauit, demonstrauitq;, iu-
stum est, arbitror, reddere, quod inuenit. Ideoq; & nos ea secundum Hippocratem elementa uocamus:
etiam si maxime Chrysippus, Aristotelesve, aut alius quispiam medicus, philosophusve similiter de ijs
sit opinatus. Ergo, quoniam unaquæq; animalis particula propriam actionẽ edit, quæ tantũ ab aliarum

primum fracturæ aliquid nudare quo, uidelicet detergere & abluere saniem a membrana liceat: post E uero, cum phlegmones tempus præterijt, omniaq; sicca ad unguem sunt, carnem producere, ac cicatrice locum includere. Non est hic sermo nudus, rerumq; uacuus, cuiusmodi est ille sophistarum, qui operum artis nescij quærunt, cur capitis fracturæ callum non ducant. Ducunt .n. uiri boni. Vosq; tam *dementes estis, ut eorum, quæ non sunt, tanquam sint, causas assignetis. Nouimus .n. aliquando sincipitis os fractum. quod autem os huic ossi protinus succedit, temporis os uocatur, in quo ipsas squamatim compactas commissuras esse accidit. in eo luculenta fractura longissime pertinebat: quam ipse equidem minime contingens, sed tantum sincipitis os excindens, hominem sanaui sic, ut nunc quoque multos iam annos uiuat. Quòd si sincipitis quoq; os dimisissem, putruisset citius, quæ illi suberat, cerebri membrana, quàm callum fractura duxisset. Nam, si nulla ex læsis partibus sanies intro confluueret, superfluum esset os excindere. Ergo illi, prout solent, nugentur. Ego uero in alia similiter se habente fractura cogitaram supernũ os dimittere, ac, quod a lateribus erat, quo sanies defluueret, eximere. mox, cum & crassitudinem eius & duritiam æstimassem, utilius fore iudicaui supernum os potius eximere, q̃ ob defluxus solicitudinem cerebrum ualenter concutere. Cogitaui præterea accidere posse, ut, si a latere magnum fieret in ossibus foramen, promineret, fortassis hac parte cerebrum. Est porrò & in lateribus non uno in loco etiam neruorum, horumq; non leuis momenti, quidam exortus: cum in supernis F capitis ne minimus quidem usquam oriatur neruus. His admonitus abstinui ab eximendo osse, quod in latere capitis esset. At callum semper duxit, modo rite curaretur. Ac iam, quod disquiramus, hoc fere superest, quænam sit, postquàm foratum os est, tum medicamentorum, tum uniuersæ diligentiæ nostræ præcipua omnium ratio: utrumne blandissima, & quæ maxime uoluptati cubantis subscribat, ueluti qua nunc pleriq; utuntur: an quę huic maxime est aduersa, nempe quæ per medicamenta, quæ uehementissime siccent, perficitur: cuiusmodi & Meges Sidonius laudat, & ciuis quidam noster semper est usus sic, ut etiam emplastrum, quod Isin uocant, ilico nudatæ membranæ imponeret, & super hanc foris oxymeli. Sane is senex erat satis exercitatus in hac artis parte: ceterum neq; alium quempiam his usum uidi, nec ipse uti sum ausus. Tantum tamen testificari Eudemo possum (nam id seni nomen erat) magis fuisse seruatos, qui ab illo curabantur, quàm qui ab ijs, qui blandis utebantur. Aggressus uero fuissem aliquando ipse quoq; experiri eiusmodi curationis rationem, si perpetuo in Asia mansissem. Sed, cum Romæ plurimum agerem, ciuitatis morem sum secutus, permissa ijs, quos Chirurgos uocant, maxima eiusmodi operum parte. Ceterum ipsam rei naturam æstimans, talem quandam determinationem longa nostra experientia confirmatam concipio. Qui auditorius meatus dicitur, nõ solum usq; ad cerebri duram membranam pertinet, sed etiam neruum cõtingit, qui in ipsum a cerebro G descendit. Is autem, quamquam ita positus in uicino, tamen uehementissima (sicut dictum prius est) medicamenta tolerat. Nihil igitur miri sit, si post forationes crassa cerebri membrana ante, quàm notabiliter phlegmone occupetur, ualentissimis gaudeat medicamentis, ceu siccam naturaliter substantiam habens.

*ληρωδοῦς.

GALENI METHODI MEDENDI, ID EST DE MORBIS CVRANDIS.

LIBER SEPTIMVS.

ARGVMENTVM LIBRI.

Ventriculi exemplo uniuersas partium intemperies curare docet, siue illæ quidem simplices, siue cum succorum affluxu consistant. H

Galenum ueritatis ac scientiæ studio inflammatum ad exercitationem tantum, ac ob amicorum preces, hos, & reliquos omnes libros scripsisse. Cap. 1.

MEDENDI methodum, Eugeniane charissime, quam olim in Hieronis gratiam scribendam susceperam, postea, quàm illum subito longum iter ingredi coactum, non multo post diem obijsse nunciatum, ipsi quoq; persequi destitimus. Tu enim mihi conscius es, neq; hoc me opus, neq; aliud ullum popularis auræ studio fuisse aggressum, sed quo uel amicis gratificarer, uel meipsum simul utilissima ratione ad rem propositã exercitarem, simul † [ad obliuionẽ senij] (ut Plato inquit) commentarios mihi reponerẽ. Quippe multitudinis laus, commodum ad usus non nullos instrumentũ uiuentibus aliqñ est: mortuis certe nihil prodest, sicut neq; uiuentium quibusdam. Nam, qui uiuere in tranquillo optarunt, ac fructum ex philosophia ceperunt, & ijs, quæ corpori curando sufficiunt, sunt contenti, ijs utiq; impedimento non paruo est apud uulgum fama, ut quæ eos a rebus pulcherrimis plus iusto transuersos auferat: ueluti me quoq;

† εἰς τὸ τῶν λήθης γήρως.

A quoq; non ignoras ab ijs, quæ sunt molesta, sic non nunquam tædio affectum, ut bono interim spatio ne tangere quidem librum possim. Ego uero (haud scio qua ratione) ab ipsa usq; adolescentia mirifice, siue inspiratus, siue furore percitus, siue quomodocunq; dixisse libet, & uulgi famam contempsi, & ueritatis scientiæque studio flagraui, nullam esse hominibus nec honestiorem nec diuiniorem possessionem ratus. Atq; ideo nulli librorum meorum nomen meum præscripsi: immo uos (sicut ipse testis es) rogaui, ne me immodice (ut soletis) apud homines laudaretis: nec nomen meum operibus, quæ proderem, inscriberetis. Ob hæc igitur omnia etiam medendi methodus, quam inceperam, a me est deposita, cum capita inuentorum breuibus commentarijs mihi ipsi scripsissem, nec ullam *pleniorem docendi rationem etiamnum adiecissem. Nunc, quando & tu, & alij ex amicis non pauci exigitis, quæ subinde me opere in ægris peragere uidistis, ut ea in commentarios redigam, adijciam huic operi, quod reliquum est.

*διεξοδικήν.

Quid superioribus libris est actum, quid sequentibus agendum: & quod imbecillitatis affectum Empirici & Dogmatici non recte intellexerunt. Cap. 2.

ERgo in horum commentariorũ tertio, quarto, quinto, & sexto, quemadmodum similarium instrumentaliumq; partiũ communẽ morbũ curari conueniat, scripseram, idcirco nimirũ ab eo auspicatus, quòd & conspectior reliquis esset, & euidenter oẽs propemodum priores medicos, qui certa methodo artem tradere polliciti, amethodi in ipsis curationibus deprehenduntur, confutaret. Nam, cum ab Hippocrate discesseris, qui nobis omnium salutarium præceptorum semina præbuit, reliquorum certe nemo uel conatus est genus hoc morbi methodo curare. Postulant autem, & quæ Hippocrates ipse reliquit, non malos agricolas, qui ea tum seminent commode, tum augeant, tum perficiant. Id autem fecisse ante nos neminem, sed plerosq; etiam semina, quæ reliquit, corrupisse, ijs, qui animum aduerterũt, clare mõstratũ arbitror. Itaq; hoc morbi genus uel cõtinuitatis solutionẽ, uel unitionis, uel qualitercumq; est libitum, appellare cuiq; permisimus: quando de nominibus nec in hoc opere, nec in alio medicinaliũ ullo laboramus, sed quo pacto artis maxime finem consequamur. Reuertamur autem nunc ad morbum eum, qui omniũ est primus, nempe, qui in similaribus nascitur, quibus scilicet primum animantis functiones referuntur acceptę. Siquidem monstratum in alijs operibus est, quemadmodum instrumentalium quanq; partium aliquid agere dicamus, ueluti oculum uidere, aut crus ambulare: Esse enim sicuti id, quod præcipuũ est actionis crurum, non cruris totius, sed musculosi in eo generis, sic uisionem non oculi totius, sed crystallini in ipso humoris: ac in reliquis quibusq; organis ad portionem. Porrò ostensum in secundo horum uoluminum est genus hoc morbi nõ solum cognitu esse maxime ne C cessarium, sed etiam neminem ipsum ratione curare posse, qui prima corporis elementa non norit: Præterea non intelligere ea, quæ dicant, non nullos eorum, qui rationales se nominant, quoties imbecillitatem esse dicunt uel uentriculi, uel intestinorum, uel iecinoris, uel oculorum, uel alterius cuiuslibet partis. Si nanque ita nominãt infirmitatem impotentiamq; ad naturale opus, nihil plus plebeio intelligunt: quippe quem dicere audias imbecillum sibi uentriculum esse, non .n. concoquere cum uel minima leuissimaq;, quæ sumpsit. Quòd si imbecillitatem quæ est in uentriculo, affectũ quempiam esse aiunt, interpretentur, quæso, nobis quemnam demum hunc esse uolunt, quemadmodum in phlegmone fecerunt. nam Empirico sat fuerit, si symptomata laborantis particulæ exposuerit, nempe tumorem præter naturam, & renixum, & pulsatilem dolorẽ, & tensionem, & ruborem, aliaq; id genus: imponitq; non nunquã breuitatis docẽdi causa cunctis simul collectis unũ nomen, sicuti comprehensis iam phlegmonen. Dogmatici uero non itidẽ, sed ipsam morbi naturam inspiciunt, quã symptomatum illorum collectio necessario sequitur. Siquidem Erasistrato uidetur sanguis, qui in arterias incidit, ubi spiritu impellitur, in exitu earum impactus hærere, idq; phlegmone esse. At par (arbitror) erat uel Erasistratum ipsum, uel aliquem ex sectatoribus eius simili modo, affectum, qui in imbecillitate cuiusq; partis subest, interpretari. Tanquam .n. de phlegmone, in quidnam translatus naturalis partis habitus sit, explicuit, ita ratio exigebat, ut & translatio cuiusq; particulæ in imbecillitatẽ ab eo explicaret. D Nõ.n.cũ pro naturæ rõne est affecta, ad propriã actionẽ est imbecilla: sed accessit oĩno aliqua præter naturã occasio, quæ eã dissoluit deiecitq;, & mortuæ simile effecit: quã utiq; nec Erasistratus dixit, nec Herophilus, nec alius quispiã medicorũ, qui de primorũ corporum natura ausi aliqd pronunciare nõ sunt.

Communis methodus intemperiei dignoscendæ, & curandæ. Cap. 3.

CEterum immorandũ in his diutius nõ est cũ prę sertim abunde prius monstratum sit & genus hoc morbi utilissimum esse, quod a medicis disquiratur: &, qui commode id sit tractaturus, huic necesse prius esse de elemẽtis considerasse. Itaq;, qui nobis habendus sermo est, is totus ex prius demonstratis elementis absoluetur: de quibus unũ (ut scis) uolumen edidimus, quod De elementis secundũ Hippocratem inscripsimus. Sane eadem opinio de corporis natura est tum Diocli, tum Mnesitheo, tum Dieuchi, tum Athenæo, tum probatissimis fere quibusq; medicorũ, itidem ut præstantissimis philosophorum: ut qui ex calido, frigido, humido, & sicco mista putent tum alia corpora uniuersa, tum uero animantium in primis. Ceterum ei, qui de his omnibus primum pronunciauit, demonstrauitq;, iustum est, arbitror, reddere, quod inuenit. Ideoq; & nos ea secundum Hippocratem elementa uocamus: etiam si maxime Chrysippus, Aristotelesve, aut alius quispiam medicus, philosophusve similiter de ijs sit opinatus. Ergo, quoniam unaquæq; animalis particula propriam actionẽ edit, quæ tantũ ab aliarum

actionibus differt, quantum ipſa particula ab alijs, quæ illas edunt, eſt diuerſa, (Differt uero ab alijs E particula quæq; eo, quòd calidior, uel frigidior, uel ſiccior, uel humidior ſit: aut quòd binis horum quibuslibet ſit affecta.) qui tueri actionem uult, hic temperamentũ earum cuſtodiat, oportet. Cuſtodiet autem, ſi id, quod ad calidius eſt conuerſum, refrigerabit: quod ad frigidius inclinatum eſt, calfaciet: Pari modo, ſi, quod ad ſiccius eſt alteratum, humectabit: &, quod ad humentius eſt uerſum, ſiccabit: Rurſus quoque, ſi ſiccabit pariter ac calfaciet, quod humidum eſt redditum, & frigidum: ſiccabit pariter & refrigerabit, quod humidius ſimul & calidius euaſit: & in reliquis duabus coniugationibus ad portionem. Semper enim pro eo, quod exuperat, inducendum eouſq; contrarium eſt, quoad particulã in ſymmetriam, & naturalem habitum uindicaueris. Ac genere quidem, omnis ægritudinis, quæ in ſimilaribus conſiſtit, iam dicta mihi medendi eſt methodus. Cum enim octo earum ſint differentiæ, ueluti in libris de morborum differentia eſt traditum, octo nimirum erunt & medendi rationes, quarum una (quo medentis conſilia diriguntur) curationis meta communis eſt, ipſius ſimilaris corporis altera tio: quandoquidem etiam morbus ipſe ex intemperie & naturalis temperamenti alteratione eſt ortus. At, quæ membratim medicatio agitur, ex his duobus conficitur, nempe materiæ copia, & huius congruo uſu. Ac medicamentorum quidem copiam tum ex libro de ſimplicium medicamentorum uiribus, tum ex ea, quæ de eorum compoſitione præcipit, methodo haurias, licebit: Eorum, quæ ad uictus F rationem pertinẽt, hinc ſumimus. Sed &, quemadmodum cuiuſq; *morbi intemperiem agnoſcere oporteat, ex tribus operibus intelligas, primo eo, quod de Temperamentis: ſecundo eo, quod de Partibus afflictis: deinde eo, quod Ars medica inſcribitur. Non eſt igitur ad ea, quæ nunc ordimur, ijs, qui prudentes natura ſunt, ac cogitationem in primis exercitarunt, multis præterea opus: cui neutrum horum adeſt, huic certe ad præſentem diſputationem non parua re eſt opus. Quòd ſi in prauæ doctrinæ ſecta præterea ſit altus, hic geminum tempus requirit, alterum, in quo prauas opiniones dediſcat: alterum, in quo melioribus ſe exerceat.

*μορίου .i. particulæ.

Quid rationalis curatio intemperiei, quæ in uentriculo eſt, differat ab Empiricorum curatione. Cap. 4.

SAne te ſcimus & ex ijs, quæ in uniuerſum dicta ſunt, particularia per te inuenire poſſe, & alioqui multos id genus morbos a nobis percuratos uidiſſe ſic, ut utraq; ratione particularium tractationẽ minus requiras. Sed, quoniam (ut Plato ait) non poſſunt, quæ ſcripta ſunt, non e manibus excidere, quo, ſiquando liber in alterius non exercitatæ rationis manus deuenerit, facilius hunc doceat, adijci particularium quæpiam oportet: ex quibus etiam protinus clare id, quod proxime dixi, intelligetur fieri poſſe, † [ut per teipſum particularia inuenias.] Siquidem ipſe ea per meipſum omnia inueſtigaui, ratione ipſa uiam monſtrante: quando, ſi præceptores ſecutus fuiſſem, ipſe quoq; uentriculo imbecillis ſuaſiſſem, ut cibis adſtringentibus, & ſubamaris uterentur: uino quoq; ſimiliter auſtero: præterea abſinthio, & quod ex mali cotonei conficitur ſucco, alijſq; eiuſmodi, quæ deuorantur, medicamentis. At uero, quod ad ea pertinet, quæ extrinſecus applicantur, primum perfundi uentriculum ex abſinthio & oleo *crudo iuſſiſſem: mox hapſum lanæitum ex ijſdem ipſis, tum uero ex unguentis melino, & maſtichino, & nardino imponi: ab ijs ceratum ex ijſdem compoſitum: poſt alia pharmaca, utique ceratis ualentiora, quæ a medicis uocantur epithemata. Ea tum ex dictis unguentis, tum ex ijs, quæ ſimilem uim obtinent, medicamentis componuntur. In quibus eſt aromatum quoq; multitudo non parua: ſpica nardi, & amomum, & calamus aromaticus, & iris, & ladanum, & malabathri folium, & ſtyrax, & bdellium, & opobalſamum, & *balſamum, & xylobalſamum, reliquusq; aromatum catalogus. Quòd ſi horum nihil profeciſſet, commune omnium remedium, quibus imbecillitas nocet, in fine adhibuiſſem, nempe rubrificationem, (φοινιγμὸν græce uocant,) quæ uel per thapſiam, uel ſinapi, uel tale aliquid excitatur: deinde ad uſum aquarum *calidarum ablegaſſem. Quippe ultra hæc Empiricus nihil nouit, ueluti commentarij eorum docent. Quintus uero ijs, qui de cruditate, aut inappetentia quererentur, primum quidem exercitari ſuadebat: tum eſſe, quæ & concoctu quàm facillima H eſſent, & nõ multa. quibus hæc nõ cõtuliſſent, cogebatur ipſe quoq; ad Empiricorũ dogmata confugere. Nã quis neſcit, quẽ admodũ calidũ, frigidũ, humidũ, & ſiccũ mordere ſit ſolitus, balneatorũ eſſe nomina dictitans? Sine quibus tñ methodo curare partiũ imbecillitatẽ oĩno non eſt. Quare per hos nihil obſtitit, quo minus ipſe quoq; eadẽ inſtitiſſem uia in eiuſmodi affectibus ſanandis. Verum ratio me docuit octo imbecilli uentriculi curationes. Vidiſti igitur & tu quoſdã uno die, uel potius hora, frigidæ potione leuatos: quorũ alijs non aquam modo dedi fontanã recentẽ, ſed ẽt, quæ niue eſſet refrigerata, ueluti Romæ præparare ſolent, calfaciens ſcilicet prius: quam ipſi dicoctã appellãt. cibos præterea ad eundẽ modũ refrigeratos identidẽ me illis permittere uidiſti: in quibus eſt, & quã Melcam uocãt, unus is quoq; Romæ laudatorũ ciborũ, ueluti ẽt aphrogala: ſed & frigidæ facultatis fructus, ſimiliter refrigerans ijſdem dedi, & ptiſanam probe coctam, pari ratione refrigeratam, aliaq; id genus ſexcẽta. In quibus unã rem mihi propoſui, ipſam ſcilicet refrigerationẽ. Vetui aũt abſinthiũ, & quicquid adſtringeret, cõtingere: ueluti alios rurſus a refrigerãtibus abſtinui. Calfeci aũt omni ratione, uinum uetus ex eorũ genere, quæ facultate ualde calfaciunt, exhibẽs: (cuius maxime generis ſunt Falernũ, & Surrentinum) tum nutrimentũ, quod calfaciendi uim haberet, cũ largo pipere. In nõ nullis omne conſiliũ curationis ad ſiccandum direxi: dabamq; ijs tum cibos, qui natura eſſent ſicci, ac probe aſſati: tum prorſus exiguã potionem.

†antiqui cod. habent ἑαυτῶ τάχατε μέρος ἐξευρίσκειν .i. ut (ille alter) per ſe ipſum particularia inueniat.

*ὠμοτριβοῦς .i. ex oliuis immaturis expreſſo. A.l. 3. f. 13. T. 2. c. 4. p. 540. F

*Alias Carpobalſamum. *ξυτοφυῶν .i. ſponte naſcẽtium. A. ibidem.

A. ibidem. Apotionem. Iniunxi autẽ & adſtringentium oĩum uſum: quẽ unum, qui illis citra rationem medentur, norunt. Alium uero non pridem, qui iam adeo ſiccatus fuerat, ut ſimillimum habitum præferret ijs, qui maraſmo marceſcunt, ſanaui contrarijs omnino exhibitis, ijs, quæ egregij iſti medici ſuaſerant. Quippe non ex alia occaſione eo periculi uenerat, (cum inter initia exiguam intemperiem ex ſiccitate, quæ ma defieri poſtulabat, habuiſſet) quàm q; ijs, qui eum curandum ſuſceperunt, tum abſinthio potantes, tum amaros aſparagos, & bulbos edendos dantes, itemq; mala cotonea, & ceſtiana, & punica, poſt quoque, ubi uenter nihil horũ continebat, etiam rhois ſuccũ bibere cogentes, tum, quæ paulo ſupra dixi, extrinſecus imponentes, paulo minus omnis madoris expertẽ reddiderunt. hunc nos ſanauimus omni rõne humectantes, ipſiq; materiã inuenientes ex ea methodo, quæ in opere de medicamentis eſt tradita.

Quæ uentriculi intemperies citius, ac ſecurius; quæ longo tempore & cum periculo ſanentur. Cap. 5.

*αἱρέσεως eſt in impreſsis, ſed in manuſcriptis εὑρέσεως .i. inuentione.

NAm, ſicuti in libro de demonſtratiua *ſecta dixi, numeroſis medicorum inter ſe diſſidijs undique confuſus, ubi me ad iudicandum de his conuerti, intellexi prius in demonſtratiua methodo exercitandum me eſſe. Quod cum multis deinceps annis feciſſem, ſingula ipſi dogmata ſubieci: atq; prout inuentorum indicatio me ducebat, ita curationes inſtitui. Verum, quoniam id non oẽs ſaltẽ poſſunt, ex pediet ipſis ſcribi per octo curandi *indicationes particularis materiæ comparandæ meditationes, a uentriculo rurſus ſumpto initio, qm̃ huius primũ mentionem modo fecimus. Ac facillimæ quidem ad curandum alterationes ſunt, quæ ex calido & frigido conſiſtunt, propterea, quòd maxime actiuis qualitatibus corriguntur. Aegrius curantur, quæ in humido ſiccoq; habentur, q; imbecillis & (ut ſic dicam) magis materialibus qualitatibus eorũ curatio perficitur, potiſſimumq;, cũ humectandũ eſſe requiritur. Ac tẽpus quidẽ caloris frigorisq; reparãdi, par quodã modo eſt, ſecuritas, tũ impar. Niſi .n. cuncta, quæ ei, quod curatur, circundata ſunt corpora, ualida plane ſint, metus eſt, ne ab ijs, quæ refrigerẽt, noxã cõtrahant non leuem. In reliquis duabus qualitatibus ſecuritas ſimilis eſt. Tempus curationis in ſicca intemperie multo amplius: quippe, qd̃ ſeniũ in ſanis eſt, id ſicca intemperies eſt in ægris. Itaq; etiã inſanabilis eſt, ſi prorſus ſit conſummata. Eſt autem prorſus conſummata, ubi ſolida ſimilarium partium ſubſtantia reddita eſt ſiccior.

A.l.1.f.4.d.1. c.2.p.135.B. & d.3. T.13. T.1.c.29.p. 633.B

De quadruplici corporum curanda ſiccitate, ac de optimo melle, & lacte, ceterisq; cibis, qui ſiccatis corporibus conueniunt, eligendis. Cap. 6.

NAm eſt & altera ſiccitas, utiq; cum ea, quorum ſubſtantia ex humore concreto conſtat, ſicut caro & adeps, ſunt liquata. Etiam tertia, cum propria humiditas unde partes nutriuntur, omnino eſt abſumpta. Continetur ea in omnibus animalis partibus, ceu ros quidam per eas ſparſus: de qua dictũ aliubi ſæpe eſt. Hanc igitur inſerere particulis ſine nutrimento non eſt. Ideoq; difficillima eſt omnium eiuſmodi affectuum curatio. Diuerſa ab ijs ſiccitas eſt, quæ in proprijs cuiuſq; particulæ exilibus arterijs uenisq; conſiſtit. prouenit & hæc ex ſanguinis penuria. Omnibus itaq; his ſiccitatibus maxime cõtrarius eſt auſterorũ uſus, ſiue ea cibi ſint, ſiue potiones, ſiue etiã medicamenta: quippe quæ, ſiquid in ijs ſupereſt naturalis humoris, id abſumunt, partim ebibentia, partim in ſinũ uentris per exiguos meatus exprimentia, partim ad continentes partes trudentia. Curabis igitur ipſas, ſi meatus, qui contracti ſint, dilataueris: ac quod in uicinas particulas eſt compulſum, reuellas: præterea ſingulas ſimilariũ partium propria humiditate, humectantis nutrimenti ope repleas, ueluti nos, quẽ memorauimus a medicis ſiccatum, curauimus. Is in ea contrarietate, quæ in frigido & calido conſiſtit, nullam euidenter uincentem habebat intemperiem, nec in uniuerſo corpore, nec in uentriculo: ſiccus tñ & gracilis admodũ eſt reditus propterea, quòd uentriculus eius ex ſicca intemperie imbecillus male concoxerat. Huic nanq; omne curationis conſiliũ huc tendebat, ut humectaretur tum uentriculus ipſe, tum reliquũ omne corpus. Quibus aũt ſingillatim agendis, quibusq; maxime materijs ſim uſus, ut uoti compos eſſem, non ſit ab re dicere. Domum ei paraui maxime balneo uicinam, quales multas eſſe in diuitum domibus D nõ ignoras. Ab hac ſtatim in balneum ſuper linteis mane intuli, utiq, ne, ſi ipſe ſe moueret, tum ſiccaretur, tum ante, q̃ commodum eſſet, exolueretur. Horum .n. alterum contrarium affectui eſt: alterũ moram in balneo minuit. Longiſſime nanque in aqua uerſari hominem expedit: ideoq; etiam *natationes utiliores ſunt, quàm parui aluei, quos Pyelus græce uocant: atq; ex ipſis natationibus potiſſimũ, quæ propinquæ ſunt foras egreſſui, quo ſcilicet illi ab aqua foras non longa ſit uia. Nam aerem balnei in ijs, qui ita ſunt affecti, haudquaquam deſideramus. Eſto autẽ aqua ad unguem temperata, cum, quæ frigidior eſt, latenter frigus corpori infirmo inſinuet: calidior autem cogat conſtringatq; tenues meatus, ac denſet. At nos eos, cum coacti ſunt, remitti, laxari, ac dilatari poſtulamus: quod temperatiſſimæ aquæ qualitas præſtat, utpote quæ, iucundiſſima cum ſit, naturam ad explicandam ſe, atq; ad dulcedinem, quam præſtat, quoquo uerſus extendendam prouocat, contraria uidelicet ratione ijs, quæ ſunt iniucunda: ab ijs enim recedit, fugitq; ad profundum. Quo minus mirum eſt ex offendentium contactu ſtipari, conſtringi, ac durari corpora, tenuesq; eorum meatus cogi, ac denſari: contraq;, ijs ſcilicet, quæ iucunda ſunt, ſuccedere cõtraria, utiq; fundi ac molliri corpora, dilatariq; meatus. Ab eiuſmodi lauacro ſtatim aſininum exhibui lac, ſed inducta in ipſam, qua iacebat, domum aſina. Quippe ſic mihi perſuaſeram maxime quidem celeriter hominem ſanandum, ſi fieri poſſet, ut ipſe aſinam ſugeret: ſin id grauaretur, expedire, ut quàm minimo tempore in aere ambiente lac moraretur propterea, q; celer-

*κολυμβήθραι.

rime mutari sit aptum: utiq; genitalis seminis ritu, quod nec ipsum aliquandiu extra propria uasa, si E
modo suas uires seruabit, morari patitur, sed uel in ipsius maris partibus contineri, uel ipsius fœminæ
partibus * situm esse postulat. Et sane utilissimum lac est, cum ex ipsis mammillis quis hauserit: † uelu
ti Euryphon, & Herodotus, & Prodicus censent: qui tantum in eo ad corpora reficienda fiduciam ha
buerunt, ut etiam, qui phthoe contabuerant, ex ipsa mulieris papilla lac sugere iuberent. Verum cum
hoc plurimis non placeat, melius est calens adhuc ex mammillis id in ægri uentriculum quàm ocyssi-
me transferre. Ac optimum quidem, utpote cognatum, muliebre lac est. Sed, quoniam id exhiberi
sibi ceu pueris pleriq; recusant, utiq;, ceu asinis, asininum ipsis, dari conueniet. Id enim reliquis omni-
bus ad propositum affectum est, utilius: quippe, cum tenuissimum sit, & minime coagulatur, & quo-
quo uersus ocyssime in corpus digeritur. Eget autem horum utriusque, cui uentriculus laborat, utiq;
ne coaguletur, communis commodi gratia: (omnibus enim id est incommodum) ut quoquo uersus
digeratur, propterea, quòd & celeriter nutriri est opus, & quòd uiæ, per quas alimentum transit, iam cō-
niuent. Igitur tum lac ipsum per se est his dandum, tum etiam mellis tepidi pauxillulum immiscendum.
Maxima uero habenda cura est in eiusmodi affectibus de utriusq; bonitate. Quod igitur mel colore
flauo sit, & odore suaui: tum purum adeo, ut totum pelluceat: ac gustanti parum acre iucundissimum-
que: præterea tam sibi cohærens, ut, si digito attollatur, continuum sibi nec intercisum ad humum F
defluat, id omnium est optimum. Si uero abrumpitur, nec demissum ad terram usq; continuitatē ser-
uat, id aut crassius iusto est, aut tenuius, aut anomœomeres. Voco autem Anomœomeres, (quod
sane & nomen ipsum indicat,) quod ἐξ ἀνομοίων μερων, id est ex dissimilibus partibus, est compositum.
Deprehendas autem id, si diligentius inspicias aut crassitudines, aut humiditates habere innatantes,
quæ nec inter se sint similes, nec etiam toti. Cerosum itaq; magis mel est, quod & crassius est, & cui
tales quæpiam crassitudines innatant. Excrementosius uero ac perfici concoquiq; difficilius, tum qđ
totum humidum est, tum in quo multæ in partibus sparsæ apparent humoris guttæ. Porrò, in quo uel
ceræ qualitas aliqua, uel propolis, uel id genus alia gustu deprehenditur, adeo non est optimum, ut etiā
malum sit. Quippe nullam penitus alterius cuiusquam rei eminentem in se continere qualitatem de-
bet. Quocirca, quod thymum plane redolet, non probo. Est enim id parum consummatum, nec pla-
ne quodam modo mel. Quanquam non ignoro a quibusdam id laudari, eoq; fieri, ut non nulli uendi-
tores incisum thymum illi inijciāt, quo id redoleat, uideaturq; optimum. Ipse tamen, quod tam im-
probe thymum olet, non laudo: multoq; minus, si cui iniectum thymum sit. Quod autem confusam
quandam qualitatem odore gustuve præ se ferat, id non uitupero. Ad eundem modum & lac nullam
externam qualitatem odore gustuve præ se ferat, sed esto quàm dulcissimum, & sibi ipsi continuum, G
& prout lacti conuenit, splendens: super omnia, quoad eius fieri potest, similes habeto partes. Nan-
que hanc dotem, ueluti mel optimum, ad perfectionem non recipit. Quo uero tale lac fiat, & idoneis
nutrimentis alendum animal est, & exercitationibus mediocribus admouendum, & pullus, si quem
lactat, auferendus. Quòd autem ætatis quoq; maxime florentis esse debeat, id neminem latet. Cu-
randum item, ut quàm optime concoquat, cōtemptis uidelicet ijs, qui, si asinis quoq; uictus rationē
præscribemus, ridebunt. Si enim Veneti, & Prasini studiosi sectatores, equorum stercora, quo intel-
ligant, quemadmodum alimenta concoxerint, odorantur, tanquam ex eo omnem eorum bonam ha
bitudinem cognituri, multo profecto magis nostrum fuerit pro hominis salute nihil tale non prospice-
re, atque herbas animali, quæ non admodum sint humidæ, fœnumq; & hordeum, quod sit mediocre,
obijcere: sed nec illa omittere, ut asinæ corpus refrigeremus, & fricemus, & detergamus, & munde-
mus. Porrò si humidiora, & olentiora, & flatus plena excreuerit, planum profecto est non concoxis-
se probe. Quare aut detrahendum aliquid de alimento est, aut exercitationi aliquid adijciendum, aut
qualitates immutandæ, aut refrigerationis frictionisq; cura uarianda. Sin duriora reddat animalis al-
uus, ad contraria est inspiciendum, atq; illorum aliquid immutandum. Nam, si ipse omnia, quæ consi-
deranda circa animal sunt, cuius lacte usuri sumus, deinceps persequar, totam tuendæ sanitatis artem H
commemorem, quam teneat, necesse est, quisquis idoneū lac præparabit: nunc uero dici opus non est,
cum alibi de ea traditū sit absolutissime. Sed ad propositū reuertor. Ac mihi iam rursus memoria repe
tes hominem, qui & lauatus est, & lac sumpsit. Hunc itaq; ad secundam usq; lauationem quiescere per
mittemus: tum modice fricabimus, & pinguiter, utiq; si lac, quod sumpsit, iam ad unguem confecit,
id quod tum ex ructu, tum uentriculi mole licebit conijcere. Modicum uero temporis inter primam &
secundam lauationem interuallum erit, si quatuor, aut quinq; æquinoctialium horarum spatium inter
sit, scilicet si tertio adhuc lauare paras: sin aliter, plurium. Sane tertio lauabis, si multis lauationibus fuit
assuetus. Hi nanq; & delectantur, & iuuantur, si sæpe lauent. Quinetiam post quanq; lauationem homi-
nem ungemus prius, quàm se uestiat. Quippe conducit ad renutritionem id quoque, sicut & frictio.
Reddita uero de horum omnium facultate ratio est in libris, qui de sanitate tuenda sunt scripti: non ta-
men inutile fuerit nunc quoque summatim ea repetisse. Nam, siue cuilibet parti corporis temperatā
infundas calidam aquam, siue frices, siue aliter quomodocunq; calfacias, idem fieri cernes, quod Hip-
pocrates de ijs dixit, quibus aqua calida desuper infunditur. Nam primum attollitur, mox gracile ef-
ficitur. Ideoque, ubi carne implere quodlibet corpus studemus, id eatenus calfaciendū nobis est, dum
intumescat. Vbi uero digerere, & uacuare cupimus, eatenus continuandum est, dum, quod prius
intumuit,

* συνῆφθαι.
† Plures cod. græci habent ut Linacer uertit. sunt tamē qui, Herodotus, & sunt qui Prodicus non habent.

A intumuit, subsidat. Sane, qui eiusmodi operibus præficitur, solicite attentus esse debebit, potissimumq;
ubi carne implere studetur. Nam digerendi certe tempus adeo late patet, ut, etiam si uelis, in eo non
aberres. At carne implendi plane præceps est occasio. Siquidem, cum primum intumuerit, tum est
desistendum. At intumescere hoc, singulis corporibus suum est. Non enim fieri potest, ut, qui nunc
nobis propositus gracilis est, ita intumescat, ut illi, qui sani sunt: immo, postquam leuiter intumuit, pro
tinus digeritur. Itaq; attendendum diligenter est, ne clam te elabatur propositus temporis articulus.
Siue igitur hominem, qui extrema gracilitate est, perfrices, sufficiat tibi solus rubor: siue laues, satis
esto mediocris calor. Si quid ultra peragas, resolues hominem magis, quàm nutries. Vngendum ue-
ro post lauationem oleo est, ne uidelicet plus iusto digeratur, sed obstruantur exigua cutis spiramenta.
idem protinus & siccitatis remedium fuerit: & aduersus incommodum, quod ab aere ambiente con-
tingit, ueluti munimentum. Ac, si quidem delectatur lacte, post secundam quoq; lauationem id exhi-
bebis: sin aliter, ptisanam diligenter coctam, aut alicam ptisanæ ritu præparatam. Hinc, ubi rursus
quieuerit, ad tertiam reducendus lauationem est, aut ilico ad cœnam. Sit autem præparatus illi panis
purus, & qui curiose in furno sit coctus, & tum fermenti, tum salis, quod satis est, habuerit. Obsoniū
quoque ex saxatilibus piscibus, aut ex albo iure asellus. Præterea alæ testesq; gallinacei, qui lacte sit
B altus, idonei sunt. Quorum si copia non est, * alijs utendum. Ad eundem modum & perdicibus, &
* passerculis, qui montani sint & mollis carnis, uescendum. Vitanda autem, & quæ palustria sunt, &
quæ carne sunt dura. Et (ut paucis alimenti summam complectar) sit coctu facile, & nutriens, mi-
nimeq; glutinosum, atque excrementosum. Porrò omnium, quos nouimus, ciborum maxime nu-
triens suilla caro est. Verum non æque, ac prædicta, concoctu facilis est: præterea glutinosum succū
crassumque generat. Alioqui nec alio esse habitu potest, quod in summo sit nutriens. Quippe adhæ-
rere id debet, & firmiter affigi, non autem prę tenuitate diffluere. Non tamen ad propositum affectū
uti hac conuenit. Si enim nutrimentum ipsum seipsum concoqueret, ac in partes digereret, præterea
alendis partibus assimilaret, &, quibus alimento plurimo est opus, adhæresceret, proculdubio maxi-
me nutriente cibo esset opus. Verum, quoniam non aliud est, quod nutrimentum desiderat, aliud
quod ipsum conficit, sed, quod nutriendum est, ipsum sibi & nutrimentum attrahit, & mutat, & con-
coquit, & adiungit, & assimilat, ad duo nimirum nobis in opportuno cibo eligendo spectandum esse
dictat, unum ipsius cibi naturam, alterum uires suas proprias insitasq;. Itaq; ex his illud patet, nec
plane, quod maxime nutriat, optimum esse ijs corporibus, quæ refici magis egent, utpote quibus cō-
coquendi facilitas non est: nec etiam, quod facillimum concoctu est, cum scilicet ipsum nequeat maxi
C me esse nutriens. Cum igitur hæ * indicationes ex aduerso pugnent, committendum non est, ut, dum
† alteri nimium sis intentus, alterius omnino obliuiscaris, sed utriusq; memor, quoad licet, utrunque
misceas: quod mihi præceptum ubiq; memoria teneri uelim. Iam uini tum qualitatem, tum quanti-
tatem memoremus, utpote quod maximam ad talia uim habeat: quando uno hoc in potu utendum
censeo omnibus, quibus refici corpus est opus, modo non febricitent. Esto igitur uinum (quod exē-
pli loco dicatur) quale est Sabinum in Italia, * Arsinium uero in Asia, ac (ut summa quadam ac gene-
ratim comprehendam,) quod aquosum quidem alioqui est, ceterum leuiter adstringit. Aquosum na-
tura appello uinum, † [quod tenue est,] & purum, & Oligophoron, ut Hippocrates græce nomina-
uit. Est autem Oligophoron, quod, si diluatur, minimam sustinet aquæ mistionem. Id est sane imbecil-
lissimum, &, ut in uinis, aquosissimum. Nam, quod plurimū aquæ in mistura sustinet, id tum uehementis-
simum, tum ualidissimum est. Eiusmodi uinū Hippocrates Oenodes, hoc est (ut uerbi uim exprimam)
uinosum, nominat. Verum ab hoc cauendū est, quoniam imbecillas uires feriat. At, quod aquosum
natura est, ceterum austerū, id percommodum est, quòd & ab aquæ imbecillitate recessit, & uini no-
xam nondum habet. Ad hæc itaq; respiciens, tum ætatem eius, tum temperamentū inuenias. Quippe,
quod nouellum est, id tum aquosius, tum uero imbecillius quodammodo est, quàm ut uino conueniat.
D Adde etiā, quòd ægrius concoquitur, ac magis excrementosum est. Antiquius uero, ut uinosius est, ita
uehementius est, quàm ut propositis sit ex usu. Quocirca citius sexto anno nobile Sabinū idoneū non
est, quòd & diutissime in stomacho, ac uentriculo innatet, & fluctuationes faciat. Nobile uoco, qđ au-
sterum est, non Sabinū modo, uerumetiā Adrianū, & Albanū, & Arsiniū, & Titacazenū, omniaq; id ge-
nus. Dictū nanq; fusius de oībus uinis seorsum est. Ad has igitur, ueluti metas, respiciēs, etiā misturam
eius cum aqua temperabis. Quinetiam exactius coniecturā de iam dictis facies, si uitiorum aquæ capi-
ta memoria tenueris. Porrò pendent ea ex frigiditate eius omnia: cuius culpa & in præcordijs diu-
tissime moratur, & fluctuationes excitat, & in flatum mutatur, & corrumpitur, & ita uentriculi resoluit
robur, sic, ut deterius proinde concoquat: sed nec digerendo per corpus alimento aliquid magnopere
conducit. At uero memoratorum uinorum uirtutes comprehensis iam aquæ uitijs aduersam quodam-
modo naturam habent, cum nec inflent præcordia, immo si inflata sint, subsidere faciant: nec inibi mo-
ram trahant, propter caloris mediocritatem. Adde, q, cum digestionis uias aperiant, & pariter impel-
lant, ac nutrimentum sursum agant, ad celeritatem deductionis in corpus conducunt. Sunt præterea
boni succi, & ad * miscenda concoquendaq; ea, quæ in uentriculo & uenis sunt, idonea. Iam uires
quoque organorum adaugent, & expellendis excrementis uiam faciunt. Eoq; fit, ut etiam talia uina
præter cetera urinas moueant. quando & ipsa totum corpus celeriter transeunt, & impetu cursus sui

*Alias ἀγρίοις .i. agrestibus.
* στρουθοῖς .i. auiculis. Nā στρουθὸς genus ē ad auiculas omnes monta nas. ψῖττα sunt passeres: libro 4. & 5. historiæ animalium.
† ἑτέρου τῆς ἀκρότητος .i. alterius excessui.
* Alias arsyinum.
† Antiqui legunt τὸν λεπτὸν καὶ λευκὸν καὶ λαμπρός .i. quod tenue est & album & splendidum.
* κατακεραστικοὶ .i. contemperanda.

excrementa ſecum expellunt. Ac dictum quidem alibi diligentius eſt de uinorum facultate æque, ac H
ciborum. Conueniteq; , vt, qui artem methodo tradi ſibi ſtudet, omnis materiæ uires prius prædiceſ-
rit, nec expectet, vt eas in ſingulis affectibus audiat, ſed, ſimul ac curationis tantum ſpeciem norit, debi
tam uictus rationem inuenire poſſit. Ego uero ijs conſulens, qui ueritatis diſcendæ ſunt auidi, eiuſmo-
di doctrinam attingere ſaltem non grauabor: quo ſcilicet, qui minus exercitata cogitatione ſunt, exē-
plis a generalibus ad particularia, veluti manuducti, deſcendant. Ergo, quod reliquum eſt, apponendū. A.l.1.f.3.d.2.
Potionis is modus erit, ut nec in uentriculo innatet, nec fluctuationis ullius ſenſum inuehat. Ciborum c.7.p.119.c.
uero, potiſſimum ſi fieri poteſt, vt ne grauent quidem ipſum. Quod cum difficile ſit, uel fortaſſe eiuſmo
di, quod uitari in imbecillo uentriculo omnino nequeat, proximum eſt, vt quàm citiſſime grauis eſſe de
ſinat. Ab hoc tenſio inflatioq; præcordiorum uitandæ ijs ſunt. Quòd ſi tale quippiam primo die inci-
derit, pro magnitudine ſymptomatis ad portionem detrahendum poſtridie de cibo eſt: ſin recte omnia
cedunt, paululum adijciendum. Ad eundem modum & in tertio die uel demere, uel adijcere cōueniet
cum præcedente conferentibus. Atq; ita ſemper omnia pro renutriendi reficiendiq; ratione, frictioni-
bus, geſtationibus, inambulationibus, prout corporis incrementum procedit, adminiſtrare, etiam reli
qua omnia pro refectoria uocata ratione adijcientibus. Quæ ſane genere a propoſita ratione non dif- F
fert, ſed in eo, quòd ſub illa perinde totum corpus eſt affectum, ſicuti ſub hac uentriculus. Accidit au-
tem ſic affici corpus in diuturnis potiſſimum morbis, utiq; cum natiua cuiuſq; partis humiditas, ex qua
prima nutritur, propemodum omnis exhauſta iam eſt. nam, ut ſolidarum ipſarum ſiccitas corrigatur,
id fieri omnino non poteſt, ſicuti nec ſenium: ueluti in libro de maraſmo docuimus. hanc uero humidi
tatem, etiam ſi omnino ſit abſumpta, regigni modo dicta uictus ratione licet. Atq; in alijs refectioni-
bus uentriculus egregie præ ceteris non afficitur: in propoſito autem affectu morbus eſt ipſius uentricu
li, tempore uero totum corpus, utpote parum probe nutritum, maceſcit. Quo rationabilius eſt exquiſi
tiorem hos uictus rationem requirere, propter concoctionis imbecillitatem. Ceterum, cum meliores
ſunt effecti, transferendi ſenſim ſunt ad renutritoriam refectoriamq; uocatam uictus rationem: Ana-
lepticen Græci uocant. Id fiet, ſi pluribus, & frictionibus, & geſtationibus, quàm ante, utemur. Mutan
da uero interea eſt & ciborum tum qualitas, tum quantitas ſic, ut tum plures, tum ualentiores, quàm
prius, exhibeantur. Ac tempore procedente, cum ad ſanitatis ſtatum prope uentum iam eſt, ſeponen-
da ſunt ptiſana, & lac: præterea ſorbitio ex alica: ac ad conſuetos cibos ueniendum. poſt etiam piſces
detrahendi, niſi ſi in conſuetudine fuerunt, ac uolatilibus cibandum: tum ſuillas carnes eſſe à pedibus
in ptiſana elixis incipient: poſt uero etiam imum crus recte ſumant: ab hoc etiam reliquas partes: pri-
mum quidem iuuenis porcelli: qui, ſi hyems ſit, etiam pridie iuguletur. Nam heſternum, quàm recens G
necatum, facilius concoquitur. Aeſtate ſat fuerit, ſi mane immolatus porcellus ſit, ac circa Solis oc-
caſum comedatur. Quippe, quod in ſuperioribus ſuaſimus, cum ualentius alimentum ueſperi exhiben
dum cenſuimus, id ſemper obſeruare ſtudebimus, utiq; non leue percepturis commodum ijs, qui ita ci
babuntur: quod ſane diligentius inſpiciens agnoſces. Satius enim eſt a principio rem cœpiſſe. Quo-
niam, qui ita ſe habent, plurimo nutrimento indigent, nequeunt autem, uel quod mediocre eſt, concoq-
uere, paulatim hos & ſæpius cibare melius fuerit. Atq; idcirco fieri non poteſt, ut ſemel eos cibaſſe
ſit ſatis, ſed nec bis, quoad ſcilicet ſunt gracillimi. Atq; hac de cauſa ipſe ter eos cibare ſum ſolitus. Ve
rum, quando iam manifeſte meliores facti apparent, etiam bis nutriuiſſe ſit ſatis. Ergo tantam exhibe-
ri primam cibationem eſt rationabile, quanta prius, quàm ſecunda ſumatur, tota prorſus erit concocta.
Id contingere ualentiori alimento non poteſt. Quare primo loco leue ſumendum his eſt, quo uideli-
cet concoquatur celerrime, & excrementum eius diſcedat, & uacuus purusq; uentriculus ſecundū ex-
cipiat. At, quoniam non ſolum quies, & ſomnus, ſed etiam longius tempus huius naturalē adminiſtra-
tionem excipit, rationabile eſt, vt ualentiores ciborum hoc maxime tempore offerantur. Itaque etiam
athletæ omnes ſic faciunt: qui eum uſum non ſolum aliqua ratione inuenerunt, ſed etiam longa expe-
rientia comprobarunt. Sed enim, & quod illi faciunt, nihil mali ſit, ſi ij, qui conualeſcentium uictu utun H
tur, etiam faciant, ut ilico poſt cœnam non bibant, uidelicet ante, quàm cibus fuerit concoctus. Siqui-
dem innatant cibi, ſi bibant, ita, vt eos uentriculi corpus propter interpoſitum humorem non contin-
gat. Verum, ſi ſitibundi fuerint, prohibere eos in totum ut graue eſt, ita nec expediens: ſed tantillum in-
dulgendum, quod & moleſtiam ſoletur, & ſitim leuet. Poſtea uero, quàm nutrimentum concoxerint,
abunde bibere ſunt ſinendi. Quippe celerrime, ſi ita faciāt, per corpus digeritur. Mane uero poſt ſom-
num, cum deiecerint, & paulum inambulauerint, modice ſunt fricandi. Eſt autem modica his frictio,
quæ eatenus adminiſtratur, dum corpus incaleat: mox geſtationibus utendum: dein rurſus tum lauan
di ſunt, tum fricandi, idq; intra meridiem, aut plane circa ipſum meridiem: quo uidelicet inde ad ueſpe
ram abunde ſpatium interueniat. Quòd autem & de domibus, in quibus conualeſcens nutritur, habē-
da in primis cura ſit, potiſſimum, ne frigidiores calidioresve iuſto ſint, ſuperuacuum dicere arbitror: pa
ri modo & de alijs eius generis, quæ inuenire ſibi quiſq; ſine noſtra opera poteſt, doctus uidelicet non
ſolum ex his, quæ hic, ſed etiam quæ in opere de ſanitate tuenda ſunt dicta. Eſt nanq; cōualeſcentium
uictus ratio media quædam inter eam, quæ ſanorum propria eſt, & quæ ægrotantium. Quare difficile
non eſt ex ijs, quæ de utraq; ſunt prodita, ut per ſeipſum quis mediam inueniat. Nam, ſicut nec aliarum
rerum, ita nec uictus una omnibus ſpecies in conſuetudine eſt: cum alijs ſemel eſſe, alijs bis: & alijs ci-
tius,

*ὀπώρας, ideſt fructus autūnales.
*ἀκρόδρυα.

A tius, alijs ad ueſperam incepiſſe cibum, moris ſit. Iam cibus ipſe alijs piſcis plurimum eſt, aut deniq; ali
quid ex mari: alijs olera magis, aut deniq; hortenſia: alijs *poma: alijs legumina: alijs* nuces: alijs aliud
quippiam: alijs quadrupedum carēs, atq; harum alijs aliæ: alijs auium, idq; alijs aliarum. Quinetiam caſeo
& lacte utuntur non nulli plus, quàm ceteris cibis, generaliter quidem caprarum, uel boum. ſunt
tamen, qui & aliorum animalium. Bibunt quoque alij calidum, alij frigidum: & uinum uel liberaliter, uel parcius, uel omnino nullum: uel hoc genus, uel illud. Ad ea igitur reducendus quiſq; eſt, quibus inſueuit. Scriptum autem diligentius de conſuetudine ſeorſum eſt. Nunc illud dixiſſe abunde ſit,
non modo in conualeſcentium uictus ratione, ſed etiam in morbis magnam partem ad *totius uictus
[*medicamentorumq;] *inuentionem ex conſuetudine ſumi. Ratio enim totum genus indicare po-
teſt. Materia cùm ex alijs, quæ retuli, tum uero ex conſuetudine non minime eſt ſumenda. Sed & na-
turarum inſpiciendæ ſunt proprietates. Noui enim quoſdam, qui, ſi quod uigilantium opus nocte obi
re fuiſſent coacti, dormire præterea non poterant. Talibus igitur, ut noctu bibant, conſulendum non
eſt: ne uidelicet ea occaſione uigilare coacti, maximam inde noxam ſentiant. Siccat nanq; totum cor-
poris habitum uigilia, eoq; infeſtiſſima eſt ijs, qui ex ſiccitate laborant. Sunt, & qui, ſi ptiſanam guſtēt,
protinus nauſeent: eadem in quibuſdam facile aceſcit. Eſſe uero aliquos, qui facile carnem bubulam
B concoquant, iam unum ex publice iactatis eſt: præterea alios eſſe, qui ad alios cibos potusque recte ſe
aut non recte habeant. Non ſolum autem ex his materiæ, quæ ad uictum pertinet, copia ſuggeritur, ſed
etiam ex regione & tempore. Scriptaq; iam hæc ſunt a multis, qui me præceſſerunt: quo minus ipſe iſtis
inſiſto: qui ideo tantum ea commemoro, nequid uidelicet ſit omiſſum. Quod uero ab omnibus iunioribus medicis eſt omiſſum, id perſequar: nempe quemadmodum affectus corporum methodo curentur.
eam methodum ueteres (ut ante dixi) probe inchoarunt, nemo tamen eorum ipſam abſoluit. Verū rurſus ad propoſitum redeundum. Siccæ intemperies, vbi ſolida ipſa corpora contigerūt, ſi quidem in una
quapiam parte conſiſtant, ueluti nunc in uentriculo propoſitum eſt, nunquam ad perfectionem ſanabuntur, nec in eum ſtatum, qui ante morbum fuit, reuertentur. Sed, quod dici in conſuetudine uulgo
ſolet, re ſcilicet ipſa edocto, id talibus maxime intemperantijs accidit, morbum uentriculum afflixiſſe, & in reliquam uitam imbecillum reddidiſſe. Quippe ſenum ij uentriculum obtinent prius, quàm cōſenuerint: quo fit, ut facile ex leuibus lædantur cauſis, perinde ac ſenes, nec probe cōcoquere poſſint:
quo euenit, ut etiam totum his corpus deterius ſe habeat. Ad eundem modum, & ſi alia quauis affician
tur parte. Quòd ſi ipſo etiam corde ſint affecti, celeriter areſcunt. vocatq; ariditatem ſiue maraſmum
eiuſmodi Philippus ex morbo ſenium. Is igitur maraſmus breui mortem affert: Proxime huic, qui ab ie
C cinore eſt inceptus: Mox, qui a uentriculo: Qui ab alijs particulis ortum habet, tanto ſane tardius, quā
to quælibet harum minoris eſt præſtantiæ, quàm illæ. Si uero leuiter cordis corpus ſiccatum ſit, ſene-
ſcunt quidem celeriter, ceterum plures annos trahunt, quàm qui uehementer ſunt læſi. Ad eundem
modum in iecinore & uentriculo, ceu dictum eſt: ac in reliquis omnibus ad portionem. Ceterum uictus ratio eadem genere eſt tum in hac ſiccitate, tum in illa, quæ ſolam eam humiditatem abſumit, quę
ſolidas nutrit: præterea etiam in tertia, quam ſupra memorauimus, ſiccitate. Facillima uero omnium
ſanatu quarta eſt, in qua uenæ ſucco ſunt inanitæ. Immo hic affectus, vt frigiditas potius, habitus, curatur, quàm ut ſiccitas: vel (ut clarius loquar) frigiditatis reſpectus in hac ſiccitate exuperat, periculumq; in ea uertitur: Siccitas ſecundum locum obtinet, habetq; proinde ſanationem tum expromptā,
tum celerrimam. Siquidem, ſi biduo quis uictus rationem his caute exhibeat, modice calfaciens, & tu
to nutriens, ſtatim in tertio pleniorem uictum citra noxam admittunt: multoq; id magis in quarto &
quinto. Atq; hoc ſane erat, quod Hippocrates præcepit: Quæ longo ſpatio extenuata corpora ſunt,
ea ſegniter reficere oportet, quæ breui, breuius.

Ratio curandi frigidam & ſiccam intemperiem ventriculi. *Cap.* 7.

A.l.3.f.13.t.1 c.30.

D SCire autem licet ſolidorum corporum ſiccitatibus, ſi perdurent, ſuccedere neceſſario frigiditatem.
QUippe permanere ſiccitas ipſa per ſe non mutata oppoſitione, quæ ex calido & frigido conſiſtit,
non poteſt. Celerrime enim ex nutriendi defectu refrigerantur partes, propterea ſcilicet, quòd ex cali-
do ſucco ſanguinis nutriuntur. Sed, quod inter initia dictum eſt, nunc ſiccitatis curationem executi ſu-
mus, & quæ ab initio ſola eſt contracta, & quā nulla diutiſſime ſecuta eſt notabilis frigiditas. Ergo pro-
ximum fuerit frigiditatem illi populare, quæ euidentes quidem habeat notas, ceterum magna non ſit.
Eſt itaq; curationis conſilium non ſimplex, ut prius: cum non modo tibi, vt humectes, danda ſit opera,
ſed ēt ut calefacias. Quare intendendum acriter eſt ad præſidiorum materiam, necubi imprudentes, ijs,
quæ humectant, ea, quę nimium calefaciant, adiungamus: quippe his uehementer ſiccandi uis ſubeſt. Iā
uero quantitas noxæ in utraq; intemperie ad materiæ inuentionem poteſt uiam oſtendere: vt iamiam
maximæ quidem ſiccitatis ſanationē modo perſcripſimus. Modicæ uero adeo ſcrupuloſa uictus ratio-
ne non indigent: quando quidem nec uires ipſis funditus ſunt collapſæ. Etenim nulla alia de cauſa diffi
cilis redditur ualidæ ſiccitatis in corpore cōmoda curatio, q̄ q̄ refici quidē corpus poſtulat: cibus uero
per ſe coaleſcere cū eo non pōt, ſed eius, quod nutrit, operā, qua præparetur, requirit, quod eſt imbecil
lum. Ergo, cū id modice ſiccum fuerit propterea, q̄ uires non penitus conciderūt, vberius cibare licet:
nec metus eſt ullus, ne a modo aberres. Quo magis ipſi de difficillima intēperie differere inſtituimus:
ac ī ea, ueluti exēplo, ſtudioſos exercuimus. Hinc nāq; orſi ipſimet, ad mediocres ſiccitates corrigēdas

idoneam

idoneã materiã inuenient. Proponatur autem & nunc ſiccitas quidem ſimilis priori,copuleturq; ei fri E
giditas:Ergo calefacientis materię admiſcendum iam dictis tantum erit, quantum particula ad frigus
inclinauit. Proponamus igitur eam primum modice refrigeratam:Ergo ijs,quæ paulo ante retulimus,
in lactis quidem uſu mel vberius adijcietur.Vinum vero, quod quidem ad genus ſpectat idem, ceterũ
quod minus aquoſum,quàm prius,& plurimum annorũ ſit,dabimus. Quinetiã eſculenta oĩa calidiora
exhibebimus,idque non naturalibus modo ipſorum temperamentis,verumetiam recẽtibus[ex igni]
qualitatibus. Nardino præterea unguento vngendus aſſidue venter eſt ſic, vt nunquam remaneat ſic-
cus. Sin id unguentum non adſit, maſtichinum ſatis fecerit: ſed & opobalſamo eum perungas, tũ ip-
ſo per ſe,tum vero cum iam dictis miſto. Quòd ſi corpori ea magis adhęrere ſtudebis,etiã ceræ aliquid
admiſcebis.Si uero etiam aer ambiens ſit frigidus,lanam ex his imbutam impones. Quinetiam chiam
maſtichen in opobalſamo aut nardino unguento liquans,lanam inde madentem uentriculo impones.
Sane vtilius fuerit,ſi,quod madefacies,etiam optima ſit purpura,qualis eſt Tyria:†[quando & adſtrin-
gi ipſum modice,& cutis eius meatus obſtrui expedit.]Siquidem,quæ rarum habitum faciunt, & rela-
xant, ea tum digerunt ſuccos, tum particulas frigidis extrinſecus aduenientibus obnoxias reddunt.
Quæ uero valenter adſtringunt,ea ſiccant. Quo fit,vt medicamentũ, quod eiuſmodi corpora excalfa-
ciat,id nec euocantem uim habere expediat,nec adſtrictoriam multam ſibi immiſtã. Memineris enim F
velim,tum eorum,quæ in ægris es contemplatus,tum quæ in opere de medicamentis es edoctus, nem
pe acerbam qualitatem ſua quidem ipſius uirtute & refrigerare & ſiccare: quòd ſicui valide calfacien-
tium ſit admiſta,quod ex ambobus compoſitũ eſt, minus quidem in calfaciẽdi munere efficere, quàm
alterum:ſiccando vero non minus,quàm utrunque.Maxime contraria faciunt ijs,quæ pręcepimus,no
ſtri temporis medici,qui ſiccæ parti, & quæ nutrimento male fruitur, compoſitum ſæpe medicamentũ
ex calida & acerba materia imponunt.Eſt aũt eorũ,quæ ϛρυφνὰ græce dicuntur,[nos inopia commodio
ris vocabuli acerba diximus,]nullum profecto modice adſtringens,*ideoque nec modice ſiccans:quo
uidelicet magis prohibenda ea in iam dictis affectibus ſunt. At vero,ſi cum ſiccitatis intemperie multa
frigiditas ſit, ſic, vt fortius calfacere ſubigat, omnium primum intemperamenti genus ad memoriam
reuocabis,quippe quod omnium grauiſſimum eſſe oſtendimus. Quocirca ad corrigendum quoque eſ-
ſe difficillimum,multaque ſolicitudine egere,id minime eſt ignorandum.Incipere* vero ſimili modo à
comprehenſis prius materijs tentabis, ſperãs ſcilicet fore,ut longiore tempore per tutiores ſanetur af
fectus. Sunt porrò tutiores hæ,(nam repetere ea,quæ ſunt tam neceſſaria,eſt ſatius.) In nardino un-
guento ſolues maſtichen chiam quàm pinguiſſimam,ac purpura excipiens uteris. Eritque utilius, mo-
do copia eius ſit ſi opobalſamum adieceris.Dandũ præterea uberius cũ lacte mel eſt,ſed detracta prius G
ſpuma,quo & minus ſit excrementoſum,& magis nutriat. Quinetiam mel ipſum*deſpumatum, per ſe
optimum nutrimentum frigido ventriculo eſt,ita,ut calido aduerſiſſimum. Atque hæc ambo meminiſ-
ſe in primis oportet,vtique in plurimis medicis ignota. Ac neque aliquid in frigido corpore melle ma
gis expetendum, neque in calido magis reſpuendum. Ergo plurimum huic affectui pro nutrimento
mel optimum eſto,ſed quod prius ſuper prunas ex quercu viteue ad ſummum candentes,fuerit deco-
ctum, ac curioſe deſpumatum. Vinum autem eligendum ſemper eſt antiquum: eoque antiquius, quo
maior fuerit frigiditas.Tum,ſi res poſtulabit,totum genus immutandum:ac primo loco Adrianũ,mox
Tyburtinum,aliudue ſimilis generis eligendum: uetera quidem omnia,ceterum non adeo,vt amara iã
ſint.Siccant enim quæ amara ſunt, immodice.Sane optimum medicamentum talibus omnibus ſit,quo
picatores quotidie utuntur.ergo illinire eo totum uẽtrem conueniet,ac poſt auelli prius,quàm refrige
retur.Atque hoc,ſi bis vno die deinceps feceris,abunde erit,ſæpius autem non expedit: quãdo ita,per
halitum digeras,non ſanguine bono particulam impleas.At nos ex propinquis locis attrahere,non id
quod continetur,educere ſtudemus.Idem omnibus particulis,quæ ex nutrimento fructum non ſentiũt
(atrophuſas Græci vocant)mirificum medicamen eſt,ſiquis eo moderate ſciat uti.Sed & calfacere uen
triculum ita,ut in qualitate calorem eius non intendas, ſed quàm maxime naturale eius temperamen- H
tum tuearis,ac ſubſtantiam inaugeas,id ex leuiſſimis in eiuſmodi affectu conſilijs non eſt.Efficit hoc in
uictu ſimul cum ijs,quæ iam dicta ſunt,maxime uinum. Ex ijs vero,quæ uentri extrinſecus applicantur
boni habitus puellus unà ſic accubans,vt ſemper abdomen eius contingat. Sunt,qui catellos pingues
in hunc uſum habeant, neque id in aduerſa modo ualetudine, verumetiam in proſpera. tales itaque
ijs, qui propter ſiccitatem quoque ſolam imbecillum uentriculum habent, ſunt idonei. Seruandum-
que ante omnia eſt,ne puellus humecta ſit cute:qui enim noctu ſudore perfunduntur,refrigerãt potius
q̃ calefaciant.Nocent præterea tali affectui & calida fomẽta,quæ quidem ſicca ſunt,eo,quòd rorẽ ſimi
larium corporum depaſcunt:quæ humida ſunt,quòd hunc digerũt,potiſſimum ubi largius his utimur:
præterea quod nimis rarum frigoriq; opportunum corpus efficiunt. Ac de hac intemperantiarum con
iugatione hactenus ſit ſatis.

†Codices gręci impreſsi habent ut Linacer uertit. quãquam antiqui ad Tyriã referũt. ita enim habent. στύφει τε γάρ μετρίως αὐτή, ἐμπλάττει τε τοῦ δέρματος τοὺς πόρους. i. ea enim modice adſtringit, cutiſque meatus obſtruit. utraq; tamen lectio bona eſt.

*Codices impreſsi & plerique etiam manuſcripti habent, ut Linacer uertit. Sunt tamen, qui habeant ψύχον, ideſt refrigerans.

*ἀπάρξεσθαι ẽ in aliquibus codi. ut Linacer uertit. ἀπέχεσθαι. i. abſtinere eſt in impreſsis.

*ἀφεψημένον.

De curanda uentriculi ſiccitate,cui caliditas iuncta ſit, Cap. 8.

A.l.3.f.13.t.1 c.31.p.539.

AB hinc multæ,ut propoſitum eſt,ſiccitati iuncta caliditas eſto non admodum multa. In eiuſmodi
intemperie primum curationis modum ſeruabimus,ſed uini vim,melliſque copiam diminuẽtes,
non ſolum non augentes, ita, ut mel prorſus non deguſtetur, uinum uero exhibeatur, quod minime ſit
antiquum.Iam cibos apponemus† [ſub lactis tepore,] ſed ſi æſtas eſt, † [ſub aquæ fontanæ frigore.]
Sed

† Tepentes, quos medici

γαλακτώδη .i. lacteos uocare conſueuerunt. Sic legitur in exẽplaribus græcis. †quos uocant κρηναίους. i. fontanos.

A Sed & uentriculum ungemus oleo tum crudo,tum melino. Ac multo ſane magis,ſi pluſcula caliditas
ſit,ipſum uinum tum aquoſius exhibemus,tum ſub eo frigore,quod fontis aqua per medium uer exhi-
bet,illud nobis perſuadentes,eiuſmodi affectum febri proportione reſpondere. Quippe,quod illa uel
in toto animali vel in corde eſt,id propoſitus nunc affectus in uentriculo eſt.Atque ipſe ſcio me unà cũ
præceptoribus primum omnium uidiſſe hominem quendam maturæ ætatis non paucos iam menſes ue
xatum:ſed nec eorum quiſquam affectum eius intellexit,nec etiam ipſe: poſtea vero, cum iam meden-
di[eius affectus]methodum inueniſſem,uenit mihi in mentem hunc utique illum eſſe affectum, quem
olim fueram contemplatus.Melius autem eſt rem etiam exponam:quippe utilis omnino erit ijs,qui au
dierint,non ſecus,ac fuit mihi.Homo erat quadraginta annos natus:medio,dum valebat,craſſitudinis,
& gracilitatis habitu. Is ſiti uehementer affligebatur, ac calidam auerſari ſe dicebat, cum illi frigidam
nemo daret,tametſi hanc impenſe flagitabat:febricitare tamen medicis non uidebatur. & uentriculus,
quæ ſumpſerat,tribus aut quatuor horis poſt euomebat ſimul cum potione. Itaq; gracilis iam effectus
erat,ac periculo propinquus, minime uidelicet adiutus ab auſteris acerbiſque tum cibis,tum medica-
mentis.Sumebat uero & poſt cibum,auſterum uinum is homo,cum nec ultra ſitim toleraret,ac(ut aie
bat)mori mallet,quàm in cruciatu uiuere:aquam frigidam ſimul multam ſuper cibum hauriens,proti-
B nus ſitire deſtitit,paulo poſt plurimum[eius]euomuit.Ab hinc horrorem in toto corpore ſenſit,plura-
que operimenta popoſcit,cum prius omnia abijceret. tunc igitur reliquum totum diem, quo id fecit,
noctemque totam in quiete egit,cooperimentis ſe fouens. Venter uero circa mediam noctem ſemel
excreuit,quæ mediocriter erant coacta.Itaque nec ſiticuloſus præterea erat,Poſtero autem die tum co
loratior multo, tum firmior eſt effectus. Ac deliberabant iam medici,an hominem lauare expediret,
alij quidem ſuadentes,alij diſſuadentes.uicit autem ſententia eorum, qui lauare ſuaſerunt. Itaque etiã
lauatus citra offenſam eſt,ac modice cibatus.tum melius ei,quàm pridie,uenter concoxit. Queſtus aũt
eſt, quòd difficulter tranſglutiret, viſumque omnibus eſt propter uomitum,qui præter conſuetudinem
inciderat,vellicatam illi*gulam fuiſſe,ac proinde male habere. Ceterum,ut etiam ſecutis diebus ſym-
ptoma permanſit,conſtabat nobis omnibus uentriculi imbecillitatem eſſe ſanatam, gulam autem eſſe
perfrigeratam:Nec ſane mirandum erat,ſicut potione illa,quod immodice calfactum erat, ad medio-
critatem eſt reuerſum,ſic,quod mediocriter calebat, fuiſſe refrigeratum. Ceterum gulam eius nemo
potuit ſanare,ſed uitio in uitium mutato,tandem mortuus eſt. Alium uero huic ſimilem non paucis an
nis poſt uidi,cum omnem uentriculi intemperiem diſcernere iam poſſem. Viſum igitur eſt mihi ſtatim
maiore conatu refrigerandum eſſe prius,quàm homo magis extenuatus ſimile quippiam priori ex re-
C frigeratione pateretur.Tutius igitur uiſum eſt primum refrigerantia medicamenta,quæ præcordijs im
ponuntur, experiri. Quo facto,æſtus ſane uentriculi eſt remiſſus, ceterũ homo ſuſpiranti ſimiliter re-
ſpirabat, tanquam ægre totum thoracem moueret. Quin ipſe quoque interrogatus, talem quampiam
ſentire ſe offenſam fatebatur.Aduerti itaque illi tranſuerſum ſeptum refrigeratum eſſe:proindeq; abie
ctis refrigeratorijs,foui locum oleo calido. Cum autẽ reſpiratio ſtatim naturalem motus ſui ordinem
recepiſſet, à fouendo deſtiti:ſtatui autẽ hominẽ longiore ſpatio moderate refrigerare.Ergo,& quæ ex
trinſecus applicui,infra magis impoſui à ſepto umbilicum uerſus recedẽs:& cibum potionemq; omnẽ
(excepto lacte)ſub fontanæ aquę frigiditate exhibui. Atq; ita lõgiore ſpatio ſanatus eſt,nuſquã alibi
offenſus.Sciri tamẽ illud ante oĩa debebit,ubi ualide in ambabus qualitatibus immutata quæuis parti
cula eſt,omnẽ eius actionẽ perire,nec facile,quod ſic eſt affectum,ad ſuã naturã reuerti poſſe.Vbi uero
altera tãtum qualitas pluſculum immutata eſt(ueluti nunc ſiccitatem finximus)reliquarum aliqua me
diocriter ſe habet,utiq;,qui ita affectus eſt,ſanari poteſt.

*ςόμαχον græce legitur.

De caliditate uentriculi curanda,cui humiditas uel ſiccitas coniungantur. Cap. 9.

A.l.3.f.13.t.1 c.28.

PRoponamus itaque rurſus exuperare intemperiem calidam,huic autem adiunctam eſſe modo hu-
miditatem,modo ſiccitatem,ſed mediocrem utranque:ac prius humiditatem. Hanc intemperiem
D minore metu aqua frigida curabimus:quando minime ex ea lædentur uicinæ partes, quæ mediocriter
ſe habeant.Nam in ſiccis affectibus neceſſe eſt non ea modo,quæ proxima ſunt, ſed etiam totum cor-
pus gracilius reddi.Ventriculo autem ipſo nondum ſiccato,ut nunc eſt propoſitum,nec totum attenua
tum eſſe corpus poteſt:quare nec frigidæ potu lædi. Sicubi uero adeo uehemens caloris intemperies
uentriculum occupet,ut uſque ad cor ipſum perueniat,febricitare hominem neceſſe eſt. Quo minus
mirum eſt,ſi eiuſmodi intemperiem maius periculum inſequitur, ſanatio tamen genere eadem eſt. tra-
detur autem poſtea,ubi de febrium curatione diſſeretur.Qui autem cum ſiccitate coniunctus calor eſt
eadem genere remedia poſcit,ceterum non adeo ſecurus eſt refrigerantium uſus propter eas, quas re-
tuli,cauſas. Humida uero intemperies,ſiue ſola conſiſtat,ſiue cum calore frigore ue coniuncta ſit, om-
nium facillime curatur.Et,quoniam tres hæ intemperies creberrime uentriculum affligunt, ſuntq; cu-
ratu facillimæ,harum curationẽ in memoria habent, quicunq; abſque methodo,hoc eſt uia & ratione,
morbis medentur,ac ad alias eam intemperies(ut dictum eſt)transferunt, ignorantes uidelicet plures
eſſe. Sunt porrò ipſius humidæ intemperantiæ,cum ſola conſiſtit,remedia,cibi,qui citra ualentem ca-
lefactionem refrigerationemue ſiccẽt:præterea cõſuetæ potionis parcitas.Eius autẽ,quæ cum calidita
te cõiuncta eſt, adſtringentium & ciborũ & potionũ uſus. Sint autem & hi auſteri ſine calefactione.
†At eius,quæ cum frigiditate eſt coniuncta,optima pręſidia ſunt,acria oĩa:quibus admiſceri debebũt,
quæ

†Quin & frigidę potio

quæ acerba,ſed citra manifeſtum frigus ſint. Optimum eſt & his præſidium exigua potio, atque ea uini E cuiuſquam inſigniter calentis:conſtat autem id minime nouum eſſe. Ad portionem uero eorum, quæ comeſta & bibita ſunt,etiam reliqua omnia, quæ foris applicantur, adhiberi debebunt.

eis eſt ex uſu. Additur in codicib. græcis.

Epilogus curationis intemperierum ſimplicium & iunctarum. Cap. 10.

ET, quoniam de his abunde tractatum eſt,repetito rurſus ſermonis initio capita eius colligamus. Calida ergo intemperies refrigeranda eſt:frigida uero calfacienda: Similiter humida ſiccanda,& ſicca humectanda. Quòd ſi per copulationem aliquam duarum qualitatum intemperies conſiſtat, miſcenda amborum conſilia ſunt, ac, quæ humida calidaq; eſt,ſiccanda & refrigeranda: quæ uero humida & frigida, ſiccanda ac calfacienda. Ad eundem modum ſicca & frigida humectanda ac calfacienda:ſicca uero & calida humectanda & refrigeranda. Scire uero licet omnium harum peſſimam eſſe inter ſimplices ſiccam:in compoſitis ſiccam ſimul & frigidam. Atq; hoc loco finem habeant uentriculi intemperies,quas ſcilicet extrinſecus nullus alit ſuperuacuus humor.

De curanda ventriculi intemperie, cum uitioſi humores uel in eius cauitate, uel in tunicis continentur. Cap. 11.

DEinceps ad eas,quæ ex eiuſmodi quapiam occaſione fiunt,ſtilum conuertam. Sæpe igitur in ipſo ſinu uentriculi contentus humor,qui aut calfaciendi,aut perfrigerandi, aut humectandi, aut ſic- F candi,aut etiam horum aliqua per coniugationem efficiendi naturam obtinet, intemperiem creat: interim uero & in ipſas uentriculi tunicas (ut ita dicam) imbibitus ſiue impactus. Ergo prior affectus, ſi ſemel conſtiterit, per uomitum expurgatus, facile quieſcit. Sin rurſus ex alia quapiam uel alijs particulis humor confluit, diligenter diſcerni indiget. Curatio uero poſt effectricis cauſæ cognitionẽ ſtatim ſe exhibet,Dictum enim nobis eſt tum alibi,tum uero in ijs,quæ de differẽtijs febrium ſcripſimus, confluere non nunquam ex alijs in alias particulas id,quod in his redũdat: veluti ex capite ad oculos. Quo caſu oportet curata ea parte,quę tranſmittit,duntaxat firmitati proſpicere oculorũ:quo uidelicet eorum,quæ ad ſeſe confluunt,minus prompte quicquam admittant. Ita igitur & in uentriculi affectu oportet,vbi id,quod ſuperuacuum tranſmittit, inueneris, omnem huc curam conferre: de uentriculo autem tantiſper eſſe ſolicitum,ne,quæ confluant,prompte recipiat.Id quod duplici (ut arbitror)ratione fiet,una omnium fluxionum communi, quippe quæ ab adſtringentibus repercutiuntur: altera uero non minus ipſa quoq; omnium partium,quæ ad bonam habitudinem reducuntur communi,nempe ex ipſarum temperiei mediocritate. Ergo primum inſpiciendum totum corpus eſt,an excrementoſum,an plethoricon.i.nimia æqualium humorum copia redundans, fluxionem uentriculo immittat. Secundo loco,ſi id non uidetur,ſingulæ partes expendendæ. Atq; in toto quidem corpore æſtimando tum redũ G dantiæ, tum excrementorum notas & ex opere de ſanitate tuenda,& ex libro de plenitudine didiciſti. Super has tamen illa quoq; æſtimabis: primum quidem in mulieribus, an naturaliter non purgentur: mox in uiris an excretio aliqua conſueta his retenta ſit. Pleriſq; enim ora uenarum,quæ in ſede habentur,uacuare ſuperflua ſunt ſueta. Alijs profluens e naribus ſanguis,aut uomitus,aut alio quopiã* modo in certis periodis uas aliquod recluſum. Noui enim tum in ore, tum in faucibus id multis contingere.Non deſunt,quibus & per uentriculum ſanguinis expulſio certo tempore fiat,potiſſimum ijs,qui cũ uehementem exercitationem depoſuerunt,a priore tamen uictu non deſtiterunt: aut etiam artuum toto aliquo ſunt priuati:veluti etiam Hippocrates indicauit.Sunt,quibus diarrhoeæ & choleræ certis interuallis omnem corporis redundantiam educant. Ab his illud æſtimãdum, quanam uictus ratione ſit uſus,vtrum ne frequenti cruditati aut ſatietati inciderit,idq; in ocioſa uita, ac præcipue præter conſuetudinem,an contra. Illud deinde perpendendum,an aliud membrum corporis certo temporum circuitu uexari ſolitum,nunc non uexetur.Alijs enim articularis morbus,aut coxendicus, aut podagra: alijs cephalæa,aut etiam fluxio aliqua,quæ in oculos uel aures procubuit,nunc migrauit ad uentriculũ. Nõ paucis uero catarrhi & coryzæ,[id eſt deſtillationes per guttur & nares,] quæ aſſidue uexabant, conuerſæ certo tempore in uentriculi loca ſunt. His igitur omnibus conſideratis, ſi quidem ex minus mo- H mentaneis translatio facta eſt,quod ſuperfluum eſt, rurſus ad ea reuelles. Sin ex ijs, quæ maioris ſunt momenti,ambobus ſimul conſules,eum ſemper ſubmouens affectum,qui fluxionem excitet. Fiet id,ſi omnes corporis partes ad bonam habitudinem reducamus,ac omnes naturales expulſiones, fluxiles ſemper reddamus. Hæc quemadmodum efficere poſſis,in opere de ſanitate tuẽda eſt præceptum. Nec illud latet,ſi propter æqualium in toto corpore ſuccorum redundantiam uentriculus fluxione tentatur, totum corpus uacuandum eſſe: Simili modo ſi propter mali ſucci abundantiam, eam purgandam eſſe, atq; hinc ad uentriculum ueniendum.Prorſus enim cum plures iam dies delata in eum ſuperuacua ſint, aliquid uitij ex malitia eorum contraxit. Itaq; non intempeſtiue, qui ita laborat,abſinthij potione utetur. Sed nec,quæ poſtea adhibenda prouidentia ſit, quoad uentriculo priſtinum habitum recuperaris, latere arbitror. Quippe, ſi pro temperamento noxiæ fluxionis, intemperie aliquando laboret, corrigi nimirum per contraria præſidia poſtulat. Facillimum uero eſt eiuſmodi noxam corrigere, ubi paucos durauit dies. Nam,ſi* deſiderio eius,qui curaſſet,longiore ſpatio permanſit,aliquando tunicæ eius malo ſucco implentur:aliquando ipſa ſimilaris earum ſubſtãtia intemperata non leuiter effecta,ſimilis curæ indiget ei,quam prius de intemperantijs in hoc libro retulimus.Reliquum igitur eſt,ut exponamus, quemadmodũ curari ſuccus uitioſus debeat,qui in uentriculi tunicis eſt receptus. Sunt porrò ad eiuſmodi

A.l.3.f.13.t.1 c.11.p.536.d.

* τρόπον eſt in antiquis, ut Linacer uertit. τόπον eſt in impreſſis.i.loco.

* δι' ἀπορίαν.

A modi affectus idonea pharmaca genere quidem ea,quæ modice purgant ſic,ut eorum uis ſuper uentriculi & inteſtinorũ loca non aſcendat:aut,ſiquid ultra,uaſa tñ in meſenterio contingant. Speciatim uero,quæ ex aloe componuntur,ſunt aptiſſima.Etiam,ſi illa præſto non ſint,aloe ipſa per ſe.Hæc itaq; nõ elota ualentius uacuat:elota purgat quidem minus,ſed roborat uentriculum magis.expedit ergo paratam habere,quam omnes medici Picran,id eſt amaram,uocant:atq; hanc dupliciter confectam, utiq; ex aloe elota,& non elota.Admiſcentur autem huic cinnamomum,& xylobalſamum,& aſarum, & ſpica nardi,& crocus,& chia maſtiche.Sunto autem horum cuiuſq; drachmæ ſex,ſolius autẽ aloes drachmæ centum.Præſtantiſſimum hoc medicamentum eſt ad uitioſos ſuccos,qui in tunicis uentriculi habẽtur. vtiliusq; eſt eo ſicco ex aqua uti duum paruorum cochlearium menſura, ubi mediocriter ac medio quodam modo eo uti ſtudemus.nam maximus eius modus ac abſolutiſſimus eſt duorum non utiq; paruorum,ſed magnorum potio in aquæ temperatæ cyathis tribus:minimus,unius parui. Vtendum uero hoc tempore & ptiſanę cremore eſt: qui primus a balneo ſumetur. Nam medicamen ipſum ſolito purgantium medicamentorum tempore dabitur.Poſt id uero,ubi modice inambulauerit,& modice ſe mouerit,de reliqua uictus ratione nihil eſt immutandum. Sunt,qui reponunt medicamentum, excipiẽtes id deſpumato melle. Et fit quidem ita durabilius,ceterum nõ perinde, ad propoſitos hoc loco affectus B utile,cum & minus uentriculum roboret,& magis aluum deijciat. Verum quibus lenta pituita uentriculo eſt infixa, ijs prius exhibenda ſunt,quæcunq; hanc diſſecent:poſt deinde purgandum. Quòd ſi ad uomendum ſunt idonei,non inutile ſit per radiculas ex oxymelite uomere. Sin uero nec lentus humor ſit,nec craſſus,utiq; abunde ſit a ptiſanæ ſolius cremore uomuiſſe: item a mulſa. Quo caſu ſumendum utriuſuis plus eſt, quàm uel nutrimenti uel etiam deiectionis cauſa ſumeretur: idoneum uero eſt, & ſi mulſa, in qua incoctum abſinthium ſit, bibatur. Nam id quoq; tenues ſuccos, quicunque uidelicet in ipſius uentriculi ore cõtinentur, commode deorſum impellit. Sane communis eſt totus hic ſermo, qui de intemperie agit, cum ſanitatis tuendæ præceptis, ea ſcilicet ſui parte, qua de parum firmis actionibus diſputat:non enim profecto ea,qua de perditis,ac uitioſe functis agit. Quippe pars illa a ſanitatis tuendæ contemplatione plane ſeiuncta eſt. Imbecilla uero actio, prout magis minusve talis eſt,aut ad ſanitatis tuendæ,aut ad medendi tractationem pertinet: leuiter quidem impedita ad priorem:grauius ad poſteriorem. Diſcernitur utraq; ex eo, quòd a conſuetis actionibus obeundis propter noxæ magnitudinem uel deſiſtatur, uel non deſiſtatur.

A.l.3.f.13.t.1 c.24.p.633.b.

De ratione curandi,cum intemperies,humoresque in cauitate, ac in ventriculi tunicis contenti coniunguntur:ac de indicationibus,quæ curandi initium ſibi uendicant. Cap. 12.

C DIctum autem & de his eſt in opere de ſanitate tuenda:quo utiq; celerius tranſeunda eorum tractatio nunc eſt, præſertim omni methodo,qua uentris intemperies ſint curandæ,iam perſcripta, ſiue hæ *firmius ei ex mora inhæſerint,ſiue *leuius. Nec uero illud latere puto, eſſe aliquando miſtũ ex tribus iam dictis ſimplicibus in ventriculo affectum ita, vt & ipſæ ſolidæ partes intemperie laborent, & mali ſucci ita ventriculo ſint infixi,vt elui ex facili nequeant, & alij in interno eius ſinu contineantur. Poteſt nanq; interim fieri,ut primus cum ſecundo conſiſtat: poteſt & ſecundus unà cum tertio: poteſt & primus cum tertio:ſæpe etiam omnes ſimul. Pro quibus methodum,quam prius de *vulneribus tradidimus,ubi omnes affectus ſimul coniunximus,ad memoriam reuocabis:quam nunc quoq; apponere non ſit inutile. Primum nanq; in eiuſmodi complexu æſtimabis, a quo maxime diſcrimen ægro impendere uideatur. Secundo loco,quid,quæve ex his cauſæ rationem obtineant, & quæ ab ipſis efficiantur. Tertio,quæ ſanari ante alia poſſint,& quæ non poſſint:veluti de ulceribus, quæ unà cum phlegmonis conſtitere, oſtendimus. Vbi nanq; a quoquam affectuum non leue periculum inſtat,ad id,quod urget,dirigi primum curantis conſilium debet. Vbi aliud efficiens eſt,aliud,quod ab eo efficitur, ipſa cauſa ſpectanda. At,ubi curari hóc ante illud non licet, ad id,quod ordo dictat, eſt reſpiciendum. Atq; in eo quidem curationis conſilio, quod ab urgente initur, affectus magnitudo perpendenda eſt. Ea tri- D plex eſt,alia, quæ ex læſæ actionis præſtantia ſpectatur: alia, quæ ex propria affectus eſſentia: & tertia præter has,quæ ex facultate,quæ læſum corpus gubernat, æſtimatur. In eo uero conſilio, quod ex cauſæ ratione initur,animaduertendum eſt,quidnam eorum, quæ inter ſe coniuncta ſunt,augere aut gignere reliqua poſſit:quæ rurſus ab eo uel gignantur,uel incrementũ accipiant: In eo uero,quod ordo præſcribit,quid ante quod,uel quid cum quo, uel quid poſt quid, ſanari poſſit. Fingatur igitur in uentriculum defluere ex cerebro ſuperfluum quendam humorem frigidum, atq; eius occaſione intemperiem quandam in uentriculo cõtractam iam eſſe: adhuc uero etiam magis malum iam ſuccum per totũ eius corpus media omnia ſimilarium particularium ſpatia occupaſſe: In eiuſmodi cõplicatis dignatione maior eſt intemperies,propterea uidelicet,ꝙ & ipſa* temperies:propriæ uero eſſentiæ ratione, quodcunque utiq; tale fuerit,circa propoſitum in ſermone ægrum. Ac ponatur ad præſens maximus trium affectus eſſe ſuccorum,qui in tunicis uentris continentur.Eſto(ſi libet) ut idem quoq; affectus morſus ſenſum faciat,atq; ex eo ipſo animi defectũ & ſudores quoſdã cum ſyncoptica diſſolutione accerſat,ita uidelicet,ut,quatenus ſupra uires eſt,reliqs ſit maior.Conſtat igit̃ primã eſſe adhibendã curã, ut ei,qđ uires reſoluit,occurratur.Deinde,qm̃ oĩum maximum propriæ eſſentiæ ratione hoc finximus,utiq; ad id primũ te uerteris,ac primũ id ſanes. Vbi id mediocriter ſe habuerit,ac neq; uires amplius labent, neq; plurimũ uitioſi ſucci in uẽtriculo ſit,tum nimirũ ad cauſam accedes,illud pro cõperto habens, nõ poſſe ad

* καθ' ἕξιν
* κατὰ σχέσιν

*vlceribus.

A.l.1.f.3.d.2. c.12.p.122.f.

A.l.3.f.13.t.1 c.11.p.537.C

* εὐκρασία.

ad perfectionem ullum affectum ſanari,manente adhuc ipſa,unde natus eſt,cauſa.Ordo autem curatio E
nis,modo contraria inter ſe remedia,ſicut in phlegmone & vlcere,indicat:(oſtenſum nanque eſt,quæ phlegmonen ſanant, ea maius reddere ulcus)modo alteri affectui nihil nocet, ſicut in propoſito nunc caſu.Qui enim educit humorem,qui in ſinu ventriculi continetur,is humorum,qui in tunicis continentur,alimentum adimit.æque & qui cerebrum ita ſanat,nequam ſenſibilem redundantiam creet,is uelu ti fontem fluxionis in uentriculum deſtruit. In his ergo ordo curationis cum ordine cauſarum conſentit,quanquam in alijs diſſentit.Ceterum,quod ex magnitudine ſpectatur,id diſtingui,prout dictum eſt debebit.Ac primum quidem id agẽdum eſt,ut ei,quod maximum eſt,propriam medicamentorū materiem accommodes:deinde pro cauſarum ordine totum cures. Etenim,cum neq; copia notabilis excrementorum in uentriculo ſit,nec eorum,quæ in capacitate eius continentur,nec eorum, quæ in tunicis, ſed neque mordicatio,quæ uiribus officiat,tum omnium primum ſanandum ipſum cerebrum eſt. Ab hoc ſinus ipſe ventriculi vacuandus extergenduſque eſt:poſtea ipſæ tunicæ expurgandæ:poſtremo intemperiei eſt medendum.Dicta uero prius ſunt cuiuſque horum medicamenta. Itaq; nec prolixus habendus adhuc ſermo eſt,ſed finis iam libro imponendus. Omnium enim reliquarum partium intemperies ſimiliter ijs,quas in uentriculo propoſuimus,ſanabūtur. Semper enim comparandum remediū eſt, quod ſit affectui contrarium:ac illi remediorū indicatio, quæ à laborantis natura ſumitur, adijcienda: F
de qua dictum in ſuperioribus iam eſt,dicetur tamen in ſequẽtibus uberius.Neceſſum uero erit & nũc paucis de ea mentionem facere.

Methodus indicationum,quæ à læſæ partis natura deſumuntur. Cap. 13.

A.l.1.f.4.d.1. c.1.p. 133.B.

PRima quidem indicatio à laborantis loci temperie ſumitur,quæ calfaciendi,refrigerandi,ſiccandi, uel humectandi,uel aliquid horum coniuncte cum alio faciendi,menſuram præſcribit.Secunda ex eo ſumitur,quod actio eius omnibus animalis partibus ſit communis, aut quòd communem uirtutem ſubminiſtret.Tertia, ab ipſa partis figura. Quarta,ab ipſius poſitura:Cuius portio eſt ad vicinas animalis partes ſocietas.Tum præter hæc omnia,ipſa ſentiendi vel acrimonia,uel hebetudo. Ac dicetur quidem in ſequentibus de ſingulis horum latius.nunc paucis ea tranſcurramus.Quæcunque calidiores natura partes ex frigore laborant,hæ & liberalius & diutius calfieri poſtulāt:ſicuti etiam,quæ frigidiores natura ſunt,ſi ex calore laborent,refrigerari:& ſicciores,ſi ex humiditate male habeant,ſiccari: Ad eundem uero modum & humectari,quæ humidiora naturaliter ſunt,vbi ex ſiccitate laborant,tum uberius tum diutius poſtulant.Quippe eatenũs redeat ad naturam eorum quodque,neceſſe eſt, quatenus à natura receſſit,ac ueluti quadā uia, retroferatur, quæ in diuerſum agat ei,quæ facta in ipſo eſt, tranſmutationi.Contra uero pars,quæ calidior natura eſt,ſi calido morbo ægrotat,exigua† [breuisve temporis] G
refrigeratione eget:ſicut,quæ frigidior eſt,calfactione. Ad quem modum in humidis quoque & ſiccis ſe habet.Siquidem paruus eſt in eiuſmodi in id,quod præter naturam eſt,lapſus: quare & rurſus in id, quod ſecundum naturam, reditus. Vnde etiam minus periclitantur, quicunque cognato naturæ ſuæ morbo laborant. Non latet uero,& quòd,ſicubi coniugatæ intemperies inciderunt,eatenus hæ reduci ad naturam poſtulant,quatenus à natura receſſerunt. Atque ita quidem a temperamento laborantis partis, auxiliorum indicatio ſumit. Ab eo uero quod actio eius omnibus animalis partibus utilis ſit, aut paucis quibuſdam,aut uni ſibi, in ijs intemperiei generibus, quæ abſque humore infeſtant, utique nihil ex hac indicatione ſumitur.Nam & refrigerari,& calefieri, & ſiccari,& humectari,& per coniugationem quiduis horum pati ſingulæ particulæ pro morbi portione requirunt. In ijs tamen, quæ ex humoribus ſunt ortæ,ſi particula ſoli ſibi inſeruiat,audacter uacues licet, prout affectus ſuadebit, ſed tamen etiam uirtuti attentus:Sin neceſſarium opus eius ſit omnibus animalis partibus,veluti uentriculi, & iecinoris,non leuis habenda ſolicitudo de robore uirtutis eſt,ne hanc magna ſemel vacuatione uſus diſſoluas.Eſt porrò commune opus,& uenarum,& arteriarum,& cordis,& thoracis,& renum,& utriuſque veſicæ,tum eius,quæ lotium excipit,tum eius,quæ bilem,cum uaſis etiam, quæ ab utraque procedunt.Cerebri uero opus,cum ſani ſumus,ad uoluntarias actiones neceſſarium eſt ijs ſcilicet inſtrumen H
tis,quibus eiuſmodi actiones obimus.Cum ægri ſumus,neceſſarium non eſt,niſi ijs tantum, quæ ad reſpiratum ſunt deputata.Reliquorum uero organorum actio certe non eſt:miniſterium tamẽ eſt ad uitā neceſſarium, ueluti pulmonis, & aſperæ arteriæ, & * faucium. Ergo ex eiuſmodi particulis quamprimum vacuare redundantiam licet, prout uolueris.Ex uentriculo uero, & iecinore utcunque uacuare non licet,ſed cum cautione,ut nequid uirtuti officias. Quoniam autem non par eſt actionum dignitas ad ægros ſeruandos,ſed aliæ magis his,aliæ minus utiles ſunt, utique ad portionem actionum dignitatis etiam cuiuſque partis proſpiciendum eſt robori.Maxima igitur eſt cordis officij dignitas, atque ægrotantibus maxime omnium neceſſaria. Cerebri uero ad uitam quidem par eſt momentum,non tamen par robur eius in ægrotis requirimus,cum neceſſe omnibus non ſit neruorum ac muſculorū opera uti.Itaque abunde fuerit,ſi tantum eius ſeruatum ſit,quo reſpirationis munus ſit obeundum. At uero iecinoris opus omnibus particulis perneceſſarium eſt: non tamen adeo ſaltem perpetuam neceſſitatem habet,ſicuti ipſius cordis.Ad portionem autem iecinoris,etiam uentriculi opus ſe habet. intelligens ergo omnium particularum tum functiones, tum uſus, quos in alijs commentarijs tradidimus, haud difficulter inuenies,quatenus cuiuſque robur cuſtodiri oporteat.Ad eundem uero modū, & quæcunque partes alijs auctores facultatum ſunt, harum quoque robur ſeruare decet pro facultatis earū uſus

Auic.ibidem.

† καὶ ὀλιγοχρονίου ẽ in antiquis.i.breuiſque tẽporis.

A.ibidem.

* φάρυγγος

A.l.1.f.1.d.5. c.1.p.18.D.

A uſus portione: quo uidelicet animalis partibus ſubminiſtrent. Sane de his particulis illud, arbitror, didiciſti, cerebrum neruis ac muſculis, cor arterijs, iecur uenis ſuppeditare uirtutem. A figura uero indicatio ipſius modi uacuandi excrementi ſuggeritur, ad hunc modum: Ventriculus uomitu deiectioneque inanitur. Inteſtina deiectione tantum, ſicuti etiam iecinoris caua. Renes uero, & ueſica, ac iecinoris gibba, ſi multo uitioſo ſucco ſunt referta, † [per deiectiones, & pharmaca deiectoria (Catoterica Græci vocant)] expurgantur:ſin mediocri, per urinales meatus: Cerebrum uero per palatum, & nares, & aures: Pectus & pulmones per aſperam arteriam, & fauces. A ſitu indicatio dabitur tum ad ſolidarum intemperies, tum autem ad ſuccorum uitium ſane non leuis. Nā, qui per ſumma corporis intemperie laborant, ijs medicamenta, quæ intemperies requirit, applicabimus. Quibus autem in profundo corpore intemperies eſt, in ijs rationem interualli inibimus. Si enim medicamentis ijs utere, quæ intemperies requirit, utiq; multo imbecilliora, quàm pro uſu tuo, ad locum affectum peruenient. Iam ad uacuationes quoq; non nihil ſitus indicat, dum ſocietatem laborantis particulæ cum alijs docet. Nam, niſi illud compertum haberemus, quòd cauo iecinoris ſubijcitur uentriculus,& ieiunum:tum quod ieiuno ipſi tenue inteſtinum ſuccedit: id uero colon excipit: ac colon, quod appellant rectum,utiq; inueniſſe illud non licuiſſet, quòd iecur & per aluum, & per uomitum expurga
B ri poſſit. Ceterum aptior ſit prior uacuatio, tanquam uſu iam callentibus inteſtinis iecinoris ſuperflua tolerare. Non ſpernenda uero indicatio eſt & ea,quam ſenſus partium acuitas hebetudoq; ſuppeditant: quando omne medicamen contemnunt,quæ tardi ſunt ſenſus, etiam ſi non leuiter mordeat. At, quæ acuti ſunt ſenſus,eorum uires dolore reſoluuntur.Expedit igitur,has nec confertim, nec ſemel ualentibus auxilijs mederi tentes, ſed tuto potius in tempore. At, ubi tardus eſt ſenſus, in his etiam celeriter obire, quod iuſtum eſt,licet,ſemel uſis remedio,quod ſit idoneum. Verum, quod ſupra dixi † [de horum indicatione,] latius diſceptabitur in ſequentibus,idq; eo præcipue loco, quo de tumorum præter naturam curatione agemus.

A.l.1.f.4.e.1. p.133.b

† διὰ τῶν ὑπηλάτων τε καὶ κατωτερικῶν ὀνομαζομένων φαρμάκων. i. per medicamenta deiectoria, q̃ græce hypelataq; & catoterica nominantur.

A. ibidem.

A.ibidem.

† Al. ex antiquis. ὑπὲρ τῆς ἀπὸ τῶν τόπων ἐνδείξεως.i.de indicatione, quæ a locis ſumitur.

GALENI METHODI MEDENDI, ID EST DE MORBIS CVRANDIS, LIBER OCTAVVS.

ARGVMENTVM LIBRI.

Abſoluit uniuerſam curandi rationem, quæ Diarijs febribus debet adhiberi.

De communibus differentijs atque indicationibus febrium curandarum. Cap. I.

QVEMADMODVM uero febres quoq; non ſecus,quàm alij morbi,qui ex intẽperie in nobis conſiſtunt, quosq; in præcedenti libro narraui,methodo curentur,tempeſtiuum nunc dicere uidetur. Quòd igitur, Eugeniane chariſſime, ſimplicium ac primarum partium (quas Ariſtoteles ſimilares uocat) natura ex calido, frigido, humido, & ſicco inter ſe miſtis conſtet, uno uolumine oſtendimus, in quo de elementis ſecūdum Hippocratem diſputauimus. Quòd uero ex eo,quòd hæc calidior ſit,illa frigidior, uel humidior, uel ſiccior,uel ſimul horum aliquibus copulatis affecta, ſimplices ac primæ particulæ inter ſe differant, id in libro de temperamentis eſt aſſertum.At in libro, quo de morborum differentijs agitur,
D duo in uniuerſum eſſe morborum genera,quæ in ſimplicibus animalis particulis oriantur, docuimus: Alterum,quod etiam ſecundis,& compoſitis, & inſtrumentalibus ſit commune (uocauimus autem id unitionis ſolutionem): Alterum ipſarum peculiare,quod in calidi, frigidi, humidi, & ſicci intemperie conſiſtat:Eſſe autem ex intemperantijs ipſis,quæ quidẽ in una ſunt contrarietate,ſimplices:quæ in ambabus,compoſitas.In ea itaq;,quæ eſt inter calidum & frigidum,oppoſitione duas eſſe ſimplices intemperies:Alterā,vbi quicquā tanto efficitur,q̃ ante erat,calidius,vt eius lædatur actio:Alterā,ubi pari modo inualuit frigidum:In ea uero oppoſitione,quæ eſt inter humidum & ſiccum, alteras etiam geminas, nempe humidam,& ſiccam: Copulatis uero inuicem ſimplicibus, alias exiſtere quatuor, humidam & frigidam, humidam & calidam, ſiccam & frigidam, ſiccam & calidam. Traditæ uero ſunt & cauſæ,quæ has intemperies generent,in alio libro,in quo morborum cauſas reddidimus.Sane unus quiſpiam morborum eſt, qui per intemperiem fiunt, & febris, utique cum adeo immodice auctus calor eſt, ut & hominem offendat, & actionem lædat:quando,ſi neutrū adhuc efficiat,quantumuis ſit homo nunc,quàm ante, calidior,non tamen febricitare eum monſtrauimus. Quoniam autem, quicquid præter naturam in nobis oritur,ſiue ſpeciale nomen ſortitum ſit,ſiue generale, id extra corpus non eſt, ſed tum phlegmone,tum pleuritis,tum morbus,tria ſimul in uno conſiſtunt corpore,uerbi gratia,Dionis: indicat autem & horum quodq; propriam indicationem æque profecto,ut eius,quod maxime omnium ſpeciale eſt, ipſe

est,ipse differētiæ:ob hæc utilius uisum est seorsum de febrium differētijs tractare, quo omnibus prius E præparatis sermo nobis hoc loco citra omnem eorum,qui parum recte de ijs scripserunt,refutationem absolueretur. Reuocemus igitur ad memoriam discriminis earum capita,quo propriam ex unaquaque indicationem sumamus. Est igitur una earum differentia illa,in qua causa adhuc adest febrim creans: aut febri excitata iam desiit. Altera vero,qua uel(ut Græci loquuntur)hectica febris est, quæ iam facta est:uel etiam(vt aliquis eorundem dixerit)schetica. Nam,quoniam eos affectus,qui facile discutiūtur, δυσχέρει græce vocant:qui tales nō sunt, ἐν ἕξει:cōcedendum est,dilucidioris doctrinæ causa,etiam febriū ipsarum eas,quæ ægre discutiuntur,hecticas: quæ facile, scheticas nominari. Dicendumque febrium alias facile solubili affectu esse,perinde ut calfactum in Sole lignū: Alias difficile solubili, ueluti quod igni eatenus excalfactum est,ut iam accendatur,& fumum edat. Hæ sunt primæ febrium differentiæ. Quas ubi cum summis primum indicationibus iunxerimus, mox ad magis illis speciales ueniemus. Prima enim omnis febris indicatio,ueluti a morbo,est,ablationem eius præscribens: Secūda uero ceu abs tali est morbo,quæ non absolute sublationem,vt prior: sed certam quandam sublationem indicat. Nam, cum febricitantes ex intemperie laborant, necesse est sanationem quoq; eorum intemperantiæ depulsionem esse. Omnis autem excessus per contrarium excessum sanatur. Etenim id quoq; ante est ostensum. Quare febrilis quoq; intemperantię excessus per contrariū excessum sanabitur. Est autem fe F brilis intemperantiæ excessus in caloris abundantia. Huic ergo ad*temperamentū via erit per id,quod refrigeret. Itaque,si iam*præsens febris est,sed causa,quæ eam excitauit,iam desijt,huc tantū sanandæ eius consilium dirigetur,ut refrigeretur. Quare quærenda nobis talis materia est, quæ cum redundāte calore paria refrigerādo faciat. At,si in generatiōe adhuc febris est,cā,quæ eā accendit,submouēda est. Sin pars eius iam genita est,pars in gignendo adhuc est,utriq; consulendum est: Primum quidē submouēdo,quæ eā accēdit,causam:deinde extinguēdo,quæ ab hac accensa est,febrē. Ergo,nisi quis ad unguem memoria teneat,& quæ causæ febres generent,& in quo cuiusque corporis affectu, is nunquam methodo febri prospiciet.

*eucrasian. *γεγονὼς.i. genita.

De ratione curandi febrem diariam ex meatuum constipatione in calidis & siccis naturis,ac aduersus eos, qui hac febre correptos tridui inedia excruciabant. Cap. 2.

DIctum nanque est in ijs corporibus meatuum constipationem febrem excitare, in quibus, quod transpirat,halituosum non est(Atmodes Græci dicunt)cuiusmodi uisitur in ijs, qui boni sunt succi,sed mordax & acre,fumo fuliginive non absimile. His igitur corporibus saluberrima est ex aqua dulci & temperata lauatio,tum frictio, quæ rarefaciat, & exercitationes mediocres,& uictus, qui dulces efficiat succos: Aduersissima vero sunt lauatio frigida,& aluminosa,& lauationis abstinentia,& exerci- G tatio acuta,& frictio uel plane nulla,uel dura,& uictus mali succi, & uigiliæ, & ira, & tristitia, & cura, ustioque in Sole,& fatigatio. Verum de reliquis post dicam. De stipatione vero meatuum,unde digressus sermo est,liquido scire licet solam eam,si reliqua omnia desint,accendere febrem posse. Si itaq; eiusmodi naturas a conuenientibus sibi lauationibus prohibeas,protinus febricitant. Vidisti autem profecto,quo tempore Romæ nobiscum egisti,aliquos ita laborare. In quibus,qui mirificam diatriton transmittere eos in cibi inedia censent,ipsi difficillimas*febres faciunt;quando protinus in primæ accessionis inclinatione, in balneum eos ducere oportebat, ibique sinere crebro,si uellent, nedum semel, aut bis,lauare. Ego nanque reliquis omnibus omissis,eum tibi in memoriam reuocabo,qui in aquis aluminosis(quæ Albula uocant)lauerat,ac ex eo cute densata, post cœperat febricitare. Quippe satisfaciet is pro claritate sermonis nostri, ueluti exemplum. Sane hominem inuisebant medici quidam non incelebres,alter Erasistratius,alter Methodicus. Visum autem est ambobus hominem a cibo continere. Quod tamen nos,cum post illos digressos superuenimus,non permisimus, sed statim in balneum perductum,& tepenti oleo largissime perfusum tum blandissime perfrictum,quàm plurimum temporis in calidi solij aqua uersari iussimus. Mox egresso,ac frigida ex consuetudine uso, tum sindone cooperto, considere paululum ad uires recreandas præcepimus. Postea denuo in balneum perducto,ac rursus si- H militer tum uncto,tum perfricto,ac in calida morari iusso,dein rursum educto ac frigida merso detersoque exhibuimus cibum protinus quidem,ut egressus est,atque aquam bibit, ptisanæ cremorem, dein paruo interuallo lactucā,ac post hāc ex simplici albo iure pisciū aliq̄d eorū,qui molli sunt carne: cuiusmodi saxatiles sunt omnes,& aselli,quos uocant. Porrò non alienum sit,quo nihil narrationi desit,omnia recensere. Tempus anni erat,quo hæc agebantur,paululum post caniculares,quos uocant,dies. Homo ipse circiter quinque & triginta annorum.colore nigello,& habitu corporis gracili,atque hirto,tū qui tangentibus,etiam cum ualeret,manifeste calorem exhiberet mordentem. Vrinas quoque habebat abunde flauas,ac,si plusculum cibo abstineret,etiam mordentes. Aluus assidue sicca erat.tum,quę excernebat,exigua acriaque & sicca. Mores animi ad iram & cogitationem propensi. Ipse pauci omnino somni, & qui perpetuo de uigilijs quereretur. Hic quodam loco,quo negociorum gratia concesserat,Albulis(quæ haud longe aberant)est usus septima(ut aiebat)diei hora,ac ter quaterque se lauit,salubriter sibi consuluisse ratus. Hinc quoque, ubi rursus in agrum se recepisset, ac cibum sumpsisset, & paululum indormisset,uenit ad urbem sero uespere,ubi destitutus idoneo balneo,nocte febricitauit. Cum autem tertia fere diei hora contemplati eum medici essent,iusserunt nō eum modo diem, uerum etiam posterum totum per inediam transigere,quo tertiæ diei noctem obseruarent. Atque his dictis abierunt,

* κακοηθεστάτους.

A abierunt. Nos tū lauato, tū,ut prædictum est,cibato ministris præcepimus, si medici uesperi uenirent, quiescere hoīem dicerent: eosq; statim remitterent,ac postridie mane redire iuberēt. Vt uero abierūt, rursus hominem simili modo lauatum,ac cibatum,ijs ipsis,quæ egimus,dormire probe fecimus. Accedentes autem mane postridie medici,censuerunt etiam eo die cibo illi abstinendum,etiam si quam maxime sine febri prorsus esset. Illo uero promittente se facturum,quod iuberent,scis,quantus illis digressis risus sit excitatus: quem nos paulo post superuenientes deprehendimus. Non fugit uero, nec quomodo cum laborante ipso sit actum. Nam, quoniam (inquam) cum ualeres, bis lauare solebas,ac medici cibum tibi omnino circuncidunt, nec illis iure in totum obsequendum esse, & aliquid eorum,qui bus per sanitatem es usus, immutandum arbitror. Eo uero putante me sibi suadere,ut lauaret quidem, sed non bis: tum paratum se affirmante, quicquid iusserim, exequi, ergo (inquam) neq; inediam tolerabis, neque lauabis bis. siquidem & laborasse mihi uideris iam triduo, & calfactus uehementius a Sole fuisse. Propter igitur laborem (inquam)& ustionem,unam te adiicere lauationem ad duas oportet; ac ter mihi audientem lauari, quoniam id mihi facturum te pollicitus es. Ille subridens, dura (inquit) imperas. Ceterum, quoniam stare pactis est iustum, faciam, quæ iubes. Quæ uero medici post hæc egere, nosti plane, quanto erant digna risu. Bis iam lauatus fuerat, pransusq; dormierat, cum circa occa- B sum Solis ministrorum quispiam adesse medicos nunciat. Hic uero febricitare se simulat:ac ueste circūdatus * inuolutusq;, quo minus bibisse uinum ab ipsis deprehenderetur,amico cuidam mandat,medicis, siquid percontentur, pro se respondeat. Erant autem de more, ubi inuolutum curiose hominem etiam cum capite uiderent, primum illud solenne ipsi rogaturi, quota hora accessio inuasisset. Cum autem amicus respondisset ferme ne unam quidem integram, ex quo cœpisset, intercessisse horam,cū horrore ne, an frigore cœpisset, rogant. Eo cum horrore respondente, tangunt hominem iam corpore propter risum, & operimentum madentem. Itaque, ubi hominem laudassent, quòd sibi obtemperasset, nec quicquam ante tertiæ diei accessionem deliquisset, ob id ipsum (inquiunt) nunc te deseruit horror, estque sudoris indicium, ac multa humiditas circa cutem: quæ haudquaquam euenissent, nisi inediam tolerasses, & triduum transmisisses. Iussis igitur propinquis, siquæ guttulæ illi manarent, diligenter detergerent,ne frigore afficeretur, tum mane se redituros præfati discedunt,ne tum quidē post sudores iusso homine nutriri. Visæ nanque sunt illis noctes eo tempore breues, utiliusq; esse postridie mane nutrire. Digressis igitur ipsis, perfusus sudore iuuenis, ita, ut inuolutus uestibus fuerat, in balneum cucurrit, ac tertio lauit: & similiter est cibatus. Postridie prius, quàm aduentarent medici, egressus domo dedita opera est, ne se deprehenderent. Itaque, cum paulo post uenirent, & egressum C intelligerent, mirati inter se sunt, quid tandem hominem egredi subegisset iam bidui passum inediam. Ergo, si hoc uno male ab eiusmodi medicis ægri afficerentur, quòd pluribus diebus in cubilibus detinerentur, cum liceret sine intempestiua hac inedia multo citius ad consueta uitæ munia redire, esset profecto uel id pergraue: Verum longe grauius est, quod accidit. Cum enim memoratæ naturæ, ubi sub tali uictu reguntur, grauissimis occupentur febribus, qui hunc iniungunt medici, nihil mihi a carnificibus differre uidentur. Non enim ueluti qui humidi, ac boni succi sunt,ubi in febri diaria transmittere mirificam diatriton coguntur, unum id tantum patiuntur incommodum, quòd frustra cruciantur, sic etiam naturæ iam comprehensæ:immo ex longiore inedia acerrimis * acutissimisq; corripiuntur febribus: a quibus promptus est in hecticas transitus: atq; ab his rursus in torridum marasmum: aut, si os uentriculi facile iniurijs patet, † [in eum,qui Syncopem,id est animi defectum, infert.] Audisti enim subinde non nullis talium medicorum dicentem me,licere ipsis euidenter intelligere, quātum mali committant,dum eiusmodi naturas in inedia custodiunt, si uelint, dum sani omnino sunt, biduū eos inediam iubere tolerare. Cernent.n.ilico febricitantes, idq; ob nullum profecto aliud, quàm famem. Siquidem,cui nec suberat prius quicquam in corpore,quo grauaretur,nec quicquam illi interim accesserit extrinsecus noui,is plane ex inedia febricitauit. Quando enim(ut dictum est) non unus,alterve sic D intemperatorum,sed plane omnes,ubi inediam tolerarunt,& balnei solio abstinuerunt,febri corripiūtur,ne uel leuis quidem amplius relinqui nobis suspicio potest, quasi ob aliud quippiam & non inediā febricitarint. Quibus nanq; in corporis temperatura siccum præualet humido, & calidum frigido, his corporis habitus gracilis, hirsutus, & nigrior est,ac reliquis † [tribus intemperamentis,quæ hoc sunt minus calida,] tactu calidior aduertitur: plurima quoq; his flaua est bilis, urinæq;, ac deiectio bili satura, & pulsus magni, & somni leues & pauci, & [* animi impetus] uehemens. Ergo recte horum Hippocrates tum generalem uictus formulam, cuiusmodi esse conueniat, tum,quot ac qualia symptomata in eiusmodi homines incidant, non solum ubi totum diem in cibi inedia transegerint, uerumetiam ubi altero cibo,qui pro prandio datur,abstinuerint, prodidit. Quippe in sexto de populatim grassantibus morbis ita inquit:In calida natura refrigeratio,aquæ potio,quies. In libro autem de acutorum uictu,quem aliqui† [Gnidijs sententijs adscribunt,]cum de ijs disputat,qui solitum prandium dimittunt, etiam huius naturæ hominum meminit,Picrocholus eos græce, quasi amaræ bilis homines, ab redundante.f.succo nominans. Habent uero eius uerba se ad hunc modum:Sed &,qui bis die comedere consueuerunt,ij,si non prandent,ægrotant:tum imbecilli & infirmi fiunt,ac timidi ad quoduis opus.præter ea cordis dolorem sentiunt. Siquidē suspensa illis uiscera uidentur,& calidum,pallidumq; mingunt, & deiectio uritur. Sunt præterea,quibus os[*uentris]amaricat,oculi cauant,t pa*saliunt,& extremæ par-

* εἴσω τε στραφείς.

*Al. ξηροτάτοις.i. siccissimis.
† εἰς τὸν συγκοπώδη.i.in syncoposum.syncoposus autē marasmus nō infert syncopā: immo fit, ubi,qui iā syncopa fuerint correpti, uehementiā quidem periculi euitarint,reliqum tamē ipsis fuerit aliquid syncoposæ affectionis.
† Nō est in antiquis.
* θυμός.
† πρὸς τὰς κνιδίας γνώμας ἐπιγράφουσι.i. aduersus Cnidias sentētias inscribunt.
* ventris, nec in Græco est

tes frigent. Hæc ubi prædixit, mox alia quædam tum de cœna, tum de nocte, ad finem ſermonis ait huiuſmodi notæ homines (quos Picrocholus uocant) tum unicum in die uictum, tum inediam, quàm alios homines, difficilius ferre, unam nimirum in eo libro exponens partem eorum, quæ in ſexto Epidemion monuit in uniuerſum: nempe quod ad uictum ſpectat. Nam refrigeratio, quam calidis natu ris ſuaſit, efficitur cum ex alijs quibuſdam, tum non minime ex cibi exhibitione. Qui nanq; originalem temperaturam parum moderatam habent, horum inſitum calorem, ſi ſqualens acerq; eſt, cibi mitiorem minusq; mordentem reddunt. Sane illud non latet, & boni ſucci, & exquiſita debere eſſe, quæ his exhibeantur, nutrimenta: non tamen ea, quæ boni ſucci propterea, quòd exiguum huiuſmodi ſubſtantiæ in ſe habent, nominentur, ac nutrire nequeant, immo quòd utile plurimum in ſe cõtineant. Sunt nanq; & maluæ, & braſſicæ, & betæ, & lactucæ, & deniq; omnia olera, & * fructus, nutrimenta, cum ſubſtantia in his habilis ad alendum contineatur. Verum, ſicut in his exiguum eſt, quod nutrit, non exiguum, quod eſt inutile, ita in pane puro, & ouis, & carne, & alica, plurimum eſt, quod nutrit, minimum, quod eſt inutile. Quòd ſi id inutile, quod admiſtum utili eſt, præterquam quòd non nutrit, etiam acrem, aut * acutam, aut acerbam, aut amaram, aut denique uitioſam quampiam qualitatem habet, non modo non proprie nutrimenta ſunt, ſed etiam medicamentoſæ facultatis nõ parum in ſe habent. Expedit igitur tales homines illis nutrire cibis, quicunq; nec medicamentoſam ullã ſenſu perceptibilem uim habeant, ſed nec ipſum, quod nutrit, plurimum: quando hoc quoq;, ſi exuperat uitio non caret. Principio nanque nec, quæ in uentriculo eorum agitur, concoctio eſt exacta, nec, ſi uẽtriculus ea ſuperet, quæ in uenis obitur, eſt abſoluta. Quòd ſi hîc quoq; haud magnus ſit error, ſaltem tertiam (quæ ſingulis partium propria eſt) difficile fuerit in omnibus illis rite perfici. Conueniet profecto huic, & ut frigidum humidumq; quodam modo ei nutrimentum exhibeas, ubi corpus tum calidius, tum ſiccius ſolito eſt redditum. Quare commodiſſimus huic eſt ptiſanæ cremor ad unguem coctus, in quo nullum ſit ſuperfluum condimentum: utpote qui & refrigerare, & humectare, ac ſine ſiti ſeruare hominem poteſt: cum eo, quòd nec halituoſum, nec humidum, nec ſiccum detinet excremẽtum. Voco halituoſa, quæcunq; per cutim foris effluere ſunt apta: Humida, quæ per ueſicam: Sicca quæ per aluum. Quippe a uincenti in ſingulis eorum ſubſtantia, nomina ipſis impoſui. Quòd autem nullum horum retinebit ptiſanæ cremor, manifeſtum eſt. Quæ enim per aluum excrementorum deiectiones ſunt, eas adſtringentia retinere ſolent: Quæ per urinas, & uniuerſam exeunt cutim, hæc detinent ea, quæ exiguis meatibus inhærent: Emplattomena uocant: præterea, quæ ualenter adſtringunt, ea Stryphna Græci uocant. Ptiſana uero nec exiguos cutis meatus obturandi, nec adſtringendi uim habet ullam. Ac, quòd non adſtringat quidem, uel guſtus ipſe docet, cuius unus eſt proprium, qđ adſtringendi uim habeat, diſcernere. Quòd uero nec cutis meatibus [lentitia craſſitudineve ſua] inhæreat, id ratiocinari ex alijs eius effectibus eſt promptum. Nam, ſiue ſordidum corpus extrinſecus ptiſana defrices, utique, ſicut aphronitrum, & mel, deterget: Siue ex uentriculo per uomitum educere mediocrem pituitam uelis, nihilo minus mulſa utilem ptiſanæ cremorem experieris. Additũ tamen in dictionem eſt mediocrem quoniam, ſi multa & uehementer glutinoſa, & craſſa pituita ſit, hanc radicula ex oxymelite, non mulſa, aut ptiſana detergere eſt habilis. Eſt ſane & mulſa ad omnes ante dictas expulſiones idonea, uerum nec ſitim reſtinguit, ut ptiſana, & in amara bili abundantibus naturis facile uertitur in bilem. Optimum igitur (ut prædiximus) in eiuſmodi temperamentis nutrimentum eſt ptiſana: Proximum ab hoc alica, cui paululum aceti † ſit adiectum: Tertium, quæ ſine aceto liquida eſt, non craſſa: qualem non nulli præparant aſſimilem pulti. Inieciſſe uero huic, dum coquitur, aliquid porri ſatius eſt. Nam, q̃ tum anethi, tum ſalis aliquid neceſſario habebit, neminem latet. Quinetiam in furno coctus panis utilis eſt cibus: ſicut ẽt e piſcibus ſaxatiles oẽs: Nec ipſis minus aſelli, niſi ſi prope lacum, aut magnum flumen, quod in mare decidat, depaſti, humidam magis glutinoſamq; habeant carnem: Proxime aſellos ſunt ſolea & torpedo, itemq; lupus, & mulus, poſt mugil e pelago. Omnis autem piſcis deterior eſt, qui prope lacum, qui mari coniungitur, aut magni fluminis oſtium paſcit. Ex uolatilibus aũt optimi ſunt perdices, ac mõtani oẽs * paſſeres: Ab his gallinacei, & phaſiani, & [* iuuenes] colũbæ. Sed nec hæ tĩ intus claudẽdæ, cũ excremẽtoſa ſint oĩa, quæ exercitatione carent. Excremẽtoſa uero non minus ſunt, tum lacuſtria, tum paluſtria oĩa. Quo fit, ut ẽt ex ipſis ſuillis carnibus optima ſit montana: Ab his deinceps hœdi ſunt. In oĩbus iam dictis fugienda, tum uetula, tum recens edita, ſint: Illa nanq; duriora, concoctuq; difficiliora ſunt: hęc immodice humida, & excrementoſa: ac potiſſimum quæcũq; ex animalium generibus ſunt, quæ naturaliter humida ſunt, ut oues ſuesq;. Verum de oĩum ciborum facultate alibi præcepimus. Nunc ueluti alia in hoc opere, ſic iſta quoq; exempli cauſa ſint dicta. Siquidẽ propoſitũ nobis in hoc eſt non, tanquã in ijs, quæ de alimẽtis, & medicamẽtis ſcripſimus, materias inueſtigare, ſed ſolas facultates generales. Nihil aũt profecto referat, generalesne facultates, an uniuerſales, ipſas appelles. Reuertamur ergo rurſus ad propoſitum. Quibus acre aliquid quotidie trãſpirat, ij, ſi cutis ipſis ſtipetur, prompte febri corripiuntur. Stipãt uero hãc tum, quæ adſtrigunt, oĩa, ueluti paulo ſupra memorauimus de Albulis aquis: tum quæ [lentitia craſſitudineve ſua] exiguis meatibus inhærent. Aliqñ aũt ipſius cutis immoderatior ſiccitas exiguos ipſius meatus denſat. Proinde, qui œnanthe in balneo utebatur, hũc nos uidiſti, quo tempore inæqualitatem ſentire ſe quereretur, uti uetuiſſe. Simili modo, & qui largo uino cum oleo exiguo utebatur: item, qui lentiſcino tum, cum denſitu-

E exemplari, nec forte addendum. * πάλλονται .i. palpitant.

* ἐσώρα.

* ὀξέαν .i. acidam. A.l.1.f.3.d.2. c.7.p.115.B

F

G

† Ita habent antiqui codices, ut Linacer uertit. Impreſsi tamen addunt χάριν ἀναδόσεως .i. diſtributionis gratia. Vidi porrò hæc uerba in margine codicis antiquiſsimi repoſita, ut gloſſema ac declaratio, cur acetum adiiciatur. * σμυθοῦ .i. auiculæ. * In antiquis non inuenitur.

A denſitudinem ſentiebat, hunc quoq; de cetero (ut ſcis) uti prohibuimus. Inhibuimus non minus & eum, qui quotidie inſolabatur, & eum, qui puluere utebatur. Alteri uero, qui iam ad inæqualitatem febrilem peruenerat, uehementiã remittere frictionis iuſſimus. Iam alium (ut ſcis) curauimus mirantem, quo pacto una lauatione, ac debita frictione horridam eius multorum dierum inæqualitatẽ diſſoluerimus. Vtebatur autem & ille adſtringente oleo, hoc, inquam, iure propter alios uſus celebri: Hiſpanum uocant. Hoc igitur mutantes, ac Sabino tum pinguiter, tum molliter uberius perfricantes, ac bis lauantes, ilico ſanum reddidimus. Non ſolum igitur hæc omnia uitanda ijs ſunt, qui fumidum & fuliginoſum e corpore exhalant, ſed etiam quæ glutinoſum, & quæ craſſum gignunt ſuccum: quando hæc paruis meatibus inhærentia tranſpirationem morantur. Retinẽt non minus (ut dictum eſt) tranſpirationem, & quæ cutim immodice ſiccant. Multos ſiquidem talium, cum Sole uterentur: alios uero, cum uberiore nitro: alios, cum ſale, aut exercitatione multa, aut frictione dura, præterea frictione ſicca, (Xerotribian uocant) [& calidis fomentis] & puluere, & horum occaſione quotannis ægrotarent, ipſe teſtis es, ut ab his prohibitos, multis iam annis ſanos ſeruauerimus. Sunt autem meri to eiuſmodi præcepta tum ualentium, tum eorum, qui de ualetudine queruntur, communia. Non enim ei, quæ iam facta eſt, febri conſulunt: ſed ei, quæ nunc in generatione eſt, proſpiciunt, tollendis
B .ſ. ijs, quæ illas excitant, cauſis. Quippe, quæ adhuc in generatione febris eſt, dum aufertur cauſa, ipſa una interit. Quare, quę in libris de ſanitate tuenda de eiuſmodi temperamentis ſunt prodita, ea omnia ad eos, qui febricitare incipiunt, ſiue id ſanationem appellaſſe oportet, ſiue prouidentiam, ſunt tranſferenda. Si quidem ſanamus id febris, quod iam inuaſit, etiam ſi exiguum eſt: Proſpicimus, nequid amplius proueniat, adimentes cauſam.

De curanda febre Diaria ex uſtione, ira, refrigeratione, uigilijs, triſtitia, curis, ac laſſitudine. Cap. 3.

A.l.4.f.1.T.1 c.9.p.756.F

VEluti uero iam dictarum maxime naturarum, & cum ualent, & cum de ſe queruntur, illud commune conſilium eſt, ut fluxile & tranſpirabile undiq; corpus reddatur, ita illud quoq;, ut tum uigilias, tum iram, tum triſtitiam, tum curam, tum uſtionem, tum frigus, tum laſſitudinem fugiant: cum promptiſſime poſt hæc, eiuſmodi temperamenta febri capiantur. Sanare uero ea, quoties ex aliqua dictarum occaſionum febricitarint, oportet, partim ſimiliter ijs, quos ex ſtipata cute laborare diximus, partim diſſimiliter. Quippe in prima acceſſione inclinante ducendi in balneum omnes ſunt: tum pinguiter ſimul ac molliter fricandi, ij quidem, qui ex aliquo, quod cutim adſtrinxit, laborant, ſicut dictum eſt: qui uero ex ſiccitate, fricandi quidem & ipſi, ſed parcius: lauandi autem uberius. Reſpiciẽ-
C dum uero ſemper ad * uirtutis modum eſt in omnibus eiuſmodi auxilijs. Atq; iræ quidem, & triſtitiæ, & uigiliæ, ac curæ nec frictionibus, nec lauationibus multis indigent. Sed omnibus, qui ex eiuſmodi occaſione febricitarint, oleum infundendum tepidum large eſt, cui minime adſtringens uis inſit: tum paululum fricandi, atq; ex conſuetudine lauandi. Vſtio uero protinus ab initio refrigerationem deſiderat, tum crebriorem lauationem: minime uero aut oleum largum, aut crebram frictionẽ. Sint autem, quæ refrigerent, & roſaceum, & omphacinum, quod etiam, arbitror, omotribes, id eſt crudum oleum nominant. Vtiliora uero ex his ſunt, quæ nihil in ſe ſalis omnino habent. Efficies hæc magis frigida, ſi ita uas, in quo continentur, in puteo ſuſpẽdas, ut aquã tangat. Præterea, ſi defluxus frigidæ aquæ uaſi ſe illidat, magis humorẽ refrigerat. Quòd ſi largius refrigeratã cupis, uas niue circundabis. Infundere aũt ſincipiti, ſublata in altũ manu, per mediocrẽ lanæ modũ oportet. Hæc uſq; ad inclinationem faciens, in balneũ duces. Si uero, qui memorato eſt tẽperamẽto, de quo omnis hic ſermo eſt, ex

A. ibidem. frigore febricitet, etiam ducendus ad balneum in remiſſione is eſt. Si aũt cum grauedine & deſtillatione febricitet, prius, quàm hæc concocta ſint, lauandus non eſt. At, qui ex uſtione febricitant, ij, uel cũ hæc adſint, lauari debebunt: ueluti in libris de ſanitate tuenda oſtendimus. Poſt lauacrum uero ijſdẽ, quibus ante, made facienda amborum capita ſunt: eorum quidem, qui ex uſtione febricitarunt, refri-
D gerantibus: qui ex frigore, calfacientibus. Sunto aũt & hæc poſt balneum mediocria: cuiuſmodi irinum eſt, & nardinũ unguentũ. Verum de his immorandũ pluribus non eſt, præſertim in libris de ſanitate tuenda iam proditis. Sed ſuffecerit dixiſſe reliqua ſimili modo in febricitãtibus eſſe facienda, quemadmodum in uſtis & refrigeratis citra febrem, facienda præcepimus: Non tamen quouis tempore lauandos febricitãtes eſſe, ſed in acceſſionis remiſſione: Præterea, qui ex uſtione febricitant, ijs intendẽdam, quæ ex refrigerantibus cõſtat, curationẽ eſſe: ijs uero, qui ex frigore, eam, quæ ex calfacientibus cõſiſtit, remittendam. Reliquũ aũt fuerit, ut communitatẽ ac differentiã in uictu omnium comprehenſarum conditionũ in propoſito temperamẽto, ubi febri diaria laborat, exponamus. Omniũ igitur communis uictus ſpecies eſto, quæ & boni ſit ſucci, & concoctu facilis, & quæ nuſquã exiguis cutis meatibus inhæreat: Sed ijs, qui exuſti ſunt, cum eo, quod refrigeret & humectet: Pari modo ijs, quos ira male habuit: Iis uero, qui refrigerati fuerunt, cum eo, quod calfaciat modice: Ijs, qui peruigilio, & triſtitia & nimia cura ſunt affecti, quod humectet ac ſomnum conciliet: Ad eundẽ modũ ijs, qui fatigati ſunt,

A.l.4.f.1.T.1 c.39.p.773.D magis nutriens: Ijs, qui refrigerati ſunt, minus nutriens: Reliquis, quod mediũ ſit amborũ. Vinũ uero ipſe conſcius es omnibus me eiuſmodi [naturis] cõcedere, ſed quod tum aſpectu, tum uiribus ſit aquoſum. Id enim ad omnia utilius, quàm aqua, eſt, utpote quod & concoctionẽ iuuet, & urinas ac ſudores prouocet. Conſtat autem & Hippocratem non in diarijs modo febribus, uerumetiã in acutis, ex

* Alias διαθέσεως .i. affectionis.

ijs, quæ de acutarum uictu prodit, uinum dare. At in ſexto Epidemion, ſiue ipſe ſit, ſiue Theſſalus eius E filius, uinum calidis temperamentis prohibet: idq; non modo cum febricitant, ſed etiam per ſanitatẽ. Quippe in calida natura ſuadet tum refrigerationem, tum aquæ potionem, tum quietem. Niſi forte copioſius utendum eſſe aqua, quàm uino, eiuſmodi naturis ſuadere eum dixeris, quemadmodum non nullis placet. Hoc igitur ſeorſum per ſe diſquiratur. De potione uero frigidæ decidendum. Ego igitur cenſeo eius generis naturas, & dum ualent, eiuſmodi potione magnopere iuuari: nec in diaria febri ijs, quibus in uſu fuit, eam circuncido. Siquis uero non aſſueuit, huic per febrem dare non inceperim, niſi priſtina plane ſanitate prius reddita. Quòd ſi uel propter timiditatem, uel propter conſuetudinem a pueris, uel falſam opinionem, frigidam timeat, tum opere homini perſuadeam, obſeruans in æſtate cum æſtuat, tum oratione poſt opus. Nam, ubi poſt uſum eiuſmodi potionis liberatus ſtatim ab urendo * æſtuandoque eſt, uiſusq; firmiorem ex eo ſtomachum, quàm ante, habere: tum uentriculus illi bilioſum deiecit, & probe concoxit: ac corpus, cum ea iterum, iterumq; uſus fuerit, reficitur, tum uero alijs quoq; ei indicatis, quibus ſimili ratione contuli, expoſuerim primum quidem illud eſſe omnium longe ueriſſimum, quòd contraria contrariorum ſunt remedia (proditum autem mihi de hoc prius eſt:) mox illud, quòd temperamentum eius ſanitatis ſymmetrian egreſſum morbo eſt propinquum. Tum quòd ſanitas eiuſmodi corporum dubia eſt, ac potius in affectu, quam ſcheſin uocãt, F quàm in habitu, quam hexin. Præterea quod ſi boni temperamenti eſſet, hoc illi omni ſtudio tuerer: cum uero uitioſi ſit temperamenti & naturæ, in melius immuto. Porrò dictum & de his fuſius eſt in libris de ſanitate tuenda. Vnde nec immorandum mihi hic multis eſt eos imitanti ſcriptores, qui, cum pauca prorſus ſciant, ipſa in omnibus libris inculcant. Id enim non multa eſt docere, ſed multa ſcribere, & multas chartas conſumere, cùm liceat paucas: ac multum temporis nulla neceſſitate conterere. Itaq; nec notas diariarum febrium hoc loco deſcribo, utpote iam prædictas mihi in ſecundo de criſi propemodum uniuerſas, ſiquæ uero reliquæ fuerunt, etiam in primo de febrium differentijs proditas. Quinetiam in libris de pulſibus, quantum ex ipſis ſit utile, expoſuimus, ſoli (ut ſcis) omnium, qui ante nos fuerunt. [Idque] adeo (arbitror) clare, ut nec puerum, quod tradidimus, lateat: cum Archigenes (ut oſtendimus) non docuerit, ſed deblaterarit plurima tum in opere de pulſibus, tum in eo, quod de febrium ſignificatione inſcribit. Tanquã autem eum, qui in aluminoſa aqua ſe lauit, medici uſq; in tertium diem cibo abſtinere iuſſerunt, ad eundem ſcis modum neminem eorum, qui uel exuſti fuerunt, † uel alia quapiam ex iam dictis cauſis febri tentati, lauiſſe, aut nutriuiſſe prius, quàm diatriton tranſmiſiſſent. neceſſe enim profecto eſt & me diatriton dicere, ne in hoc quoq; nugis eorum me exponam, dicentium aliam eſſe tertij diei acceſſionem, aliam ipſam primam diatriton: quippe ha- G ctenus eorum nugas proceſſiſſe ipſe aliquando audiſti. Sed, ſiue primam diatriton, ſiue aliud quiduis appellaſſe uelint, non ſemel nos biſve aut ter, uerum ſæpius, quàm ut meminiſſe poſſimus, tum in primo ſtatim die ad ueſperam eos, qui diaria febri laborarunt, lauimus, tum uel magis in ſecundo, immo etiam in ipſo tertio: ceu paulo ante diximus de eo, cui ſtipata cutis fuerat. Verum hanc cauſam rarenter uidi febrem accendere: (itaque etiam hanc maxime tractandam deſumpſi) uſtionem uero & laſſitudinem, & ceterorum ſingula plane ſæpe. Vidiſti autem eos omnes quarto die mane ad ſolita redire munia, ac medicis, qui ipſos tertium diem prorſus in cibi inedia exegiſſe fuerant opinati, occurrere. Itaq; etiam miranti tibi ac quærenti, quid demum cauſæ eſſet, cur uel nunc ſaltem eiuſmodi medici ab ijs, quę perperam opinantur, non recedant, conuenienter (ut arbitror) reſpondi, quòd neq; ueram ſpeculationẽ noſcerent, & nunc eam incipere diſcere erubeſcerent. Aliqui tamen (ueluti confitentem aliquando ex ijs quendã, idq; cum lachrymis, ueritatẽ nobis ſolis audiuiſti) nec uitæ ſibi neceſſaria aiunt affutura, ſi, qui eos ſcire aliquid exiſtimant, diſcentes iam uideant. Verum tu hoc ſemel audiſti: Deos autem oẽs teſtor, multos id mihi ſæpe ſoli confeſſos, idq; lachrymantes, ac infelicitatẽ ſuam deplorantes, quòd ſub malis præceptoribus tempus perdidiſſent. Iuroq; tibi rurſus deos, illud quoq; mihi perſæpe a condiſcipulis dictum eſſe, cum eſſem adhuc ætate adoleſcens. Nam, cum mihi mos H eſſet, ubi aliquis me de ſecta aliqua, num ſana eſſet, percontaretur, dicere, me reſpondere non poſſe, niſi reliquorum omnium dogmata didiciſſem, ac † methodum quampiam mihi comparaſſem, qua, quod potius eſſet, diſcernerem, non pauci ex condiſcipulis, qui hæc audierant, mihi reſponderunt me & excellenti natura, & ſingulari propter patris mei liberalitatẽ eſſe eruditione, tum & ætatem ad diſcẽdum idoneam, & impenſas, unde diſciplinis uacem, ſuppeditatas habere: ſecum non ita agi, qui & rudes in primis diſciplinis eſſent, nec acuto, ut ego, ingenio, nec, quod impẽderent, habere: itaq; contentos eſſe oportere ijs, quæ nunc noſſent, qualiacunq; ea forent. Minime igitur mireris, cur pleroſque medicorum non pudeat diatriton in ore habere, etiam ſi ſexcenties nos præſagire in ægris uiderunt, diariáne febri laborarent, an ea, quæ tertio quartove die acceſſionem aliquam eſſet habitura. Illud potius æſtima quod Hippocrates monuit, homo alias ingenio maxime philoſophico: Cum † [in acumine] morbus eſt, ſtatim tum ultimos labores infert, tum * tenui ad ultimum uictu neceſſe eſt uti. Vbi uero non, ſed licet liberalius cibare, tantum eſt de ultimo remittendum, quantum morbus ultimis eſt mitior. Labores nanque dicit omnia, quæ hominem offendunt: ultimos uero, maximos: quales utique in ſummo uigore fiunt. Iubet autem reſeruari in id temporis ſummam uictus tenuitatem, nihil profecto docens diuerſum ab eo, quod alibi dixit: " Cum in ſummo uigore morbus eſt, tum uictu uti te- " nuiſſimo

* καὶ ἀλύειν.

† Addunt antiqui codic. καὶ κοπωθέντων .i. & qui fatigati fuerunt.

† Addunt antiqui cod. δύναμιν ἢ .i. facultatem.

† peracutus. * Alias tenuiſſimo.

A nuiſſimo eſt neceſſe. Atqui fieri non poteſt, ut ſummam uictus tenuitatem ad ſummi uigoris tempus differas, niſi inter initia conieceris, circiter quotum diem in uigore morbus ſit futurus. Sed & inſanire Hippocratem dicunt, qui hæc ſcripſerit: &, tametſi nos opere ea oſtendimus, omnia potius putant, quàm poſſe quempiam in prima aliquando acceſſione certam notitiam affectus ipſius ægrotantis habere. Ego uero nec in omnibus ægrotantibus fateor exacte me ſcire in primo die affectum, nec ullam diariam me febrem poſſe fugere, at uero, ut nihil in uictus ratione primis ſaltem diebus pecces, hoc ſatis eſt, ſi diſcernere diariam a reliquis queas. Ac propterea quarto die, in quo illi hominem, quem iam ſiccarunt, primum nutrire incipiunt, nos ad conſueta dimittimus, ac a diarijs in acutas febres tranſitum fieri hac uictus ratione prohibemus: cum, ſiquis aliter cibet, excipient neceſſario iam dictas naturas ardentiſſimæ febres. Sunt enim aliæ naturæ, quibus aut nihil, aut non magnopere incommodet tot dierum inedia: ſicut e diuerſo aliæ, quibus non modo innoxia, ſed etiam utilis eſt trium dierum inedia. Verum de ceteris naturis poſt decernam. Propoſitum uero nunc nobis ab initio temperamentum inediæ in ſummum ducunt diſcrimen, in quacunq; iniungantur febri, non ſolum ijs, quas modo commemoraui, diarijs.

Quo pacto diaria febris ex obſtructione curanda ſit, ut præcaueamus, ne in putridam pertranſeat. Cap. 4.

A.l.4.f.1.T.1 c.33.p.709.E F

B ET enim, ſi propter obſtructionem aliquando (ut dictum eſt) morata tranſpiratio eſt, ſi parua ea ſit, qui recte deterſerit, ſecundam fore acceſſionem uetabit: ſin momentanea, non poſſis ita promittere. Quòd ſi & multi, & craſſi, & glutinoſi impacti ſucci ſint, quæ hos excipit febris, fieri non poteſt, ut intra fines diariarum conſiſtat. quando ex neceſſitate huic in mali ſucci naturis ea, quæ ex putredine humorum accenditur, ſuccedet. Nam in alijs ſaltem temperamentis, quæ in ſequentibus exponã, excitari ex tali cauſa poteſt citra humorum putredinem aliqua continentis febris ſpecies. Porrò capere eiuſmodi ſermones omnino non poteſt, qui prius in memoratis operibus non ſit exercitatus: ac potiſſimum in eo, quod de febrium differentia inſcribitur. Nam, ubi obſtructio quæpiam mediocris eſt, ob quam febricitant, quibus uitioſus eſt ſuccus, in primo die, atque etiam ſecundi aliqua parte nullũ eſt in pulſu putredinis ſignum, æque ut nec cruditatis in urinis. Protracta tamen inclinatione, nec amplius pro ratione, ſicut poſt ſummum uigorem inceperat, cedente, ſuſpectus affectus eſt: ueluti e diuerſo, in quibus ad ſolutionem feſtinat, uel halitus aliqui † uel ſudores exierunt, uel multa bona urina, cum ſignis in pulſu bonis, in ijs proculdubio diaria febris eſt. Sed, quæ ex parua oritur obſtructione, ea (ut dictum eſt) ſaltem inter initia ſimilis diarijs eſt. Protracta tamen inclinatione, ſuſpecta red- C ditur, quamuis putredinis indicia in pulſu adhuc non appareant. Quippe, niſi uitioſus ſuccus penitus tranſpiret, neceſſe eſt, putrefiat. Ergo, ut tranſpiret, maiore iam auxilio eſt opus. Ac, ſi quidem uel puer uel ſenex ſit, ſanguinem detrahere non licet. Inter has ætates, ubi robur ægro non deeſt, ſecanda uena eſt, etiam ſi plenitudinis ſigna non adſunt. Præſtat enim uitioſi ſucci maiore parte emiſſa ad detergendas obſtructiones accedere: cum alioqui metus ſit, ſi obſtructionibus liberandis prius, quàm uacuaueris, ſtudeas, ne ipſas magis impingas. At ſoluunt quidem obſtructiones, quæ deterſoriã facultatem obtinent, ſeu foris cuti ſint admota, ſeu intro in corpus accepta. Periculum uero eſt etiam, ne, quæ foras trahunt, unà cum ijs, quæ * obſtruunt, etiam aliud quippiam attrahant: &, quæ ab interno ſurſum feruntur, aliquid ſecum in ijs, quæ in uaſis continentur, rapiant. Quod ipſum, ſi tenax ſit * & craſſum, obſtructionem plane geminabit: ſin aliter, multitudine certe ſua non parum omnino nocebit. Cernimus .n. aliqñ, etiam quod multum eſt, cũ ſimul totum confluit, obſtruẽdo hærere, infigique nõ minus, quàm ea, quæ glutinoſa ſunt & craſſa: quòd ſi per meatus anguſtos eſt tranſitus, multo profecto magis retineri. Quo igitur & his iter liberum, & ijs, quæ foris admouentur, attractio tuta ſit, utiliſſimum eſt corpus inaniſſe. Quinetiam fumoſa fuliginoſaq; ſuccorum excrementa, quæ tranſpirant, ſuccis ipſis imminutis pauciora reſtabunt. Quare inde quoq; minor reddetur febrilis calor, ſic, ut fo- D ras tranſpirare, ſi exiguæ obſtructiones ſint, queat. Ergo, cum ſuſpicio erit cutim eſſe ex obſtructione occluſam, (id quod tum ex eo conijcies, quòd non fuerit in primæ acceſſionis remiſſione uacuatio ſatis magna, tum ꝙ ſimilis ſibi perdurauerit remiſſio) ſi homo ex nulla manifeſta febricitauit cauſa, etiã certius argumentum obſtructionis habes: ſin ex euidenti aliqua cauſa, fieri poteſt, ut duæ ſimul coierint cauſæ. nam, ſi altera tantũ cauſarũ, nempe quã externa impreſsit, ſubeſſet, imminuta remiſsio fuiſſet cũ ſenſibili alicuius expulſione. Haudquaquam igitur differendũ eſt † [ſanguinis aliquid] ita laborantiũ mittere .ſ. tũ ad uirtutis, tũ ad obſtructionis modi portionẽ. Diſcernetur autẽ obſtructionis magnitudo ex ipſa magnitudine febris: ut quæ ex maiore obſtructiõe maior, ex minore minor inciderit. Vbi uero modice uacuaueris, haud multo poſt aut nutrimentũ aliquod, aut pharmacũ ex ijs, quæ detergeant, exhibebis. Sunt porrò nõ multa, quæ in febribus id præſtent. Sed, ſicut dictũ prius eſt, in alimentorum ratione ſunt ptiſſana, & mulſa: in pharmacorum, oxymeli, & quæcunq; incoquere in mulſa licet, ceu calaminthã, & hyſſopũ, & origanũ, & ſerpillũ, & irim, & apiũ. Verũ hæc oĩa iuſto ſunt calidiora, ideoque febres accendunt, ita utiq;, ut uinũ. Oxymeli uero ſolũ nec febres accẽdit, & ſtrenue deterget ſic, ut ea, quæ glutinoſa craſſaq; ſunt, diſſoluat, & meatus obſtructos liberet. Porrò inter mulſam & oxymeli medium locũ habet, qđ Apomeli græce dicitur: cuius plurimus in Peloponeſo eſt uſus. Nõ immerito, arbitror, & ſaccharũ inter hæc numerãdũ. Ex hoc uictu ſeruabis, q̃tum de febrili calore minuitur. Etenim, ſi

† Antiqui codices addunt ἢ νοτίδες .i. uel madores.

* In A. C. Grece legitur ἐκφράττουσι .i. ſoluũt obſtructionẽ. * Alias ἢ .i. uel.

† Sanguinem.

tertio die mane uideris minimum esse, quod de febri relinquitur: ac neq; putredinis humorum in pul- E
su nota subsit, neq; in urina cruditatis: suspecta uero hora, qua primo die febris occupauit, extra me-
ridiem sit, audacter hominem, quàm ocyssime lauabis, longe ante sextam horam. Abunde tamen sit, si
intra tertiam horam lauationem compleueris. Ad eundem modum, & si decimam horam suspectam
habueris, usq; ad septimam laues, licet: cum tres æquinoctiales horas quatuorve inter balneum acces-
sionisq; tempus interponi, abunde sit satis. Debet autem in balneo corpus prius unctum ac moderatis-
sime frictum, mox detergeri extrinsecus, abluiq;. Sane detergentium materiam expositam habes in
commentarijs ijs, qui de medicamentis sunt conscripti. Deligenda uero semper sunt, quæ ad rem pro
positam sint accommoda. Quippe distincta in his sunt, tum quæ magis, tum quæ minus detergent. Sed
& nunc exempli causa pauca dicemus. Moderatissime detergent tum erui farina, tum hordei, tum fa-
barum: præterea mulsa, quæ sit aquosa: magis uero, quàm hæc, iris, & panacis radix, & aristolochia, &
mulsa, quæ mediocri est mistura: ueluti etiam hac magis, quæ meracissima est. Fit hæc, ubi mista melli
exigua est aqua sic, ut liquatum mel exiguos cutis meatus facile ingredi possit. Possunt autem uel hac
magis detergere tum spuma nitri, tum nitrum ipsum, tum aphronitrum. Sit autē nitrum, oportet, quod
ex tenuibus partibus constet, cuiusmodi Berenicium est: Si uero lapidosum sit, uri id læuigariq; dili-
genter debebit: Mel autem purissimum, acerrimumq;, cuiusmodi est Hymmetium. Est autem & sapo F
ex ijs, quæ maxime detergere ualeant. Atq; hæc satis multa detergentiū materiæ exempla sunt. Tem-
pestiuum enim est iam ad ea, quæ post balneum adhibentur, accedamus. Sunt autem ea minime mul-
ta. Nam præter aquam, quæ parum apij incoctum in se habuerit, nihil his est offerendum licet, quod in-
ter balneum & suspectas horas spatium erit, trium fore horarum conijciamus. Si uero circa uesperam,
aut duabus horis citius, quàm primo die, accessio inuadet, tum lauisse mane liceat, tum cibasse, sed tan-
tum ptissanæ cremore. Deinde, si suspectæ horæ nihil prorsus afferant, & lauare rursus, si uelit, licet,
& cibare, ad eas, quas diximus, considerationes intento. Sin aliquid eueniat, & conferendum id est cū
accessione, quæ primo die inciderat: & tum urinæ considerandæ, tum pulsus sunt. Quæ omnia profe-
cto mediocria apparebunt, ubi exigua relinquitur obstructio. Quare ipsum & lauabis quarto die, &
cibabis, ad iam dictas considerationes spectans: sperabisq; nihil quinto die superuenturum. At, si ma
gna obstructio facta sit, ea febris ex diariarum genere non erit. Quare in proximum differatur librum,
cum in hoc de diarijs tantum agere statuerimus.

De Diarijs febribus, quæ superueniunt cruditatibus ciborum. Cap. 5.

A.l.4.f.1.T.1 c.34.p.770.E

QVoniam igitur diariæ febres in propositis corporum temperamentis sæpenumero etiam ciborū
cruditatibus succedunt, proximum fuerit de ipsis differere. Ergo pessima quidem in eiusmodi G
temperamentis cruditas est, citissimeq; febrem accendit, in qua cibi in nidorulentam & fumo-
sam qualitatem corrumpuntur. quando ea, quę in acidam uertit, ut raro talibus naturis contingit, ita
minus nocet. Dicemus autem de utraque seorsum, incipientes ab ea, quæ sæpius his incidit, & ma-
gis lædit. Ea est (ut diximus) nidorosa quædam ac fumosa. Quæ utiq;, si aluus lubrica est, minus est
noxia: sin astringitur, grauis est. Siquidem ex adstrictione eius * uitiosæ naturæ in febres prompte in-
cidunt, ac potissimum cum neglecto consilio in lectulo domi manendi, ad solita conuertuntur opera.
Febricitant autem non nulli & ex ijs, quos diarrhœa ex cruditate male habet. Quibus utique non mi-
nime proritatur febris, & ex desurgendi frequentia. Quòd si etiam rosio, aut dolor, aut calor immo-
dicus in uentriculo & intestinis sit, hinc utique uel longe magis affectio febrilis increscit. Est autem
eorum, quibus clausa aluus est, & quibus fluens, non eadem sanatio. Itaq; etiam seorsum de utrisque
agetur. Apparebit enim sic tractantibus non solum quatenus differunt, sed etiam quantum ambobus
sit commune. Si igitur ea tantum, quæ corrupta fuere, uacuata esse uidentur, tum lauandum, tum
nutriendum in remissione febris est, sed ijs, quæ circa uentriculum sunt, prius consulto. Sin ita mul-
ta inanitio aut prius facta sit, aut nunc etiam in homine duret, ut uirtus iam defessa sit, satius est omis-
sa lauatione cibare, sed consulto prius ijs, quæ circa uentrem sunt. Consuletur ita laborantibus, si mo- H
do uacuatio amplius non duret, * fomento ex oleo & absinthio. Expedit autem tingi absinthium,
quo minus nidore offendat, feruenti aqua. Quòd siquis morsus, aut doloris sensus in uentriculo
adhuc supersit, incingi illi peniculus post fomentum debebit, qui uel siccus & calidus sit, uel ex oleo,
in quo absinthium incoctum fuit, madens, ac plurimum expressus. Satius autem fuerit, si nardini un-
guenti, quod curiose sit factum, facultas sit, ex eo peniculum eodem modo imbutum uentri incinge-
re. Iam multo etiam satius sit, si purpura marina is sit: atq; etiam longe optimum, si optima sit Tyria.
Quippe tenuiorem adstringendi uim habet tum ea purpura, tum optima nardus, ita, ut uis earum sic-
cando, calfaciendo, ac robur inferendo, in corpora, quę circa uentriculum habentur, alte penetrare
possit. Quòd si os uentriculi (quod stomachum appellare solemus, abutentes nimirum appellatione)
imbecillius sit, etiam tanta portione chiæ mastiches in nardino tunsa, unde sordium crassitudo existat,
madefactam ex eo purpuram imponemus. Esto autem abunde calens talium quodq;, cum primum
imponitur. Quippe, quæ tepida sunt, oīa uentriculi firmitudinem dissoluunt. Non autem te fugit sole-
re me unguenta calefacere in uase duplici, utiq; coniecta prius in uas maius, aqua feruente: quando ali
ter calefactis uitiatur eorū facultas. Ceterū fluente adhuc aluo, utilius est optimo recenteq; melino si-
mili modo, quo nardino, uti. Vtile aūt ad omnia talia est & mastichinū. Nō in postremis accommoda-
ta sunt

* κακόχυμοι.

* ἐμβροχῇ.

A.l.3.f.16.T.1.c.2.p.622.D

A ta sunt eiusmodi uentriculi affectibus & unguenta ea, quæ ad gratiā delicatarum mulierum fiunt: hæc,
inquam, pretiosa, quæ Romanorum luxus uidetur inuenisse, appellationesq; Romanas dedisse. nomi-
nantur enim tum spicata, tum foliata. Si uero, qui affligitur, cinctum non patitur, siue ob consuetudi-
nem, siue delicias cingi recuset, licet, cerato idem efficias. Est autem in eiusmodi usum optimum, quod
ex cera sit Tyrrhenica in unguento nardino liquata, † [cui post, quàm refrigeratum est,] aloes ac ma-
stiches mollissimus puluis est admistus. Debet autem singulorum hic esse modus: ceræ ac nardi partes
pares: aloes pars octaua: sic etiam & mastiches: uel (si placet) huius paulo aliquid plus. Quòd si ce-
rato aliquid e sumptuosis his unguentis admisceas, præstantius medicamentum habebis. Si autem uē-
triculus intus uritur ita, ut affectus quidam phlegmonæ similis in eo consistere uideatur, utilius est cera-
tum, quod ex melino conficitur. Sunt porrò alia medicamenta non pauca. Alia quidem ex œnanthe,
alia ex hypocistide, & balaustijs, & palmularum carne confecta, quæ uentriculo tum refrigerando, tum
uero firmādo sint idonea. Horum ergo, quod ad rem præsentē sit commodissimum, id deliges, ijs, quas
memorauimus, considerationibus intentus. Cibandi uero his sunt: fluente quidem etiamnum uentre,
polenta, & pane, quem græce Oxylipe uocant: qui utiq; minimum aceti habeat, non sicuti in dysente-
ria & diutina diarrhœa præparare solemus. Inspergere autem polentam debebis alias aqua calida uber
B tim: alias, ubi .s. uenter adhuc plus iusto excernit, uel mali punici, uel pirorum, uel malorum succo, po-
tissimum cotoneorum. Quòd si iucundius laboranti erit, etiam decocto ex piris, aut malis, aut myrtis
præparato polentam insperges. Sin uenter non amplius excernit, suffecerit tum alica similiter ptissa-
næ præparata, hoc est aceti habens pauxillum: tum ex ea sine aceto sorbitio: tum gallinaceorum testi-
culi: & saxatiles ex albo iure pisces: præterea fructuum aliquis ex ijs, qui adstringant, uel solus, uel cū
pane. Hos uero uel magis etiam uentre adhuc fluente dabis. Quòd si appetentia careant sic, ut cibos
auersentur, (incidit nanq; id non paucis eorum, quos diarrhœa ex cruditate male habet) etiam de
medicamento, quod ex succo fit cotoneorum, unum aut duo cochlearia danda his sunt: aut, si huius
copia non est, eius, quod ex carne eorum componitur. Tradita uero eius generis medicamentorum
compositio est in libris de tuenda sanitate. Atq; ita quidem in prima remissione, ijs, qui ex cruditate
febricitant uentre excernente, mederi conuenit. Si uero omnino uenter astringitur, pertractatis prius
* præcordijs, mox toto uentre considerabis diligenter, num cibus in gracile intestinum, aut in colon de
scenderit. Deinde ægrum interrogabis, qua maxime in parte uel morsum, uel grauitatem sentiat, qua-
lesve habeat ructus. Vbi ex his compertum habueris, in quanam totius uentris parte nutrimentum cō-
sistat, si in superioribus partibus pendet, aliquid diatrion pipereon dabis, non medicamentosi illius, sed
C eius, quod in opere de sanitate tuenda, ceu & simplicissimum, & ijs, qui cruditate laborarent, aptissimū
laudauimus. Post deinde præcordia, omnemq; uentrem perfundes. Hoc uero, etiam si inferius descē-
derint, quæ uitiosa sunt, facies, pluris minorisq; ratione id uarians. Siquidem plus & temporis & per-
fusionis exigunt ad præparationem eorum, quæ deinceps sunt agenda, quibus in superioribus uentris
corruptum nutrimentum adhuc manet. Sin motum id notabiliter ad inferiora sit, adiuuandum aut
glande subdita, aut leui per inferius infusione est, utique, si morsus simul adsit, hanc mitigantibus:
si flatus, hunc comprimentibus: sin neutrum fuerit, ex melle, aqua, & paululo olei id, quod subter
infundetur, facientibus. Vbi uero uehementior morsus urget, Sabinum oleum, in quo aliquid seui
anserini sit liquatum, est utilius: si uero eius copia non est, gallinacei seui: sin nec huius facultas est,
caprini. Quòd si huius quoq; penuria est, inijciendum oleo parum ceræ est, potissimum elotæ. Flatus
uero sanandi sunt oleo, in quo ruta, & semina, quæ flatus discutiunt, fuere incocta: cuiusmodi sunt
apij, & cumini, & marathri, & sinonis, aliaq; id genus. Vacuata uero aluo, nutriendum protinus in
ceteris quidem ijs, quos memorauimus, similiter est, amotis tamen ijs, quę adstringant. At, si qui-
dem primo die ad uesperam hæc egeris, aut etiam noctis qualibet hora, etiam secundo die similem
adhibebis prouidentiam. In quo etiam, si plane desijt febris, lauari hominem sines. Ac, ubi in se-
D quenti nocte, quietus citra offensam dormierit, sanum iam hominem prorsus existimabis. Si uero, qui
cruditati successit, dies cum sequente nocte febrem attulerit, ueluti in secundo die, ita tunc & accu-
randus & nutriendus homo est. Si uero & nox tertiæ diei febrile quiddam paululum afferat, ne sic
quidem formidandum, sed hos quoque postridie lauabis, nutriesq;, ac reliqua omnia in illis, ut an-
te definitum est, ad portionem exequeris. Sane mutationes crudi alimenti in acidam qualitatem nec
incidere in eiusmodi naturis cernuntur, nisi admodum raro, idque ex cibis, qui prompte acescunt:
nec febrem accendere diariam, æque ut nec tarditas concoctionis: quando, sicubi propter talem
cruditatem febricitant, quibus amara bilis in temperamento abundat, obstructionis & humorum
putredinis suspicio est. De qua postea diligentius definiam, cum de putredine agam. Nunc huic
de diarijs febribus disputationi hoc adiecto, ad alia transibo. Fumidus uapor ex tarditate conco-
ctionis, aut cruditate, in qua ructus sentiuntur acidi, nunquam excitatur. Quippe frigidi halitus abs
talibus succis * ascendunt, hiq; omnino paucissimi, minime autem uapores multi fumidique ac fuli-
ginosi. cum nec in ijs, quæ extra sunt, aliter aut fumum edi, aut fuliginem uideas, quàm fumum ex
materijs (ut ita dicam) semiustis: fuliginem ex immodice assis ustisq;. Est nanq; fuligo uapor terre-
stris: fumus mistio quædam ex terrestri aqueaq; substantia. Verum non est, quod hoc loco audire ex-
pectes, aut quemadmodum ijs, qui tarde concoquunt, aut ijs, qui acidum ructant, sit prospiciendū. Est

† In antiquis ita legitur ψυχθείσῃ καὶ ξυσθείσῃ τῇ κηρωτῇ idest cui post, q refrigeratū est ac derasum, &c.

*Græce hypochondria. Linacer autem cum Celso semper uertit præcordia.

A.l.1.f.4.c.31 p.157.C

* ἀπορρέουσι.

enim de his tractatio ad opus de tuenda ſanitate pertinens.hic tantum earum cruditatum mentionem E faciemus,quas febris ſubſequitur. Quoniam igitur diaria febris cruditates, quæ cũ acido ructu ſunt, non conſequitur:quæ uero ex putredine humorum oritur, ea quandoq; ſequitur, non ſine ratione in eam tractationem,quæ de illis inſtituitur, diſtuli de his cruditatibus præcipere,ſed ne tunc quidem eo modo, quo in ſanitatis tuendæ libris. In illis enim diximus,quænam per ſanitatem agenda ſint illi,qui cruditate laborat:hic uero,quænam in ijs febribus, quæ cruditati ſuperueniunt.

Quo pacto, qui Diaria ex bubone correpti ſunt, ſibiipſis conſulant, ac Diatritarios vocatos irrideant. Cap. 6.

DIcta mihi ferme ſunt de diarijs febribus uniuerſa:quando, qui ex bubone febricitant, medicos, quid ſibi ſit agendum, ne conſulunt quidem,ſed,ubi tum ulceri, quod bubonis occaſio fuit, tum poſtea buboni ipſi proſpexerint, in remiſſione eius,quæ inciderit,acceſſionis lauantur. Ac, ſiquis tum diatriton uel nominet, omnes irrident, ſcholaſticumq; appellant, natura (puto) ipſa intelligentes id tranſmittendum non eſſe, quod omnino non erit. Cenſentque etiam in omnibus ijs, quæ ſenſum fugiunt, tales debere eſſe medicos, quales ipſi ſunt in ijs, quæ ſenſui apparent. Porrò in omnibus tales eſſe, nihil eſt aliud, quàm intelligere, quando ſit in tertio acceſſio futura, & quando futura non ſit. Quinetiam, qui refrixerunt, aut uſti ſunt,aut fatigati, aut tale quippiam paſſi, poſtea uero febricita- F runt,hi,vbi in remiſſione talem ſtatus quietem, qualis erat per ſanitatem, ſentiunt, ne tunc quidẽ eos, qui diatriton nominent, ferre poſſunt. Quod enim uſurpare ſæpe ſoleo, quemlibet priuatum, qui ſecundum naturam ſe habeat, quouis ſophiſta ueriores opiniones habere, hoc etiam in diuiniſſima iſtorum diatrito uidere licet, ut quæ ab omnibus, qui naturaliter ſe habent, ſit irriſa. Nuper enim e plebe quidam, qui in ſplendida cœna prolixius ſibi epulis potuq; indulſiſſet, uenit domum errabundus, ac manu deductus. Cum autem ea, quibus grauabatur, in uentriculo eius fluitarent, omnia ea euomuit: & per noctem quidem febricitauit. Dormiuit autem in magnam partem ſequentis diei. Poſtea ſurgens, ac paululum inambulans, lauit, riſitq; eum, qui ſibi diatriton manendam ſuaſerat. illo nanque auctore etiam poſtero die inediam tolerare debuiſſet. Vt autem (res ipſa monebat, & ipſe ſua ſponte faciebat) lotus & modice cibatus, poſt ſomno deditus, eoq; inoffenſe fruens, mane ſurrexiſſet,ad conſuetaque rediſſet, etiam in ipſa diatrito, in qua eum tolerare inediam oportuiſſet, ſi diatritarijs medicis paruiſſet, (ita enim eos per iocum eleganter nominauit quidam) & quidem cum cœnatus iam ex conſuetudine homo eſſet, accedens facetus ille riſum excitauit, commemorans, quẽadmodum eum, qui tertio ante ueſperi uomuiſſet, oportuiſſet etiam biduo inediam ſiccum,ac * ſordium plenum tolerare, ad horasque ſpectantem pro diatritariorum iuſſu decumbere. Sunt enim, arbitror, uel plebi nõ G obſcura, quæ præter rerum euidentiam temere audentur. Atq; inde merito alios medicos, alios græce Logiatros, id eſt uerbis tenus medicos eſſe dicunt. Quomodo enim non iure hac appellatione cenſeantur, qui ea neſciant,quæ nemo e uulgo ignorat? Quomodo non meritiſſime irridendi carpendiq;, qui etiam, cum talia ignorent, Hippocrati ſe præponunt? Verum illorum ſtupiditatem ne Mercurius quidem ipſe cum Muſis ſanauerit.

*ἄσιτοι.

De curanda Diaria in calidis & humidis naturis, ac in habitibus, qui ſunt acquiſiti. Cap. 7.

ABſoluta uero in ijs naturis,quibus amara bilis redundat, (in quibus ſcilicet elemẽtum frigidum uincitur a calido,& elementum humidum a ſicco) de diarijs febribus diſputatione ad aliud corporum temperamentum tranſeamus, quod nihil minus,quàm ſupra dictum,uitioſo eſt ſucco, in quo.ſ. calidum præualet frigido, & humidum ſicco. Maxime enim omnium putredinis morbis hæc intemperies expoſita eſt propterea, quòd per ipſam ſanitatem proxime putredinem accedit: veluti tum ex ſudoribus conijcere eſt,qui grauiter his olent,tum uero ex urinis, deiectione, atq; etiam ipſa* reſpiratione. Etenim, qualis eſt hircorum, talis eſt & talium naturarum temperies. Ideoq; prompta eſt ex qualibet occaſione tum alijs morbis, tum uero febribus corripi. Nam,qui hac intemperie ſunt,cum ſtipata cutis eorum eſt,effugere febrem non poſſunt. Sed nec, cum ualentem cruditatem contraxerunt, H aut peruſti [in Sole] fuerunt,aut tale quippiam aliud paſſi. Ac uitioſis quidem habitibus ſtipatio cutis plurimum eſſe incommoda ſolet. Ideoq;, quibus amara redundat bilis, non minus, quàm qui ad putredinem ſunt proni, (Sepedonodis, id eſt putredinoſos Græci uocant) febribus ijs, quæ ex ſtipata oriuntur cute, patent. At ab nidoroſis cruditatibus, quæ humidæ & calidæ naturæ ſunt, (quas modo putredinoſas propterea uocaui, quòd ſucci facillime in ijs putreſcant) promptius lædentur. Nam de obſtructione quid attinet dicere? quam idcirco maxime febres accendere diximus,quòd putredinem in ijs, quæ non tranſpirant, corporibus creet. Verum de eiuſmodi febribus poſt agemus. Sane diariæ omnes promptiſſime in iam dictis temperamentis accenduntur, idque ex qualibet earum cauſarum, quas modo in amara bili uitiatis naturis retuli: curationemque perſimilem illis habent, ac in paucis omnino diſſidentem. Nam, cum hæ humidiores naturæ ſint, magis ferunt, quàm illæ, famem ſitimque. Itaque minus lædentur hæ, ſi quando fame per diatritarios crucientur, ſi modo libera ipſis tranſpiratio non deſit. Atque idcirco balneum hi, ceu quod cutim eorum laxet, uel magis, uel certe non minus, quàm qui amara bili abundant, requirunt:ceu quod humectet,non requirunt. Quæcunque uero de eiuſmodi natura ſunt dicta,eadem de acquiſito habitu dicta eſſe cenſendum.Aliqui enim,quibus boni ſunt natura ſucci, coeuntibus aliquando eodem tempore pluribus ſiccantibus corpus calfacientibusque

*ἐκπνοῆς.i.exſpiratione.

A tibusq; cauſis,in amaræ bilis uitioſum habitum mutantur. Da enim ueniſſe hominem æſtatis tempore in regionem calidam & ſiccam: eſſe præterea eodem tempore ſtatum cæli calidum ac ſiccum: tum ueſci eum cibis calidis ſiccisque: cogitare quoq;, ac triſtari, & uigilare,& iraſci,& quamplurimum laborare: fieri autem poteſt, ut idem homo per id tempus uenere ſit uſus frequenti, & in Sole, maiore ex parte uerſatus,& medicamenta, quæ ſiccent calfaciantq;, biberit,ueluti aliqui Theriacen, non nulli Ambroſiam, alij Athanaſiam: ſcimus enim profecto medicamenta a iunioribus medicis eiuſmodi nominibus uocari: Cui ergo omnia iam dicta per æſtatem contigerunt, hunc, neceſſe eſt, calidum & ſiccum reddiderint, ac propterea eo habitu, qui amara bili abundet: quanuis antea optimi ſucci fuerit. Itaq; etiam ex omnibus ſupra dictis cauſis facile febricitabit. Ad eundem modum,& ſiquis naturaliter boni ſit ſucci, ac locum temperatum incolat,ſi illinc ſe in alterum locum,qui calidus ſit & humidus, ueris tempore transferat, idq; ſtatu cæli calido humidoque, tum omni uictus ratione calida humidaque utatur, is quoque ſimiliter illis, qui natura ſunt putredinoſa, tum ceteris tentabitur morbis, quibus illi: tum febricitabit non ſolum alijs, ſicut illi ex ijſdem cauſis, febribus,ſed etiam non minime diarijs, de quibus nunc inſtituimus.

Quæ inter Diarias febres, in acutas, aut multorum dierum, promptius, ac facilius pertranſeant. Cap. 8.

B CVm uero octo intemperies in uniuerſum ſint, ut oſtendimus, opportuniſſima ad febres eſt calida & ſicca. Ac, niſi quis hanc, ut dictum eſt, cibet, ocyſſime in ea mutatur diaria febris in acutam. Propinqua huic eſt, præſertim quod ad febrem attinet, quamuis ad alia ſit deterior, calida intemperies & humida. Tertia ab his intemperies eſt ſimplex illa, in qua oppoſitio altera recte ſe habet,utique quæ ex humido & ſicco conſtat, in altera calidum exuperat. Quippe opportunior eſt hæc, quàm ceteræ,quæ ſequuntur, tum ut omnibus ſupradictis occaſionibus lædatur,tum ex diarijs in† [plurium dierum] febres tranſeat. nihil enim alienum fuerit eas ſic appellare. Huic proxima eſt, quæ in calido & frigido debitum modum ſeruat,ceterum ſiccum elementum habet humido præualens. Ab hac deinceps media omnium eſt.ſ.quæ mediocritatem in utraq; oppoſitione ſeruat. Quatuor, quæ reliquæ ſunt intemperies, neq; facile febribus occaſione iam dictarum cauſarum patent: neque diaria tentatæ,ſi inediam tolerant, in plurium dierum febres tranſeunt: immo aliquæ ſaltem earum,ubi redundantiam humorum citra corruptelam contraxerunt, (contrahunt autem eiuſmodi intemperies aſſidue) utilitatem ex inedia ſentiunt: ac potiſſimum,quæ frigida eſt & humida: Ab hac,quæ humida eſt: Tertio loco,quæ frigida: Quarto loco,quæ ſicca eſt & frigida. Siquidem poſt diarias febres diſcuſſas, ubi coactus quiſpiam nulla neceſſitate eſt mirificam diatriton tranſmittere, alia quidem nulla in frigidis temperamen-C tis ex inedia febris excitabitur: lædetur tamen ipſe ſiccus & frigidus corporis habitus quàm maxime, ut,niſi longo tempore, redire ad naturam, qui ea ſunt intemperie, non poſſint. Ceterum, ſiquod forte fortuna his adſit acquiſititium humorum uitium, fieri poteſt, ubi in fame & illoti per triduum cuſtodiũtur,ut ex diarijs in plurium dierum febres immigrent. At,quæ ſicca quidem corporis natura eſt, ſed in altera contrarietate temperata,ea in longioribus inedijs gracileſcit magis,quàm quæ ſicca eſt & frigida,reficitur tamen facilius,cum idoneum nacta eſt uictum.

† πολυημέρους.

Quo pacto curatio, ac uictus ratio inſtituenda ſit, cum diſſidentes indicationes in Diarijs febribus coierint. Cap. 9.

ENimuero eiuſmodi omnibus uictus ratio alteranda eſt, multo profecto magis, quàm ijs, de quibus primum omnium eſt dictum,nempe calido & ſicco, item calido & humido. Quippe, qui frigidus & humidus natura eſt,quoniam calido ſiccoq; in utraq; intemperie contrarie eſt affectus, contrario nimirum utetur uictu. Melius tamen eſt non abſoluto ſermone contrario dicere, ſed ex ſolius temperamenti indicatione, quando ex eo,quòd eadem febri febricitant, non diuerſam, ſed omnino eandem ſortientur indicationem. Dictum nanq; ſæpenumero iam eſt id,quod ſecundum naturam eſt, ſimilia ſemper poſtulare:quod præter naturam eſt,contraria. Siquidem,quod naturaliter ſe habet, cuſtodi-D re: quod præter naturam eſt,tollere oportet. Porrò febris omnis præter naturam eſt: ideoq; uictus rationem humidam frigidamq; exigit. Temperamenta uero ipſa alias ſimilia, alias poſtulant contraria. Quæ enim uitio carent, ſimilia perpetuo: quippe quæ ſeruare expedit: Quæ uitium habent (ueluti in opere de ſanitate tuenda eſt dictum) alias ſimilia, alias contraria. Idq; merito accidit, cum nec ad unguem naturaliter ſe habeant, (quomodo enim eſſent uitioſi?) nec prorſus præter naturam, quando, qui ſic attemperati eſſent,perpetuo ægrotarant. Ergo ſimilia deſiderant,tum in alijs,de quibus mox dicetur, tum uero in ulceribus omnibus: monſtratum enim id ſæpenumero iam in ſuperioribus eſt:Contraria uero in eo uictu,qui per ſanitatẽ adhibetur:ueluti in libris de ſanitate tuenda docuimus: Sed neque hæc perpetuo,ſed tum,cum corrigere intemperiem eorum ſtudemus. Quippe duplex nobis in ijs, qui ſani ſunt,finis proponitur:Nempe uel corpus ſanum in priſtina eius temperie tueri: uel etiam hanc meliorem reddere. Sic igitur, arbitror,in ijs,qui diaria febri laborant, cibandis, uel uni febrili affectui contrarium,uel etiam ipſi laborantis intẽperamento deſumam.In ea tñ natura, quæ haud dubie in medio temperamento eſt,ab ipſa febri contrariorum indicatione accepta, eatenus humidum frigidumq; uictum adhibebimus,quatenus ſiccius calidiusq;,quàm ante,iam redditum corpus apparet. Verũ hoc tum perſpicuũ,tum indubitatum eſt. Reuertamur autem rurſus ad intemperatas naturas. Nam,qm̃ eas (ſicut in libris de ſanitate tuenda eſt proditum) licet, &, quales accepimus, ſeruare, licet & ad melius transferre,

transferre,ſatius,arbitror,eſt,cum plane ualent,non cum ægrotant,uel de ſe queruntur, uictus illis ra- E
tionem mutare. Gaudent enim naturæ conſuetis ſemper, vt & Hippocrates euidentiſſimis argumentis
in libro de acutorum uictu adſtruxit,& in omnibus, qui ſe ſecundum naturam habent manifeſte appa-
ret. Quòd nanque,qui ſibi iam diſplicent,extra cœtum eorum,qui ſecundū naturam ſe habent ,ſint po
nendi,id nemo,qui compos eſt mentis,dubitet. Ceterum,ij an præter naturam ſe,an non naturaliter ſo
lum habeant, id utique quis æſtimandum duxerit. Atqui, ſi ex ipſa conſuetudine indicationem aliquā
ſumi cōueniet:ſi quidē multo iā tēpore intēperatas naturas contrario uictu ei,quæ uicit, intemperiei ci
bauimus,ita etiā, & cum parū ex ſententia ſe habent, faciemus. Sin minus,eā quæ ſimilia temperamē
to ſuadet, indicationem præferemus. Ita uero & Hippocrates mihi ſentire uidetur, ubi ait: Humidus »
omnis uictus febricitantibus eſt idoneus:potiſſimum autem pueris,& alijs,qui ita cibari ſunt ſueti. Fe- »
bricitātibus enim inquantum febricitant,ex ipſa contrariorum indicatione humidus uictus conducit:
pueris,ex ſimilium. Eodem autem modo & eam,quæ a conſuetudine præbetur,quo eam,quæ ab ætate
datur,accepit. Nam & ætas,cum ex ijs ſit,quæ natura nobis inſunt,ſimilem ſibi uictum poſtulat. Et,quæ
à conſuetudine indicatio ſumitur,ſic ſumpta eſt,ſicut ea,quæ ab ætate. Quippe ſeruare quoque hanc iu
bet,perinde ac proprium ætatis temperamentum. Itaque etiam nos tum ex omnibus,quæ circa ægrum
ſpectantur,eius,quod conducit,inuentionem moliri:tum quando indicationes omnes ſecum conſen- F
tiant,& quando inter ſe diſſentiant,inſpicere ſemper conueniet. Omnibus enim conſentientibus, unā
prorſus uictus ſpeciem conſtituemus:Diſſidentibus uero inter ſe,quæ ualentiores,ac plures ſint,præfe
remus ita,ut uictus ſpecies, quam hæ præſcribant, præferatur, ſic tamen,ut ne contraria ſit neglecta.
Porrò prælatio hæc alias utriſque in unius auxilij materiam miſtis perficitur,alias ſeorſum ſumptis. Ac
communis quidem hæc ratio eſt omnium,quæ inter ſe complicatæ ſunt, contrariarum indicationum.
Quomodo autem hanc ad uſum conferre oporteat, cum aliquando ipſi morbi coeuntes ſint contrarij:
aliquando morbus vnus ſit,ſed qui contrariam indicationem ſubijciat, aut naturali laborantis tempe-
ramento,aut ei,quod nunc acquiſierit:præterea ætati,& conſuetudini,& regioni,& anni tempori,in ip-
ſa particulatim tractatione oſtendam. Nunc ergo,cum propoſitum nobis hoc loco ſit unicuique me-
moratorum intemperiei generum idoneum inuenire uictum,cōmunis,quem cœpimus, methodi mo-
dus,ueluti ſub exemplo,examinetur. Pone enim correptos febri eſſe duos homines, in regione natos
educatoſque temperata:nunc in ea non eſſe,immo alterum in calida,& ſicca:alterum in humida,& fri-
gida:præterea eoſdem diuerſo eſſe tum temperamento,tum natura,tum conſuetudine,tum ætate: etiā
ſub diuerſo(ſi placet)& anni tempore,& ſtatu cæli ægrotare,ſic,ut alter calidus ſiccuſque natura ſit,ac
tali uictus rationi in totum inſueuerit:præterea iuuenis ſit,& hyeme ægrotet,idque in humida & frigi- G
da regione,ac ſtatu cæli ſimili: Alter humidus & frigidus,ſimili uictu aſſuetus,tum puer ætate,ac æſta-
te,in calida ſiccaque regione, ac ſimili cæli ſtatu laboret: Quænam igitur in utroque horum ſunt indi-
cationes? Nempe,quæ à febricitando ſumitur,communis amborum eſt,ac,quæ refrigerent, & hume-
ctent,deſiderans:Reliquorum nulla eſt præterea communis. Siquidem priori & propter naturam, &
propter ætatem, quæ ſimili ſibi uictu fuere aſſuetæ, ſiccioris calidioriſque temperamēti cibus idoneus
eſt:Idemque propter & anni tempus, & ſtatum cæli,& regionem conuenit. Non enim,quæ ab his ſup-
peditatur:indicatio ſimilia deſiderat,ſed contraria. Alteri ex propoſitis,propter ætatem,& naturam,&
conſuetudinem ſimilia ipſis exhibenda indicantur:propter ætatem quidem humida, modiceque cali-
da:propter naturam,& conſuetudinem humida,& frigida,propter regionem,& anni tempus,& ſtatum
cæli, contraria: quæ & ipſa nimirum ſunt tanto temperatis frigidiora & humidiora, quanto regiones
ipſæ ſunt calidiores temperatis,& ſicciores. A cōſuetudine enim ſemper eſt indicatio ſimilium,quoad
ſcilicet ægrotant homines. At ab ætate,natura,regione,anni tempore,& ſtatu cæli, ubi temperata hæc
ſunt,ſimilium ſemper*præſidiorum eſt indicatio,ſiue ualeant homines,ſiue ægrotent. Contra ab intem
peratis anni tempore,ſtatu cæli, & regione,contrariorum eſt indicatio. Ceterum ab ætate & natura nō
abſolute,ſed cum conſuetudine. Porro nihil in contrarijs indicationibus tum conuenit,expendi,quàm H
magnitudinem†[eorum,quæ ad indicationem coierunt.] Quam utique in libris de ſanitate tuenda du
plicem eſſe oſtendimus: Alterum,quæ ex ipſorum,quæ indicant,dignitatibus cenſeatur: Alterum,quæ
ex ipſorum(ut ſic dicam)proprijs ſubſtantijs ſpectetur. Quas ex conferendo cum mediocri, & quod ſe
cundum naturam eſt,accipiendas eſſe teſtati ſumus. Niſi enim ita quis indicationum poteſtates exami
net,nequeat ſane menſuram uictus inuenire. Cum enim refrigerandum humectandumque eſſe febris
perpetuo indicet; reliquorum uero quodq; , prout dictum eſt,ubi concors eorum indicatio eſt,nullum
exhibetur negocium:ubi diſcors,pro pluribus ac potioribus formari uictus ratio debebit. Siquidem in
modo propoſitis,ex eo, quod febricitant, communis refrigerantium ac humectantium indicatio præ-
ſtatur,non tamen ex ceteris. Sed cuius tum ætas,tum temperamentum unà cum conſuetudine, tum re
gio,tum anni tempus, & cæli ſtatus humectantia refrigerantiaque exhibenda indicant, hunc haud du
bium eſt non ſolum humectandum refrigerandumque eſſe, ſed etiam nec leuiter hæc, nec utcunque,
facienda eſſe,immo plane magnopere ac uehementer,omnibus ſcilicet* indicationibus idem dictanti
bus. Cuius uero reliqua omnia refrigerantem quidem humectantemque uictum, quemadmodum &
febris,non indicant,ſed contrarium ipſi,calfacientem ſcilicet & ſiccantem,utique ambiguitas pugna-
que indicationum inter ſe oritur:quo caſu magnopere opus eſt,tum numerum indicationum,tum ma-
gnitudi-

*διαιτημάτων .i. uictus rationum, legunt omnes codi. græci. & ita omnino legēdum eſt. non βοηθημάτων, id eſt præſidiorum.

† Ita legendū eſſe, ut Linacer uertit, tū ex codicibus græcis, tū magis ex libro tertio de ſanitate tuēda patet, ubi de hoc diffuſa

tractatur. Neque enim legendum eſt τῶν συμφερόντων. i. eorum, quæ cōferūt.

A gnitudinem ſimul conferas. Quippe,quæ a febri ſumitur,ea reliquis,quando omnes contrarium faciē-
dum præſcribunt,numero quidem inferior eſt,magnitudine tamen,quæ ex dignitate,aut poteſtate,aut
quomodocunque appellaſſe libet, ſpectatur, utique ſuperior eſt: potiſſimum, ſi longe à natura receſ-
ſit. Quippe duplex tum magnitudo illi accedit,& quæ ex febris genere prouenit, quæ omnibus eſt cō-
munis:& quæ propria,ſuaque ipſius eſt. Siquidem,& quia febris plus ceteris omnibus ſolicitos nos ha
bet:& quia,præterquam,quod febris eſt,etiam magnitudo illi notabilis acceſſit,idcirco contrarias in-
dicationes inducit, atque obumbrat. Sin parua fuerit,fas eſt reliquas omnes unà coniunctas cum ea
conferri,atque expendi. Ac,ſi quidem pares uideantur,neque febris indicatio præferetur ſic, vt hume
ctandum & refrigerandum ſit: neque etiam reliquorum ſic, ut calfaciendum ac ſiccandum ſit, immo
media uictus ratio, ubi ita ſe corpus habet, eligenda erit. Sin altera indicatio exuperet, tantum re-
ceſſiſſe a temperato & medio uictu par eſt,quantum ea,quæ pollent,ſua contraria ſuperant. Ergo tum
exercitatum in his omnibus,tum natura prudentem eſſe medicum conueniet,quo cuiuſque indicatio
nis poteſtate diligenter conſiderata,omnibuſque inter ſe collatis, unam idonei uictus ſummam, quæ
†ſcopis. laboranti ſit commoda,comparet. Ac diariarum quidem febrium indicationes ex his*generibus capiū
tur,raroque accidit,ſi alicubi à laborantis uirium modo:cum febrium, quæ pluribus diebus affligunt,
B indicationes,tum uirium reſpectum neceſſario adhibeant,(non enim leue in his conſilium eſt, quod a
uiribus petitur)tum cauſarum,quæ ipſas excitant,exceptis tamen hecticis: utpote quas nulla accendit
cauſa,quemadmodum nec corpus id,quod iam habitu calorem ignis in ſe ſuſcepit,ſiue id lapis,ſiue li-
gnum ſit. Illud nanque commune cum diarijs habent,quod uidelicet non amplius fiant. Differunt au-
tem in eo,quòd diariæ in leui(vt ſic dicam)affectu (κατὰ σχέσιν Græci vocant)calorem habent: hecticæ
in habitu,qui ægre ſoluatur. Licet etiam,dicas eam quoq;,quæ à uiribus ſumitur, indicationem tum in
reliquis omnibus morbis,tum in diarijs febribus ſemper adhiberi, nobis tamen in præſenti diſputatio
ne opus ea,non eſſe propterea,quod ex prima quidem ratione non indicet, ex accidenti uero indicet.
De eo uero accidente in ſequentibus differemus.

GALENI METHODI MEDENDI, ID EST DE MORBIS CVRANDIS, LIBER NONVS.

C

ARGVMENTVM LIBRI.

Curandi ratio febrium continentium,ac ordo,& dignitas indicationum, quibus curatio uniuerſa continetur.

De tranſitu Diariarum in alias febres, ac de ipſarum perduratione. Cap. 1.

A.1.4.f.1.t.1. c.7.p.756. E.

DIARIARVM, ò Eugeniane,curationem in libro, qui hunc præcedit, expoſui, to-
tius propoſiti operis octauo. Eſt autem huius febrium generis unica acceſſio,
uno plurimum die ex ipſius ſaltem natura circunſcripta. Quippe,quæcunque
uel per medicorum ignorantiam,uel ægrorum intemperantiam, uel miniſtran
tium errorem in eiuſmodi febribus commiſſa in aliud ipſas genus transferūt,
hæc ſuæ naturæ ſponte non incidunt. Non enim eſt profecto mirum,ſi per ea,
quæ delinquuntur, non ſolum porrigatur, aut in aliud genus tranſeat morbus
quiuis,ſed etiam,cum prius non eſſet,nunc excitetur. Nam cum ijs, qui inte-
gri ſunt,delinquere non ſit tutum,haudquaquam id ægris ſine diſcrimine contingat. Reliqua uero cum
ſint genera duo,(ueluti in libro de febrium differentijs eſt oſtenſum) alterum ex humorum putredine
naſci docuimus:alterum,quod iam ſolidas animalis particulas occupauit,hecticum nominant. Tranſe
unt ſæpe autem diariæ febres,ueluti ſuperius oſtendimus, in utrunque genus, niſi quis eas commode
tractet. Veluti autem in ceteris rebus omnibus, quæcunque uno genere comprehenſæ ſocietatem in
naturis habent,ac propterea mutuo in ſe tranſire ualent, tertia quædam formula in tranſitu ipſarū exi-
ſtit, quæ neutrius extremitatum formam plane exhibet, ita nimirum & in diariarum febrium tranſitu
imagineris, licet, alterum quoddam genus in tranſitu exoriri, quod neutri extremitatum ſit idem. Ac
primum quidem de hoc differendum eſſe mihi uidetur: quo, ſicuti reliqua, etiam ipſum tum protinus
noſcatur,cum incidit,tum ſic inhibeatur in primo ortu,ne aut ægre ſanabile, aut inſanabile poſt, quàm
auctum eſt,euadat. Ceterum,medium id cum inciderit,nec noſſe ij poſſunt,nec ſanare,qui extremita-
tum quarum eſt medium,ſpeciem ignorant. At tibi,qui præſertim non ſolum diariarum, ſed etiam re-
liquorum duūm generum notas intelligis, ubi uel diariarum notæ aliquatenus ſunt alienatæ, uel reli-
quarum notæ ſimul apparent,haud difficile fuerit iam tranſitum ſuſpicari. Ergo ex aduſtione, crudita-
te,laſſitudine,uigilia,animi perturbatione, uel bubone,qui ex euidenti aliqua ſit cauſa, nunquā ad ter-
tium

tium vsque diem progredietur febris acceſſio, niſi quid delictum circa laborantem ſit. At, quibus ſtipatio febris occaſio eſt, ijs etiam ultra hos porrigi acceſſio poteſt. Nam, quoniam ſtipatio uel obſtructis exilibus meatibus, uel conniuentibus, uel etiam corpore ipſo immoderatius denſato accidit, merito, arbitror, diximus ex frigore & balneis, quæ uel contactu refrigerent, uel facultate: præterea pharmacis ſimilis generis: pari modo ijs, quæ cutim ſiccent, ueluti Sole feruente: nec minus etiam ijs, quę denſent, ueluti dura cum ijs, quæ frigefaciant, frictione & detineri intra corpus ceu fumida fuliginoſa ve excrementa, & ab ijs febrem accendi: verum ex his denſationem quandam corporum ipſorum fieri, ac veluti exiguorum meatuum conniuentiam: obſtructionem uero uel propter glutinoſos, uel craſſos, uel copioſos ſuccos incidere: quinetiam febres, quaſcunq; uel conniuentia meatuum, uel recens corporum denſatio excitant, has & deſiſtere poſt primam acceſſionem, ſiquis recte eas tractet, & uere diarias tum eſſe, tum appellari: at, quæ ex obſtructione creantur, ſi hæc puſilla ſit, ſolui ipſas quoq; ſimiliter, ut alias diarias, ſiquis eas legitime ſanet. Sin ualenter impacti humores ſint ſic, ut ualętius aliquid, quod eos eximat, deſiderent, eas febres porrigi ultra unum diem neceſſe eſt, ac diariarum febrium genus uideri egreſſas. Quomodo enim dici ultra diaria febris poteſt, quæ in tertium uſq; diem extęditur, quando ex ipſa nominis ratione in ſecundo eam deſiſtere par erat? Dictum enim ſupra eſt uigintiquatuor horas eſſe ſic appellatæ diei ſpatium: vtiq; ut cum nomine dici, nox quoq; unà comprehendatur. Atqui, ſi neq; humor putreſcens ſubſit, nec corpus ipſum febrilem calorem, ut habitum, ſuſceperit, a duobus generibus diuerſum ſit. Aut ergo aliud præter tria iam dicta genus eſſe in prima febrium diuiſione dicendum eſt: aut appellatione pro nihilo habita diarias ipſas nominare oportebit. Neque enim profecto de ſubſtantia ipſa talium febrium eſt diariæ uocabulum. Verum conuenienti nomine deſtituti, clarioris ſimul breuioriſq; doctrinæ gratia, ab eo, quod ſæpius eis accidit, nomen indidimus. Ac natura quidem eadem his eſt, quæ diarijs, nomen autem non idem.

A.l.3.f.1.t.2. c.5.p.349.b.

A.l.4.f.1.t.1. c.5.p.755.b.

Quæ ſint febres, quæ ſynochi appellantur, & quæ ipſarum enumerentur inter Diarias. Cap. 2.

SIquidem, in quibus una acceſſio ab initio ad finem perpetuo manens, in multos dies porrigitur, eas febres ſynochos, id eſt continentes, appellant, non illi quidem græco nomine uſi, ceterum ſolœciſmum committendum potius rati, quàm formam ipſarum ſine nomine linquendũ. At non, ſicuti idea una eiuſmodi febrium eſt, a qua ſynochos eas nominant, ita & natura ſimplex unaq; eſt. Quædam nanque earum manifeſtam habent putredinis notam: quædam prorſus non habent, quas nimirum ex diariarum febrium genere eſſe diximus. Cum enim acceſſionis *remiſſio ex feruentium humorum tranſpiratu contingere ſoleat, non tranſpirant autem in uehementi ſtipatione, neceſſe eſt multorum dierũ fieri acceſſionem. Igitur, ubi in tali febri nulla ſubeſt occaſio, quæ alterius acceſſionis principium excitet, ultra hoc, quòd multorum dierum febris eſt, nec inuaſionem ălicuius †[febrium ſignificationis] facit, ſed permanet ab initio ad finem una febris, quæ nec quotidianæ, nec tertianæ, nec quartanæ* notam præferat. Ceterum, cum me audis dicentem, ubi uehementer ſtipata corpora ſunt, cohiberi intra corpus febrilem calorem, non ita factam prorſus denſitudinem putandum eſt, ut nullum ex ijs humoribus, qui tenuati admodum ſint, effluere foras ſinat: cum nec, ſi de oſſibus ita dixeris, id uerum ſit, nedum carne & cute. Verum, cum a feruentibus humoribus uapor attollatur plurimus, effluat autem foras exiguus, hunc, qui relictus eſt, febrem ſeruare eſt neceſſe, neq; id modo propterea, q̃ ipſe manet, ſed etiam propterea, quòd, quæ proxima ſunt, adurit.

*παῦλα. al. ἀλλειμμα.

† ἐπισημασίας

* ἐπισημασίας

A.l. 1.f.2.d.3. c.9. p.86.f.

Quo pacto febris continens cum putredine, aut ſine putredine oriatur. Cap. 3.

QVoniam igitur ex duobus his ſeruari febris poteſt, & quòd totus uapor non tranſpiret, & quòd idem uapor ea, quæ contingit, etiam excalfaciat, neceſſe eſt tres eſſe in ſynochis febribus differentias: nempe uel pari permanente magnitudine ea, quam in prima acceſſione* ſummam habuit: vel adijciente ſemper exiguum aliquid, diminuenteve: atq; hæc uel æqualiter faciente, uel inæqualiter. Ac, ſi quidem, quod accenditur, ei, quod tranſpirat, par fuerit, nec augeri, nec minui febrilis calor cernetur, ſed perinde ſibi ſimilis permanebit, ac ſi nihil illi adijceretur, aut demeretur. Quippe ad æqualitatis cuſtodiam, nihil intereſt, ſeruetur ne eadem aſſidue ſubſtantia: an ei, quæ uacuatur, par ſit ea, quæ adijciatur. Verum, ſi altera earum uicerit, utiq; ſi, quæ uacuatur, minui febrem neceſſe eſt: Sin, quæ adiicitur, omnino increſcere. Sed nec illud ſane quemquam latet, quòd, cum ex febribus altera magis minusve, quàm altera, tum augetur, tum minuitur, id ob exuperantiæ imparitatem neceſſario accidat. Nam, ubi alias ampliore menſura, alias minore uel febrium generatio, uel tranſpiratio exuperat, nec ijs, quæ augentur, omnibus par eſſe auctio: nec ijs, quæ minuuntur, demptio omnino poteſt, immo plurimam eſſe tum exceſſus, tum defectus differentiam eſt neceſſe. Atq; unum quidem hoc (ſiue genus, ſiue ſpeciem, ſeu quiduis aliud appellare libet) συνόχων, id eſt continentium febriũ eſt, quodq; ex eadem cum diarijs natura conſtat. Alterum eſt, ubi in omnibus uaſis, ac potiſſimum maximis, æquabiliter ſucci putreſcunt. Eiuſmodi febrium in gracili & frigido corpore neutra conſiſtere ſolet: ſed plurimum in ijs, qui ſanguine abundant, & * corpulentis gigni cernuntur. quando nec obſtructio citra putredinem excitare febrem ualet, niſi id, quod tranſpirat, & copioſum ſit, & calidum: nec humorum putredo in omnes, quæ inter inguina & alas interſunt, uenas æquabiliter ac cito porrigi in frigido habitu poteſt. Debent enim [ſemper] quæ putreſcunt, tum calida humidaq; eſſe, tum uero difficilem tranſpirationem habere. Eoq; fit, ut nec in frigida ætate, nec in frigido corporis temperamento, ſiue

A.l.4.f.1.t.1. c.4.p.754.f.

*πολυσάρκοις.

ſiue id ab initio conſtitit, ſiue modo frigidum ſit factum, continens excitetur febris: ſed nec in gracilibus, uel qui raro ſunt corporis habitu: Immo tum ætate, tum natura, tũ acquiſititio temperamẽto, quæ calida ſint, ac præcipue ſi & carnoſus, [& bono] ac multo ſanguine affluens, & denſo corpore æger ſit, aut ĕt calidis excrementis refertus. Proinde fit, ut, qui ita febricitant, ijs & pulſus maximus ſit, & æqualis, & uehemens: quibus ĕt arteriæ* habitus, nec durior, quàm pro natura, eſt, nec mollior, celeritatis tĩ frequentiæq; eo peruenit, quo febris ipſa magnitudinis. Atq; hæc quidem ambarum ſunt cõia: alteri uero priuatim putredinis inſunt notæ, idq; tum in lotio, tum pulſu, tum caloris ingrata qualitate.

† σύνασις. i. cõ ſiſtentia.

Adoleſcentium duorum curatio, quorum alter continente ſine putredine, alter cum putredine febricitabat. Cap. 4.

ACtibi exempli cauſa redigam in memoriam adoleſcentes duos, quos unà mecum uidiſti. Erat alter eorum liber, & palæſtræ peritus: alter ſeruus, haud inexercitatus ille quidem, ceterum in palæſtra parum uehemens, nec tĩ ad quotidiana, quæ ſeruum deceant, tũ exercitia, tum opera tractanda nõ idoneus. Porrò liber continenti citra putredinem febri laborauit: ſeruus continenti cum putredine. horum utriq; quænam ſit adhibita curatio, non intempeſtiuum dictu nunc arbitror: q̃nquidem in exemplis exercitari, quiduis diſcentes maxime expedit. Neq; enim ſatisfaciunt ad exactam cognitionẽ uniuerſales methodi. Sunt autem exemplorum ea pro potioribus habenda, quæ ipſi oculis uſurpauimus.

B quando, ſi omnes, qui docere ſcribereve aliquid ſunt aggreſſi, ea prius operibus oſtendiſſent, prorſus paucula quædam falſo dicerentur. Nunc uero pleriq; alios docere tentant, quæ nec ipſi unquam fecerunt, nec alijs oſtenderunt. Ceterum uulgus medicorum, nihil miri eſt, ſi contemptis bonis moribus, opinioni ſapientiæ magis, quàm ueritati inhiat. Verum non ſic fuit ratio noſtra. Non enim heri, aut nudiuſtertius, ſed ſtatim ab adoleſcentia philoſophiæ ſtudio capti, primum nos ad eam contulimus: Mox patris euidenti inſomnio moniti ad medicinæ ſtudium excolendum uenimus, ac per totam uitam operibus magis, quàm uerbis, utriq; ſtudio incubuimus. Quo minus mirum eſt, ſi, in quo tempore alij totam urbem ſalutando luſtrant, & cum diuitibus cœnant, ac eoſdem comitantur, hoc omni ſedulo nos laborantes, primum quidem omnia, quæ ueteribus pulchre ſunt inuenta, didicimus: mox eadem opere tum indicauimus, tum exercuimus. Ergo, qui palæſtræ peritus iuuenis erat, ubi febricitare hora prima noctis cœpiſſet, poſtridie eum mane circiter horam diei tertiam uidimus. Cum autem inueniſſem febrem admodum calidam, ſed pulſus æquales, & maximos, & celeres, & frequentes, & uehementes: tum caloris qualitatem, quæ tactum minime morderet: iam uero & urinas tum * craſſitudine, tum colore a naturali habitu non multum alienas: audiens præterea hominem circiter triginta dies exercitationis conſuetudinem intermiſiſſe, pridie tamen exercitaſſe ſe uehementius, ceterum non mul-

* συνάσει. i. cõ ſiſtentia.

C tum, ſumpſiſſe autem ſolitos cibos, atque eos concoxiſſe, quamuis tarde & ægre, utpote cum febris ueſpere occupaſſet: cum interim rubicundus plenusque homo appareret, atque etiam plenitudinis ſenſum ſe percipere diceret: faciente interim quodam eorum, qui aderant, de uena ſecanda mentionẽ, uiſum nobis eſt eius auxilij conſiderationem in aliud tempus remittere, ſimul ut certius ſciremus, cuius generis febris eſſet: ſimul neceſſario propter eam, quæ præceſſerat, concoctionis tarditatem. Cũ autem ueſperi ſimilem uigorem tueri febris eſt uiſa, ceu nihil ſenſibiliter remittens, ſuſpicio iam erat ſynochon eſſe, hancque ex obſtructione, & ſanguinis abundantia, & præ carnis copia ſtipatione. Ac, cum parem magnitudinem per totam noctem febris ſeruaret, poſtero die uiſum eſt medicis omnibus, qui eum inuiſerant, ſanguinem eſſe mittendum. Diſcordia uero orta de tempore, & uincentibus, qui id in ſequentem diem differendum ſuaderent, febris per totum eum diem euidenter uiſa eſt uigorem ſuum augere. Mox tertia ſequente nocte, alia quidem acceſſio minime incidit, quæ primæ ad portionem reſponderet: erat tamen æſtus ipſe laboranti intolerabilis: vrgebatque cum tenſio totius corporis, utpote repleti, tum capitis pulſatio: atque ob hæc grauis uigilia, iuuene in aliam alias ſe figuram iactante. Itaque, cum ultra ferre non poſſet, hora noctis circiter octaua mittit ad me miniſtrũ, rogatque, ad ſe ocyus ueniam. Ipſe annuo, atque abeo: inuenioque febrem calidiſſimam, pulſumq;,

A.l.1.f.4.c.20.p.49.

D qualem prædixi. Quoniam autem nec in hoc, nec in lotio, nec in ipſa caloris qualitate indicium aliquod humorum putreſcentium apparuit, optimum factu uiſum eſt uenam incidere ante, quàm putredo inciperet. Aufero itaque ab homine eouſque de induſtria ſanguinem, quoad animo linqueretur, maximum plane ubi ualentes uires ſunt, continentis febris remedium: id quod tum ratione, tum experientia didici. Primum nanque in contrarium ſtatum agitur corpus, celerrime ex animi defectu refrigeratum. Hoc uero nemo inuenire poteſt, neque quod ipſis ægris, neque quod naturæ, quæ animantes gubernat, iucundius utiliusve ſit. Poſtmodum in eiuſmodi corporibus neceſſario ſuperuenit alui deiectio, non nunquam etiam bilis uomitio: quas res ſtatim a toto corpore madores ſudoresve excipiunt. Quæ nimirum omnia, cum huic quoq; contigiſſent, protinus febrem extinxerunt ſic, ut quidam exijs, qui aderant, iugulaſſe me febrem per iocum dicerent. vnde omnes riſimus. Verum, quo narrationem oẽm abſoluã, nihil mali erit paucula addidiſſe. Poſt duas nãq; a ſanguinis miſſione horas paulo nutrimenti dato, ac iuſſo quieſcere, diſceſſi. Quinta uero hora reuerſus, tã profundo ſomno indormiẽtem inueni, ut tangentẽ me prorſus non ſentiret. Cũ uero & miniſtri adeo illi altum ſomnũ fuiſſe dicerẽt, ut nec, cũ madores eius abſtergerent, expergiſceretur, ſuaſi ita facerent: eſſe nanq; hominẽ iam prorſus a febri liberum. Reuerſus autem & decima rurſus hora, ĕt tunc dormientem inueni. Egreſſus autem iterum ad alios uiſendos ægros, redeo hora prima noctis, non tamẽ, ut ante, tacens, ſed uoce de induſtria ſublata,

ſublata,quo ægrum a ſomno excitarem. Quod cum ita accidiſſet,ubi ſolo ptiſanæ cremore ipſum nutriui, abij. Cuius modum poſtero die augens,tertio lauatum dimiſi,Ac,quæ ad hunc pertinebant infirmum,ita ſunt geſta. Quæ uero ad alterum,nunc dicam. Is,cum toto die multum laboraſſet, deinde lauatus paucula comediſſet, cœpit nocte febricitare,totum etiam continuans ſequentem diem. Hunc nos poſt ſecundam noctem uidimus, in ceteris quidem omnibus iam dicto iuueni ſimiliter affectum, uerum putreſcentium humorum euidentes præbentem notas. Itaque uena quoque huic protinus inciſa uſque ad animi defectum uacuauimus. Poſt id,idoneo interpoſito ſpatio, cibauimus primum mulſa,deinde una interpoſita hora,ptiſanæ cremore. Atque hæc omnia intra quintam acta ſunt horã. Cum autem ſimilis ſibi perſeueraret febris,ſynochon eam fore ex putredine expectauimus:Itaque accidit. Quippe cum eam ſecũda noctis hora pari magnitudine cerneremus,tertiæ diei acceſſionem, futuráne eſſet,an ſecus,diligenter obſeruare uolebamus:cuius in ſeptimam horam noctis ſuſpicio erat. Itaque cum ſummo mane ſuperueniſſem,inueni,quod expectaram. Nam nec tertiana inciderat acceſſio,febriſque remiſſior paululo,quàm ueſperi fuerat,apparuit. Vt autem rurſus hominem meridie uidi, eratque iam certiſſimum & febrem decreuiſſe,& ſynochon febrem eſſe,ſed quæ [aſſidue] decreſceret,ſatius uiſum eſt tum quoque hominem ſimiliter nutrire. Quarta uero exacta nocte,manifeſte minor etiã quarto die erat. Quo rurſus quoque ad eundem modum homine cibato,aduertimus tum illo die toto, F tum,quæ hunc ſecuta eſt,quinta nocte magnitudinem remittere ſic, ut quinto die liquido plane appareret minor eſſe febris,quàm ante. Itaque ad portionem minuentis ſe febris,urinæ quoque concoctio proceſſerat. Eratque haud obſcurum ſeptimo(id quod factum eſt)finiendam. Hanc igitur plane contĩnentem ex humorum putredine febrem, & quæ aſſidue decreſceret uidimus. Multas uero alias continentes conſpeximus,quarum aliæ creſcentes:aliæ ſimilem tenorem ſeruantes erant:(Illas Epacmaſticas: has Acmaſticas, uel Homotonus Græci uocant) Aliæ,ceu quam modo memorauimus, decreſcẽtes,quas Paracmaſticas dicunt. Aliæ rurſus in primo die putredinis notas habuerunt:aliæ in tertio,aut certe ad ſummum quarto,idque alias medicorum ipſorum inſcitia,qui ſanguinem non miſerant: alias laborantium ipſorum timiditate. Siquidem eorum,qui ex ſola obſtructione febricitarent,nemo in putredinis febrem incidit,qui prius ſanguinem miſerat. Quem,ubi ualida uirtus ſubeſt; & ætas permittit, vſque ad animi defectum mittere expedit. Vbi horum alterum non ſatis reſpondet,tutius eſt quantum ſatis uiſum fuerit,tantum principio detrahere:quod defuit,iteratione ſupplere. Etenim hoc præſidio omiſſo,qui ita febricitant, in ſummum diſcrimen ueniunt, niſi ſi eos uel uirium robur, uel largum ſanguinis profluuium, uel ſudor copioſus ex manifeſta pernicie eripiat. Et tamen non nulli ex medicis ſunt,qui tametſi manifeſtiſſime uident naturam ſanguinis profluuio non paucos eorum,qui ſic periclitentur,ſeruare,tamen ſanguinis miſſionem fugiant,nullam nec experientiam, nec ueram rationem ſecuti. Ceterum hos mittamus,diſputato præſertim contra illos abunde uno integro libro,qui eſt de ſanguinis miſſione contra Eraſiſtratum ſcriptus,ipſi uero ad propoſitum reuertamur.

A.l.4.f.1.t.2. c.45.p.790.d

A.l.1.f.4.c.20 p.145.A

De ratione curandi continentes febres per uenæ ſectionem & frigidæ exhibitionem. Cap. 5.

ERat uero in præſenti diſputatione propoſitum de ijs febribus differere,quæ ex ſtipatis per obſtructionem meatibus oriuntur. Quas,ſi ſine putredine conſiſtant,ex diariarum eſſe genere dixi. Sin ijs putredo aliqua uel ab initio ſtatim, vel poſtmodum ſuperueniat,ubi in omnibus venis,ac præcipue magnis ea conſtitit,continentes excitari febres:ubi in unica animalis parte, febres, quæ certo ambitu accedant. Verum de his poſtea. Quod autem & bis,arbitror,& ter,& ſæpius,iterumque dicendum eſt, qui ita laborant,ſi recte curabuntur,ijs ſanguinis miſſio eſt adhibenda:quando,quibus corpus ex ſucco rum abundantia inhabile ad tranſpirationem iam redditum,tantum caloris congeſſit,ut inde iam febricitet,ijs tantum ſanguinis eſt detrahẽdum, quantum uires tolerant. Pro certo quoque habendum,niſi ijs,qui hoc per naturam ſunt habitu,id adhibeatur præſidium,fore, ut uel ſuffocẽtur, uel certe ſyncope prehendi omnino periclitentur,niſi (ut dictum eſt) eos uel uirium robur,uel plurimus ſudor,uel largũ ſanguinis profluuium a morte uindicet. At illud uel me tacente conſtat,ijs præſertim, qui librum de ple H nitudine ſtudioſe perlegerunt,quanquam & nunc quoque a me dicetur,non eſſe nunc nobis de ea abũdantia ſermonem,quæ ad uirtutem comparatur,(quippe quæ nec ſic obſtruit uenarum ora,ut refrigerationem prohibeat, nec tunicas earum diſtendit, nec ruborem,nec tumorem inuehit, multoque minus uel carnis uel cutis tranſpirationem moratur) uerum de ea,quæ contineri a uaſis ultra non ualet, quæque ob idipſum tum perrũpere uaſa,tum recludere ſolet,reliquaque modo dicta ſymptomata inducit, obſtructionem,diſtentionem,tumorem,ruborem:de hac,inquam, mihi omnis ſermo tum habitus eſt, tum uero nihilominus habendus. Siquidem copia hæc, dum bonitatem ſuam ſeruat,ut pariter augeri cum robore uirium eſt nata,ita,ſiquando has grauat,nec de cetero augebitur & bonitatẽ naturæ amittet. At,ſi †[naturalem ſemel bonitatem amiſerit,]fieri nequit,ut non putreſcat:quandoquidẽ nec aliud ullum ex ijs,quæ foris ſunt,humidum calidumque corpus manere imputreſcibile cernimus. Ergo feſtinare ad ſanguinem detrahendum oportet,quo* uenarum natura ex tranſpirando uentilandoque naturalem temperiem ſeruans, humoribus eo, quo inter initia,modo dominetur: quando,ſi ad intemperiem uerſa laborabit,metuendum eſt,ne hi putreſcant. Excitatur autem intemperies in ea ex febris calore. Quem, ſi quando rudis quiſpiam medicus auxit, non uacuata ſtipationis cauſa, in incerto reliquum omne remedium eſt. Vbi nanque emitti abundantia poſtulat,calor autem refrigerari,pugna diſcor-

A.l.1.f.4.c.20 p.146.D

† τὸν ἐκ τῆς φύσεως κόσμον ἀπολέσειε. i. nõ amplius a natura regatur. * τῶν ἀγγείων i.uaſorum. A.l.1.f.2.d.3. c.4.p.85.B

A ſcordiaque inter ipſa ſanandi oritur remedia,ſcilicet ijs, quæ refrigerent, quamuis temperiem naturæ concilient,ſaltem abundantiam intra corpus detinentibus:quæ uero rarefacienda cute hanc educant, omnibus calfacientibus,ſic,ut,ſi abundantiam emittere uelis,febrẽ augeas:ſi febrem refrigerare,abundantiam moreris. In hanc conſilij inopiam deueniunt,qui ſtatim a principio non uacuarunt, Eraſiſtrati perſuaſione inducti: qui nec ſpontanea ſanguinis profluuia potuit imitari. Optimum igitur factu eſt (id quod nos ſemper in re quaque facere uidiſti) ſtatim non numero dierum,ſed uni uirium robori, in febribus eius generis attentum eſſe:quippe quod ſi ſeruatum eſt,non ſolum ſexto ſeptimove,ſed etiam ſequentibus diebus ſanguis eſt mittendus. Quod ſi curare aliquando infirmum cogeris, cui non ſolum antea ſecandæ uenæ remedium prætermiſſum eſt,ſed nunc quoque uel per medicorum ignorantiã, uel ipſius laborantis propinquorumue eius timiditatem procedente tempore mittere ſanguinem prohiberis,ad frigidam exhibendam accedes,ſed diligenter ante diſcernens,quantum ex ea nocumentum contingere poſſit. Nam,ſi id aut exiguum erit,aut nullum,offerenda potui eſt,quæ prorſus ſit gelida, quantum bibere ægro libet:quinimmo magis id audebis,ſi frigidæ potioni inſueuerit. Sin magnum timetur incommodum,ab hac quidem abſtinendum,atque alijs auxilijs,quibus obſtructio eximatur, & abundantia uacuetur,& febris feruor deferbeat,utendum. Porrò incommoda,quæ frigidam potionem intẽ B peſtiue immodiceque exhibitam ſequuntur, in his conſiſtunt, quod lentos craſſoſque † humores, ſiue hi obſtructiones,ſiue putredinem,ſiue phlegmonen,ſiue,qualis eryſipelas,aut ſcirrhus,aut œdema eſt, affectum creauerint,attenuari digerique prohibent. Ergo, quoties ex his febris accenditur, atque ad eos uacuandos frigida data non conducit, ad præſens quidem non paruum affert leuamen propterea, quod iam accenſam febrem extinguit, uerum, cum cauſa eius adhuc perſtet, aliam denuo accendi eſt neceſſe,atque ea,quæ præceſſit,non nunquam difficiliorem propterea, quod denſatum ex frigida corpus eſt. Atque hæc una noxæ ſpecies eſt minime contemnenda. Altera talis eſt. Multæ laborantis imbecillæ particulæ, ſiue ita ſe ex naturali intemperie habeant, ſiue ex uitio adſcititio,a frigida læduntur. Alij nanque gula adeo uehementer eſt affecta,ut uix deglutiret: Alij uentriculus ſic, ut uix concoqueret: Alij ipſum uentriculi os,aut iecur,aut colon,aut pulmo,aut ſeptum tranſuerſum,aut renes,aut ueſica,aut tale quippiam aliud a frigida percuſſum ad proprium opus infirmum eſt redditum. Non nulli autem ex intempeſtiua immodicaque eius potione,non multo interpoſito tempore,nec poſtmodum,ſed ilico difficultate ſpirandi,& conuulſione,& tremore corripiuntur:ac toto(ut ſemel dicam) neruoſo genere læduntur. Nec ignoro,quod formidoloſum te ad frigidam offerendam ex ijs,quæ memoraui,redderem,niſi ea me uſum ſubinde uidiſſes,ſemperque cum ſucceſſu, nec ægrum in ullo manifeſte læſiſſe.

† Linacer uertit ut impreſſi legunt. antiqui addunt καὶ πολλούς. i. & multos.

C Quibuſcunque enim in principe particula tumor aliquis e phlegmones,œdematos,aut ſcirrhi genere conſtitit,ijs frigidam offerre non oportet:Sed nec ijs,quibus obſtructio putriduſue humor non concoctus incommodat. Quòd ſi euidentes percipis abſque iam dictis tumoribus concoctionis notas, illud duntaxat æſtimabis,ſitne pars aliqua temperamento adeo frigido,vt in hanc noxa procumbat. Porrò eryſipelas,quod uerum eryſipelas ſit,non aliter ſanaueris:At,ſi miſtum cum phlegmone ſit, in hoc concoctionis expectandæ ſunt notæ. Atque hæc latius,quàm pro re nunc propoſita, cum poſtmodum etiã forte neceſſum erit de frigida exhibenda mentionem facere. Nunc enim altera continentium febrium ex ſola obſtructione eſt orta:altera uero etiam cum putredine per omnes uenas. Cum ergo concoctionis humorum in ijs notas uideris,de quibus dictum abunde in libris de Criſi eſt,audacter frigidam dabis. quippe ſolidarum animalis partium natura roborata prætenuatos iam humores aggreditur ita, ut, qui utiles ſint, atque ad nutriendum habiles, hos quidem ad ſe trahat: inutiles uel per uentrem uel per cutim eijciat. Quòd ſi etiam frigidæ aſſuetus æger fuit, magna cum fiducia frigidam exhibebis,ipſa ſcilicet experientia iam doctus omnia uiſcera eius occurſum familiariter tolerare. Omnino nanque,ſiquod frigidum adeo eſſet,ut ab hac offenderetur,id per ſanitatis tempus euidenter offenſam ſuam oſtendiſſet:Nulla uero per ſanitatem particula quicquam ab hac læſa, nec etiam inter febricitan D dum quicquam lædetur. Vbi nanque non nulli aquæ frigidæ potioni non aſſueti,tamen propter ardentem febrem eam bibere coacti,nullum incommodum ſenſerunt,multo profecto minus eorum,qui aſſueuerunt, quiſquam lædi debet:cui etiam quaſi pro munimento maximo accedit ipſa caloris copia. Hic nanque,cum in uaſorum finibus plurimus contineatur, utpote tum aerea in his ſubſtantia, tum ẽt ſuccis omnibus inflammatis,quantum ab frigido patitur refrigeratus, tantum rurſus calfaciendo in ipſum agit. Ideoque minus tuta ijs,qui exiguum ſanguinem carnemque obtinent,frigidæ potio eſt. Celeriter nanque ad ſolidas animalis peruenit partes,nulli,quod eius uim frangat,occurrens. Eo etiam fit, ut hecticæ febres nec perinde eam,quæ prorſus ſit gelida,nec multam deſiderent: ceu quæ extenuatis omnino,exiguique ſanguinis corporibus incidant. Verum de illis poſt agetur. Maxima uero continentium febrium remedia hæc duo ſunt,detractio ſanguinis,& potio frigida. Verum illa nullo non tempore,modo uires ſuſtineant:hæc,cum & in pulſu,& urinis concoctionis euidentes cernuntur notæ,febris autem eſt maxima. Attendenda uero cum uenæ ſecãdæ*indicationibus ſunt,tum quæ eam præcedunt, *tum uero,quæ omnino excipient. Nam,ſi præcedat ciborum cruditas, tanto tempore differre uenæ ſectionem iubebis,quantum ſatisfacere tum ad eorum concoctionem, tum ut excrementa deſcendant, uidebitur. Sin ſequetur neceſſario uacuatio quæpiam,tantum illi de eo,quod ſuperfluum eſt,relinquendum,quantum eſt,per eam uacuandum. Itaque,ſi tempore mittendi ſanguinis menſes moueri contigerit,

A.l.1.f.4.c.20 p.146.E

rit,siue etiam hæmorrhois sit recluſa,si inſpectus fluentis impetus ſatis fore uidebitur, qui ſolus,quod E
requiris,uacuet,naturæ rem omnem permittes:ſin minus,tũ ipſe detrahes, quo ex coniunctis ambobus perficiatur,quod poſtulas. Veluti autem in his ad ipſam naturalem uacuationem,quæ ſenſu uſurpetur,non leuiter attentum eſſe oportet,ita alibi uel ad naturam ipſam,uel ætatem,uel cæli ſtatum. Sunt enim non nulli ad exhalandos digerendosq; corporis ſuccos natura propenſi:Pueri certe propter ætatem perpetuo: Cæli uero ſtatus, ubi calidus nimium eſt & ſiccus. Voco cæli ſtatum ipſam ambientis nos aeris temperiem:ſub qua & anni tempus, & regio comprehenditur; quando horum quoq; utrunque ex ambientis temperie indicationem mutuatur. Propenſi autem ad digerendos corporis ſuccos ſunt,quicunq; natura ſunt humidi:magisq; ſi accedat caliditas:Præterea, qui raro corporis ſunt textu: Ad hæc,quibus os uentris aut amara bili abundat, aut imbecillum eſt,aut ſupra modum ſenſile. Atque hæ quidem *indicationes ſunt,quæ ſanguinem detrahendum dehortantur. Contra poſtulant unà cum affectu,cuius cauſa primum requirebatur, habitus durus,denſusq;,&,uno uerbo, qui haud facile digeritur:tum ambiens humidus frigidusque. Sane merito quædam ſanguinem mittendum adhortantur, quædam dehortantur. Siquidem id pro uacuatione omnino ſuſcipitur. At eorum, quæ comprehenſa ſunt,quædam tranſpirationes morantur,quædam promouent: & quædam ad uacuandũ prompta ſunt, quædam ſecus. Sane tranſpirationem corporum prohibent tum meatuum ſtipatio, tum circundantis F
nos aeris humiditas & frigiditas. Contra promouent ea,quæ his ſunt contraria. Eorum autem,quæ uacuantur,quæ calida humidaq; ac tenuia ſunt,ea celerrime digeruntur. Contra, quæ craſſa,glutinoſa,& frigida ſunt,ægre tranſpirant. Atq; hæc quidem ad rem propoſitam de miſſione ſanguinis, ac frigidæ aquæ potione,non ignoraſſe expedit. Quarum utranq; metuentes non paucos medicos uidiſti,utique imperitos. Quorum alteros Hæmophobus,id eſt ſanguinis mittendi timidos: alteros Pſychrophobus, id eſt frigidæ exhibendæ formidantes, ſic græce nominamus,ſicut, qui a rabido cane ſunt morſi, Hydrophobus. Sunt enim proculdubio horum quoq; aliqui præ dogmatis ſui ſtudio, non leui in rabie. Ergo relictis his, quod initio inſtitutum nobis fuerat, proſequamur,ad memoriam reuocantes,quemadmodum ſermo noſter occaſione communium quorundam in ipſis accidentium,a diarijs uenit ad cõtinentes. Quoniam enim obſtructionis affectus,cum & ipſa exilis eſt, & rite curatur, diariam febrem efficit:cum uero uel propter magnitudinem,uel medici inſcitiam conſuetum diariarum tempus exceſſit,aut continentem,aut aliquam earum,quæ certo ambitu repetunt, merito nos de ea, quæ diarijs cognata eſt,continenti febre diſputatio excepit: propter has uero protinus & de hac, quæ cum putredine humorum erat. Viſumq; ſatius eſt uel claritatis, uel exercendi legentis cauſa, unius ægroti in utroque febrium genere mentionem facere. G

A.1.1.f.2.d.2. s.2.c.29.p. 79.c.

Indicationes non a traditis tantum ſuperiori libro ſcopis, ſed a cauſa morbi, ac ægrotantis uiribus petendas eſſe,& illarum methodum exercitatione in particularibus comprobandam. Cap. 6.

IGitur,qm̃ hæc nobis peracta ſunt,ac per ea demonſtratum euidenter eſt(id quod in præcedenti hũc libro ad calcem eſt dictum) oportere in alijs febribus,quæ amplius diariæ non ſint,non modo ab ijs *rebus,quæ in illo libro præcipiantur,faciundorum indicationes peti,ſed etiam ab ea cauſa,quæ febrẽ excitet,ac laborantis uiribus,ad uniuerſalem denuo exercitationem reuertamur, pro comperto habẽtes non licere ullius artis ſcientiam nanciſci, niſi & methodum quandam habueris per uniuerſalia uocata theorematã,& in particularibus te exemplis exercueris. cum neq; fieri poſſit, ut ſine multiplici in ægris ſingulatim exercitatione,quod ex uſu ſit,facias, nec ſine uniuerſalium cognitione probe exercitatio procedat: quippe cum in uniuerſalibus methodus, in particularibus exercitatio conſiſtat. Tanquam igitur,qui iter aliquod ingredi ſtudent,utroq; inuicem utuntur crure:qui altero claudus eſt, uno duntaxat utitur,& longo ſpatio,& ſæpe errans,uiam peragit,ita ſane,& qui finem cuiuslibet artis conſequi parat,duobus his ueluti cruribus, uel inſtrumentis,uel quomodocunq; appellaſſe libet,uti debebit: in uniuerſalibus theorematis,methodo:in particularibus,exercitatione. *ſcopis.

Aduerſus eos,qui curandi indicationem a laborantis uiribus ſumi negabant. Cap. 7. H

REuerſi igitur ad methodum, nunc age de ægrotantis agamus uiribus, conferant ne ad curationẽ hæ quippiam, an plane nihil,ceu non nullis eſt uiſum. Videtur tamen eorum, qui inutilem uirtutem eſſe ad curationem inueniendam dicunt, non propria operum artis diſceptatio eſſe, ſed logica potius,ac ſophiſtarum. Aiunt enim ab eo,quem curamus,affectu faciendorum indicationẽ præſtari,haud quaquam a uiribus.Ergo & anni tempus,& regionem, & ſtatum cæli, & ætatem, & conſuetudinem,& corporum temperies inutiles eſſe eadem ſcilicet ratione dicunt. Poſtea, cum mutare curationem propter hæc coguntur, immemores eorum, quæ inter initia dixerant, quædam eorum, contraria aliquando indicare aiunt ijs, ad quæ curantis conſilium dirigitur: quædam ad præſidiorum materias eſſe utilia,quemadmodum & animalis partes. Etenim in illis quoq; eadem utuntur ſtropha; in principio ſermonis inutiles eas eſſe ad curationis inuentionem aſſerentes:poſt, ubi redarguũtur,ad curationis quidem indicationem inutiles dictitantes, ad materiæ tamen mutationem,uel inuentionem,uel differentiam,uel qualitatem (nam nec nominant eodẽ omnes modo)neceſſarias eſſe fatentes:Itaq;,quod modo dixi, nunc quoq; repetam,nempe quòd egreſſi ex eo, quod in arte eſt utile, in logicam diſceptationem ueniunt. Eſt nanq; artis utilitas,auxilia,quibus æger ſanetur,inuenire:quo illi relicto, de nominibus litigant,Endixis & Antendixis (quaſi indicationes, & indicationum contradictiones dicas) ineta communitates,

A communitates, & ſcopos, & auxiliorum materias,aliaq; ſimilia loquẽtes,ſcilicet hac nominum diuerſitate purgaſſe ſe pro ijs,quæ falſo affirmauerant,arbitrantes. Ego uero minime ueto nominibus, quibus libitum ſit,uti. Meminiſſe tamen eos uelim eorum,quæ ab initio propoſuerũt. Ea ſunt auxiliorum inuentiones. Ad quas quicquid conducere quomodolibet uidebitur, id fatendum eſt ad curationem eſſe neceſſarium. Sic igitur,& uirtus neceſſaria ne cõſideratu in ægris a medico ſit,an non, indagemus; Ego enim ſæpe maxime eſſe neceſſariam aio ſic,ut,quæ circa ægrum adminiſtrantur, omnia terme eius unius cauſa fiant:aliquando mediocriter neceſſariam ſic,ut aliquid ex hac quoque ad ea, quæ facienda ſunt,conſilij petatur, non tamen præcipua faciendorum ratio huc omnis referatur. Poſſum rurſus oſtendere tibi uirtutem adeo exiguum ad inuenienda remedia conferre,ut propter exilitatem etiam lateat: Alias uero prætermitti, ac ſilentio præteriri, quaſi prorſus ex utiliter conſiderandis non ſit. Verum,quod accidit in uirtute,id in reliquis omnibus, quæ aliquid faciendum indicant, uſu uenit. Nam aliquando aliud eorum alio minus aut plus ualet: Aliquando adeo eſt ualens, ut ſolum indicare uideatur: aut ita imbecillum,ut omittatur.

Medendi methodum primum ab Hippocrate inuentam, deinde a Galeno declaratam, ac abſolutam fuiſſe. Cap. 8.

B HAec igitur dum doceo,adſis animo uelim, illud habens in memoria, q̃ nec in alijs ullis curatio, quæ per methodum agitur,conſiſtit,nec alius ante nos quiſquam omnia ea ordine definiuit: quã quam ẽt ab Hippocrate uia eſt inuenta. Hæc.n.ipſa,quæ ego nunc enarraturus ſum, ille curationem indicare primus oſtum ſcripſit,uerum,ceu primus inuentor,nec debitum oĩbus ordinẽ dedit, nec cuiuſq; *indicationis dignitatem ad unguem finiuit,& quaſdam in ipſis diſcretiones omiſit, obſcureq; plurima pro antiqua dicendi breuitate eſt interpretatus. Præterea de complicatis affectibus pauciſſima omnino præcepit. Ac,ut breuiter dicam,omnem ad medicationẽ uiam aperuiſſe mihi uidetur,ſed ita tamen, ut ea curam diligentiamq; ad abſolutionem deſideret: veluti nunc quoq; uidemus quaſdam ueterum in terris uiarum,quibus pars quæpiam eſt uel lutoſa,uel lapidibus ſentibusve impedita, uel moleſte ardua,uel periculoſe prona,uel feris obſeſſa, uel propter magnitudinem fluminum inuia, uel longa, uel aſpera. Itaq;, cum ſic ſe haberent omnes in Italia uiæ,eas Traianus ille refecit: quæ quidem earum humidæ ac lutoſæ partes erant,lapidibus ſternens,aut editis aggeſtionibus exaltans: quæ ſenticoſæ & aſperæ erant,eas expurgans:ac flumina,quæ tranſiri non poſſent,pontibus iungens: vbi longior, quàm opus erat,uia uidebatur,aliam breuiorem excindẽs: ſicubi uero propter arduum collem difficilis erat, per mitiora loca deflectens:iam,ſi obſeſſa feris,uel deſerta erat, ab illa transferens, ac per habitata duC cens:tum aſperas complanans. Itaq; mirari nemo debet,ſi,cum uiam rationemq; medendi ab Hippocrate inuentam eſſe ſim teſtis,ipſe tamen hoc opus ſcribere ſum aggreſſus. Neq;.n.ceu ea plane non eſſet inuenta,ſed ueluti,quæ proxime diximus,deſideret,ad hæc conſcribenda uenimus, nemine priorũ, qui eam methodum abſoluerit,ante me inuento:quando alij omnino eam non nouerant: Alij, cũ noſſent,non potuerunt tamen,quod defuit,adiicere. Non deerant,qui incognitam eſſe umbraq; inductã, ac prorſus e medio ſublatam uoluerunt,ij uero qui fuerint,in ſermonis progreſſu dicetur. Nunc, quod promiſi,aggrediar,omnesq; deinceps medicandi *indicationes exponam.

In Diarijs febribus ab affectus cauſa,atq; ægri uiribus non præberi præcipuam indicationem. Cap. 9.

VTile autem ad claritatem eorum principium ſumetur ex reuocatis ad memoriam ijs, quæ in proximo libro diſſeruimus, cum de diarijs ageretur. Videbatur enim in illis prima, ac (ut ſic dicam) maxime præcipua faciendorum indicatio eſſe, quæ affectum ægrotantis amouendum ſuadet, æque, ut in ſanis prima eſſe,quæ ſtatum eorum ſeruandum monet. Verum hic, ſicut per ſimilia ſeruatur, ita per contraria perimitur. Conferre præterea ad auxiliorum inuentionem diximus tum ipſam corporis temperiem unà cum conſuetudine, tum regionem,tum anni tempus, tum cæli ſtatum: In quibus uero morbis egregius aliquis in una parte animalis affectus ſubſiſteret, ueluti ex aduſtione in capite,a parte quoD que ipſa aliquam faciendorum indicationem ſumi. De uiribus tamen, uel cauſa, quæ affectum creet,in eo libro nihil eſt dictum propterea, quòd nec uires in diarijs febribus egregiam ullam prouidentiam requirant, utpote quæ omnino ualidæ ſint: nec affectus ullus in uera diaria ſubſit, qui eam uel gignat, uel augeat. Nam utroque modo loqui licet. Verum nunc prius de uiribus præcipiam: deinde ad cauſas, quæ febrem excitant, accedam.

Tripũces genere in nobis eſſe uires,ac quo pacto illarum ratio ſit habenda, quando, quæ ab eis eſt indicatio, cum reliquis indicationibus pugnarit. Cap. 10.

A.1.1.f.1.d.5. 6.1.p.17.b.

GVbernant animal (ut in libris de Hippocratis & Platonis dogmatis eſt monſtratum) tres diuerſi inter ſe generis facultates, toti corpori ex ſuo quodam ueluti fonte quæque diſtributa: eas Plato animas uocat, propriam cuiuſque ſubſtantiam inueniens. Eſt enim earum quædam ad nutriendum animal neceſſaria, ac cum ſtirpibus communis, quæ iecur ueluti pro fonte habet: canales uero ab hoc in totum corpus ſparſos,ipſas uenas. Hanc ſeu appetitricem, ſeu *naturalem, ſeu altricem uocẽs,nihil intereſt:veluti nec,ſi animam,aut facultatem. Altera eſt,quæ non modo ut ſtirpibus, aut uitaprædiis,ſed etiam ut animalibus anima eſt inſita. Hæc ſedem in corde habet, ipſo quoque inſiti caloris quodam ceu fonte. Ab hoc fonte canales arteriæ ſunt. Vocaturque hęc multis ſane nominibus. Nam & facultas ſiue uirtus uitalis,& facultas ſiue uirtus *animoſa, [& anima uitalis] & anima *animoſa di-

*φυτικὴν eſt impreſsis. i. naturalem. in antiquis φυτικὴν. i. uegetabilem.

*θυμοειδῆ

citur. Tertia anima, ratiocinatrix, in cerebro domicilium habet. Ea uoluntarijs actionibus unà cũ ſen- E
ſibus preſidet. Vtitur & hæc particulis quibuſdam, ceu canalibus, nempè ipſis neruis, ſenſum motumq;
per hos in totum animal tranſmittens. Ergo has facultates ſeruare, nihil plane eſt aliud, quàm uitã ſer-
uare. Siquidem monſtratum eſt qualibet earum amiſſa neceſſe eſſe reliquas quoq; unà perire. Ac pro-
pterea in opere de ſanitate tuenda huc omne conſilium direximus. In hoc uero, quod eſt de methodo
medendi, primum propoſitum, & ei, quod in opere de ſanitate tuenda proponitur, ad portionem reſpõ-
dens, morbi eſt ſublatio: quando cuiuſmodi in illo ſanitatis eſt tuitio, eiuſmodi in hoc eſt morbi ſubla-
tio. Quorum utriq; unum eſt commune, ipſa ſcilicet uitæ cuſtodia. Quæ nimirum in illo de ſanitate
tuenda opere ſanitatis cuſtodiam ſequebatur. Quod .n. ſecundæ ualetudinis tuendæ gratia geritur, idẽ
ſtatim & uitam tuetur. At in hoc opere aliter ſe habet propterea, quòd, quæ affectiones præter naturã
in nobis diſcutiunt, ea non omnino uitam cuſtodiant. Quippe aliqua eiuſmodi prædita ſunt facultate,
ut, ſi immoderate aut intempeſtiue utare, uitam adimant. Siquidem in ſanguinis miſſione, quam uſque
ad animi defectum faciendam eſſe paulo ante diximus, quò flamma incontinentibus ex meatuum clau
ſura febribus extingueretur, non paruum merito ſubſequetur incommodum, niſi opportuno tempore,
aut debita menſura fiat. Duos nanq; in ipſis medicorum manibus perire uidi, qui poſt, quàm animo
linquerentur, nunquam reuixerunt. Multi uero, etſi non protinus, at poſtea propter uirtutis infirmi- F
tatem perierunt. Quos ſiquis citra eius reſolutionem uacuaſſet, minime perijſſent. Quinetiam aliqui
in morbos inciderunt longos, poſt, quàm immodica inanitione reſoluta naturalis uis fuit. Alijs, cum
immodicæ uacuationis noxam ſarcire non potuiſſent, in omne reliquum uitæ tempus totius corporis
temperamentum redditum eſt frigidius; Ex qua refrigeratione facile ex quauis occaſione læſi, alij de-
colorati, ac malo corporis habitu uixerunt: alij ex eo ipſo in morbos deciderunt exitiales, aquam in-
tercutem, & orthopnœan, & iecinoris ac uentriculi imbecillitatem, & apoplexiam, & * deliria. Ergo,
cum uirtus tantopere neceſſaria ſit, eam autẽ lædant omnia uacuantia remedia, ſiquis ſcilicet ijs parum
moderate utatur, utiq; aduerſæ inter ſe faciẽdorum indicationes in talibus corporibus ſunt, in quibus
affectus, quo expugnetur, notabilem uacuationem deſiderat: uirtus aũt hanc ferre non ualet. Verum,
cum ſæpe ex uacuatione uirtus nihil lædatur, hinc ſumitur incõſideratis & temerarijs medicis occaſio,
ut eam prætermittant, ceu nuſquam quicquam indicet. Falluntur autem (ut dictum eſt) propterea, ꝙ
non intelligunt alterius cuiuſdam rei cauſa uirtutem eſſe ſpectandam, nec quicquam ad affectum amo-
uendum indicare. Tanquam igitur in ijs, qui ualent, ſemper ea comitatur, quæ ſanitatis gratia admi-
niſtrantur, nec eſt quicquam inuenire, quod ſanitatem tueatur, quod idem uires corrumpat, ſic in ægro-
tantibus aliquando ijs ſuccedit, quæ ueluti in * perniciem eius adminiſtrantur: aliquando ab ipſis * ſol- G
uitur. Si nanq; abundantia paulo uiribus ſuperior fuerit, utiq; ex moderata uacuatione adeo nullum
accedit uiribus incommodum, ut etiam maximum comparetur commodum, quod eas premebat, ſu-
blato. Sin, quo affectus ſanetur, multa uacuatione eſt opus, reſoluatur autem ex tanta inanitione uirtus
non modo rurſus homini non proderit, ſed etiam maximum illi periculum afferet. Porrò in ijs conti-
nentibus febribus, quæ ex ſtipatione meatuum accenduntur, quoniam ualida plerunq; uirtus eſt, citra
periculum uacuatio adhibetur. In alijs uero morbis maxime eſt periculoſa, ueluti ſi ea forte incidit ex
corruptela humorum. De qua tempeſtiuum eſt mentionẽ facere, quo omnes mittendi ſanguinis* in-
dicationes in hoc libro decidamus. Ergo, quod corruptum eſt, id alienum a natura eſt: quod tale eſt,
id ſe auferendum dictat. Si igitur cum uiribus imbecillis corruptela incidit, utiq;, quod affectus reme-
dium eſt, id cum uirtutis cuſtodia pugnat. Siquidem affectus uacuandum eſſe præcipit, idq; uel uena in-
ciſa, uel purgatione. Harum autem neutram ferent imbecillæ uires. Quoniam igitur in omnibus eiuſ-
modi repugnantijs incerta ſuccurrendi ratio eſt, alias inſanabilis omnino affectus relinquetur, alias
ſpatio, & ægre, idq; ſi magnum nactus ſit medicum, ſanari poterit. Oportet nanq;, ubi indicationes
ita ſibi aduerſantur, & paulatim, quod uitioſum eſt, uacuare: & paulatim inuicem, quod ſalubre eſt,
pro eo reponere. Vocant medici eiuſmodi uitioſi ſucci curationem græce Epicraſin. H

Venæ ſectionis exemplo oſtenditur, quando uirium indicatio conſideranda, aut omittenda uideatur. Cap. 11.

MEmineris uero mihi ad ea, quæ dicenda ſunt, etiam quorum cauſa uenæ ſectio petitur. Nam, qñ
hæc ſanguinis uacuandi cauſa adhibetur, ſanguis autem * inutilis naturæ eſt, utiq; probe hanc
adminiſtrari conueniet ſic, ut, quod inutile naturæ ſit, emittat. Fit autem ſanguis naturæ inutilis bifariã,
uel, cum propriam qualitatem ad unguem non ſeruat, nec amplius nutrire, ſicut prius, cum utilis eſſet,
poteſt: uel ita multitudine creuit, ut aut uires premat, aut tum uenas, tum arterias uel diſtendat, uel* fin-
dat, uel obſtruat. Ac in his quidem miſſio ſanguinis utilis eſt, ceu uacuantium præſidiorũ una: in alijs,
ceu quorum uehementiorem impetum ad diuerſam partem reuocet, uel † [per propinqua] deriuet.
Poſtulat autem ſemper ualentes uires, quæ modo uacuationis eius reſpondeant. Ad hæc igitur reſpi-
cientes ſanguinem detrahimus, alias ſemel, alias bis, uel ter, uel ſæpius: ueluti in ſequentibus pate-
bit. In præſentia uero illud manifeſtum fecimus, uirtutem uacuantia remedia aliquando citra noxã
ferre, utpote nec adiutam ab his quicquam, quod ſit æſtimandum, nec uero læſam: Sæpe uero magis
minusve, tum iuuari, tum lædi: Præterea, quoties notabilis illi ex uacuantibus auxilijs noxa incidet, to-
ties patere ipſam quoq; tunc utile aliquid ad cõſiderandũ indicare, æque utiq;, ut cũ manifeſte iuuabit,
Vbi

* παραπληξίαις ſeu παραπληγίαις. quid autẽ ſit paraplexia tum ex pleriſq; aliis Galeni locis, tum præcipuè ex commẽto. 27. quarti cõmentarii de diæta in morbis acutis patet.
*ſolutionem.
*tollitur.
* χρηστός. i. utilis.
* ῥήγνυ. rumpat.
† εἰς τὰ πλάγια. i. ad latera.

A Vbi uero ex ijs, quæ affectum ſubmouent, nec commodum illi accedit ullum, nec incommodum, ibi
uelut inutilis, prætermittitur.

Ex ijs, quæ indicant, quædam ſimplicem indicationem, quædam non ſimplicem præbere. Cap. 12.

POrrò una ſemper eſt, quæ ab hac præſtatur, conferentis indicatio, ueluti etiã reliquorum omnium.
Nam, quicquid pro natura ſua indicat, id unum ſemper indicabit, ceu quod unam habeat naturam.
Atq; id unum, ſi, quod indicationẽ facit, ſimplex eſt, ipſum quoq; ſimplex erit: Sin illud eſt cõpoſitũ,
hoc quoq; erit compoſitũ. Sane quædã ſui cuſtodiã indicant, quædã amotionẽ. Siue aũt hanc indicet,
ſiue illã, quod ſimplex eſt, ſimplicẽ quoq; indicationẽ habet: quod nõ ſimplex, ẽt non ſimplicẽ. Idcir-
co in ſuperioribus ſemper ſimplicẽ intemperiẽ ſimplicẽ indicationẽ præbere diximus: † [ueluti in frigi
ditate & caliditate.] Non ſimplicem uero, etiam indicationẽ ſuggerere non ſimplicem: Calidam .n.
ſiccamq; intemperiem curationem ſui per ea, quæ humectent, & refrigerent, moliendam indicare.

† καθάπερ ἐπὶ ψύξεως θερμότητα. i. ueluti in frigiditate caliditatẽ.

Quo pacto indicatio, quæ eſt a uiribus, nunc reliquis prior nunc poſterior eſſe uideatur. Cap. 13.

ERgo uires quoq; unã rem ſemper indicabunt, utiq; ſui cuſtodiam. Quibus ergo (roget quis) ratio-
B nibus ſeruabiſ? Nempe potiſſima rõne ex eo, quod de ſubſtantia earũ uel inanitũ, uel alteratum
eſt, corrigendo: Secundo loco ex prohibẽdis ijs, quæ ipſarũ ſubſtantiã uacuare alterareve poſſunt. Com
prehenſa uero interea, quæ alterant, breuitatis cauſa ſint, & quæ earũ unitatẽ diſtrahunt. Hæc itaq; cũ
uires perpetuo indicent, in ualentibus (ſicut dictum eſt) conſenſus agendorũ oĩum ad ipſarum perenni-
tatem eſt: in ægrotantibus autem non ſemper. Quo tempore æſtimari debebit, quod uel magnitudine
uel dignitate (ut prius eſt dictum) præualeat. Maxima igitur dignitas ipſarum eſt uirium: qñ uiuere
ipſum nobis ex harũ cuſtodia cõnſtat, utpote cum uitam aut ipſas eſſe uires, aut earum actiones ſit ne-
ceſſe. At uita ipſa nihil eſſe prius in animantis corpore poteſt propterea, ꝙ nec ſanos eſſe citra uitam li-
cet. Virtus ergo omniũ prima cuſtodienda hominibus eſt: ſeruabitur aũt, ſi nec eius ſubſtantia inania-
tur, nec tanta alteratione alteretur, ut ea corruptioni ſit propinqua. Atq; huius cuſtodiæ pars eſt, ubi
uel * temperiẽ ipſam præſentem ſeruamus, uel abſentem inducimus. A uirium indicatione proxima eſt
quæ ab affectibus, quos curare proponimus, datur: poſtea deinceps reliquæ. Quicquid igitur indica-
tioni, quã uires præbent, aduerſatur, id ſecundi eſt loci, ac poſterioris ijs, quæ illæ præcipiunt. Quæ uero
cũ ijs, quæ uiribus conducunt, in idẽ competunt, hæc utrunq; calculũ referunt, & eorũ, quæ primæ (ut
ita dixerim) ſint notæ: & eorũ, quæ ſecundæ. Itaq; hæc citra controuerſiam ſunt facienda. Quæ uero ad-
C uerſantur, aliqñ adminiſtranda prorſus non ſunt: aliqñ * paulatim. Quippe, ſi, quem curare ſtudes affe-
ctum, is uacuationẽ requirit, uires aũt extrema imbecillitate laborãt, toto illo tempore, quo uires refi-
cimus, eorũ, quæ affectũ ſanent, nihil plane ægrotanti exhibebimus. Vbi uero eo roboris perueniſſe eas
conijcimus, ut nihil aut parũ ex uacuãdo ſint lædendæ, tum eſt ad affectus quoq; curationem acceden-
dum. Prima igitur oĩum * indicatio eſt, quę a uirtute ſumitur: Verũ non ſic prima, ut quæ curationem
doceat: cum ex numero curatricũ * indicationũ non ſit, uerũ (ut ita dixerim) uitalium, [ſiue quæ ad ui-
tæ cuſtodiam pertinent. Nam, neq; ut ualeamus, nec ut a morbis liberemur, ab ea quicquam primum
deſumimus, ſed ut uiuamus. Additum autem in ſermone eſt illud primum quòd ex accidente aliquan-
do uirtutis roboratio ad affectus curationem conducit. Verum id in ſequentibus docebimus.

*εὐκρασίαν.
*ἀπὸ ὀλίγου.

Curatiuas omnes indicationes tribus hiſce contineri, affectu ſcilicet naturali, affectu præter naturam, & aere nos ambiente. Cap. 14.

NVnc ad penſum rurſus redeamus, in paucas ſummas, compendij cauſa, rem omnem cogentes.
Medicatoriæ * indicationes a morbo ipſo ſumuntur, a corporis temperamento, & tertio ambien-
te nos aere. Quod ſi aliæ quædam antea ſunt poſitæ, uel poſtea non hæ modo, uerumetiam aliæ dicent:
omnes tamen ex ijs in partes diductis natæ uidebuntur. Siquidem corporis temperies, quæ illo tempo-
D re fuit, quo ægrotare id cœpit, quæq; ad inuenienda remedia eſt utilis, ex natura, ætate, conſuetudine, &
ambiente nos aere ortum habet. Ambiens uero ipſe eiuſmodi eſt redditus propter tum regionem ip-
ſam, tum anni tempus, tum cæli ſtatum. Ergo, cum unum ſit eorũ utrunq;, ex pluribus tamen tale effici
tur. Affectus uero haudquaquam in cauſas diduci eſt aptus, ſed in differentias. Nam aut in ſimilari-
bus conſiſtit partibus, aut in inſtrumentarijs. Ac in ſimilaribus quidem, uel ſimplex eſt intemperies, uel
compoſita: In inſtrumentarijs, circa ſimplicium partium uel poſituram, uel formam, uel numerum, uel
magnitudinem, tum quæcunq; horũ ſingillatim traditæ ſunt differentiæ, conſiſtit. Hæc itaq; tria illa pri
ma ſunt, quæ curationem indicant, nempe ambiens ipſe cum geminis corporis ſiue affectionibus, ſiue
conſtitutionibus libitum eſt appellaſſe, una naturali: altera, quæ præter naturam ſit, quæ ſane morbus
eſt. Non poſſe autem plura eſſe genera ✻ indicationum, quæ ad medendum pertineant, quàm tria, quæ
modo diximus, ex ipſa rerum ſubſtantia ſcire licet. Nam morbus & ſanitas, corporis ſunt affectus,
ille ſe tollendum, hæc ſe tuendam indicans. Ambiens uero is eſt, ſine quo nec tolli morbus, nec te-
neri ſanitas poteſt. Hic igitur cauſę, ſine qua non, obtinet rationem. At uero cum id, quod ægrotat,
alteramus, niſi conſtat, quouſque ſit mutandum, utiq;, quando ſit ab alterando deſiſtendum, non
intelligemus. Generatim igitur in omni curatione agendorũ ✻ indicationes in his ad ſummum tribus
conſiſtunt. Membratim uero (ut ſupra eſt comprehenſum) aliquæ ſimplicium particularũ ſunt propriæ:

A.l.1.f.4.c.1. p.134.D

aliquæ compoſitarum. Eorum ergo,quæ in ſimplices incidunt partes, unũ eſt intẽperies ea,quæ in ca- B
lido conſiſtit. Hæc, cum in totum diffuſa corpus eſt,febris nominatur: ideoq; omnis febris,qua febris eſt,humectatio refrigeratioq; remedia ſunt. Ac, ſi ſola hæc ſit,ad refrigerandum humectandumq; omne medentis cõſilium, ueluti ad finẽ,dirigitur ita,ut nihil ſit,quod præterea ad curationem deſideretur niſi ut materiæ inueniantur,quæ huic propoſito ſunt idoneæ: materia uero inuenta,ut opportunum tẽpus ex quatuor febris temporibus captes: quantitatem uero,ex conferendo cum naturali habitu morbum. Quippe quantum is a naturali habitu receſſit, tantum, opus eſt, ægrum refrigeres & humectes. A.l.r.f.s. d.i. c.4.p.59.C
Sane ambiens, ſi contrariam morbo temperiem habet, e præſidiorum numero unus eſt: ſin ſimilem, ægritudinalium cauſarum eſt unus. Quoniam autem reliquas materias tum deligere, tum fugere licet, quam autem ambiens præſtat, fugere non licet, immo neceſſe eſt præſenti cæli ſtatu uti, idcirco huic quoq; attenti eſſe cogimur: qui utiq; ſæpe cum ijs, quæ morbus facienda ſuadet, (ut diximus) eſt concors: ſæpe diſcors, & qui contra moliatur. Habebit ergo (ut diximus) ambiens rationem modo materiæ ſanantis: modo cauſæ morbum fouentis. Quippe, cum humectari refrigerarique morbus poſtulat,ſi hæc præſtat,ſanantis materiæ rationem obtinet: Sin calefaciat & ſiccet, morbificis cauſis eſt annumerandus. Vbi igitur cum medendi indicationibus conſonat,pro gratia eſt habendum: Sicubi aduerſatur,inhibenda eius noxa eſt,ſcilicet reliquorum auxiliorum humiditate,ac frigore intenF
ſis adauctisq;. Sedulo igitur agendum eſt,ut ambientem,quoad fieri poteſt,qualem eſſe expedit, præpares, ſcilicet humidiores frigidioresq; domos tum deligens, tum uero præparans: ſicut e diuerſo, ſi frigida ſit humidaq; morbi ſpecies, quæ calfieri ſiccariq; poſtulet, & eligendæ & præparandæ domus ſunt, quæ calfaciant, & exiccent. At deligendas quidem dico, quæ ex ſeipſis eiuſmodi ſunt: Præparandas uero, cum arte noſtra molimur per æſtatem ſubterraneas eas, & ad ſeptentriones uerſas,ac pauimenta earum aſſiduo humore aſpergentes, tum ut ex euripo aliquo aura inſpiret, machinantes, flores præterea,ac germina, quæ frigidæ, humidæq; facultatis ſint, per aream proijcientes: per hyemem uero contraria horum molientes, præſertim ubi morbus (ut prædictum eſt) ſuadet: ubi non ſuadet, exceſſus tantum utriuſq; temporis remittentes. De quo mihi aliquid neceſſario poſtea eſt dicendum. Nunc auxiliorum materias indicare non decreuimus, ſed methodos docere.

Quo pacto curatiuæ indicationes modo in plures diduci, modo in pauciores cogi poſſint. Cap. 15.

QVare rurſus ad has diſputationem reuocemus, doceamusq;, quemadmodũ & paucæ & multæ pro diuerſa ſectione curatoriæ * indicationes ſint: quando & tres uniuerſa (ut proxime docuimus) facias,licet,in pauca capita tota ſumma reducta: & qualibet earum rurſus diuiſa, ex ipſis G
multa efficere. Id quod ẽt iam monſtratũ eſt. Quin & ipſarũ ſectionũ quamlibet rurſum diducas in mẽbra,licet,donec ad inſectile uenias. Iam primas quoq; illas tres,quas memorauimus, fieri poteſt, ut redigas ad pauciores ſic, ut duo eorum ſcoporum, qui curationem indicent, omnino capita ſint, nempe præſens affectus,quem morbũ nominamus: & qui prius fuit, quẽ ſanitatẽ & naturalẽ habitũ diximus. Neq;.n. aliud eſt ipſa ſanatio, quàm præſentis in corpore uitioſi affectus in naturalẽ habitum mutatio. Cum aũt contrarij hi affectus ſint, neceſſe eſt, per contraria fiat eorũ alterius in alterũ translatio. Atq; ita rurſus una ſola erit curationum maxime generalis * indicatio, nempe contrarietas. Ergo hinc rurſus ſumpto initio,age particulares * indicationes diſquiramus. Quoniam id,quod ægrotat,ei,quod uaIet,eſt contrarium,utiq; per contraria eſt ab illo in hoc uia. At quomodo (inquies) in contrarijs inuenietur modus? Non.n. ſatis eſt calido affectui admouiſſe frigida,niſi id debita fiat menſura: cum alioqui metus ſit, ſi intra modum id fiat, ne morbi reliquũ quippiam relinquatur: ſin modũ excedas, contrariũ genus morbi inducas. Qui.n. ſupra,quàm par eſt,calidũ morbũ refrigerat,is ſanitatis mediocritate tranſmiſſa aliũ excitabit morbũ,qui ſit frigidus. Quod quo minus accidat,naturam curandi corporis ſcias,oportet: quo, quantũ morbus ab illius ſymmetria diſceſſerit, intelligens, menſuram refrigeranti præſidio imponas. At fieri non poteſt,ut,quantũ a ſe inuicẽ diſtent,inuenias, niſi compertum ha- H
beas,quàm eſſet corpus aut humidũ,aut frigidũ,aut calidũ, aut, ſiccum,cum ualeret, quantumq; ex his exceſſerit poſt,quàm ægrotauit. Quippe,quod plurimũ a naturali habitu receſſit,id uehementibus eget contrarijs: quod non plurimũ,leuibus. Sane plurimum receſſit frigidus morbus a corpore natura calido: ita, ut e diuerſo calidus a frigido: Minus receſſit tum calidum a calido: tum frigidum a frigido. Quare ex utriſq; indicatio curationis præſtatur. Verum, cum materiæ reliquorũ præſidiorum omnium electio in noſtra poteſtate ſit,eius uero,quã ambiens præſtat,in noſtra manu nõ ſit,ratio eſt,ex hoc quoque propriam quandam indicationẽ ſumamus. Ceterum, quoniam noſci ad unguem oportet corporum temperamenta, id uero eſt plane difficile, utiq; tentandum eſt tum ex ijs, quæ in libro de temperamentis ſunt ſcripta, ea inuenire: tum uero ultra hæc,quo magis ſcientifica notitia ſit,ex ætate, & tota anteacta uita,quæ nimirum in uitæ exercitio,& uictus rõne conſiſtit: præterea in hac regione, & hoc anni tempore, & hoc ſtatu cæli, conuerſatione. Si nanq; natura gracilis, & tangenti calidus, & biliоſus, & propenſus ad iram, & hirtus ſit, calidus hic ſiccusq; natura eſt. Non tamen neceſſe eſt nunc quoque, cum ægrotare incepit, eundem plane habere affectum. Fieri enim poteſt, ut in deſidia uixerit, idq; cum frigidis humidisq; potione & cibis,ad hæc etiã cum balneis poſt cibos, & multo ſomno: præterea in regione humida & frigida, & hyeme in qua frigidus & humidus exuperabat cæli ſtatus.

Rurſus

A Rurſus fieri poteſt,ut horum præceſſerint contraria, id eſt calfacientia & ſiccantia, idq; per ſingula dictorum iam genorum. Ergo, ſiquo ad præſens temperamentum noſcendum deficimur,id ex præeuntibus ipſis ſupplebimus: Ex illo uero inuento, adminiſtrandorum indicatio ſuppeditabitur.

Vtilem eſſe, ac minime contemnendam indicationem, quæ a conſuetudine præbetur. Cap. 16.

AC dictum quidem prius eſt, ubi de frigida exhibenda præcepimus, illud quoq; ex ijs unum eſſe, quæ cõſideranda tum eſſent,nunquid particula quæpiam,cui frigida natura eſſet, lædi magnopere ex eius potione poſſet. An igitur fas eſt in ægrotante homine cuiuſq; particulæ temperamentum inueniſſe abſq; ijs notis, quas in libris de ipſis retulimus? Atq; illi quidem nec inquirunt,nec norunt,ſed, iuxta prouerbium, uno calapodio omnes calceant. Nos certe (quibus inquirendi cura fuit) illud inuenimus, quòd per plures ac cognitu difficiles notas cuiuſq; membri temperamentum coniectura potius,quàm ſcientia,inueniatur. Si igitur notis multis & * paruis aliqua certior apparuerit, nonne abiectis illis hanc pro omnibus arripiemus? nemo id, arbitror, qui mentis eſt compos, negabit. Atqui, ſi, oẽs temperamentorũ notas in unum colligas,hæ longiſſime abſunt,ut parem ei,quam conſuetudo præſtat,fidem faciant. Si.n. antea per ſanitatem quiſpiam frigidam perpetuo biberit,neutiquam nec in ieB
cinore,nec ueſica, nec uentriculo, nec alio quopiam talium offenſus, planum eſt & ualida illi eſſe hæc omnia,nec nunc a frigida lædenda. Non eſt igitur,quòd paruũ quiddã,atq; ad ſpectandũ leue ad inuẽtionem remediorũ conſuetudinẽ exiſtimemus: ueluti nec ad ſanitatem tuendam. Nemo.n. adeo eſt ſtupidus, ut magnopere ex frigidæ potione læſus hanc in diutinum uſum duxiſſe uelit propterea, quòd læſus interim, atq; ab ea euidenter ægrotans omnino abſtinebit. Ergo, ſicut alia non pauca quidã medici præter communes ſenſus, ita illud quoq; effuderunt, q nulla nec ſalubris inueniendi uictus, nec ægrorum curationis,ex conſuetudine ſumatur occaſio. Videtur.n. non,ſicut alia quædã,exiguã leuemq; ſed maximam, ac maxime principalem uim habere: ut quæ ſingulorũ corporũ naturã oſtendat. Sane ipſi uia rationeq; ab ea procedentes fatemur nos partium affectũ inuenire, dein ex illo rurſus ad faciẽdorum indicationem uenire. Empiricus uero præterire ſe naturæ inquiſitionem profitetur, quippe quod per eã conſecuturus fuiſſet,id iã ſe habere,intelligere ſcilicet ſe,non lædi a frigidæ potione ægrotantis corpus: id uero eſſe, quod nobis ab initio proponatur, non ut naturam noſcamus. Poſt (arbitror) nos quidem, ueluti ambages fruſtra ſecutos, merito taxet: eos uero, qui in totum inutilem eſſe conſuetudinẽ dicunt,ueluti a communi ſenſu alienos,iuſte accuſet. Quid igitur, inquies, eis reſpondebimus nos, qui methodo artem condimus? Nempe quid aliud, quàm quòd uera dicunt de ijs conſueC
tudinibus,quæ adeo euidentẽ utilitatẽ offenſamve oſtendunt? quippe quas nemo uel ante methodum non nouit. At reliquarũ quaſdam, quæ ſcilicet paulatim magnũ cõtrahunt incommodũ, non æque licet per experientiã inuenire. Dictum aũt fuſius de eiuſmodi conſuetudinibus eſt in libris de ſanitate tuenda. Vnde,ſi in frigidæ quoq; exhibitione conſuetudo citra methodum ſatisfacit,nec nos profecto experientiã fugimus: immo oẽm,quã illi,utilitatẽ ab ea capientes,ẽt extrinſecus præter hãc adijcimus qui ſaltem id poſſumus,eam,quæ a rerũ natura ſuggeritur,indicationẽ. In hoc uero libro methodi ratio nem ſequentes fatemur longiore uia idẽ inuenire,quod breuius inuenirẽ citra * ratiocinationẽ liceret. Siquidẽ,cum ſæpe iam uidimus non paucos ex ijs, qui febribus ardentibus premerentur, cum iam mediocriter concocti humores eſſent, ſtatim ex frigidæ potione febre liberatos, quamuis ei potioni parũ aſſueti fuiſſent,multo (arbitror) magis in ijs, qui aſſueuerunt, utilitatẽ fore citra noxam ullam ſperabimus. Habes itaq; nunc etiam de conſuetudine rationẽ, etſi ex incidenti oblatam, tamen ſatis definitam. Eſt.n. ea quoq; unum quiddam eorum, quæ curationis rationem per * morbi naturam intercedentem indicent, quemadmodum & ætas. Siquidem ipſa quoq; temperamenti interuentu indicationẽ præſtat,ueluti puerorum: quę, cum humidam & calidam temperiem habeat, facile digeritur.

μικρῶν eſt in græcis .i. longis.

De indicatione ab ætate, ac ſumma uniuerſarum indicationum. Cap. 17.

DAdſis enim animo,uelim, ad ea, quæ de corporũ diuerſitate hoc loco dicam. Lapidum ſubſtantia conſtans ſtabilisq; propter ſiccitatẽ & frigus eſt: Ad eundẽ modũ æris,& ferri,& auri,& uno uerbo,omniũ,quæ ex terra ſunt,corporũ. At, quæ humida calidaq; ſunt, eorũ ſubſtantia celerrime in ambientem diſſipatur, alias in halitum ſenſibilem ſoluta,alias in perſpirationes,quæ uiſum fugiant,ſed ratione deprehendantur. Atq; hæ corporum naturæ,ueluti ex diametro, (ut Græci loquuntur) id eſt lõgiſſimo interuallo,a ſe diſtant. Reliquarũ omniũ illæ,quæ frigidæ ac ſiccæ proxime accedunt,ægre quidem per halitum digeri poſſunt, minus tamen ægre,quàm ferrum, & lapis, & adamas. At, quæ calidæ & humidæ ſunt uicinæ, hæ promptius quidẽ digeruntur, atq; exhalant, ceterũ minus hæ quoq;, quàm aqua calefacta. Nam citra caloré nõ poteſt in halitum digeri corpus ullum,ſubſtantia eius coacta denſataq; manente:ſed nec per calorem omne,immo quod habile eſt in halitũ reſolui: tale porrò eſt,quod humidum eſt. Ergo puerorũ ſubſtantia omniũ facillime digeritur,ac diſſipatur propterea,q eſt omnium humidiſſima: nulla uero frigidior. Quo minus uacuantis præſidij eget,cum habeat ex ſeipſa, unde naturaliter uacuetur. Fit autem profecto & propter calidam ſiccamq; regionem, & tempus æſtiuum, & ſtatum cæli impenſe calidum & ſiccum notabilis per cutim uacuatio. Itaque etiam huius cauſa ijs, qui ſanguinis detrahendi egent, aut prorſus uenam non ſecabimus, aut parum detrahemus. Sane erunt in hac quoq; detractione multi ſcopi medico ſpectandi, natura ab initio, conſuetudo, ætas, locus

*ἀναλογισμὸν

*corporis.

habitationis, anni tempus, cæli ſtatus: ad hæc ægritudinalis quem curamus, affectus, aliaq; ratione E
ante hunc laborantis uires. Cum uero affectus numeroſi ſint, cuiq; eorum ſua eſt curationis indicatio.
Quippe a calido indicatio eſt refrigerandi: a frigido calefaciendi: ac a reliquorum quolibet contra-
rium applicandi. Quare, cum octo intemperamenta ſint, octo etiam erunt morborum, quibus ſimpli-
cia corpora ſunt obnoxia, particulares * indicationes. * Vltraq; has una eius affectus, qui etiam inſtru- *ἐξ ἐπιμέτρου δέ.
mentalium eſt communis: cuius nullum apud priores nomen fuit. Sed nos, qui eum interpretari ſu-
mus coacti, continui ſolutionem appellauimus: oſtendimusq; communem curationis * indicationem
hic quoq; eſſe unitionem. At uero, quæ ex hoc rurſum in partes diducto particulares conſiſtant, hæ
quatuor uoluminibus ſunt proditæ, nempe tertio, quarto, quinto, & ſexto huius operis. Ac nunc
quidem inſtitutum de intemperamentis ſermonem etiam in ſequentibus libris perſequar. Hoc abſo-
luto ad inſtrumentalium partium morbos conuertar: oſtendamq; ſecundum eandem methodum in ijs
quoq; tum primas omniũ curationis * indicationes: (quas utiq; generaliſſimas appelles, licet) tum
quæ ex harum ſectione naſcantur: deinde rurſus, quæ ex illis oriantur, donec ad eas, quæ ultra ſectio-
nem non admittant, peruenero. Hanc etenim omnis conſtituendæ artis methodum Plato nos docuit.
Verum de inſtrumentalibus poſtea (ut promiſi) dicetur. Nunc (ſi prius, in qua parte propoſiti operis
ſimus, admonuerimus) præſenti iam diſputationi finem idoneum imponemus. Eſt igitur unum morbi F
genus, quod ſimilares & ſimplices animalis uexat partes, quam intemperiem uocant. Huius aliquas
differentias ex corporibus nuda qualitate alteratis prouenire docuimus: aliquas cum materia quapiã,
quæ in ipſa confluit: Rurſusq; ambas incidere uel in unicam animalis particulam, uel plures, uel etiã
totum corpus. Ergo, cum in operis huius libro ſeptimo intemperies eas, quæ alteratis tantum quali-
tatibus in partibus proueniunt, pertractarim, in duobus deinceps libris ad eas, quæ in totum ſe ani-
mal extendunt, uenientibus, primum agere de febribus placuit. At, quoniam harum ipſarum aliquæ
adhuc fiunt, manente ſcilicet in corpore cauſa, quæ eas excitauit: aliquæ factæ iam ſunt, ſed, quæ eas
accendit, cauſa iam abijt, ſatius uiſum eſt de ijs primum ſermonem facere, utpote ſimplicem pri-
mam curationis indicationem habentibus: deinde illas quoq; ſtilo aggredi, quarum in corpore cau-
ſa ſubſiſtit.

GALENI METHODI MEDENDI, ID EST

DE MORBIS CVRANDIS,

LIBER DECIMVS.

ARGVMENTVM LIBRI.

Docet præcauere, ne Diariæ febres in hecticas pertranſeant,
ac ipſas hecticas, cum inuaſerint, curare. G

De ratione curandi, cum indicationes ab affectu, a cauſa, & a uiribus in idem coierint, uel inuicem pugnarint. *Cap. I.*

ERgo in diarijs febribus ſimplex quidam eſt in corpore præter naturã affectus,
utpote cauſis, quæ primũ eas excitarunt, iam ademptis. In quibus uero cauſa,
quæ eas accẽdit, adhuc manet, in ijs nec affectus ſimplex, nec ſanatio eſt. Siqui
dem quod febris iam receptũ in corpore eſt, id ex propria ipſius curandi indi-
catione diſcutere oportet: quod adhuc eſt futurũ, id propulſare, ac, ne fiat, ue- H
tare. Vetabitur aũt, ſi, quæ id excitat cauſa, prorſus ſit ſubmota. Itaq; in diarijs
faciendorũ indicationẽ ex ipſa febre maxime capiemus, ſed cũ illa naturã, &
ætatẽ, & cõſuetudinẽ, præterea anni tẽpus, cæli ſtatũ, & regionẽ, † [& uires] ſi- † Hæc uerba impreſsi codices græci habent, antiqui non habent.
mul expẽdentes. In reliquis, quæ accẽſionis ſuæ cãm intus habẽt, prima * indicatio ab ipſa ſumetur cau-
ſa. Itaq;, ſi febriũ, quæ multos dies cõtinuant, recte oſtẽdimus putredinẽ eſſe cãm, hæc nimirũ ſananda
eſt prima: ſed nec interim extinguẽdæ febris, quæ per eam iam accẽſa eſt, rõ nõ habẽda. Ac, ſi quidẽ in
idẽ conſentiãt, & quæ febrẽ extinguũt, & quæ cãm oppugnãt, quod ab utriſq; indicaẽ, cum unũ ſit, ſine
cunctatiõe agendũ eſt. Sin febris, quæ iam accẽſa ſit, ſanatio cãm, quæ hãc excitauit, eſt auctura: aut, quę
cãm ſubmouẽt, febrẽ exaſperabunt, diligens habẽda cõſideratio eſt remediorũ ſpecie. Sane diligenter
conſiderauerit, qui totã deliberationẽ in tria hæc æſtimãda diuiſerit, febriſne ſola curanda ſit nõ ſolici-
to de cã: an cauſa oppugnanda minime curanti de febri: an plurimũ quidẽ remediorũ ad alterã earum
ſit adhibendum, non tamen altera neglecta. At, quod primo quidem loco eſt dictum, probare non de-
bemus: quando, ſi, quibus præſidijs id febris, quod ſemper gignitur, oppugnamus, ea effectricem
eius cauſam auxerint, plane nec generationẽ eius aliquãdo inhibebimus, nec magnitudinẽ minuemus,
quippe & generatio eius, effectricis cauſæ ſpeciem imitabiẽ: & magnitudo cũ illa pariter inaugeſcet.
Quod

A Quod ſecundo loco diximus, ſi id diſtinguemus, poterit eſſe non incommodum. Nam, ſi intolerabilis
ægro magnitudo febris ſit, committendum non eſt, ut per ea, quibus cauſam adimimus, febrẽ augea-
mus. Simul enim arbitror utrunque, & febrim ſuſtulerimus, & hominẽ. Sin ita mediocris ſit febris, ut
quo tempore contra cauſam tantum pugnas, obruendæ interim uires, ægrotantis non ſint, utiq; con-
temnendus is modus non eſt. Non contemnendus aũt nec tertius eſt, qui cõtra id, cuius maius momẽ-
tum eſt, inſtare iubet, nec tamen alterius omnino negligentẽ eſſe. Sane plerunq; cauſæ maior eſt uis.
Fieri tamen aliquando poteſt, ut ea ſit febris magnitudo, quæ præſentem perniciem, niſi occurras,
afferat. quo caſu oportebit hac prius ſubmota, deinde ad cauſam ſubmouendam accedere. Atq; hæc
mi Eugeniane, decidenda tibi inter initia ſtatim de contrarijs indicationibus ſunt. Cum aũt in ijs exa
minandis non parum uiſa eſt ad hominis ſalutem momenti habere uis ipſa [naturalis,] utique de ea
quoq; non leuis ad agendorum inuentionem conſideratio eſt habenda. Ita fit, ut tres primi ſcopi ſint,
qui in propoſitis iam ob putredinem febribus agendorũ indicationẽ nobis præbeant: Vna febris ipſa:
A.l.1.f.4.d.1. c.1.p.132.E Altera effectrix eius cauſa: Tertia uis ipſa [naturalis.] Ceterum priores duo ſcopi ſubmouendi ſunt:
tertius eſt tuendus. Erit igitur rurſus hic quoq; eadem tibi conſideratio, quæ paulo ſupra, ut cum uiri-
bus tum febrem, tum cauſam inuicem conferas. Mox, ſi eadem ambo remedia requirent, ea
B prompte exequaris: Sin indicationes pugnabunt, unam præferas, uel quæ a uiribus ſumitur, uel quæ
a cauſa, uel quæ a febre, ac, quæ ceteris ſit ualentior, hanc magis ſequaris, nec tamen ceteras negligas.
Ex hac nanq; diſcretione doceberis primam cauſam, febremq; profligare, ubi uidelicet conijcis harum
remedia uires poſſe ferre: rurſus primam roborandam uirtutem eſſe, ubi hæc imbecillior eſt, quàm ut
cauſæ febriſq; præſidia ſuſtineat. Quinetiam omnia pariter ſub coniecturam agi licet, ueluti paulo ſu-
pra de febri, & de cauſa eſt monſtratum.

Quæ ex diarijs febribus magis aptæ ſint perdurare, & in alias febres tranſire, quaq; ratione id periculi declinemus. *Cap. 2.*

ERgo, cũ tria hæc ſint, ad quæ attentũ te eſſe in propoſitis febribus curandis oporteat, febris ipſa,
huius efficiens cauſa, & ægrotantis uires, inuentiq; præterea ſint generales indicationum modi,
quos ẽt generales uniuerſaleſq; dicimus, tranſeundũ, arbitror, nũc eſt ad præſidiorum differentias, quæ
ſpecialia particulariaq; ſunt, ſed mentione de diarijs repetita: quandoquidẽ ab ipſis in eas, quæ plures
dies continuent, aliqui tranſeunt. At uero, cum in has tranſeant una quidem ratione maxime com-
muni, ipſa medicorum inſcitia: duabus magis priuatis, quòd ipſarum febrium uel cauſa effectrix iam
abijt, uel etiamnum manet, de utriſq; ſeorſum eſt dicendum. Porrò abijt effectrix cauſa, quoties ab ira,
C dolore, uigilia, cura, æſtiuo Sole, fatigatione, & bubone iam inclinato excitata citra ſtipationẽ febris
eſt. Manet, quoties uel ab externa cauſa, uel ab ipſa febre ſtipatio aliqua facta eſt. Nam & frigiditas, &
adſtringentiũ uſus, per mediam ſtipationem ſemper febrem excitant. Vſtio præterea non nunquã cor-
poris habitũ conſtipat. Iam ipſum febris principiũ, ubi cum horrore inuaſit, ſtipationẽ ſubinde fecit.
Quinetiã glutinoſi, & craſſi, aut ẽt copioſi ſucci, ubi mediocriter obſtruxerunt, diariã aliqñ febrẽ accen
dunt, utiq; cum idoneũ ſortiti ſunt medicũ, ut ſupra eſt indicatũ. Sane dicuntur idcirco id genus febres
omnes diariæ, quia ſolui, (quod utiq; ex ipſis eſt) uno die ſunt aptæ, computata cum hoc unà & nocte,
quemadmodũ cum dicimus menſem eſſe triginta dierum, & annum trecentorũ ſexaginta quinque, &
hoc geſtũ eſſe ante tres dies, aut gerendum eſſe poſt quatuor. Ceterum, non eſt idem ipſarum omniũ
affectus, ſed ab aliquibus inſeparabilis ſtipatio eſt: ab aliquibus minime inſeparabilis, ſed uel ut ple-
runque ſimul adeſt, uel ambigua ſorte, uel raro. Inſeparabilis ſtipatio eſt ijs, qui ex aluminoſa aqua,
uel chalcanthode, uel tali quapiam alia, aut ex frigore, aut leui obſtructione febricitarunt: Plurimum
uero ijs adeſt, qui ex uſtione febricitant: Ambigua ſorte, ijs, qui ex fatigatione: Quicunq; uero ex ira,
uel triſtitia, uel uigilijs, uel pertinaci ſtudio, uel cruditate, uel bubone febricitant, ijs raro adiun-
cta ſtipatio eſt. Atq; harum omnium febriũ nulla, (quod utiq; ex ipſa ſit) ad ſecundã uſq; acceſſionem
*τοὐπίπαν. D perdurat, ſed intra quatuor & uiginti horas * omnino deſinit. Aut, ſi quando earũ aliquæ (quod tamẽ
rarius ſit) longius trahunt, duæ ijs accedunt cauſæ, quæ ipſas ſolui uetant. Earũ una frigus eſt, quod uel
ex ambiente aere, uel ex unctione quapiam extrinſecus admota proueniat: Altera egregia iſta diatri-
tos eſt, ſiqui uidelicet hanc tranſire medicorum inſcitia coguntur. Quod ſi & ambiens aer calidus ſit,
& nemo ex medicis, qui diatriton ſuſpiciunt, ad ægrotantem accedat, febris quidẽ poſt primã acceſ-
ſionem finietur, idq; cum ſudore, uel madore, uel tranſpiratu, qui halituoſus ſit. Aeger aũt, ubi ſe libe-
ratum a febri ſenſerit, ad conſueta munia redibit, lauans, ungenſq; ſe: aut ẽt, ſi agreſtis quiſpiam mon-
ticola ſit, his omiſſis comedens. Ac uulgus quidẽ, ſicuti multa alia, utiq; ab ipſa rerum natura edoctũ,
melius, quàm ſophiſtæ, agit, ita & in diarijs febribus omnia ſibi ipſi præſtare ſufficit, præſertim ubi citra
ualentem ſtipationem conſtitere. Vbi uero cum eiuſmodi ſtipatione inuaſerunt, qui infortunati ſunt,
in medicum aliquem incidunt eorum, qui diatriton efferunt: Qui fortunati, in eum, qui ipſos & laua
bit, & nutriet, ceteraq; omnia præſtabit, quibus ſtipatio ſoluatur. Sæpe nanq; (ceu dictum eſt) ex leui
obſtructione cum cutis latente denſitudine, quæ uel ex uitioſa lauatione, uel alio quopiam eſt contra-
cta, diarijs non nulli febribus ſunt correpti. Quo tempore, niſi quis celeriter obſtructionem ſubmo-
uerit, in pluriũ dierũ febres tranſeunt. Eſt nanq; eiuſmodi febris (quantũ ex ipſa eſt) earum, quę plures
dies infeſtant, & quæ diariæ ſunt, communis. Ceterum propter cauſæ paruitatẽ, unius diei efficiẽ, ſicut

etiam propter magnitudinem,multorum interim dierum . Verum acceſſio eius ab initio ad exitum uſ- E que una eſt,modo ne ipſam excipiat ea,quæ ex putredine humorum naſcitur.ergo,quoad nec in pulſu, nec in calore,nec lotio,putredinis adhuc aduertitur nota, atque ex ſola obſtructione ortum habet,vtique ipſa obſtructionis ſolutio eius eſt ſanatio:quemadmodumque hanc ſoluere conueniat, ante eſt dictum.Multæ igitur apparent diariarum eſſe febrium particulares differentiæ:Vna,quando iam prorſus abijt effectrix ipſarum cauſa,ueluti uſtio:Altera,quando hæc etiam adeſt,ſicut ſtipatio: cuius duæ monſtratæ ſunt differentiæ,nempe exiguorum meatuum denſitas &,de qua nunc agimus,obſtructio. Sane denſitudo ipſa alias ex ſiccitate prouenit,ueluti poſt feruores,aut fatigationes, aut iras:alias ex frigore eoque uel ſimplici,vel cum adſtrictoria ui.Quæ quemadmodum inter ſe differant, in libro de medicamentis eſt præceptum.Iam uero obſtructionum ipſarum alia eſt,quæ ex abundantia:alia quæ ex qualitate ſuccorum,ſcilicet qui aut lenti,aut craſſi,ſint incidit . Præferetur autem inter remedia,in ea,quam copia facit,ſanguinis miſſio:In ea,quæ ex humorum qualitate conſiſtit,attenuantium vſus. Quod uero ex uiribus conſilij petatur,ut in diarijs ſane eſt exiguum,ita in ijs,quæ pluribus diebus vrgent, ſatis magni eſt momenti:eoque maioris,quo hæ ſunt longiores. Enimuero,ubi naturaliter ſe uires habent , ne minimum quidem†[in plurium dierum febribus]uacuantium auxiliorum uſum morantur. Vbi non naturaliter ſe habent,(uoco autem non naturaliter,cum infirmiores quodammodo ſunt)pro magnitudi- F ne imbecillitatis impeditur uacuantium auxiliorum uſus . Sane rarius accidit,ut protinus in primo ſecundóue die uires imbecillæ cernantur:Accidit tamen interdum, uel propter ægrotãtis malum corporis habitum,uel propter ſenium.Non nullis etiam fatigatio,ubi uſtio, & triſtitia, uigiliæq; præceſſerũt, & inedia per totum ſecuta eſt diem,dein febris prius, quàm homo cibaretur , circa ueſperam occupauit,& nox inſomnis eſt acta,uires magnopere reſoluit.

† ἐν τοῖς πολυημέροις πυρετοῖς, legũt tũ impreſsi, tum plerique ex manuſcriptis codicibus , ut etiam Linacer uertit. Sũt tamẽ qui dam codi qui addãt καὶ τοῖς ὀλιγημέροις. i. & in iis, quæ paucorũ ſunt dierum.

Quo pacto in iuuene febricitante Diatritariorum errorem Galenus indicauerit, ac emendarit. Cap. 3.

NEc alienum ſit,ſi tibi talem ægrotum deſcribam, in quo primum auſus ſum ratione ipſa mihi uiã monſtrante & diatriton contemnere,& uirium rationem habere:poſteaque alios , quos in ſimili caſu uidi,audacter eodem modo,quo illum,curare . Siquidem primum periculum poſt,quàm ijs,quæ ab indicatione ſunt inuenta,ſubſcripſit,ad ſecundum uſum reddit magis animoſos . Ergo iuuenis,qui febri eſt correptus,annos natus erat quinque & uiginti,gracili corpore & muſculoſo,ueluti canis: tum ſicco calidoque omnino temperamento.Iam idem exercitatione quodammodo delectabatur, & alioqui cogitabundus, & induſtrius erat. Is peregre agẽs,cum nuncium parum gratum accepiſſet, & triſtatus eſt,& propere ſe accingens ad urbẽ feſtinauit . Ac priore quidem die & laborauit modice , & lotus G cœnatuſque in quodam diuerſorio quieuit,ſed maxima ex parte ſine ſomno . Poſtera die etiam magis feſtinauit:ac longa uia,& ſabuloſa, & ſquallente tum ſub feruente Sole confecta , hora prope ſeptima & ſemiſſe peruenit in urbem.Ibi,cum ea quorum cauſa maturaſſet,meliora audiret,in gymnaſium lauaturus proficiſcitur:dein unctus,unà cum quodam eorum,qui aderant iuuene,perfrictus eſt. A quo cũ, ut paululum dimoueret,prouocaretur,orta inter eos contentione,(qualia ſæpe incidunt ijs,qui exercitationibus indulgent)plus iuſto eſt exercitatus:eratque iam immodice ſiccus.Egreſſus uero gymnaſiũ inuenit amicornm quoſdam pugnantes,quos dum dirimit,imprudens in aliam exercitationem non leuem incidit,dum alios eorum diuellit,alios impellit,alios complectitur medios, alios, ut iniurios , increpat,ac pro ijs,qui iniurijs affecti eſſent,iraſcitur,adeo,ut domum ſe in ſumma ſiccitate reciperet,laſſitudinem,inæqualitatemque ſentiens . Aquam igitur ex conſuetudine bibens, ubi nihilo ſe leuatum , ſed inæqualitatem ſibi intendi ſentit,hanc quidem uomuit. Ratus autem utilius adhuc cibo abſtinere , accubuit,ac quieti ſe dedit hora ferme diei undecima . quod cum feciſſet , ac nocte tota febre diuexatus uigilaſſet,poſtridie quoque quieuit uſque ad meridiem,ſperans ſe ſomni aliquid conſecuturum . Quo tempore cum eum medici quidam diatriton colentes , inuiſerent , tum quidem homini ſatis magnam eſſe febrem aiebant,ueſperi autem ſe illum reuiſuros.Itaque,& ueſperi cum redirent,ac febrem H inclinatam cernerent, ne tum quidem nutriendum cenſuerunt , quamuis etiam id alius quidam medicus ſuaderet:immo ſtrenue reſtiterunt,adijcientes,ſi quidem ſine febri eſſet,fortaſſe cibum daturos: febricitante adhuc minime id facturos.Quinetiam,cum tertio die mane redirent,etiam tertiæ diei acceſſionem tranſmittendam cenſuerunt.Erat autem (ut prius dictum eſt) ſuſpecta hora illius diei undecima.Ergo digreſſis illis,ipſe acceſſi, ac faciem iuuenis contemplatus uidi talem eſſe, qualem in prognoſticis Hippocrates his uerbis pingit:Naſus acutus,concaui oculi, ac reliqua, quæ deinceps ab eo dicta ſcimus.Itaque,cum omnino mihi perſuaderem fore,ut tum in hecticam febrem, tum quam maraſmode uocant,homo,niſi cibaretur,incideret,ſorbitionem ex alica quàm primum paro,atque exhibeo . Et tamen quamuis hac ſumpta,cum acceſſio ſuo tempore circa undecimam inuaderet,ſic extremis partibus perfrixit,ut calfieri hæ uix poſſent,& pulſus illi paruus*raruſque quàm maxime fuit. Qua ex cauſa illi etiam quarto die tum mane, tum ueſperi cibum dedi, quo ſcilicet & uires repararem , & corpus humectarem.Erat nãque cutis eius,ceu corium,arida. Vbi autem febris tenuis, & ſimilis perſeuerauit, ſtatui deinde quinto die non ſimplici ſorbitione hominem cibare, ut ante, ſed alica ex aqua calida, citraque condituram iniectis in eam mali punici granis.Eſt nanque is optimus cibus bilioſo ſtomacho . nam & roborat hunc malum punicum: & alica,cum diutiſſime in uentriculo citra corruptionem mane

at,

*ἄρρωστος. i. imbecillus.

A neat, ſenſim concoquitur,nec aceſcens,nec innatans . Quæ uitia accedere ſorbitionibus aliquando ſolent. Incidit uero & in ipſo quinto principium acceſſionis ſimile. Itemq;, cum & ſexto & ſeptimo eum ſimili ratione cibaſſem,in * nono rurſus ſimile principium præcedentibus fuit. Vbi nimirum uel amentiam, uel pertinaciam,uel, haud ſcio, quid dicam,eorum,qui in principio hominem tranſmittere tertię diei acceſſionem ſine cibo iuſſerant, prorſus intelligere licebat . Nam , cum cunctis euidenter appareret nunquam peruenturum eum ad quartum fuiſſe, ſi nutritus ante acceſſionem tertij non fuiſſet,illi & tum eum , & ſecutis etiam diebus non recte nutritum aiebant . Ceterum committendum non erat , ut eorum redarguendi ſtudio,ægrum quis non exhibito in ipſo acceſſionis die cibo proderet . Igitur nono die ſimiliter hominem nutriens, cernensq; in acceſſione pulſum eius redditum, quàm prius erat,firmiorem, ceterum imbecillitatem illam adhuc præferentem cum extremarum partium frigore,non potui ſuſtinere medicorum illorum meras nugas, ſed undecimo die præfatus prius ægrotantis amicis fore, ut ipſo die intelligerent hominem hactenus noſtra opera fuiſſe ſeruatum, permiſimus illi præterire acceſſionis horas. Ergo,cum & ſine pulſu omnino in ipſis eſſet, & frigus eum uehemens totius corporis premeret ſic,ut nec loqueretur amplius,& uix impellentem ſentiret,conuocati in unum medici omnes, qui ab initio uideramus,ab ægrotantis propinquis propemodum ſumus diſcerpti : Ego quidem , B quòd ob pertinaciam ultro ægri ſalutem prodidiſſem:qui uero diatriton colebant , propter ignorantiã & ſtupiditatem. Ac illi quidem pallidiores frigidioreſq;, quàm ipſe æger,conſilium quoddam fugæ captabant. Quod ego proſpiciens, aulæ oſtium obſerari iuſſeram , & ſimul amico cuidam clauem ſeruare. Poſt medius eorum ſtans,iam,inquam,uobis conſtare plane arbitror , quis hactenus hominem ſeruarit. Seruabitur autem & nunc noſtra opera . Neq; enim,ſi periturum omnino in hac acceſſione putaſſem, a cibatione deſtitiſſem. Sed, quoniam ex præcedenti iam uictu tantum illi roboris ſupereſſe noueram, ut tolerare acceſſionem poſſet,permiſi acceſſionis horas ſine cibo tranſmittere. Ac ſatius quidem fuiſſet multo ante hominem nutrire. Verum, quo & iſtos redarguam,& quibuſdam his auſcultantium, qui confici a nobis iuuenem, quòd illam occaſionem omiſerim, dicunt , perſuadeam , nunc illis oſtendam uel in acceſſione ipſa ægrotantes quoſdam nutriri debere, nedum ante hanc . His dictis , ac diductis hominis maxillis, infundo ex anguſti oris uaſculo, cremoris ptiſſanæ tres cyathos:paulo autẽ poſt albi & tenuis uini,modiceq; calida diluti duos cyathos.Poſt quos & ſuſtulit oculos,& tum audire,tum loqui, tum præſentes noſſe cœpit, cum ante,ueluti lignum aridum , porrectus ſine uoce ac ſenſu iaceret. Rurſus itaq; dato ex uino, quo dixi modo, diluto , pane ad comedendum exiguo prorſus hominẽ reuocaui. Quem,ut rurſum ad inſtitutam ab initio uictus rationem reduxi , & tertij decimi diei acceſ- C ſionem facile tolerare uidi,in quartodecimo rurſus mane cibaui: ac poſt circiter horam octauam laui : deinde rurſus liberalius cibaui:ac mox uinum bibendum exhibui . Idem uero & in duodecimo & tertiodecimo feceram. In quinto autem decimo rurſum cibaui mane . Cum uero facilius tum quoq; acceſſionem ferret,in ſexto decimo denuo laui . Ceteraq; circa hominem peregi, ſicut in præcedentibus diebus. At, ubi in decimo ſeptimo minime grauis paruaq; acceſſio fuit , audacter hominem de cetero ſub conualeſcentium uictus ratione habui.Hic æger non paucos ſemimalorum , ac non penitus aſinorum docuit etiam ante acceſſiones ipſas non nunquam eſſe cibandum, uel ſi duarum horarum intercedat ſpatium:ac multo magis ante acceſſionem tertij. Oſtendi autem tibi & in prima ipſa acceſſionis inuaſione eiuſmodi homines eſſe nutriendos. Dico autem eiuſmodi homines, in quibus corporis intemperies ad ſiccum & calidum conuerſa febres accendit .

*octauo.

Ratione atque experimento monſtratur , quàm utilis non nunquam ſit ante acceſſionem uel in ipſa acceſſione cibatio . Cap. 4.

POrrò hoc quoque pleriſque medicorum fortaſſe ſit incredibile. Sed, ſiue rationi ipſi fides eſt adhibenda, ſiue operibus,nos fidem ambobus facimus : Operibus quidem, dum homines ijs monſtramus, qui, ſi biduo patiantur inediam, neceſſe eſt, febricitent, ita ſcilicet , ut non nulli, ubi concitati ad D iram ſunt, uel mœrore uel uigilijs affecti. Euidentiſſime enim tum in conualeſcentibus ex diutino morbo talia fieri cernuntur : tum ijs,qui calido & ſicco ſunt temperamento.Quam uero ratio ipſa fidẽ huic rei facit, alibi iam dicta eſt. Dicentur tamen & nunc eius rei ſummæ , Mordens halitus & ſuccus , ubi per ſenſibilia corpora fertur, horrores & inæquales totius corporis concuſſiones (ῥῖγη græce dicunt)faciunt † [in ijs, quibus cute ſtipata, quæ prius tranſpirabant , iam ſunt retenta . Quoties enim fuliginoſa ſunt, febres accendunt .] Ergo eiuſmodi halitus & ſuccos , tum multa & uehemens dimotio , tum uigiliæ, & ira , & dolor, & cura augent : tum proxime ab iſtis unum illud per ſe interdum augere eos ſufficit, utique ſi cibum quis non ſumpſerit. Efficitur enim corporis habitus in ijs naturis , quæ facile amaram bilem generant , ex longa inedia bilioſus . Si igitur tum id incidat,tum æger motu quopiam ualentiore, quàm pro uiribus , uſus mordentium excrementorum impetum confertim foras excitarit , neceſſe eſt (ueluti in ſymptomatum cauſis oſtendimus) uel concuſſionem , quam modo dixi, uel horrorem ſubſequi . Ac concuſſio quidem iſta ſuccedet propter eorum , quæ feruntur, excrementorum tum multitudinem, tum acrimoniam, tum impetus celeritatem , tum laborantis uirium infirmitatem . Nam, & quæ multa paucis:& quæ qualitate ſunt inſigni, ijs, quæ ita non ſunt, mordent magis:pari modo , & quæ cum celeritate feruntur, ijs,quæ tarde.Iam uires,ubi ualentes ſunt,oĩa contemnunt ac tolerant;vbi infirmę ſunt redditæ,uel abs quouis offenduntur.Horror fiet,ubi & qualitas eorũ, & impetus

uelocitas

†In græcis ita legitur . ἐφ᾽ οἷς στεγνωμένου τοῦ δέρματος, ἐπιχεθέντα τὰ διαπνεόμενα πρόσθεν, ὅταν ᾖ λιγνυώδη, πυρετοὺς ἀνάπτει, ideſt p quos horrores & rigores ſtipata cute, ea , quæ prius tranſpirabant, quando fuliginoſa ſunt , febres accendunt.

uelocitas eſt remiſſa,tum copia minor:ac potiſſimum cum uires triſtanti obſiſtunt.Si uero iam dicta lar E gius remittantur,ne horror quidem fiet,ſed uel ulceroſus quidam ſenſus, uel tantum inæqualitas. Ergo coeuntibus omnibus iam dictis,† [quod uehementiſſimum eſt,oritur,utique ſupradicta totius corporis concuſſio:]rurſus remiſſis omnibus,nullus ex tranſitu excrementorum fit ſenſus. Quòd ſi quædam ſint,quædam non ſint,& quædam maiora ſint,quædam minora in eiuſmodi miſtionibus media latitudo omnis,†[quæ inter id,quod maximum eſt,quod ῥῖγος græce uocari diximus, & minimum, qui eſt nullus omnino excrementorum ſenſus,] efficitur. Itaque nihil mirum eſt,ſi dictarum cauſarum quælibet uel per ſe,uel cum alijs iuncta,alij inæqualitatem,alij ulceris quempiam ſenſum,aut horrorem, aut dictam concuſſionem afferre uideatur.Nam pone,uires imbecillæ ſint, corpus ipſum admodum ſenſile,(quippe id quoque oſtenſum eſt non parum ad eiuſmodi ſymptomatum generationem conferre:) habitus autem corporis gracilis,& temperamentum biliofum,ſtomachuſque ſimiliter bili affectus : tũ his omnibus accedant inedia cibi,& uigiliæ quæpiam,& triſtitia,& ſolicitudo:ad hæc progreſſus a domo,qui ex urgente quapiam cauſa ſit neceſſarius:poſtea his propoſitis(id quod aliquando fieri uidiſti) det ſedulo operam,ut plus itineris per urbem, re ita poſtulante, feſtinus peragat:nunquid huic ex eo, qui excitatus eſt, mordentium excrementorum motu primum quidem inæqualitas quædam, mox uero etiam horror prompte incidet?quòd ſi motum quoque continuet,vel cibum ſumere non anteuertat F protinus etiam febris?Equidem ita febricitantes aliquos oſtendi tibi,maxime ex ijs,qui e longo morbo conualuerant. Quorum cum uni forte fortuna occurriſſem,qui mox ante horreſcere cœpiſſet,ut rẽ expoſuiſſet,dato ex uino diluto pane,continuo horrorem inhibui. Verum hunc(uti ſcis)per uiam in officinam quandam perductum febricitare prohibui. Alios uero,qui prius ſe domum ſuam recepiſſent, in ipſo principio horroris,uel paulo poſterius cibauimus.Atque,ut ſemel dicam,quibus incipientis ad huc acceſſionis aderant ſymptomata, ijs omnibus panem ex uino diluto ac calente mature exhibens, & horrorem ſtatim inhibui,& febrem prohibui.Quanto vero hos citius cibaueris,tanto ſcilicet magis febrem prohibueris. Quòd ſi paulułum aliquando morere,utique febris ne tum quidem,calor tamen multus ijs aduenit,ſimillime plane ijs,qui per uehemens frigus facto itinere,reuerſi domũ, calidis ſunt nutriti. Quippe ſi pluſculum morere,maiorem calorem ſentient, talemque ac tantum, ut dubites, an hunc, febrem appelles.Sin duæ horæ ab initio inæqualitatis interpoſitæ ſint,nutries tunc quoque, modo horror adhuc duret, prædicens tamen, quòd hi febricitabunt, ceterum innoxia febre, & cui cutis mador ſuccedet:quo facto,tum lauare,tum rurſus nutrire debebis.Quòd ſi horror præterierit,ac iã plane febricitent,cibandi id temporis non ſunt, ſed decreſcente iam acceſſione ilico ſunt nutriendi integritate non expectata.In nullo nanque ſquallido affectu commode finitur acceſſio prius, quàm illi uel G ex lauacro,uel humido uictu humectatio acceſſerit. Hæc ego omnia cum operibus indicarem, qui me uel laudabant,uel æmulabantur,ſcilicet quòd ſupra eorum opinionem erant,quæ egeram παραδοξοποιὸν, quòd,paradoxa facerem,(ut ſcis) uocabant. Cum uero ratione de ijſdem diſſerens docerem aliquos ante acceſſionem eſſe cibandos,aliquos in ipſa,idque uel inclinare iam incipiente,uel etiã in ipſo ſummo uigore:tum παραδοξολόγον me,quod paradoxa dicere uiderer, appellabant. Ergo quid facies his hominibus,quibus nec opere,nec ratione perſuaderi poteſt? At,inquiũt,fieri nequit,ut eiuſmodi affectus quis agnoſcat.quomodo igitur nos eos agnouimus?Videtur ne cuipiam fieri non poſſe, ut calida & ſicca intemperies agnoſcatur, uel quæ ab ortu uſque fuerit, uel quæ in præſenti tempore talis ſit reddita? Mihi ſane tam uidetur facile, quàm has ipſas agnouiſſe literas. Quid illud uero, ſi huic non ſit adhuc in ſuccis putredo ulla, illi uero ſit, non poſſe uobis uidetur hoc diſcerni?Mihi poſſe uidetur. Nam & ex pulſu, & urina, & ex ipſa non nunquam,quæ in calore eſt, qualitate euidenter id diſcernimus. Quòd ſi propterea, quòd nec ipſi quicquam diſcere uolunt, nec ſeſe exercitare, ſcientibus parum credunt, quid uetat, quo minus tum geometris ipſis, tum arithmeticis, tum reliquis artificibus omnibus nihil credant?

† τὸ σφοδρότατόν ἐστι ῥῖγος. ideſt uehemẽtiſsimus oritur rigor.

† τοῦτο μεγίστου ῥίγους καὶ τῆς παντελοῦς τῶν περιττωμάτων ἀναισθησίας. ad uerbũ inter maximũ rigorẽ & omnimodam excrementorũ inſenſibilitatem.

Calidas & ſiccas naturas incdiam non tolerare,ac de primis capitibus,quibus ratio cibandi continetur. H *Cap. 5.*

MIſſo igitur hoc genere nominum,rurſus ſeriem ſermonis noſtri perſequamur. Calidis ac ſiccis naturis aduerſiſſima res inedia eſt, ac febrium paratiſſima cauſa. Voco naturas calidas & ſiccas non ſolum, quæ a primo ortu tales ex proprio temperamento ſint, ſed etiam, quæ poſterius ex calido ſiccoq; uictu,& plurima dimotione,& uigilia,& cura,& triſtitia,& regione calida ſiccaq;,& tẽpore æſtiuo, & cęli ſtatu calido ſiccoq; ſint acquiſitæ.Sane licet & citra tẽporis anni mentionẽ,in eiuſmodi ſermone ſtatum cæli ſolum nominare.Verum,ſi altius repetam,id,quod dico,magis credes. Calida & ſicca temperamenta,ſiue ea ex prima origine talia ſint,ſiue ex uictu,& immodico labore, & animi perturbationibus,& regione, & cæli ſtatu,inedia uehementer lædit.In hac dictiõe,ipſis ſaltẽ uerbis,omiſſum eſt anni tẽpus,poteſtate tñ omiſſum nõ eſt,utpote quod in cęli ſtatu cõprehenditur : qñ calidus in ſummo ſiccuſq; cęli ſtatus iam dictã tẽperaturam efficit. Hic autẽ ſtatus alio anni tẽpore, quàm æſtate,plane incidere nõ põt:quando nec in autumno,nec in uere,multoq; minus in hyeme fieri põt, ut calidiſſimus ſimul ſicciſſimuſq; cæli ſtatus fiat: ſicut nec humidiſſimus pariter frigidiſſimuſq; in alio,quàm hyeme.Ob hæc igitur ipſe quoque aliquando prætermiſſo anni tempore cęli ſtatu ſum contentus. Liceat tamen cuique nominibus,quibus uelit,uti,modo a rerum natura non diſcedat. Eſt porrò rerum natu-

ra,

A ra, qualem & modo diximus,& nihilominus nunc dicemus. Nam,quæ maxime ſunt ad curationem neceſſaria, eademq; maxime ignorata, nec Hippocrates ipſe identidem repetere grauatur. Igitur inedia ſiccis calidisq; corporibus, ualentibus quidem noxia eſt:ijs uero, qui in calida & ſicca æſtate febre laborant,quæ ſcilicet ex uſtione,aut labore immodico, aut uigilijs, aut comprehenſis iam animi *motibus ſit contracta, non ſimpliciter noxia eſt, ſed, ſi quicquam aliud, plane pernicioſa : quippe uel in febres ardentes ex ea incidunt,a quibus, niſi prius mors occupet, in hecticas migrant, atq; ab his in maraſmum : uel protinus ab initio ardentibus præteritis, in hecticas. Maxime tamen (ut dictum ſæpius eſt) ſiccos calidosq; * affectus ſtatim a principio hectica corripit, ſicuti mulieri accidit, quæ autumno ex triſtitia & uigilijs febricitare cœpit:perſeuerauit autem ad plurimum hyemis. Hanc quarto die (ut ſcis) uidimus, deprehendimusq; ſtatim hecticam eſſe febrem,cum alia,quam humores excitarant,cõiunctam. Curatio autem una tum fuerat, ut frigida tempeſtiue & moderate daretur, conſuetæ ſcilicet hanc per ſanitatem bibere. Verum alijs curatio huius erat commiſſa:quare nobis ſilere eſt uiſum. Alteri uero, qui eodem tempore ægrotarat,& ſe nobis commiſerat,quoties nutritus eſt, fontanæ plane gelidæ dedimus interim binos cyathos, interim ternos : quando frigidam ſimul multam ſibi dari, qui ita ſunt affecti, citra noxam non ferunt. Quocirca utiliſſimum eſt, ubi febris ideam perſpexeris, in prima B ſtatim acceſſione minore cum periculo,copioſiore frigida uti, corporibus ad ualidam ſiccitatem nondum perductis. Qui enim in feruoribus ſub canicula ex ira febricitauit, (iuuenis autem hic erat ſiccus & calidus) ubi in prima acceſſione duas frigidæ heminas bibiſſet, ſtatim quidem uomuit flauiſſimam bilem,non multo autem poſt etiam deorſum excreuit. Deinde,cum rurſus poſt cibum aquæ circiter heminam ſimiliter ſumpſiſſet,iam febricitare deſijt. Non defuere tamen medici, qui, cum nullam a principio febris ſpeciem agnoſcerent, ſed poſtea,cum iam præterijſſet occaſio,intelligentes uel in hecticã, uel etiam in maraſmoden febrem ægrotantem incidiſſe, frigidam bibendam, nos imitantes, præbuerunt. Sed nemo metam attigit. Nam magna ſolicitudo habenda eſt in ijs, qui ita ſe habent, de frigidæ potionis menſura. De qua paulo poſt dicemus,ubi propoſitæ diſputationi finem impoſuerimus. Quippe æger is, quem ante deſcripſimus, exemplo omnibus eſt, quibus propter ſiccitatem a principio ſtatim dari cibus debet, etiam ſi febricitare iam incipiant. Nam,cum accenditur in his febris propter mordentem acrimoniam excalfacti attenuatiq; ex Sole & inedia & laboribus ſucci, maximum eius remedium eſt humidum nutrimentum : ſicuti e diuerſo,ubi ob copiam, uel obſtructionem, uel phlegmonẽ, uel (ut ſemel dicam) humoris alicuius putredinem febris eſt orta, maximo malo eſt cibus. Atque hos quidem nec in inclinatione febris citra noxam nutrias, nedum ipſa acceſſione inuadente: illos uero o-

C mni certe tempore, ſed potiſſimum per inclinationem. Me quoq; ſubinde uidiſti eos, qui ex abundantia,& qui ex phlegmone laborarent, ſub longa inedia tenuiſſe ſic, ut prorſus ante ſeptimum diem non cibarem, ſed ſola mulſa contentus eſſem, uiribus ſcilicet ualentibus. Quoſdam eorum, quibus uidelicet uires ualidæ non fuerant,aut ſtomachus bilioſus, aut imbecillus,aut plus iuſto ſenſilis, ſolo ptiſſanæ cremore uſq; ad ſeptimum diem traxi, quo morbus † [in ſummo eſſe incremento] debuerat, aut etiam omnino per criſin diſcuti. Sunto igitur tibi a primo ſtatim die in omni ægro ſpectanda duo illa, quæ Hippocrates iuſſit, a quibus cibandi conſilia petas, morbi ſummus uigor, & ægrotantis uires. Poſtea,ſi tranſiri ſummum incrementum ſine omni cibo poteſt, in cibi abſtinentia hominem ſeruabis : Sin exiguum adminiculum requirat, abunde erit ſola mulſa : Quòd ſi maius deſiderat, quàm ſit ex mulſa, ptiſſanæ cremor ſatis erit. At, ſi fas non eſt ſummum morbi incrementum, aut tenui uictu, aut inedia tranſmitti,id agendum,ut homo ſtatim in primæ acceſſionis inclinatione cibetur. Aliquos uero eorum (ut dictum eſt) & cum inuaſura adhuc eſt,& cum incipit,cibabis. Sint porrò hi ſicco temperamento ac calido,aut a primo ortu, aut certe illo tempore, oportet : tum uiribus neceſſario imbecillis. neque enim fieri poteſt,ut abunde ſiccum calidumq; corpus,cum febricitet,uiribus ſit ualentibus.Si tamẽ cum eiuſmodi febri ac corpore,momentanei membri phlegmone ſit coniuncta, omnino æger morietur(nã D id quoq; prædixiſſe me ſemper, nunquam uero falſum ipſe teſtis es.) Magisq; id certum eſt, ſi pulmonis,uel membranæ,quæ coſtis ſubtenditur,uel uentriculi,uel iecinoris phlegmone ſit. Etenim,quę has partes phlegmonæ occuparunt, non modo ijs, qui tam imbecillis ſunt uiribus,ſed etiam ijs,qui ualentiores ipſis ſunt,mortiferæ eſſe ſolent. Vnaq; ſalus tum pleuriticis, tum peripneumonicis, adde etiam ſynanchicis,ideſt qui angina laborant, eſt ipſum uirium robur:Non ſecus uero,& quibus uel iecur,uel uentriculum phlegmone obſidet. Nam,quod ad phlegmonen,quæ in ijs eſt partibus,ſpectat, minime plane eſt cibandum:quod ad uirium infirmitatem,utiq; ſæpe. Ita neceſſario aut uires reſoluentur, aut phlegmone augebitur. Atq; hæc mihi latius fortaſſis,quàm pro re propoſita, ſunt dicta : qui præſertim hoc libro ſtatuerim de febribus,quæ abſq; phlegmone infeſtant,differere.Ceterum tractationis * conuenientia fecit,ut quatenus neceſſarium eſſet,digrederemur.

*παθεσι.

*διαθέσεις eſt in impreſsis, ut Linacer uertit. κράσεις autem.i. temperaturas eſt in quibuſdam antiquis.

†Al. παρακμάζειν.i.declinare.

*κοινωνία.

Quo pacto præcauendum ſit,ne febris in ſquallente habitu in hecticam pertranſeat:ac de duplici putredine, quæ febres accendit. *Cap. 6.*

DEnuo igitur redeamus ad febres,quæ iam comprehenſis febribus ſunt affines, quas nominare hecticas ſolemus. Nam, qui ſupra deſcriptus a me iuuenis eſt, hectica febri laboraſſet, ſi mirificam diatriton tranſigere fuiſſet coactus : niſi tamen prius ab ijs, qui abſque methodo uictus rationem ordinare conſueuerunt,fuiſſet interemptus. Proponatur igitur alius quiſpiam, cui cum ſupradicto cetera

quidem

quidem omnia ſint eadem,uires tamen tanto ſint ualentiores, ut tridui inedia tolerata duret: Neceſſe E
eſt hunc,ſi modo ita cibetur,quemadmodum cibant, qui diatriton extollunt,in hecticam incidere. Nã
ij primum in quarto ipſum cibarent,poſt in ſexto,mox in octauo,deinde in decimo: quippe talis eſt(ut
ſæpe uidiſti)eorum cibandi formula.Prima quidem cibatio poſt primam diatriton:reliquæ alternis die
bus.Protinus autem (arbitror)& ex artomelite.i.pane ac melle ſiccaſſent eius præcordia. nam id quo-
que ex legibus eiuſmodi medicorum eſt,ſiue phlegmone uiſcus aliquod laboret, ſiue ſecus.At,quẽad
modum quidem eos cibare,qui ita laborent,inter initia conueniat, ſupra eſt dictum:ſed nihilo tamẽ ſe
cius nunc quoq; ſummatim repetetur.Quoties uel ex laſſitudine,uel ira,uel pluribus curis,uel uigilijs,
uel triſtitia,uel longa inedia,uel uniuerſis unà(ſicut in ſupra deſcripto iuuene) coeuntibus ſiccatũ cor-
pus eſt,ac febris inuaſit,quæ & aridam reddat cutem,& igneum habeat calorem,utiq; hũc talem timor
eſt febri hectica correptum iri,potiſſimum in æſtate,ac cæli ſtatu calido ſiccoq;. Oportet autem,quam
primum ptiſſanæ cremore,& ſorbitione ex alica nutritum, paneque poſt oblato, aquæ frigidæ potione
hominem cures. quippe protinus extinguitur ac ceſſat omnino febris,modo (ut dictum eſt)nec phleg
mone aliqua ei ſit adiuncta,nec putredo humorum. Nam, ſi horum uteruis ſit, attendere diligenter o-
portet ac diſcernere,quo primum tempore aquam frigidam dare homini ſit audendum. Ego enim ta-
lium quoq; non paucis dedi,tutius eſſe ratus phlegmonas in præſens augere, quàm ſinere hominẽ he- F
cticam febrem incurrere. Vbiq; igitur(ut ſemper dicere ſoleo)curatio dignotionem prænotionemque
conſequitur. Siquidem,& dignoſcat,quod præſens eſt,& prænoſcat,quod ex eo futurum eſt, oportet,
qui uolet notabilis efficaciæ remedio uti. Si tamen magnum fore incommodum uel humorum putre-
dini,uel phlegmonæ conijcies,a frigida quidem danda abſtinebis:refrigerantibus aũt remedijs,quę fo
ris applicantur,uteris,modo ea ſuper os uentriculi aut tota præcordia, modo ſuper pectus imponens,
ubi.ſ.plurimum ſubeſſe caloris maxime iudicabis.Sane diximus ijs,qui ita laborant, balnea quoq; eſſe
non incommoda.Dico ijs,qui ſiccato plurimum corpore ſunt,& ex aliqua earum,quæ dictæ ſunt,cauſa
rum citra humorum putredinem febricitant.Monſtratum uero nobis eſt in ijs,quæ de febribus ſcripſi-
mus,phlegmonas quoq; propter putredinem humorũ,qui in ipſis habẽtur,febres ſubſequi.Quocirca,
ſiqñ dicam febribus,quæ ex putredine accenduntur,tale quippiam conducere uel non conducere,etiã
eas,quæ à phlegmone excitantur,in cõi putredinis genere comprehenſas intelliges. Sicubi uero dein-
ceps utraſq; nominare uideris,ſcias eas,quæ ex phlegmone,ab ijs,quæ ex ſola putredine ortum habẽt,
tum diſcerni.Cuiuſmodi autem ſit phlegmones affectus,tum in libro de inæquali intemperie, tum ue-
ro in eo,qui de tumoribus præter naturam eſt inſcriptus, docuimus. Admonuiſſe tñ & nunc te non ſit
inutile. Cum ſanguis calidus copioſior in aliquam animalis partem procubuit, maiora eius uaſa proti- G
nus diſtenduntur,utpote abundantiæ continendæ non ſufficientia:Ab his deinceps, quæ minora ſunt:
Mox,ubi nec in ijs ſatis continetur,exudat foras in ea ampla ſpatia,quæ inter uaſa ſunt, ſic, ut etiã om-
nia,quæ in compoſita carne habẽtur,loca occupet.Atq; hæc quidem eſt phlegmones affectio. Poſſunt
uero & ſine hac in ipſis uaſis humores aliqui putreſcere,idq; aut in una animalis particula in finibus ip-
ſorum impacti,aut etiam in totis eorum capacitatibus, quæ inter bubones & alas ſunt, comprehenſi.
Cum igitur (ceu diximus)citra putredinem ſquallenti corpori febricitare contigerit, caput totius cu-
rationis in ijs remedijs,quæ refrigerent & humectent, ſtatuere oportet.

Sex eſſe materiæ differentias, quibus frigus & humiditas hecticis febribus conciliantur. *Cap.* 7.

POrrò duplex genere eſt harum rerum prima materia. Vna eorum,quæ foris *admouentur. Alte- *προσπιττόμενα.
ra,quæ intro in corpus ſumuntur,quæ ſane & proſpheromena, id eſt ſumenda,uocantur. Extrinſe-
cus corpori incidunt tum aer ipſe,qui nos ambit:tum pharmaca,quęcunq; humectandi refrigerandiq;
uim obtinent:& tertium præter hæc,dulcis aquæ balneum.Intro in corpus ſumuntur, quæ eduntur ac
bibuntur,& inſpiratus aer. Ab his generibus tentandum eſt propoſitis hoc loco febribus tum humidi-
tatem,tum refrigerationem comparare.Verum refrigeratio, quoniam per efficaciſſimam qualitatẽ in-
ducitur,& parui temporis eſt,& periculoſa:contra,ſiccitatis per ea,quæ humectent,curatio,ut longi tẽ H
poris eſt opus, ita minus eſt,quàm refrigeratio,periculo expoſita. Igitur dictas ſex materiæ differẽtias
deinceps iam examinemus,ab ambiente exorſi.

De eligendo ac parando aere,qui hecticis febribus conueniat. *Cap.* 8.

HIc igitur ſi temperatus eſt,qualem ſe exhibet,utique tali nobis eſt utendus,nihil amplius de eo ſo
licitis.Sin admodum calidus eſt, uel admodum frigidus, pro calido inducendus arte contrarius
eſt,ſubterraneis inuentis domibus,quæ & frigidiſſimę ſint,& maxime perflatę, & ad ſeptentrionẽ uer-
ſę:tum auris quibuſdam,quę ipſis ſint*proprię, opera noſtra paratis, alias ex euripis in quo ſe deijciãt *ἰδίαις.i. ſuã-
multi aquarum fontes:alias aqua frigida de uaſis in uaſa transfuſa. Iam hoc ſtatim etiam ſomniferum ues.
eſt. Præterea domo aſſidue aqua,quę prorſus frigida ſit, aſperſa:ac roſis plurimis humi fuſis, aut uitiũ
capreolis,aut ruborum ſummitatibus,aut lentiſci ramis,aut denique reliquarum,quę refrigerent, ſtir-
pium,aliquibus.De quibus etiam prius eſt dictum.Turba quoque hominum ingredi prohibita:nam id
quoque domum calefacit.Atque ita quidem calidiſſimum aerem refrigerare, qui ſcilicet in æſtate cali
da & ſicca accidit,eſt tentandum:quandoquidem in hyeme calidiſſimus eſſe non poteſt,ſicuti nec frigi
diſſimus in ęſtate.At,ſiquis modice frigidus eſt,hoc eſſe contentos oportet,nihil aut machinantes, aut
de temperie eius alterantes.Qui uero frigidiſſimus eſt,utique,quatenus reſpirando attrahitur, admit-
tendus

A tendus eſt,ut qui calorem,qui eſt in corde,admodum refrigeret: non tamẽ quatenus extrinſecus ægrũ
contingit.quippe id denſat cogitque cutim, ac *putredinoſorum humorum effluxum tranſpirare pro- *Al. συγκαιομέ-
hibet. Siquidem per pulmonem,quod rarum uiſcus eſt, difficile non eſt,ut tum qualitas ipſius, tum ẽt νων.i.eorũ qui
ſubſtantia ad cor facile perueniat. At, per cutim,fieri nequit, vt eius uel qualitas, uel ſubſtantia ad cor comburũtur.
perueniat, utpote prius denſatam. Nam,quod in libris de ſimplicium medicamentorum facultate, de
ijs,quæ uehementer adſtringunt,eſt dictum,id hic quoq; reuocari ad memoriam debebit, ac ſciri, qui
nimium frigidus aer eſt, hunc cutim denſando,ſemper ſibijpſi uiam præcludere. Scire tamen licet ma-
ius fore ex frigida inſpiratione commodum,quàm ex cute denſanda incommodum: præſertim cũ ope
rimentis hanc calfacere licet. Porrò utendum maxime eiuſmodi aere eſt in ijs hecticis, quibus primũ,
quod afficitur,ipſum eſt cor: Aeque ut,ſi uentriculus primum eſſet afflictus, ipſi per comeſta & bibita
eſſet ſuccurrendum.Huic enim illa cum integris adhuc uiribus occurrunt,ſicut cordi inſpiratus aer. At
iecinori ex inſpirato aere nulla certe utilitas accedit:a comeſtis uero & bibitis minor plane, quàm ueh
triculo,ceterum aliqua non obſcure aduenit. Communis autem oĩum ſanatio eſt per ea,quæ extrinſe-
cus applicata refrigerant & humectant. Atq;†[in his quidem uiſceribus]magna ex parte hecticas ma-
raſmodesq; febres accidere contemplati ſumus. Superueniunt tñ aliquando & pulmonum ſiccis cali-
disq; intemperamentis:Attamen opportunum eiuſmodi febribus id uiſcus non eſt,utpote humidũ la-
xumq;.† [Incidũt præterea & pectori,& pingui membranæ,]quod Meſaræon dicitur,& ieiuno,& cõ-
lo:interim uero & utero,& renibus.†[In ſepto uero tranſuerſo]maraſmum non uidi, hecticam ſanè fe-
brem uidi,& hanc ſemel quidem plane abſolutam,ſępe uero citius interimentem,quàm plane eſſet cõ
pleta.Eiuſmodi nanq; affectum & ſpirandi difficultas,& delirium excipere ſolet. Ex quibus magna ex
parte prius moriuntur,quàm hectica prorſus ſit perfecta.Eſt autem eorũ agnitio facillima, tum ex pul-
ſus duritia,tum ex eo,q; præcordia plurimum trahuntur ſurſum,tum ex difficultate ſpirãdi, quæ illis eſt
& inæqualis & uaria:quippe alias,quàm maxime paruum & frequens ſpirant:rurſus aliquando manife
ſte ſpiritum tardant:dein ſubito, quemadmodum gementes reſpirarunt,uel duplicem ſpiritus intromiſ
ſionem,quaſi ſuperinſpirantes,uel duplicem foras miſſionem faciunt: † [ueluti reſpiratio reſpirationẽ
comprehendat.] Reſpirant uero hi ſæpe & reliquo thorace toto,nõ ſenſibiliter modo,uerumetiam no-
tabiliter,tum opertas ſcoptulas, quas Homoplatas uocant,attollentes: aliquando admodum raram &
magnam reſpirationem edunt, utiq; cum delirij malum præcipue dominatur. Verum præſentis inſtitu
ti non eſt uel laborantium partium notas,uel earum cauſas referre. Quare denuo ad curationes reuer-
tamur:æſtimemusq;, quas uires propoſitæ iam materiæ aduerſus hecticas febres habeant. Sane dixi-
C mus iam non nulla de aere tum calido,tum frigido: qui præcipue quidem eſt utilis,cum,quod primum
afficitur,ipſum eſt cor:quanuis confert & in reliquis febribus non parum, quandoquidem in his quo-
que,neceſſe eſt,cor ſimilem intemperiem recipiat:citra quam nec maraſmus, nec hectica, nec reliqua-
rum ulla febrium conſiſtere poteſt. Quo facile apparet etiam pulmones,ubi.ſiij ſunt,qui primum patiũ
tur,plus ceteris omnibus refrigerantem aerem requirere.

De parandis medicamentis, quæ extrinſecus hecticis admouentur. *Cap.* 9.

SEquitur iam, ut de ijs medicamentis agam, quæ extrinſecus admota humectent, & refrigerent.
Porrò horum quoque ea deligenda eſſe, quæ citra uehementem adſtrictionem refrigerent, ne-
minem latet. Talia enim, præterquam quòd non humectant, etiam demittere frigiditatem ſuam alte
non ualent propterea, quòd cutim cogunt, ac coarctant. Optima uero ſunt, quæ non modo citra ad-
ſtrictionem refrigerant, ſed etiam corporis ſubſtantia ſunt tenui. Ac, quæ quidem abſolutiſſime te-
nuium partium ſit, ſubſtantiam exacte frigidam inueniſſe fortaſſe non eſt. Dixi, exacte,propter acetũ,
quod cum omnium, (quæ nouimus) poteſtate refrigerantium plane tenuiſſimarum ſit partium, ad-
A.l.4.f.3.t.1. miſtam ſibi aliquam caliditatem habet. Præterea corpora, quæ contingit, ſiccat, quanuis ad imagi-
c.3.p.840.d. nationem ſit humidum. Quo fit, ut ad eos affectus, quos humectari & refrigerari expedit, ſolo eo
D non utamur, ſed tanto aquæ frigidæ admiſto, ut poſſit bibi. Ceterum, quanquam corpus, quod abſo-
lute tenuium partium ſit & ſimul frigidum, inuenire non eſt, attamen deligi materias oportet, quæ ad
eiuſmodi medicamenti compoſitionem maxime ſint idoneæ. Ac dictum quidem latius de his eſt in o-
pere de medicamentis. Dicetur autem in exemplis non nihil & nunc, quo in hoc quoq; genere mem-
bratim ſis exercitatus. Incipiam autem ab eo medicamine, quod omnium, quæ humectent ac refrige
rent, eſt ſimpliciſſimum. quo etiam aduerſus eryſipelata utor, & phlegmonas in pudendis, utique in-
ter initia,prius, quàm depaſcens aliqua ſubindicetur putredo. Debebit autem ad id præparata eſſe ce
ra quàm optima,& elota. Sane optima fuerit uel alba pontica, uel quæ ex atticis ſit fauis. Eſto autem
& roſaceum,quod ex oleo ſit a non nullis uocato omphacino, ab alijs crudo,quodq; citra ſalem ſit cõ-
fectum. Maxime uero ad rem pertinebit, ſi & ipſum oleum tenuium prorſus ſit partium:cuiuſmodi Sa
binum eſt. Cum uti uoles, ambo miſta liquantor in uaſe duplici. Factoq; humido cerato, (cuiuſmodi
† Corruptele ſcilicet erit, quod triplum aut quadruplum ad ceram roſaceum habet) † [poſt, quam ipſum fuerit refri
gitur in ipreſ geratum,miſcetor] ei paulatim in mortario tantum aquæ, quantum in ſe, dum cum ea mollitur, accipe-
ſis. Λυχθείσῃ. re poſſit. Expedit autem & ceratum ipſum prius admodum eſſe refrigeratum, atq; etiam, quæ huic ad-
legendũ enim miſcebitur, aquam eſſe frigidiſſimam. Abunde aũt ceratum refrigerabis, ſi, cum modice coiuit, totum
ξυσθείσῃ, ut in uas, in quo continetur, in aquam frigidiſsimam dimittas. Quòd ſi aceti quoque admodũ tenuis ac clari
antiquis hoc

paululum

paulum adijcere uelis,utique magis adhuc tum refrigerans , tum humectans medicamentum effici- E es. Non debebit aũt medicamentum hoc eo usque super ægrum corpus manere dũ manifeste incaleat sed assidue subinde mutari. Aliud medicamẽtum Oxalidos,aut oxylapathi succus cum exigua[tenui] *polenta mista excipiatur duplicato peniculo detrito:affatimque frigidum & ipsum imponatur. Quòd si eiusmodi peniculi occasio non sit , tum linteum duplicatum , & madefactum refrigerandæ particulæ impones. Quinetiam portulacæ,& semperuiui,& uuæ immaturæ succus similiter * polentæ miscentur. Ad hæc lens palustris,& uiridis tribuli,& polygoni,& lactucæ,& intybi succus,aliaq;, quæcunque refrigerare est dictum,cum tenui*polenta. Præterea sine*polenta licet integris herbis tunsis uti. Iam uero,quod epithema ex pinguibus fit palmulis,quas παητοὺς græce uocant,salutare medicamen est. Porrò coquere oportet harum carnem,omni membranoso exempto, alias ex solo claro aceto : alias aqua ipsi admista:atque hac,ubi tenera satis reddita est,tunsa uti . Quod si parum molli crassitudine uidebitur,præstiterit iam dicti aliquid admiscuisse cerati. Quòd si rosacei quidpiam dictorum singulis aliquando miscere uolueris,nihilo inutilius pharmacum habebis. Esto autem,quod admiscetur, tum minimũ, tum & simplex & perfrigidum,& quod factum ex oleo fit salis experti. Sane,quoties simplex rosaceũ, aut aliquid quiduis id genus dico,quod sine aromatis est confectum,intelligi uolo. Est uero salutare ad talia medicamen & rosarum succus frigidus,unà cũ * polenta . Salutares uero sunt & ipsæ rosæ tunsæ : F præterea stirpium,quæ moderate adstringunt,germina trita. Ad quem modum uti aliquando licet & herbis,quæ mediocriter adstringant,ueluti solano. Verum eiusmodi medicaminum materiam in alio opere reddidimus uniuersam. Nunc abunde pro exemplis sunt,quæ iam dicta sunt. Porrò utendũ his est,non(sicut uulgus facit)toti impositis thoraci,aut toti uentri,immo illi maxime,quod primo est affectum. Neque enim necessum est,ut aut cum eo,quod refrigerari ualenter desiderat,etiam id refrigeres quod prorsus non desiderat:aut ante iustum tempus refrigerare desistas,timens uicinam aliquam particulam lædi. Ego nanq; hominem scio,qui imposito præcordijs refrigerante medicamento, difficultate statim spirandi laborarit:Alterum uero,qui protinus tussierit. Atque paulo post utriq; finitum symptoma,ubi quod refrigerauerat,est ablatum. Quod si adeo strenue refrigerare non studebis,habes,quæ id modice efficiant,*adhærentium medicaminum,ac cerati speciem referentium magnam copiam. Quorum non materiæ modo uim,sed etiam compositionis methodum didicisti.

pacto, ἐπειδὰν δ᾽αὐτῇ ... μιγνύσθω ξυθείσῃ κατὰ βραχὺ &c. i. post,quam autem ipsum refrigeratũ fuerit ac derasũ, miscetor &c.
* ἀλφίτων,quã dictionem alii farinã uertunt.
* ἐμπλαστῶν.

De balneorum partibus,ipsorumq; facultate,ac qua ratione hectica febre laborantes sint in balneum ducendi. Cap. 10.

VErum ego,cum iam sentiam mensuram præsentis instituti me excedere,ad ea,quæ tractationis se G ries ,pxima exhibet,cõuertar. Proxime uero se a iã dictis exhibet cõsideratio de balneo,tũ ipsius rei causa,tum uel magis propter Philippum,qui† [hecticis, quas μαρασμώδεις uocant,] ipsum noxiũ putat. Ipse igitur tũ de omni balneorũ ui,tum etiam quę ad eos,qui hectica & marasmo laborant,vel(ut semel dicam)omnibus est accommoda,in hoc maxime libro,quid sentiam explicabo. Memini nanque me & supra in diarijs febribus illa laudare: & in septimo huius operis libro , in ijs , qui propter siccam uentriculi intemperiem cruditate laborabant atque extenuati erant,sæpe utendas iubere. Ceterum de uniuersa earum ui nullo alio libro disserui,sed in hunc seruaui:ubi & de ijs agitur,quibus efficacissimus earum est usus,& quibus Philippus ea interdicit. Atque prius quidem, ubi de ulcerum curatione egimus,indicata causa est,cur propriæ cuiusque morbi* indicationes sint ignoratæ. Dicetur autem nihilo secius & nunc,utpote tum ad ea,quæ nũc paramus,tum ad ea,quæ dicenda sunt,utilis. Cum.n.unus in corpore affectus est,eius curationem inuenire, si non ratione, certe experientia haud difficile est. Vbi uero connexi duo tresve sunt,præsertim qui maxime contraria inter se auxilia requirant , fieri nequit , ut experientia,quod agendum sit,inueniatur:immo nec facile ratione. Siquidem & substantiam cuiusque affectus ad unguem nouisse oportet , & propriam curationis indicationem a quoq; affectu cœpisse,præterea quem primum omnium,aut magis,quem rursum minus,aut secundo tertioue loco curare H conueniat. Hæc igitur causa est,cur uulgo medicorum ignotum sit,& quod febrium omnium , qua febres sunt,proprium remedium refrigeratio sit,siue ea talis actu sit,siue potestate: & quod alia multa ex accidenti refrigerantia,febrium sint remedia. De quibus & dictum non nihil in præcedentibus est , & in sequentibus dicetur. Quædam nanque remedia complicatam quodam modo duplicemque facultatem habent ita,ut & prima ratione proficiant,& ex accidente. Quod genus & balneum est. Nam frigidæ potio per se quidem proficit,utpote actu refrigerans : Succus autem uuæ immaturæ potestate refrigerans medicamentum est. Atque hæc quidem ambo refrigerant primum, id est per se ipsa, nec intercedente alio: At sanguinis missio(ueluti prius indicauimus in febribus continentibus; quas synochos uocant)non primum,sed ex accidenti calidam aliquando intemperiem sanat. Ad eundem modum & clyster,& purgatio,&*fomentum[ex calido liquore,] & cataplasma, quod digerat , aut concoquat . Vtranque uero facultatem in se comprehensam habet propositum nunc in sermone balneum , utpote ex partibus uaria facultate præditis compositum. Quippe ingredientes in aere uersantur calido. postea in aquam calidam descendunt:mox ab hac egressi,in frigidam.postremo sudorem detergent. Potest autem prima eius pars † [materias per totum corpus tum calfacere, tum uero liquare :] præterea, quę inequalia sunt,ęquare,& cutim rarefacere,& multa,quę sub hac ante*detinebantur,uacuare. Sęcũda

† τοὺς μαραινομένους. i. eis, q. marcescũt.
* ἐπιβροχή.
† In codicib. græcis impressis , ac ãtiquis plerisque legitur θερμῆναί τε δι᾽ ὅλου τὸ σῶμα , καὶ χέαι τὰς ὕλας. i. totum corpus ęqualiter calfacere,tum materias fundere. Linacer ui detur legisse, ut aliqui etiã codi. legunt , δι᾽ ὅλου τοῦ σώματος. utra tamẽ sit melior lectio , paulo infra indicabunt uerba illa , uidelicet æqualis p totũ corpus &c.
* Impressi codi.& multi ex antiquis legunt. κατεχομένων,ut Linacer uertit: sũt tamen,qui legunt καταχεομένων.id est fusa erant.

A da eius pars,ubi quis in sicco corporis affectu ea utitur,potest madorem utilem solidis partibus immittere. Tertia balnei pars potest,ubi quis frigida utitur,& totum corpus refrigerare,& cutem densare,& uires firmare. Quarta uero corpus per sudores citra refrigerationis noxam uacuare. Ergo,cum hæc omnia circa hominis corpus efficere ualeat dulcis aquæ temperatum balneum,& præter hæc etiam, siquis intempestiue lauetur,tum horrores,tum cutis densitatem, tentandum nobis est omnia deinceps distinguere,ac primum de illis sermonem facere,qui,cum in balneo se lauant, horrore tentantur. His enim una(ut sic dicam)continens excitati symptomatis causa est:Aliæ,quæ hanc præcedũt,multæ. Sane horroris causam esse dico mordentium excrementorum confertim actorum citatiorem motum. Proinde, quibus horum est abundantia,caro uero,ac cutis densæ,siue balneum sint ingressi,siue steterint in Sole, siue quoquo modo uel gestati,uel perfricti,uel exercitati,uehementius sint dimoti,utique ijs horror incidit. Contra,quibus hæc pauca sunt,& corporis habitus,ut laxetur rarefiatque a balnei calore, promptus,ij non modo non horrent,sed etiam meliores redduntur,utpote excremẽtis per id uacuatis. Quo rationabilius nec in febrilis significationis principio,nec in incremento quisquam ægrotantem lauit. Quippe densata est hoc tempore coarctataque & cutis ipsa,&,quæ sub hac habetur, carnea substantia. At in febris inclinatione uel incipiente,vel procedente,uel amplius progressa & nos sæpe,& alij medi B ci non nulli multos sæpenumero ægrotos lauantes non parum his contulimus. Porrò,quando inclinatione incipiente , aut iam progressa , aut etiam in summo incremento (interdum enim id quoque accidit , tametsi raro) æger in balneum sit ducendus , in sequentibus definiemus. Nunc , cum de generali facultate singularum balnei partium differere institui , unum omnium primum exponam. Dicoque multos eorum,qui cruditate laborant:plures uero eorum, in quibus mordentium excrementorum abundantia subest:omnes præterea,qui uel in febrili significatione,uel in ascensu:etiam omnes , qui in summo sunt incremento præter admodum paucos , siue hi sint in balneum ingressi , siue steterint in calido Sole,siue exercitationes,frictiones,gestationesve tentauerint,merito horrescere. Singula nãque horum confertim & impetu agi excrementa subigunt. Cum igitur tam adhuc densa lauantis cutis sit,vt ad primum ambientis aeris occursum nequeat naturalem suum habitum recipere , sed maiore ad id spatio indigeat , excrementa uero foras uersus ruant uniuersa, & retineri illic ea est necesse,& qua sub cute sunt aceruata,&,qua per carnes feruntur,mordere. Porrò in libris de causis symptomatum indicauimus mordentia excrementa,ubi per sensibilia corpora feruntur,tum concussiones, quas ῥίγη uocant,tum horrores excitare. Ergo,quamobrem horreant in balneis omnes,qui ante sunt comprehensi iam causas inuenimus . Pari modo,& cur non horreant, quibus aut nullum est in corpore excrementũ C mordens,aut tantillum, ut facile uacuetur. Ergo de his deinceps loquamur:propter quos etiam de ijs, qui horrent,meminimus. Siquis enim balneum ingressus non inhorruit, sed laxata est illi rarefactaque cutis, huic plane necessario prædicta succedent, excrementorum uacuatio , æqualis per totum corpus calor,exiguorum meatuum rarefactio,tensorum relaxatio,densatorum fusio. Ac uacuatio quidem excrementorum omni febri est utilissima:Pari modo,& rarefactio,& relaxatio : Fusio tamen & calor non item. Sed calor omni febri est inimicus:quando refrigerari, non calfieri febrium affectus postulat. At fundi æqualiter , id solidis quidem animalis partibus non est alienum : Succis certe non perpetuo est utile:Sed,quoties in animali,uel phlegmone quæpiam,uel affectus phlegmonæ similis cõstitit,uel utrauis abundantia,siue ea,quæ ad uires confertur,siue ea,quæ ad uasorum capacitatem,omnium profecto inimicissimum. Ac phlegmonæ quidem,cum calefacti,& liquati succi ad ipsas confluunt,augentur. Tunicæ uero uasorum,impares abundantiæ,quæ iam ex liquatione spiritu est impleta,distenduntur:ac uires hoc ipso male afficiuntur. Ergo calidis his siccisque affectibus,de quibus agebamus,* emissio mordentium est salubris:fusio enim eorum est citra periculum. Calefactio tamen noxa non caret. Atque hæc quidem ex prima balnei parte ijs,qui ita laborant,prouenire,modo tempestiue balneo utãtur,memoria teneamus. Transeamus modo ad secundam eius partem,quæ erat,id quod maxime proprie lauaD crum uocant. Ergo in hac,sicut ex humectatione iuuantur,sic ex calore nihil illis commodi accedit. Accedamus & ad tertiam,in qua & refrigerantur innoxie,quæ fuerant excalfacta,& uires firmantur. Siqua uero & rarefacta,& iusto plus sunt laxata, ea in naturalem redeunt mediocritatem:id quod quarta balnei pars indicat. Quippe,quibus omnia rite sunt adhibita,ij post frigidæ usum adhuc sudant, & oĩa ipsis excremẽta uacuãtur. Itaq; ex oĩbus,quæ de balneis retulimus,una summa colligitur,ꝙ uacuatur q̃dẽ quicquid ĩ corpore uel fuliginosũ,uel fumidũ fuit:cõsistũt aũt in naturali symmetria,tũ caro ipsa tũ cutis:solidarũ partiũ ariditas corrigitur:& calor nõ modo is,qui ex lauacro accessit, uerumetiã qui prius fuit ex frigidæ usu submouetur. Maximo huius rei documento est status, qui ex eiusmodi balneo redditur post,quàm in Sole feruente iter fecerimus. Quippe accedimus ad id,ne loqui quidem, præ linguæ, & faucium ariditate ualentes,totumque corpus stipulæ ritu aridum habentes. At egressi e frigida , ilico omnia pro naturæ habitu recipimus,nec febrili calore uexati, nec siccitate afflicti , prompteque loquentes , ac plurima sitis parte leuati. An igitur euidentius adhuc balnei uires in sicco & calido corporis affectu cognoscere desideras ? Ego sane non arbitror. Licet autem,cui placet,experiatur,quod incommodum sequatur , ubi tali peracto itinere non lauerit. Aut enim statim febricitabit , aut multo plenus tædio,grauato scilicet capite,perseuerabit, potissimum si frigida calorem nondum extinxerit. Multi tamen iuuenes eiusmodi confectis itineribus , ubi ilico se in aquam frigidam proiecerint , iuuantur:

* ἀποχεῖσθαι.

nantur : ac potissimum, qui ualentibus sunt uiribus,& frigido solio assueti.Ita uero & ruri faciunt,ubi, E
quòd balneæ non sunt, in stagna, uel flumina seipsos conijciunt, nullo medici suasu, sed ipsa guber
nante corpus natura ad id, quod conducat,impulsi. Quæ eadem,etiam ratione carentibus animalibus
instinctum inserit ad eorum,quæ offendunt, contraria. Siquidem ea quoq; , ubi æstu uexantur, frigida
se lauant : sicuti etiam, ubi frigore urgentur,calida cubilia sibi inueniunt. Eodem contrarietatis studio
etiam,cum esuriunt,comedunt:&,cum sitiunt,bibunt:reliquaq; omnia naturæ impulsu obeunt. Ac, si
certam febricitantium naturæ notitiam haberemus, non,arbitror,dubitaremus eorum aliquos assidue
in aquis frigidis citra balneum lauare. Nam,quòd sint quidam,qui eam desiderent, uel ex ijs,quos iu-
uit,constare potest:ut quibus frigida lauatio haudquaquam contulisset,nisi eo tempore recte ad eā di-
spositi fuissent. Verum,quoniam exacta nobis dispositionum notitia non est, ac maxima ex errore im-
pendet noxa,utiq; eiusmodi præsidia recusamus:potissimum in febribus hecticis : quando per has, &
pauci sanguinis,& nudum carne, & expers adipis redditum corpus est. Nullum enim hi solidarum par
tium munimen habent,quod frigidæ occursum sine noxa excipiat,sed protinus similaribus ipsis parti-
bus occurrit,a quibus omnes animantium actiones obeuntur. Iuuenis uero,cui abunde sit carnis, æsta
tis tempore,atq; in febris summo uigore,modo nulla uiscerum phlegmone subsit,si in frigidam se con-
iecerit,sudabit. Quòd si frigidæ lauationi sit assuetus, securus remedio utetur. Verum de eiusmodi cor- F
poribus post agetur. Qui autem ex calida & sicca intemperie, hectica febricitant, ac potissimum, qui
iam marasmodes fiunt,ijs, vbi tale præsidium petunt,tutum non est in totam conijci,æque, vt nec gra-
cilibus & imbecillis,qui æstate calida & sicca,longa uia peracta,refrigeratione indigent.Nam neq; his
tutus est frigidi solij usus, nisi prius fuerint in balneo æqualiter excalfacti. Quippe simile quiddam no
bis accidere uidetur,cum in frigidum solium post balneum ingredimur,ei, quod ferro accidit,cum tin-
gitur. Etenim tum refrigeramur,tum roboramur, quemadmodum & illud,ubi candens iam redditum
frigida mergitur. Atq; huius rei causa ad imbecilla corpora inuentæ sunt balneæ, quæ ea præcalfaciāt,
atq; ad frigidum solium præparent. Non dissimile quiddam faciunt,& qui sine balneo frigida utuntur,
cum scilicet se ab exercitatione in eam saltu demittunt. Siquidem,cuiusmodi nobis est balneum, eius-
modi illis est exercitatio:vt quæ non tātum calfaciat,sed etiam insiti caloris motum a profundo corpo
re extrorsum concitet sic, ut & frigidæ impetui occurrat, & quo minus uiolenter in profundum ruens
uiscerum aliquod feriat,aduersetur,atq; prohibeat.Nam neq; ipsam frigidæ substantiam,neq; eius qua
litatem omnino integram usq; ad uiscera pertingere est salubre : immo & satius & tutius est solam eius
qualitatem,† [per ea,quæ intercedunt (ut sic dicam) propagatam,] citra substantiam ad profundum
permeare. Iam,qui hectica febricitantes ad balneum accedunt, nisi in frigidam sint dimissi,nihil iuuan G
tur. Qui enim aliter febricitant,eorum solidę partes nondum difficile separabilem calorem obtinent.
Itaq; etiam ex sudoribus, unà cum insensibili transpiratu,abunde his remedij est. Et sane diariarum fe
brium ipsam propemodum substantiam uacuari per hæc contingit. In ijs uero, qui ex siccitate & calidi
tate febribus hecticis urgentur,solidarum partium affectus candenti ferro est similis.Quo utiq; minus
eos in balneis calfecisse duntaxat humectasseq; contenti esse debemus:quippe cum sic alimentum, in-
crementumq; febri præbuerimus:immo melius erit,ut mersis in frigidam extinguamus calorem. At in
hoc metus est,ne corpus in diuersa transferas,ac frigidum reddas. Quis hoc negat? Non tamen pro-
pterea uitio dandum est,quod prospere ex præsidio succedit. Nec propterea,quòd mensura eius depre
hendi est difficilis,prorsus est deserendum. Siquidem,si aliter liceret tum ceteras hecticas febres, tum
marasmodes sanare,consultius esset tutiore uia insistere. Nunc, quoniam totum curationis momētum
in refrigerando humectandoq; consistit,omnibus uero refrigerantibus auxilijs propter corporis horū
gracilitatem noxa imminet,necessarium arbitror Thucydidis esse consilium, Agentes aliquid uel peri-
clitari. Quibus enim alia salutis ratio non est,& quæ unica uidetur,ea dubia est,necessum, arbitror, his
est aduersos periculis ire. Sed nec error ipse aut mortiferus est,aut irremediabilis. Siquidem, quos in
extinguenda febre aqua frigida in contrarium affectum transtulit,hos licet in toto,quod sequitur,tem H
pore calfaciendo sanare.Iam nec periculum par est,nec frigidi affectus, nec etiam ipsius remediorum.
Indicauimus nanq; tum prius in huius operis septimo,tum in libro de marasmo, tum ante hos in libris
de tuenda sanitate fieri non posse, ut solidarum partium siccitas consummate sanetur. Quòd si fieri id
posset,utiq; fieri posset,ut non senesceret,qui ea uictus ratione uteretur. Si igitur insanabilis solidarum
partium siccitas est,tum expeditissima in eam per hecticas febres uia patet, melius est hominem in fri-
gidam intemperiem transferre,ac,cui curationem deinde adhibeamus, habere. Quippe, qui id fece-
rit,is postea noxam oppugnauerit: Qui uero mortiferam insistere uiam sinet, is desperatā ægrotanti sa-
lutem fecerit. Quanto itaq; satius est aliquid non nulla fiducia,uel cum periculo facere,quàm spe adē-
pta certo perire, tanto profecto satius est potentibus præsidijs pugnare,quàm nihil agere. Ergo ilico
eos,qui hectica febricitant, omni ratione refrigeremus ante, quàm progressi in marasmum peruene-
rint. Quem autem marasmus plane iam occupauit,hunc sanare ne tentaueris. Nam, etsi calorem eius
extinxeris,attamen siccitas, quæ relinquitur,senectutis ritu hominem conficiet, tantisper nimirūm ui-
cturum,quoad solidæ eius partes reniti aduersus summam siccitatem ualebunt. Atqui maluerit fortas-
se propinquorum ægrotantis aliquis, atque etiam ægrotans ipse aliquo spatio in senis habitu uiuere,
quàm ilico mori. Itaq; curare hos quoque cum præfatione expedit, ac in alterum transferre marasmū,
quem

† τῷ τῆς διαδόσεως λόγῳ.

A quem iam nominare senium ex morbo insueuimus. Licebit enim his non tantum plures dies, uerum
etiam menses uiuere. Ego nanq;,cum iuuenem quendam,qui ita laborabat,sanassem,reficiens deinde,
ac senilem eius imbecillitatem pro senum ratione tractans, non solum in menses, sed etiam annos ui-
uum seruaui.Nec est,quòd hic eiusmodi marasmi curationem audire desideres,utpote tum in huius o-
peris septimo,dum siccas & frigidas intemperies sanauimus, traditam potestate:tum operis de sanita-
te tuenda ea in parte,quæ senibus alendis est delegata. Præsens autem liber non marasmorum, sed he
cticarum febrium curationem docendam promisit. Ex quo genere sunt & quæ marasmodis græce di-
cuntur: de quibus tum alia non pauca diximus, quæ non modo rationis, sed etiam usus iudicio proba-
uimus:tum illud.s.non oportere balneum (ut Philippus facit) formidare : qui cautius fortassis eo uti-
tur, ad eum modum,quo in ceteris solemus febribus,quas uel phlegmonæ, uel putrescentes succi ac-
cenderunt. In his enim nihil offendes,etiam si in frigidam ægrum non merseris, sed eum (ut mos est)
perfundas primum tepida,postea quæ ueluti ex Sole tantū æstiuo tepet, mox hoc,etiam paulo, quàm
illa,frigidiore. In hecticis uero febribus,id,quod remedium affert, calidæ solium non est, sed frigidæ:
ad quam balneæ ægrotantis præparant corpus æque,ut reliquorum omnium, qui per sanitatem lauan-
tur. Porrò non propter id modo uidetur mihi Philippus ignorare, quàm salubris res balneum sit in ijs,
B qui marasmode hectica laborant, quòd tam extenuatos in frigidæ solio tingere nemo audet, aut saltē
ultimam aquam ipsis frigidam infundere, sed etiam quòd sæpe altera coniuncta febris est, quæ uel ex
humoris putrescentia, uel phlegmone sit excitata:tum uero quòd tali hectica laborantium mortiferū
est uitium. Ac propterea quidam non recte omnia,quæ his exhibentur,culpant : cum non sit illis impu
tanda culpa, sed affectui. Ergo recensitis denuo,quæ diximus, huic disputationi finem imponemus.
Quicunq; hectica febre laborant,atq; ex his præcipue,qui iam marasmode hectica febricitant, modo
his alia nulla febris uel ex sola putredine humorum, uel cum phlegmone sit adiuncta, eos omnes auda
cter lauabis, sed prorsus citra omnem laborem, ne uires resoluas: quod ipsum cum noceat uehemen-
ter, occasio fit balnei culpandi. Quod citra laborem dixi, id ita intelligo. Volo, æger in balneum super
lectulo deportetur. † [in cuius prima e tribus domo nudetur, ac transferatur in sindonem calentem
prompte in idipsum paratam.] Sint autem quatuor, qui hanc teneant,a quoq; fini unus. Ac,si quidem
prima domus satis calida sit,æger in ea nudatus,in secundam portetur:sin tibi frigidior uidetur,non nu
dus,sed coopertus, uel alia sindone minime frigida, uel tali aliquo inuolucro. Constat autem & sin-
donem eam, qua portabitur, esse ualentiorem oportere : Aut, si imbecilla per se sit, duplicari eam erit
satius. Esto autem media domus non tantum situ media, sed etiam temperie, tanto scilicet prima cali-
C dior,quanto est tertia frigidior. In hac domo oleum tepidum esto, quo æger super sindone illatus pro-
tinus perfundatur. Hoc facto tertiam ingrediantur domum, ducantq; hominem, ubi solium est sic,ut
per tres balnei domos duntaxat transierint. Per quas nec celeri gradu transibunt ij, qui ægrum por-
tant, sed tantisper in prioribus domibus morabuntur, dum in altera transferatur tantum a lectulo : in
media uero,dum perfundatur oleo. Esto autem & aer cuiusq; domus nec summo calore, nec etiam fri
gens,sed admodum temperatus, & modice humidus. Id fiet,si aqua temperata ex labro sit liberaliter
proiecta sic, ut perfluat per omnes domos. In ipsa uero solij aqua mediocriter moretur, idque in sindo
ne sustentus, nulla infusione aquæ, cuiusmodi in alijs uti solemus, adhibita. Immo nec capiti eius in-
fundi quicquam uelim, cum sit satis id quoque bis terve unà cum toto corpore in aqua mergi, demis-
sa mediocriter deorsum sindone, ac rursum per quatuor iuuenes, qui eum portant, leuata. Mox hinc
eductus,in frigidam semel totus tingatur, ne uel breuissimo quidem spatio illic moratus. Porrò, qui
eum portant,tum reliqua omnia curiose esse edoctos conueniet : tum celeritatem tingendi, nòn docu
menti modo, uerumetiam præcepti loco præter cetera habere. Protinus uero alter paratam habens
sindonem ipsi iniiciat, [ac deinde aliam.] Tum in lectulo collocatus, primum spongijs detergeatur,
deinde mollibus linteis. Nec committent, qui eum detergebunt, ut uiolentius eum contrectent, sed,
D quoad fieri potest, blandissime. Post hæc unctum ac uestibus amictum, rursus super lectulo in domū,
ubi cibatur, reducent, ac nutrient. Sane dictum supra est in horum commentariorum septimo, ubi sic-
cam uentriculi intemperiem sanauimus, domum balneo debere coniungi. Ac de balneis quidem satis
(quod ad rem propositam spectet) hactenus.

A.l.4.f.1.t.3. c.6.p.804.f.

†Paratamque ad manum habeat calētem sindonem, super quam, in prima triū domorū balnei nudatus, transportetur.

De alimentis eorum, qui hectica correpti sunt, ac de curandis hecticis, quæ marasmodes appellantur. Cap. II.

SEqui prædicta uidetur, ut de nutrimenti facultate præcipiam. Sane frigidum esse, ac humidum
quod hecticis febribus sit conducturum, nemo nescit. Eiusmodi uero sunt, tum ptissanæ cremor,
cum frigidus sumitur, tum alica similiter ptissanæ cremori condita. Id uero est ex aqua, & exiguo por-
ri, & anetho : tum sale, oleo, & aceto. Commodus præterea ijs, qui sic laborant, est & exiguus in a-
qua frigida panis. Ceterum nullius horum pura frigiditas esse debebit, sicuti potionis. Quippe hæc
mature tum incalescit, tum per corpus digeritur: Illa, cum plusculū temporis in uentriculo morentur,
ipsum fortassis refrigerant, si fuerint immodice frigida. Vbi uero febris iam morā traxerit, dandū quo-
que asininum lac est, sed diligenter obseruato, ne in uentriculo cogatur. Id uero interim ipse nos æger
docebit, utpote suæ ipsius naturæ peritus: Interim id nobis inueniendū est, paulatim ad eius usum acce
dētibus. Ac expedita q̃dē rō est ad symptoma declinandū, si mel illi admisceas, aut salis, quo uescimur,

 exiguum.

exiguum . Ceterum abſtinendum(quoad fieri poteſt) in hecticis febribus a melle eſt : atq; idcirco etiã E
a mulſa . quippe protinus uertitur in bilem,& ſicciores acriorisq; caloris febres reddit . Dandum itaq;
principio eſt aſinini lactis non plus cyatho , ueluti a me datum uidiſti,ſed inducta in ipſum cubiculum
aſina,quo nullum tempus interponatur,ſed æger id protinus bibat,contemplantibus diligenter nobis,
ac conferentibus arteriæ motum,qui a ſumpto lacte agitur, cum eo, qui ante id ſumptum,fuit . Si enim
corruptum ſit, * eiuſmodi inuenies pulſus , cuiuſmodi in oris uentriculi afflictione accidere noſti . Sin
autem corruptum non ſit, & maiores & ualentiores redditos inuenies . Itaq; etiam licebit, cum poſtea
exhibebis,menſuram lactis dimidio cyatho adaugeas , ac deinde rurſus alium dimidium adijcias,ſicq;
ſenſim uſq; ad mediocrem menſuram addas . Menſuræ uero non lactis tantum , ſed etiam reliquo-
rum ciborum omnium metæ , quibus attentus eris, in ſeptimo huius operis , ubi uentriculi ſanauimus
intemperies,ſunt traditæ . Nam,cum primum in eo libro * frigidam eius intemperiem hactenus inuete
ratam propoſuerimus,ut totum iam corpus gracile reddiderit, indicauimus, quo pacto quis ſimul am-
bo probe ſit ſanaturus, tum uentriculi intemperiem , tum corporis gracilitatem . Ideoq; fortaſſe ſit ſa-
tius , quo minus multa ſcribamus,ad illum te librum pro reliquis omnibus cibis remittam . Cum enim
ſimiles affectus ſint,ſimilia nimirum remedia poſtulant . Verum , quanto hecticarum febrium affectus
eſt calidior,tanto utiq; frigidiora requirit auxilia : & ſimul maiorem ſolicitudinem ne ualentibus auxi- F
lijs utentes quicquam lædamus . At , qui iam maraſmo urgentur , eos, ſicut dictum eſt, lauabis : Quos
uero hectica premit,nondum tamen maraſmo tentantur, eos , licet, etiam ſine ſindone ſubiecta laues ,
utpote uiribus adhuc ualentes . Inferri tamen & hos in domum uel ſuper lectulo , uel ſaltem alio quo-
piam * idoneo conueniet : Mox ipſos ſeipſis ingredientes ad calidam duci, quo in ea morentur . At ,
qui ex his minus ſunt ualentes , eos non tutum eſt permittere in frigidam natationem deſcendere , ſed
foris potius ipſos perfundere , primum tepida , ſecundo frigida . Eſto autem tunc præparata in labro
aqua frigida (quanta .ſ. ex eo ſemel hauſta perfundere ſimul totum iam lauatum poſſit) ea frigiditate ,
ut nullam euidentem qualitatem nec prorſus frigidarum nec tepidarum aquarum præferat , ſed qualẽ
ea,quæ fontana uocatur,quæ & frigoris,quod ferit,& teporis,qui reſoluit,eſt in medio . Ac, ſi quidem
omnia curioſe adminiſtrabuntur, tum quæ ad balneum , tum quę ad nutrimentą ſpectat , utiq; ſanandi
iam eius , quem maraſmus conſumit , ſpes eſt . Sin error uel in uno committatur , is reliqua ſubuertit
omnia . Quippe , cum exitialis horum affectus ſit , ne leuiſſimum quidem errorem tolerat . Ac , ſiquis
talium eſt ſeruatus , huic carnoſam portionem maraſmus occupauerat : Ipſis uero ſolidis ſiccatis fieri
nequit , ut homo prorſus perſanetur : ſed omnino uel ſtatim eum febris ipſa iugulauerit,uel poſt,quàm
in eum affectum eſt tranſlata,quem ſenium ex morbo uocamus.Nam primum eiuſmodi febris propriã G
partium humiditatem,ex qua nutriuntur,depaſcit : Hinc uero ad carnoſum genus tranſit , quod circa ,
tum fibroſas,tum membranoſas partes ſolidorum corporum hæret: Ita deinde ipſas ſolidas populatur.
Siquidem in ſingulis ſimplicium ac primarum, quas uocant, partium (ut in diſſectionibus es contem-
platus) alia portio ſubſtantiæ eorum eſt ueluti fibroſa,alia membranoſa,alia carnoſa . Sicut,exẽpli cau-
ſa cum uena unam tunicam habeat,& eam tenuem , licet fibras in ea inuenire multas , quæ ſint araneo-
ſis quibuſdam interſitis contextæ : quibus utriſq; ipſa propria uenæ ſubſtantia adnaſcitur . Hæc alia in
alijs partibus habetur,nec ullum commune nomen eſt nacta . Ceterum docendi cauſa nihil uetat,eam
carnoſam ſubſtantiam uoces,uel certe huius particulæ quandam carnem,quæ in uentriculo quidem ſit
alia,in iecinore alia,ſimiliter in arteria & muſculo. Vocatur aũt caro tantum ea,quæ in muſculo eſt : re-
liquarum nullam homines carnem uocant, præterquàm admodum pauci : ſed , quæ in uiſceribus , ceu
iecinore , renibus , liene , & pulmone uiſuntur , eas Parenchymata (quaſi affuſiones dixeris) græce
uocant : Quæ in inteſtinis , uentriculo , ſtomacho , & utero ſunt , ſine nomine relinquunt . Tu tamẽ de
nominibus non laborabis . Illud potius intelliges , ſingularum particularum ſubſtantiæ molem ex tali
maxime completam eſſe natura , quæ utique (ut in ſinuoſis ulceribus uidere licet) & perire,& regigni
poteſt. At uero nec fibroſa , nec neruoſa membranoſave natura eandem generationẽ habere cernitur . H
Nec fas eſt eiuſmodi ſingularum partium fibras a malignis febribus liquari , ſicuti carnes : quando ani-
mal ipſum prius,quàm hæ prorſus ſint ſiccatæ,interemerint. Sane ſunt, & quas maraſmodes febres uo-
cant , uniuerſæ ex earum genere , quæ colliquant . Sed in eo differunt , quòd, quæ portio carnis in his
colliquatur, ea ſemper uaporis uice digeritur : in illis defluit in uentrem . Cernitur hoc etiam in carni-
bus,dum in craticulis torrentur,euidenter fieri . Siquidem ab aliquibus plurima liquatio defluit , deci-
ditq; in prunas largiter : Ab aliquibus nihil omnino,quod utiq; ſentias , defluere uidetur . etiã ſi par ſit
prunarũ ſubdita copia . Quippe feris ſuibus aut nihil oĩno,aut plane minimũ eſt,quod defluat : cicuri-
bus uero plurimũ . Quantoq; magis uel adipe,uel carne animal abundat,tanto profecto, quod ab ip-
ſis carnibus,dum in craticulis torrẽtur, defluit,cernitur copioſius . Ad eundẽ itaq; modũ in calidiſſimis
febribus,ſi carnes humidæ ac molles cum adipis copia fuerint, eas ſenſu liquari deprehendas : Sin ſine
adipe & ſiccæ ſint,in maraſmodes febres tranſeunt.Clariſſimo huius rei argumẽto ſunt infirmi,qui per
aluum,quod liquatur,excernunt : qui,niſi prius uel morbi uiolentia,uel medicorum inſcitia moriantur,
in maraſmodes febres incidunt . Siquidem,quoad materiam uberem habent,hanc colliquant : ubi illis
tum adeps, tum caro mollis defecit , duras & ægre liquabiles carnes ſiccãt , a quibus ꝑ ſiccitatẽ nihil
defluit : ueluti nec ab * ijs,quæ ſale ſunt ſiccatæ,ſiquis has quoq; torrere parãs pari cum alijs igni admo
ueat .

* μικροὺς καὶ ἀνωμάλους eſt in quibuſdam antiquis .i. paruos & inæquales.

* θλίψει .i. compreſsione.

* Siccam.

* φορείου .i. uehiculo.

* τῶν κρεῶν.

A ueat . Nam & ſicciores earum * carnes reddentur , & corij ritu durabuntur : nec defluet ex his ulla ſen
ſibilis liquatio . Hæc igitur cum ſcias , etiam colliquantium febrium ijſdem methodis curam ages ,
tum ad frigidam exhibendam quàm primùm properans , tum ijs , quæ humectent & refrigerent , nu-
triens . Mulſam uero inimiciſſimam cenſebis: qua tamen uti pleroſq; medicorum in eiuſmodi febribus
uides . Verum de colliquantibus febribus diſſerere in poſterum licebit , æque , ut de ijs hecticis febri-
bus , quæ in peſtilentijs contingunt : cuiuſmodi ea eſt, quæ nunc publice graſſatur . Dicetur nanque &
de hac inter peſtilentes febres . Reliquarum uero tum hecticarum , tum quas maraſmodes uocamus ,
abunde mihi ſanationis methodum tradidiſſe uideor .

* αἱ σάρκες

GALENI METHODI MEDENDI, ID EST

DE MORBIS CVRANDIS,

LIBER VNDECIMVS.

ARGVMENTVM LIBRI.

Indicationes omnes explicat, quæcunque in curandis putridis febribus æſtimantur, ac pertractat de cataplaſmatis, perfuſionibus, & balneis, quæ pro ratione inflammatarum partium adhibentur.

Quid actum ſuperioribus libris , quid hoc agendum , ac de primis, & communibus fontibus curatiuarum indicationum . Cap. I.

FEBRIVM , quas putreſcens accendit humor , primę remediorum * indicatio-
nes dictæ prius ſunt: quo loco eas quemadmodum & duas & tres efficias,do-
cui : etiam , ſi uelis , unam . Nunc uero , quod in alijs febribus fecimus , ut ex
primis generibus diductis , ad ultimas uſque ſpecies diuidendo peruenire-
mus , idem & in propoſita differentia facere tentemus , illud prius admonen-
C tes, quod etiam in libris de pulſuum differentia oſtendimus,ſiue primas diffe-
rentias , ſiue prima genera , ſiue maxime generales ideas , ſiue quomodocun-
que aliter appellare libeat , modo exactam rei notionem ſerues , nihil inter-
futurum . Ac febrium quidem ipſarum quemadmodum eas , quas diarias uocamus , cures , in horum
commentariorum octauo expoſui : pari modo & quemadmodum continentes , in libro , qui illum ſe-
quitur : atque etiam quemadmodum tertias , hecticas ſcilicet , in eo, qui illi ſuccedit , qui totius ope-
ris eſt decimus . In quibus non propria modo cuiuſq; , ſed etiam communium pleraque explicaui. Nũc
quẽadmodum, quæ ex putreſcentibus humoribus excitentur , methodo ſint ſanandæ , aggredi ſtatui :
Quæ curationem * indicant , prout in duo diuiduntur , affectus quem curamus , & partium ægrotan-
tis temperies ſunt . Licet autem , ea (ut dictum eſt) & una ſumma interpretemur , dicentes unam eſſe
omnium morborum communem curationis * indicationem, nempe contrarietatem ipſam : qua rurſus
diuiſa, duas exiſtere , morbo .ſ. ex ijs , quæ ſibi contraria ſint , adhibenda remedia indicante : laboran-
tis uero temperie, unà cum ipſo morbo, contrarietatis menſuram definiente . Porrò dictum in illis eſt
ambientem quoq; nos aerem unam efficere * indicationẽ poſſe : Et , cum primam ſectionem in duo
tantum facimus, ambientem uel ægritudinis cauſis,uel ſanitatis annumerandum eſſe . At uero cum ſa-
D nitatis cauſæ ſint omnia,quæ ſanitatem efficiunt,una certe earũ eſt,quod auxiliũ remediumve uocatur:
qđ pro uarijs notionibus & ultima & prima ſanitatis cauſa recte dicitur : Quippe tempore ultima erit
propterea , ꝙ tẽpore, natura & ars & fortuna priores eo ſanitatis cauſæ ſunt : Prima uero eſt,quatenus
id laborantis corpus tangit,alteratq; eius affectũ : ac propter alterationẽ, quam id facit, cum ægra cor-
pora ad ſanitatẽ perducuntur , ars & artifex † ſanitatis cauſæ fiunt . non ꝙ hæc morbos primũ ſubmo-
ueant , ſed alia materia ad id commoda intercedente , quod auxilium appellatur . Siquidem ſanguinis
miſſio,quã phlebotomiã uocãt,ipſa quidẽ per ſe hoc,quòd iam dictũ eſt, nomen poſſidet . At, cum ho-
mini malũ affert,ex cauſis fit morbificis : cõtra,cum prodeſt,ex ſalubribus.Ac propterea,cũ proficit,uo
catur auxiliũ : ſicut profecto oĩs materia, quæ quomodolibet corpus alterat, quo tẽpore iuuat, auxiliũ
dicitur. Ad eundẽ modũ & ambientis proprium pro natura ſua nomẽ eſt aer : relatus tamẽ ad nos,alias
auxiliũ,& ſanitatis cauſarũ una efficit : alias ijs contrariarũ,nẽpe morbificarũ . At,qm̃ aeri tum ex præ-
ſente cæli ſtatu, tum anni tempore,tum regionis natura,ſuæ in humido,ſicco,calido,& frigido mutatio
nes accedũt,ex illorũ rurſus unoquoq; aliæ particulares indicationes oriũtur. Ac fortuna quidem,&
ars,& artifex,materiarum interuentu agunt : natura uero per ſe ipſa. Ea ex tribus his partibus comple-
tur,ex ſpiritus,& partiũ,quæ uere dicunt ſolidæ,ſubſtantia, (quas alibi ex ſemine genitali conditas eſſe
monſtrauimus) & tertia ab ijs carnoſa, quæ cuiq; particulæ eſt ſua . Singulæ aũt iam dictarũ trium pro-

† καὶ ἡ τύχη .i. & fortuna addũt ãtiqui co.

priam pro natura ſua tum qualitatem habent, tum quantitatem. Ac qualitas quidem earum ex congrua E
temperie humidi, ſicci, calidi, & frigidi conſiſtit: Quantitas uero ſolidarum partium par ſemper manet,
ſed ijs, qui adhuc inaugentur, numero duntaxat: qui uero abſoluti iam ſunt, etiam magnitudine. Car-
noſæ uero ſubſtantiæ magnitudo uariatur, etiam ſi præterea non augeatur animans. Pari modo & ſpiri-
tus ſubſtantia, tantum non quolibet momento, tum minor, tum maior, conſpicitur. Ergo etiam ſupra
ea, quæ * indicationes præſtare prius diximus, uirtus uel ſola ijs tribus ſubſtantijs, quas modo compre-
hendimus, ſimul enumeratis additur: uel, ſi temperamentum ſeorſum ſit diſcretum, † [in ipſo.] Atq; † καθ ἑαυτὴν .i. per ſe.
hęc ipſa rurſus bifariam quoque, ut oſtenſum eſt, ſcinditur, & in originalem naturam, & in acquiſititiũ
affectum, ſic nimirum, ut ex iſtis, & alijs, quæ prius dicta ſunt, propria quædam cuiuſq; remediorum ſit
indicatio. Sæpe autem adſcititia temperies ad efficientes cauſas reducta, illis indicationem concedit.
Ad hunc itaq; modum ex ætate, uitæ inſtituto, & conſuetudine indicationem remediorum ſuggeri di-
ximus, conſentireq; inter omnes iam dictas indicationes: Siquidem in ijs, quæ magis ſint ſpeciales,
contineri ſemper, quę magis ſint generales: Agi uero in uſum, quę magis ſint particulares .ſ. ex magis
generalium ſectione inuentas.

De indicationibus, quæ ab affectu febris præſtantur, ac quid differat putridarum curatio a reliquarum febrium curatione. Cap. 2. F

PRima nanq; omniũ curationis indicationũ, quæ ex ipſo, qui curatur, morbo accipitur, contrarieta-
tem præſcripſit. At, quoniam morborũ plura ſunt genera, cuiq; eorũ ſua erit contrarietas. Verum A.ſ.l.1.f.4.d.1.
cetera in præſens omittantur. Proponatur autem nobis ad præſentem diſputationem duntaxat morbi c.1.p.137.B
quem curamus, genus in intemperie poſitum. Id igitur per contrariam ipſi intemperiẽ ſanabitur. At,
quoniã uniuerſi febriũ generis intẽperies eſt calor, nimirum per frigiditatem curabiẽ ſic, ut oẽs indica-
tiones inter ſe cõcordẽt. Nam, ſiue dixerimus abſoluto ſermone febrẽ per ea, quæ contraria ſunt, ſanã-
dam eſſe, ſiue adiecerimus, per ea, quæ contraria ſunt tẽperamẽto, nulla pugnãtia in ſermone erit: Simi-
liter nec, ſi per frigida ſanandã febrẽ eſſe dixerimus. Sed nec, ſi diuidẽtes id, dicamus aliqñ ſanare nos
febrẽ per ea, quæ actu, aliqñ & per ea, quæ poteſtate, aliqñ & per ea, quæ ex accidenti refrigerãt, aut ẽt
iſta coniungentes, nulla pugnãtia cum ijs, quæ dicta ſunt, in ſermone erit: Pari modo nec, ſiquis dicat,
quæ actu, poteſtate, uel ex accidenti calfaciant, ea febres deteriores reddere, quàm prius fuerant: Con-
tra, quę actu, poteſtate, uel ex accidente refrigerent, ea febres ſanare. Quippe indicatio, quæ ab affectu
ſumitur, in tot numero particulares* indicationes eſt diducta. Hæ uero rurſum ipſæ particulares * indi-
cationes materias inueniunt iuxta eas methodos, quæ in opere de medicamentis ſunt traditæ: qñ illa-
rum principiũ id eſt, in quo finita eſt curãdi affectus diuiſio. Ac maxime quidem propria in ſoluendo G
morbo intelligitur curatio, ſed per abuſionem etiam miſtum genus tum ex uera curatione, tum prouiſione, quam Prophylacen appellant. Ac diariarum quidem febrium, quemadmodum & hecticarum,
uera & propria curatio eſt. Earum uero, quæ ex putreſcentibus excitantur humoribus, uocata curatio
Prophylacen quoq; ſibi adiunxit: cuius officium eſt cauſam, quę morbum creat, adimere. Sane nomi-
natur hæc ipſa quoq; artis pars, curatrix: quæ utiq; ab ea, quæ pure ſyncereq; prophylactice dicitur, in
eo diſtincta eſt, q̃ ſub hac iam ſenſibiliter ex ipſa cauſa morbus eſt genitus, in prophylactice uero eſt fu
turus. Atq; nominibus quidem quiſq;, prout uolet, utatur, (id enim ſemper monere oportet) ſed re-
mediorum indicationem, quæ a rebus ſingulis præſtetur, ſeruet: quando, ſi uel unam aliquam earum
prætereat, ad portionem tum magnitudinis illius, tum facultatis, curatio claudicabit.

De curationum modis, qui ex indicationibus ab ægroti uiribus ſumptis præſtantur. Cap. 3.

POrrò, quemadmodũ ab affectu ad materias præſidiorum peruenimus, eodem modo ab ſingulis re-
liquorum generum primorum deſcendendum ad eas eſt: ueluti a uirtute. Nam ea morbo ceu ad-
uerſatrix eſt oppoſita. Propoſitumq; medico eſt huic omni ratione opitulari ac ſubuenire. Ergo quis
primus eſt a uirtute ſcopus, aut quænam indicatio prima? Nam hic quoq; loqui pro arbitrio poſſis .ſ.
uirtutem ipſam unum ſcopum ac primum ſtatuens: quod uero ab ea indicatur, alterum & ſecundum. H
Itaq;, cum monſtratum ſit uirtutem ſui cuſtodiam præſcribere, ſicuti morbum ſe tollendũ, erit rurſus in
uirtute ſecundus ſcopus, ipſius cuſtodia: ſicut in morbis, ipſorũ ſublatio. At uero cuſtodia ſimiliũ exhi
bitionem indicabit: ſublatio contrariorũ. Quoniam uero uiriũ ſubſtantia tum ex ſpiritu, tum ex car-
noſa ſpecie, tum ſolidis ipſis completur, ex ijs, quæ ſimilia ſunt, moliri cuiq; ſuam Diamonen .i. cuſto-
diam, conueniet: Spiritui ex reſpiratione, ac tranſpiratione, &, qui ex ſanguine attollitur, uapore: (li-
ceat uero hic quoq; uolenti, uel græce Aeroſih, quaſi aerationem dicas, uel ſanguinis attenuationem,
uel in halitum* ſolutionem, uel, utcunque libuerit, appellare) Solidorum uero generi, ex ſolido nu- * χόσιν eſt in antiquis .i. fuſionem.
trimento: Quemadmodum carnoſo generi, per eam naturam, quæ in medio humidorum ac ſolido-
rum corporum eſt. Porrò cuiuſque horum menſuram ex conſeruandæ ſubſtantiæ quantitate inuenies:
qualitatem uero ex ipſius temperie. Cum uero horum cuiuſq; uel optima temperies ſit, uel aliquate-
nus uitioſa, quæ quidem optima eſt, ſemper ſeruari debebit: quæ uero oĩno uitio non caret, hęc in ſanis
quidem uel ſeruãda eſt, uel alteranda: in ægris uero ſeruãda eſt, ea ipſa .ſ. ratione, qua prius oſtendimus
maximã eſſe a conſuetudine indicationem, quippe uel temperamentũ originale ipsã ſeruare, uel adſci-
titium indicere. Præſtari uero (ut prædictum eſt) menſuræ auxiliorũ indicationem ex eo temperamen-
to, quod iam præſens ſit, ita nimirum, ſicut ex ætate, non quã æger prius habuerit, ſed quã nunc habeat.

Cum

A Cum uero diuerſitas non parua ſit in partium animalis temperamento, propriam cuique menſurani
fore eorum, quæ ipſi ſint ſimilia: nempe ei, quæ terrea magis eſt, eorum, quæ magis ſint terrea: & ei,
quæ humidior eſt, eorum, quæ ſint humidiora: Ad eundem modum & ei, quæ magis aerea eſt, eorum
quæ plus huius ſubſtantiæ in ſe habeant: ſicuti calidiori, eorum, quæ magis ſubſtantiæ igneæ partici-
pent: Hinc uero iam materias particulares omnes in cibis, potione, aere, & omnibus † [peragi ſoli- † ἐπιτηδευομένοις.
tis,] inueniendas eſſe: Vbi uero ſecum pugnauerint indicationes aliquæ, ſuperius comprehenſa me
thodo ad ea, quæ agenda ſint, inuenienda utendum eſſe, perpenſis ſcilicet indicantium ſcoporum tum
magnitudine, tum dignitate. Oſtendimus enim eligẽdas eas indicationes eſſe, quas ſcopi digniores
maioresq; præſcribent: ac dignitatem eorum, uel uitæ, uel ſanitatis reſpectu iudicandum: Magnitu-
dinem uero duplicem eſſe, uel propriæ ſubſtantiæ ratione, uel declinationis a naturali habitu. Ergo
ab his iam methodis age dum exercitemur in genere febrium, quod ex putredine naſcitur.

Indicationes, quæ ab affectu ipſo, qui putredo eſt, in continentibus putridis præbentur. Cap. 4.

B QVoniam putredo uel æqualiter in omnibus ſubſiſtit uaſis, uel in maximis, maximeq; principali-
bus, [ea porrò ſunt inter alas & inguina) uel una quapiam particula, quæ uel phlegmonẽ in ſe
habet, uel etiam citra phlegmonem, ueluti in foco quodam, principium febris in ſe continet,
in ſingulis his differentijs ſeorſum exercitari conueniet. Ac primum eam tractandam proponemus,
quæ uel in maximis uaſis, uel ſimul omnibus conſiſtit. Quæ igitur ex tali affectu oritur febris, plane
neceſſum eſt ſynochon, id eſt continentem, eſſe. Nec fieri poteſt, ut ea ſanetur, niſi inhibita prius pu-
tredo ſit. Porrò ea inhiberi, cauſa manente, non poteſt. Quare ſubmouenda ipſius cauſa eſt, ſi modo
putredo ipſa prior, mox poſt ipſam febris ſanari debebit. Ergo quæ cauſa putredinis eſt, quæ ſe per
omnia uaſa æquabiliter diffundit? Sane reuocare in memoriam prius conueniet, quænam alias putre-
dinis indicata ſit cauſa: ac deinde, cur pari modo in omnibus animalis partibus fiat, inquirere. Ergo
oſtenſum eſt, ubi morborum cauſas reddidimus, illa tantum putreſcere corpora, quæ, cum calida hu-
midaq; natura ſint, neq; perflata, neq; uentilata, in calido humidoq; loco maneant. Quòd ſi in motu
ſint, uentilenturq; ac perflentur, poſſe ea non putria integraq; ſeruari, potiſſimum quæcunque corpo-
ra ſua ipſorum natura reguntur, ut animalium & ſtirpium. Ea nanq; (ſicut in opere de naturalibus fa-
cultatibus eſt proditũ) ab initio congenitos ſecum motus habent, quibus ſuperflua excernant. Oſtẽ-
ſum non minus & in alijs duobus libris eſt, quanta ſit tum reſpirationis, tum pulſuum utilitas ad per-
flatum uentilationemq; corporis, atque eius natiuum calorem tuendum. Itaque, ſiquid in eo manife-
C ſte putreſcere debebit, dictas tranſpirationes impeditas eſſe oportet. At uero quí fieri poteſt, ut illæ
per tõtum animal ſiſtantur, niſi uel finibus uaſorum ſtipatis, uel tota cute? Porrò accidere in finibus
uaſorum ſtipatio poteſt uel ex uehementi extrinſecus refrigeratione, uel ex ſuccorum, qui extrorſum
in ipſis confertim ruerint, craſſitudine, multitudine, uel lentitia. Accidit hoc illis & ex ijs exercita-
tionibus, quæ in palæſtra, uel alias obeuntur, & itinere laborioſo, uel ambientis ſtatu, cum ex rigore in
æſtum ſubito eſt mutatus. Non nullis uero feruentes ex ira ſucci, ac foras ſimul impetu ruentes, dictas
ſtipationes effecerunt. Quiſquis igitur propoſitam ſanaturus eſt febrem, hic ſimul cauſam eius adi-
mat oportet: ſimul calorem, qui in animali excitatus ab ea eſt, refrigeret. Ac, quemadmodũ qui-
dem ille ſit refrigerandus, prius eſt dictum: Cauſam uero adimi oportebit propria cuiuſq; naturæ in-
uenta contrarietate: Vtique, ſi ex frigida cauſa ſtipatum denſumq; redditum corpus eſt, relaxato eo,
omniq; ratione rarefacto: Sin ex obſtructione ita eſt affectum, hac recluſa: Quod uero recludet, hic
quoq; ad contrarietatis* indicationem attentus inuenies. Vbi nanq; abundantia humorum eſt, hos
uacuabis: Vbi craſſi ſunt & glutinoſi, tenues eos ac fluxiles efficies. Si plures cauſæ aliquando coibũt,
omnibus per contraria occurres. Siquidem fieri poteſt, ut & coarctatum corpus ſit, & exigui meatus
denſati, & multi ſimul ac lenti humores ſubſint. In eiuſmodi autem cauſarum complexu, ſi recte, quæ
D prius comprehenſa ſunt, meminimus, cœpiſſe a ſanguinis miſſione conueniet: ac abundantia uacuata,
tum ad extenuandos humores uenire: ab hoc ad remittenda, quæ ſunt conſtricta, & rarefacienda quæ
ſunt denſata. Atq; hæc quidem a morbi affectu indicatiue ſunt ſumenda.

Indicationes a uiribus eorum, qui continente febre putrida correpti ſunt. Cap. 5.

A Viribus aũt (qm̃ has cibi, potiones, & ſpũs certa mẽſura & apta qualitate exhibita ſeruabunt, in-
uentus eſt quantitatis eorũ * modus ex uiriũ ſubſtantia: qualitatis uero a tẽperamento) nimirum
eſtimari debebit, quẽadmodũ uires, quæ corpus regunt, in his ſe habeant. Quippe, ſi ualẽtes ſint, auda-
cter uacuantibus præſidijs uteris: hæc aũt ab affectu morbi fuere accepta: Sin infirmiores ſint reddita,
uacuantia remedia cautius adminiſtrabis. Sed & nutrimenti * modus hinc tibi eſt deſumendus. Quip-
pe, cũ uires legitimũ robur ſuũ habẽt, & morbi ſummus uigor breui futurus expectaẽ, tenuiſſimo uictu
licet uti: Cũ ſint infirmiores, nõ licet ſine graui noxa: Sed adijcere ad nutrimẽta tm̃ oportet, quantum
eſt de robore uiriũ imminutũ. Atq; ex his ſcopis accipiendus eſt nutrimenti * modus: qualitas uero ex
morbi affectu, unà cũ ſolidorũ corporũ, quod tũ eſt, naturali tẽperamẽto: Ab affectu, ſi is obſtructio eſt,
quæ extenuet: A naturali ipſorũ tẽperie, unà cũ conſuetudine, prout ẽt prius eſt definitũ. Tẽpus uero nu
triẽdi, qd̃ q̃dẽ ad reliquas ſpectat febres, quæ ex putredine oriuntur, in progreſſu ſermonis dicẽ. Quæ
uero unicam tm̃ a principio ad finẽ acceſſionẽ habent, (de his nãq; præſens eſt ſermo) in his facilis tole-

A.l.1.f.4.c.1. p.136.D

A.l.4.f.1.T.2. c.7.p.777.

ratio & consuetudo spectari debebunt. quando cibus illis eo tempore est offerendus, quo facilius, E quàm in ceteris, morbum tolerant: eoq; potissimum diei tempore, quo prius in sanitate cibari erant sueti. Etenim facillime cibum ferent, si ex his considerationibus assumentur. Quòd autẽ frigida quoque ijs, qui ita laborant, sit exhibenda, cum .s. iam succi concoquuntur, & crassitudo eorum prætenuata est, id ex ijs, quæ prius sunt comprehensa, manifestum arbitror.

Quid commune habeant continentes febres cum diarijs & reliquis, quæ ex putredine oriuntur. *Cap. 6.*

SIquidem, cum eiusmodi febris communia quædam cum ambabus habeat, tum ijs, quæ ex humorum ortæ putredine circuitibus quibusdam accessiones habent, tum ijs, quas diarias uocamus, merito in utroq; genere de ipsa mentionem facimus: cum unicam accessionem habeat, ut diariæ, ceterum ex putredine orta multos duret dies. Itaq; unũ cum diarijs commune habebit: duo cum ijs, quæ ex putredine ortæ multos durant dies. Reliquum continentium febrium (quas synochos uocant) genus duo habet cum diarijs communia: nempe & quòd sine putredine sit, & quòd absq; circuitu. Tertium uero commune non est: cum subinde in quintum porrigatur diem. Atque harum quidem continentiũ febrium prodita prius curatio est. Continentium uero, quas putredo excitauit, curatio, cum utrique generi communis esset, etiam nos in ambobus de ipsa disserere coegit. Ceterum substantia earum to- F taque natura ex eo est genere, quod nunc nobis proponitur. In uno autem eorum, quæ ipsis accidũt, cum diarijs conueniebant. Id fuit, quod una in totum totius morbi accessio erat. Ergo & curatio earum unũ hoc duntaxat commune cum diarijs habeat, oportet: In reliquis autem omnibus bifariam diducatur. Atque aliæ quidem curationis * indicationes ex communi genere earum, quæ ex putredine sint ortæ, accipiantur: aliæ ex propria earum substantia. Ad eundem uero modum & ceteras natarum ex putredine febrium differentias sanari conueniet: nempe (sicut sæpe prius dictum est) indicatione tum a communi ipsarum genere, tum uero a cuiusq; propria differentia desumpta.

Quot in totum sint primæ febrium putridarum differentiæ, ex quibus petenda est curandi ratio. *Cap. 7.*

ERgo denuo repetentes dicamus primum, quot sint febrium, quas humorum putredo accendit, in uniuersum differentiæ: deinde quænam sit ipsius generis earum, communis * utilium auxiliorum indicatio: mox quæ sit singulatim cuiusq; propria. Par est .n. profecto, & quod omnium earum commune est, communem habeat indicationem: &, quod in singulis est * proprium, quantum a reliquis eiusdem generis est diuersum, in tantum & diuersam ab illis sortiatur indicationem. Sunt igitur natarum ex humoris putredine eiusmodi differentiæ. Vna ex eo, quòd causæ ipsius putredinis adsunt, G uel non adsunt. Secunda ex eo, quòd per totum animal, aut eius partem aliquam diffusa putredo sit. Tertia, quatenus cum phlegmone est, aut citra hanc. Igitur considerandum nobis est, quidnam commune habeat indicatio, quæ a causa sumitur adhuc manente: quidnam ea, quam putredo ipsa præstat: ab his deinde quid indicatio putredinis, quæ per totum diffunditur animal, aut certe maxime principalia in eo uasa: quid eius, quæ in una consistit parte: mox deinde earum, quæ in una quadam parte sunt, æstimabimus differentias. Quippe aliam esse indicationem eius, quæ cum phlegmone coniungitur, ratio est: aliam eius, quæ sine hac consistit: Rursus in his etiam ipsis aliam esse præsente adhuc effectrice causa: aliam uero hac submota: postremo cuiusq; causæ adhuc manẽtis differentias, per omnia, quæ in specierum diuisione sunt inuenta. Siquidem hic iam desinant, necessum est, indicationes, quæ ex curandis sumuntur affectibus: post has uero eas nimirum, quæ ab ipsis curandis suggeruntur particulis, pro iam dicta methodo sumemus. Quibus si eas, quæ a uiribus præbentur, adiecerimus, absoluta nobis methodus de febribus omnibus † sanandis erit.

* ἰασομένων i. sanaturorum.

* διάφορον.

† In græcis impressis additur ἐπὶ σήψει .i. a putredine incensis.

De putredine & eius causa curanda. *Cap. 8.*

ERgo ordiamur ab eo, quod primum in diuisione * indicans fuit, (ea erat humorum putredo.) ac consideremus, quibus maxime * indicantibus, quibusq; indicationibus usi, curationem eius in- H uenire possimus. Principium uero inuentionis, ipsa erit rei natura, qua de agitur. Etenim id quoque in demonstrandis methodis didicimus. Quænam igitur est putredinis natura? Nempe mutatio totius putrescentis corporis substantiæ ad corruptelam, a calido externo: Non .n. profecto a proprio calore corrumpitur quicquam, immo contra prorsus, quicquid in rebus subsistit, id * gliscit, roboratur, sanũ est, ac uiuit, dum proprio calore regitur: ueluti nimirum ipsa animantium corpora, tametsi plurimam substantiæ suæ portionem humidã & calidam sunt sortita, magnum tamen annorum numerum sine putredine, ac sana uiuaq; exigunt, si seruetur (ut monstratum est) eorum proprius calor, in cordis quidẽ corpore, per respirationem: in reliquis omnibus partibus, tum per communitatem, quam habent cum corde: tum per aliã quandã respirationis speciẽ, quæ per totã agitur cutem, & transpiratio pspiratiove dicitur. His uero læsis, unà etiam naturalis calor læditur. Alter uero quidam alienus, ac præter naturam in corporibus excitatus, primũ quidẽ ipsos succos propter humiditatem & putrefacit & corrumpit, spatio uero tum adipẽ inuadit, tum ẽt carnẽ. Tanquã igitur in ijs corporibus, quæ nõ uiuunt, ac putrescunt, primum, quantum eorum iam computruit, separant, dein ei, quod reliquũ est, in frigidũ aerem sublato perspirationem refrigerantem moliuntur, ita utiq; & putredinem, quæ in uiuis est orta, sanabimus, id scilicet, quod iam corruptum est, omni ratione uacuantes: quod reliquũ est, moderatis motibus, & refri

* αὐξάνεται.

A.l.1.f.4.c.? p.137.C

gerante

A gerante perspiratu ad exactam symmetrian reducentes. Ac uacuationem quidem illius per urinam, deiectiones, uomitum, ac sudores, moliemur: post hanc dimotiones mediocres, unà cum ambientis bona temperie adhibebimus. Quemadmodum autem horum quodq; recte administrandũ sit, paulo post æstimabimus. Nunc ad secundum in diuisione transeamus, nempe quemadmodum quis causæ, quæ putredinem excitauit, adhuc manentis remedium facillime inueniat. Est autem neq; in hoc difficultas ulla, quippe cum per contraria tollatur. Itaq; quoniam transpirationis prohibitio, putredinis occasio fuit, hanc, arbitror, submouere oportet. At, ea cum uarijs generibus est orta, & densatis exiguis meatibus, & constrictis corporibus, & humoribus tum abundantia, tum crassitudine, tum lentitia sua obstruentibus, singulæ harum affectionum curandæ per contraria sunt: Densitas, per ea quæ rarefaciunt: Constrictio, per ea, quæ fundunt: Abundantia, per ea, quæ uacuant: Crassitudo, per ea, quæ dissecant: & lentor, ijs, quæ detergent. Ac, si quidem totum corpus dictorum iam singula occuparint, etiam toti corpori per contraria est succurrendum: Sin unam partem quampiam putredo inuaserit, illi adhibenda iam dicta sunt remedia. Sane non easdem omnes partes uacuationes medicamẽtave requirent, cum & temperamentis, & posituris, & forma, & omni denique constitutione naturaque inter se dissideant.

A.l.1.f.4.c.24 p.152.F

B *De curandis putridis febribus per medicamenta purgantia, balnea, inunctiones, & potus.* *Cap. 9.*

ERgo, quemadmodum singulis sit opitulandum, id postea pro conueniente sermonis ordine disquiremus: cuius initium a putredine, quæ totum corpus occupet, quę ipsa continentes quoque febres, quas synochos uocant, excitet, faciemus. Ergo a corporibus, quæ sic afficiuntur, expellenda, quæ putruerunt, per urinas & aluum & sudorem sunt: quòd si ad os uentriculi aliquando sua sponte impetũ capiant, etiam per uomitiones: Aliter autem non est, quòd ea præter naturam irrites. Ac eorum quidem, quæ iam dictas uacuationes promoueant, non parua materiæ copia est: sed maior eorum portio, cum calida siccaq; facultate sit, febrem auget. Itaq; deligenda medico sunt ea, quæ citra calfactionem siccationemq; ualentem supradictas uacuationes præstent: cuiusmodi sunt cremor ptissanæ, & aqua mulsa, & oxymeli, & apomeli, & apij radix in aqua, quæ potui datur, incocta. Hæc autem ipsa uentri quoque sunt idonea: qui si nihil reddat, inijcienda per clysterem aqua mulsa cum oleo est. Sane totum corpus prius, quàm id uacuaris, rarefacere non expedit: ubi uacuatum est, utique licebit id medicamento aliquo, cui calor tepidus insit, rarefacias: cuiusmodi est, quod ex chamæmelo conficitur. In hoc tempore si uinum quoque aquosum bibatur, id omnes uacuationes promouerit. idem faciat & C temperatum dulcis aquæ lauacrum. Quòd si appositum aliquando in dictione uocabulum dulcis non sit, utiq; id subaudire debebis, certo sciens de eo nos in febricitantibus lauacro semper loqui, nõ bituminoso, aut sulfureo, aut aluminoso, aut chalcanthode, aut salso, aut ex marina ipsa. Ceterum, ubi magnitudo febris obstat, sicut in continentibus, nec uino est utendum, nec lauacro, nec ijs, quæ habitum rarefaciant, unctionibus: sed aqua frigida, sicut prius diximus, pota in his febribus est aptissima, nisi tamen aliquid eorum, quæ prædicta sunt, hanc quoque prohibeat. Quippe ipsius febris frigida pota perpetuo est remedium, non tamen putrescentium humorum per aluum, urinas, uel sudorẽ uacuandorum. Quo magis exercitatum esse in ijs, quas nunc tradimus, methodis oportet, ac in ægrotantibus considerare, & quæ sint ipsius febris remedia: & quæ ipsius, ubi per se sola subsistit, putredinis: quæ rursus efficientis hanc causæ: atq; huius quoq;, cum per seipsam subsistit. Quippe non semper inter se consentiunt hæc omnia, sed plerunq; aduersantur. Quo casu memores eorum, quæ didicimus, id, quod maximum omnium est, aggredi oportebit, atq; ei uel soli, uel magis, quàm ceteris, subuenire. Sane scire licet difficile esse, acrique iudicio indigens, febrem, putredinem, & effectricẽ causam, ubi .s. ipsa quoq; adest, inter se conferre. difficilius tamen est, si uires quoque cum illis unà conferre uelis: quod utiq;, sicut ante comprehensum est, propter uitæ ipsius respectum semper est ne- D cessarium: aliquando uero & ex accidenti, sicut ad morborum sanationem. Hoc uero me ostensurum promisi. Siquidem, quod putrescit, si uestis esset, aliudve inanime corpus, utiq; ex ijs duntaxat, quæ prædicta sunt, indicationem caperemus. Nunc, cum in uiuente corpore putredo concipitur, quod tum alterare potest, tum concoquere, tum utile reddere, quicquid putrescentium, ueluti semiputrescens semimalumq; est, utiq; facultatem eius, qua naturaliter concoquit, excitans firmansq;, quæ putrescentia sunt, sanabis. Itaq; etiam tum maxime eos cum fiducia uel in balneo lauamus: uel ijs, quæ habitum rarefaciant, medicamentis utimur: uel aquam frigidam, uel uinum bibendum damus, cum notas humorum concoctionis cernimus. Neq; enim pulsus duntaxat uires ad eiusmodi agenda firmas requirimus, ueluti nec eius facultatis, quæ uoluntarium motum præstat, sed, sicut est dictum, ipsius potius cõcoctricis. Ergo, si & uires cunctæ ualentes sunt, & febris ardentissima, & concoctionis notæ plane euidentes, frigidam homini dare audacter debebis. Constat nanq; talem hominem senem non esse, ex quo omnes illi uirtutes ualentes esse proposuimus. Quòd si ẽt bona corporis habitudine sit, quod εὔσαρκον Græci uocant, tum status cæli calidus, ac siccus, etiã si in frigidã natationẽ hunc dimittas, haudquaquam lædetur. Eiusmodi nanq; temporis opportunitate usi, qui sese in frigidam coniecerunt, & protinus omnes sudarunt, & non nullis eorum aluus biliosa reddidit. At, si mediocris est febris, & uires nõ ualidæ, sed cũ notis cõcoctionis, ijs, qui ita se habẽt, balneũ prodest, & uini potio: tũ uero ex unctionib⁹

A.l.1.f.4.c.1. p.135.A

ex,quæ rarefaciunt,idque multo magis cum ambiens est frigidus.Neque enim aut frigidam in balneo E lotionem,aut frigidam potionem in eiusmodi cæli statu fere expetunt,utpote†[respiratu ipso] assidue refrigerati:cum,siquando,in frigido ambiente uehementer uri ægrotum contingat,exigua salutis eius habenda spes est.Si uero nec concoctionis habeat signa,nec uires ualidas, seruari is plane non potest, quo minus aut idem lauandus in balneo est,aut medicamentis ijs,quæ rarefaciant, ungendus, aut uinum illi dandum, frigidáue offerenda. In quo enim desperata omnino salus est, imprudentis consilij fuerit apud uulgum infamare præsidia,quæ multis fuere saluti.Ipse siquidem aliquos noui ex amethodis istis medicis,qui, cum ea, quæ nos gessimus, essent imitati, ijsdemque præsidijs in ijs, qui prorsus morituri erant,usi,adeo nihil profecerunt, ut etiam tempestiuum eorum usum suspectum formidolosumque reddiderint.Verum nos tempora præsidiaq; ijs,quos seruari spes est,scribimus,quando ægris, qui insanabiles sunt,ijs nec tempus ullum opportunum,nec præsidium est.Atque hoc mihi per omnem sermonem teneri memoria uelim,quo minus præcipua illa primaque omnium curationis* conuelli aliquando posse uideatur. Quippe,cum dicat Hippocrates Contraria esse contrariorum remedia, quid uetat omnibus febricitantibus frigidam uno ordine exhibere? Verum nec exhibenda est,nec subuertitur eo tempore generalis omnis curationis*indicatio.Vnum enim ex ijs quæ actu refrigerant,aqua frigida est.Sed & alia plura sunt, quæ partim potestate (ut dictum est) refrigerent, partim ex accidenti. F Quorum alijs propter concursum pugnantium inter se*indicationum alias utimur. Porrò tradita iam methodus est eius,quod conducit,ante alia semper deligendi.Ostensum preterea est ipsius febris, prout febris est,aquam frigidam semper esse remedium,quod uero ad alia spectat,non semper:ueluti cum ex obstructione glutinosorum & crassorum humorum putredo oritur.Ponatur uero & cum his redundantiam in toto esse corpore, tum uirtutem non imbecillam. In eiusmodi nanque complexionibus cum multa præter naturam in corpore sint,quædam eorum præcedentes causæ erunt, ueluti redundantia cum glutinosis & crassis humoribus. Horum enim uitio obstructio est orta, quæ morbus instrumentalis est eorum, quæ obstructa sunt, corporum. Hanc symptoma secutum est ipsa transpirationis retentio: quam rursus putredo humorum excepit, ipsa scilicet febris antecedens quædam causa.

A.l.4.f.1.t.2.c. 7.p.777.C.

† ταῖς εἰσπνοαῖς. i. inspirationibus.

Quæ putredinis & causæ ipsius indicationes sint, & quæ remedia præscribant. Cap. 10.

ERgo,qui febrem curare uolet,necesse est,putredinem inhibeat. Ita duę*indicationes se exhibēt, altera a febri: altera a putredine. Atque a febri rursus duæ, scilicet ut portio febris, quæ iam facta est, percuretur: quæ uero in generatione est, inhibeatur. Aliæque duæ rursum a putredine erunt*indicationes,ut & quod putredinis iam factum est, sanes: & quod in generatione adhuc est, si- G stas. Porrò,quod in generatione est,id adiapneustia .i. perspiratio impedita, facit.nihil enim deterius fuerit clarioris doctrinæ gratia ita eam nominare.Ita ab hac quoque aliæ duæ indicationes nascentur, tum ut quod,retentum est,uacuetur:tum,quod retinendum est,prohibeatur. Sane prohibebitur ijs prę sidijs,quæ obstructioni medētur.Cuius rursum ipsius,quod iam factum est, sanandum est:quod futurū est,inhibendum.At curabitur quidem,quod obstructionis iam factum est,per ea,quæ obstructa liberāt inhibebitur,quod futurum est,si affluxum obstruentium succorum compescas.Ergo,quod ultimum in ipsa resolutiua methodo est inuentum,id primum omnium in curatione est peragendum. Ostensum.n. in prioribus libris est, si ijs auxilijs, quæ obstructione eximant,uti nō uacuata prius abundātia uelimus fore,ut,non modo nihil proficiamus,sed etiam affectum maiorem reddamus, pugnantibus scilicet inter se indicationibus.At,si uacuata prius multitudine ad curandam obstructionem accedamus,medicamentis iis,quæ obstructiones expediant,erit opus.Verum,quoniam horum plurima calida sunt,metus est,ne tum putredinem,tum febrem augeant.Itaque ijs, quæ citra calorem liberare obstructiones ualeant,utemur:ubi autem,quæ obstruunt,detersa dissectaque sunt,per aluum,urinas, & sudorem ea uacuare tentandum.Cum uero materiæ,quæ hæc efficiant,etiam calidæ sint,necesse est interea tum putredinem augeri,tum febrem. Quare,quoad licet,id agendum,ut,quæ minus calfaciat, materia deligatur: H Aut,siqua inueniri potest,quę non calfaciat,quemadmodum in hoc casu balneum, utique ea est petenda.Hoc uero tempore etiam uires roborare,quo putredinem superantes,succos concoquant,studebimus.Quod uero febris ipsius iam factum est,id refrigerabimus. In auxiliorum enim inueniendorum ordine ultima est,quę ab hac sumitur,*indicatio,quamuis alia ratione sit prima:quippe cum a febri cœperit inueniendorum prȩsidiorum methodus.

A.l.1.f.4.c.2. p.135.C.

A.l.1.f.3.d.2. c.5.p.115.A.

Ex symptomatis superuenientibus nunc protrahi, nunc peruerti febrium curationem. Cap. 11.

AC,si nullum quidem interim uehemens incidat symptoma,prohibeatque, quo minus auxilia ab initio morbi ad finem ita procedant,celerrime finietur febris: Sin tale quippiam incidat, quod totam ad se curationem reuocet,necesse est,serius adueniat curationis finis. Siquidem,quod ita interuenit omnino uel contrariū est remedijs,quæ antedictū causarū,affectuū, & symptomatū ordinē sanēt: uel omnino nihil saltem confert. Enimuero, si eius, quod interuenit, sanatio antedicto præsidiorum ordini sit contraria,necesse est interim cuncta deteriora reddi: Sin nihil originali affectui interuenientis obiter mali correctio nec officit,nec prodest,totius curationis celeritati in mora erit: Si autem nocet,necesse est aut uniuersam medicationem in longius spatium trahi;aut aliquod subsequi periculum: aut etiam fore utrunq;. Finge nāque exempli gratia,afflicto interim stomacho syncopen incidisse, cui succur-

A succurrere coacti cibum intempestiue dederimus,ac uinum cum frigida: Ex horum enim usu tum obstructionem, tum corporis coarctationem,tum putredinem auctas esse necessum est:atq; ex harum auctu ipsam etiam febrem: Verum,ubi tum uirtus satis ualens est, nec quicquam interuenit, cuiusmodi, quam modo diximus ex uitio stomachi ortam syncopen: sed nec, quæ aliquando accidere possunt,aut sanguinis profluuium,aut uigilia,aut dolor,aut error aliquis,uel ipsius ægrotantis, uel eius familiariū: Vbi inquam nihil tale accidit,totus, qui proxime dictus est, remediorum ordo hominem profecto sanabit. Sed nec ipse tamen quocunq; remedio omnia,quæ præter naturam sunt,sanat.Nam aqua mulsa, quod ad crassos succos extenuandos,& glutinosos detergendos, & excretionem promouendam attinet, optimum plane medicamen fuerit in ijs synochis, quos habitus coarctatior,& putredo excitarūt: quatenus uero calorem febris adauget, est noxia. vnde, si hic immodicus sit, parcendum aquæ mulsæ est,utendumq; ptissanæ cremore: Quòd si difficiles ac contumaces esse obstructiones iudicaueris,etiā oxymelite. At hoc ipsum rursus,si immodice utare,& intestina radit,& tussim excitat,& neruosa lædit. Adeo scilicet difficile est eiusmodi aliquod auxilium inuenisse,quod citra ullam noxam magnifice prosit. Id accidit (ut dictum est)ex complexione ortorum in corpore præter naturam affectuum, unà cum præcedentibus eos causis,& sequentibus symptomatis.

A.l.1.f.4.c. 31.p.157.C.

B *Præceptum hoc, Contraria contrariorum esse remedia, non in affectibus modo, sed & in symptomatis uerificari.* Cap. 12.

NVnquam tamen propterea præceptum illud, quòd Contrariorum contraria sint remedia, aliquādo uerum erit, aliquando falsum:immo id perpetuo uerum est:quando fieri non potest, ut eorū, quæ præter naturam sint, quicquam per aliam ullam remediorum speciem curetur. Non tamen ex usu est semper omnibus,quæ præter naturam sint,mederi, sed cum sola per se subsistunt. Nam, si cum alijs unà incidant,alijs sæpe est ante illa medendum: sicut in cauis ulceribus, ubi ea simul cum phlegmone sunt coniuncta.Quippe uerum in his quoq; manet,ꝙ per ea,quæ carne implent,curantur:Ceterum his uti prius,quàm phlegmonen curaueris,non licet. At interim,dum hæc sanatur,ulcus cauum adeo non melius,quàm fuit,redditur,ut etiam fiat magis cauum. Quòd si ijs, quæ carne impleant,medicaminibus uti uelis, neq; ipsum impleueris,& phlegmonen auxeris. Quæ nanq; carne implent,ea demum implere possunt, quæ phlegmone uacant,non quæ phlegmone adhuc sunt oppressa. Hoc itaq;,quod in dictione tam est breue,nempe Contraria contrariorum esse remedia, potestate deprehenditur maximū. Quippe omnem medendi methodum confundet, quisquis hāc *indicationem neglexerit:cum omnia, quæ præter naturam sunt,ab ijs,quæ ipsis sint contraria,curentur. Cum autem eorum, quæ præter na- C turam sunt,duplex prima differentia sit,alijs per se subsistentibus:alijs in ipso (ut sic dicam) fieri,essentiam suam habentibus,ac umbræ ritu affectus comitantibus, sanatio quidem affectuum ipsorum est sublatio:hanc uero symptomatum amotio sequitur. Quibus quanquam ipsis nihil prima ratione adhibetur,attamen in ijs quoq; perpetuum illud præceptum manet, ꝙ Contraria contrariorum sunt remedia. Quippe,cum affectus,quos symptomata sequuntur,sanamus, symptomata nimirū ipsa in contrarium statum perducimus. Quare,quæcunq; symptomata exiguorum meatuum dēsitas inuexit, ea rarefactione tollentur. Quòd si ipsi quoq; symptomati,quod ex densitate spiramentorum est natum, (nempe id est minori,quàm iustum sit,excrementi effluxui,) quod sane paulo superius adiapneustiam uocauimus, symptomatum genus aliud contrarium opponere uelis,ne sic quidem† [desit,quod dixeris.] Sunt nanque plura iusto defluuia,iusto paucioribus cōtraria. Adeo,sicui in symptomatis ipsis libet contraria cōtrariorum remedia dicere,in ijs quoq; stat immotus primus oīum,quæ præter naturam sunt, curationis *index. Verū satius est(ut prædiximus)eorū,quæ uere & primum curantur,id est affectuum, in corpore, qui uere sunt subsistentes,contraria esse remedia existimes. Quippe actiones eorum,atq; ēt offensas,ut eas in ipso,ut sic dicam,fieri esse dixeris,ita absolute subsistere minime dixeris. Nam manum extēdere, aut flectere ex ijs,quæ absolute sunt,dici non possunt,sed ex ijs, quæ fiunt:multoq; minus ipsius immo- D bilitas, quæ ipsa quoq; symptoma est eius, qui in musculis neruisve subest,affectus: sed affectum, qui ex subsistentium numero est unus,contraria postulare remedia dixeris: Hunc uero solutum,cōtrarium sequi statum,quæ sanitas est:Atq; hanc rursus,quandam naturæ actionē, quæ symptomati iam finito sit contraria.Sed nec nominibus falli,(quæ sæpe alia forma proferuntur,quàm ut contrarijs conueniat:sæpe uero plane non sunt,)sed ex ipsa rerū natura contrarium inuenire debes, habēs.s.quo pro illo discernendo spectes,confessum illud,contraria esse,quæ sub uno genere plurimum inter se distent.Ergo,si intellexeris in illo genere,quod mediocre est,(id uero est,ut sæpe monstrauimus,quod inter extrema est medium)infinitam quandam contrariarum rerum multitudinem,quæ maioris minorisq; ratione inter se diffideant, ex eo inuenies. Verbi gratia. In affectibus,tenuium spiramentorum symmetriam intelligens, ex utraque parte duo immodica,quæ inter se sint contraria,inuenies: In actionibus uero,symmetriam uacuatorum considerans,ipsi quoque ex utraq; parte ametria respondet. Verum in paruis spiramentis nomina excessibus non desunt,nempe densitas & raritas: in uacuatis posita non sunt. Eoq; fit, ut cogamur plures paucioresq; effluxus dicere,ita nimirum,ut, si densitatis raritatisq; nomina non essent, spiramentorum ipsorum alibi plura iusto esse, alibi pauciora dicere cogeremur. Ergo (sicut diximus) hoc maxime cauere debemus,simul etiam in eo nos exercitare, quo celerius cuiusq; sic dicti contrarium inueniamus.Non enim in corporum modo qualitate,uerumetiam in quantitate eiusmodi con trarietatem

† ἄπορος ὁ λόγος.

trarietatem inuenias:quam utique Aristoteles oppositionẽ uocat, non contrarietatem. Neque enim E
magnum paruo vult esse contrarium,sed in eo,quod ad aliquid dicitur,oppositum.Neque multum pau
co:Sed nec rarum denso:Neque relaxatum contracto:Neque ipsi,quod secundum naturã est,id, quod
præter naturam est.Verum Hippocrati omnia id genus contrariorum habent appellationem,sicuti etiã
Platoni,qui generationes ex contrarijs esse dicit.Ostensum quoque a me in alijs est nec Aristotelẽ ipsũ
suam ipsius legem in nominibus seruasse, quo loco principia eorum, quæ natura reguntur, materiam,
*speciem,& priuationem statuit.Verum(quod diuinum Platonem secuti semper testamur) contemne- *Formam,
re nomina oportet,minime autem scientiam rerum.Ea nanque ad salutem hominum pertinet, errorisq;
que in ea finis est pernicies. Nominibus siue proprie,siue improprie utare,ad ægrotos id parũ attinet.
Intelligas id clarius,si non contrariorum contraria,sed, quemadmodum illis placet, opposita sibi inui-
cem esse remedia dicas. Siquidem copiã sanat uacuatio: defectum nutrimenta:in summa, quod exu-
perat,ablatio:quod deficiens est,adiectio.Itaque etiam in alio opere recte arbitror a sene dictum: Me-
dicina appositio est & detractio:deficientium quidem appositio, redundantium detractio. Porrò defi-
ciunt redundantque quædam in quantitate, quædam in qualitate: In quantitate, cum sanguis immo-
dice est auctus,aut rursus minor redditus: In qualitate,cum uel calidus,uel frigidus,uel crassus, uel te- F
nuis plus iusto minusve est effectus.Siue igitur contrarietatem,siue oppositionem nominare libet,eius
*indicationis medendi,quæ ab omnibus,quæ præter naturam sunt,præbetur,semper meminisse debe-
bis,eique esse intentus:potissimum quidem, ut dictum prius est,in affectibus: sed tamen & in sympto-
matis: quamuis horum nec primum curatio sit, nec proprie contrarietas, sed curatio quidem simul cũ
affectibus, ex accidenti: contrarietas, uero lucidioris scilicet breuiorisque doctrinæ causa loquenti-
bus, abusiue.

*Indicationes omnes tradit tum rerum præter naturam,tum secundum naturam,quibus uniuersa continen-
tium putridarum curatio continetur.* Cap. 13.

VErum ad medendi*indicationes propositi nobis febrium generis reuertamur.Repetamusque sin
gula genera, quæ in nobis præter naturam sunt,non causarum modo, uerumetiam morborum &
symptomatum. Et causarum quidem genera sunt multitudo,& crassitudo, & lentor humoris. Causa
simul & symptoma est transpirabilis excrementi retentio.Simili modo causa pariter & affectus est ipsa
putredo.Morbus uero tum obstructio,tum febris ipsa. Symptoma uero est ipsa transpirabilis excremẽ
ti retentio.Ergo indicabit(vt dictum est)præcedentium causarum quælibet proprium aliquid: multitu
do ipsa,quæ ex eorum est numero,quæ sunt ad aliquid in prædicamẽto quantitatis,uacuationem: len- G A.l.1.f.4.c.14
titia uero & crassitudo,quæ sunt in qualitatis affectu,sanationem,quæ per contraria perficiatur.Cũ ue- p.153.a
ro in plerisque oppositionibus consueta nomina non sint, accidit, vt, qui in rerum scientia minus sunt A.l.2.t.1.c.4
exercitati,fallantur.Cum enim uno nomine nequeunt,quod animo cõcipiunt,nominare,id,ceu pror- p.171.c.
sus non sit,dimittunt, quemadmodum profecto in glutinosis & crassis succis faciunt. Quippe crassus *Alias. πρὸ
succus ex aduerso oppositum habet tenuem:Glutinosus vero(sicut ipse *primus græce nominaui)rhy- σθεν.i.antea.
pticon, quasi detersiuum dicas:sicuti uero aliquis dixerit,qui a solidis corporibus nominandi occasio-
nem acciperet,friabile. Siquidem hoc pacto semper uidetur Aristoteles oppositionem facere, uerum
nõ in succis,(ut dixi)sed in solidis ipsis corporibus. Quòd si glutinosi humoris naturam sub ea ratione
intelligas,quod,quicquid tetigerit,huic ægre dissolubilis adhæret,non immerito,arbitror, eũ, qui nec
adhæret,& ea,quæ adhærent deterget,contrarium ipsi statues. Et antecedentium quidem causarũ con-
trarietates abunde sunt dictæ.In instrumentali uero morbo, qui est obstructio, contrarium ei est græce
ecphraxis,quam reclusionem(puto)dixeris:Symptomati uero, quod est transpirabilium retentio, ex-
cretio ipsorum contrarium est. At uero in humorum putredine & excretio, & refrigeratio, & uentila-
tio,& semiputridorum concoctio,ex aduerso respondent.Ipsius uero febris,refrigeratio oppositio est.
Porrò,quibus methodis materiam,quæ singula modo memoratorum perficiat,inuenias, iam diximus.
Pugnantibus igitur his (sicut diximus) alias aliæ tum indicationes uincent, tum materiæ. Indeque fa H
ctum est,ut quidam,cum ignorassent unam semper dari ex re quaque indicationem, ac,si præter natu-
ram sit,quod indicet,contrarium id semper indicare:sin secundum naturam se habeat, non contrariũ,
sed simile,nec medendi hi,nec sanitatis tuendæ methodum constituere potuerint. Siquidem, cum in
primis ipsis*indicationibus sunt lapsi,multo profecto magis in ijs,quæ secuturæ erãt, decipi debebãt.
Debẽt enim (arbitror) ædificijs fundamenta iaci firma, & scaphis poni idonea carina, siquid ædifican-
dorum pangendorumque in ijs futurum est firmum. Vbi enim prima ipsa basis statim ab initio debilis
fuit,qui fieri potest,ut,quod superstruxeris,futurum infirmum non sit? Itaque,quoniam in continenti-
bus ex proposita stipatione febribus, (neque enim grauari debemus iterum,atque iterum sermonem
repetere,quo nunc saltem medicorum uulgus ueram methodum condiscat)quoniam, inquam, septem
præter naturam posita sunt,a quibus indicationes sumuntur,humorum multitudo,crassitudo, lentor,
obstructio,transpirationis retentio,putredo,& febris carens intermissione:atque hæc contraria omni-
no esse adhibenda docebant:præter hæc uero ab ijs,quæ secundum naturam se habebant,positæ indica
tiones sunt, ex temperamento tum ipsius laborantis partis, tum reliquarum omnium, quæ principes
sunt,ex substantiæ ipsarum quantitate,& ex spiritus ipsius substantiæ tum quantitate,tum qualitare:ho
rum uero indicationes non contrariorum erant sed similium:ad ista uero(sicut diximus) dignoscenda,
tum

Atum ætas, tum consuetudo, tum omnes quæ externæ morbo causæ fuere, contulerunt,utiq; ortis hinc
quoq; indicationibus non paucis, Omnes profecto inspicere simul medicum decet,quo scilicet intelli
gat, quonam primum ac magis, quonam minus & secundo, quonam adhuc & tertio, atque deinceps
quo post quod præsidio sit utendum.

De sanguinis mittendi ratione in proposita febre. Cap. 14.

QVippe, si uires eius,qui ex putredine humorum (ut positum est) febricitat,ualentes sint,mitten
dus statim sanguis est:si cruditas uentris non sit, statim morbo incipiente. Sin uires infirmæ
sint,aut ætas dissuadet,incidenda uena non est. Porrò dictum supra est eiusmodi febrem in uir
tutem imbecillam non incidere. Quippe synochos bene habiti corporis, ac calẽtis ætatis propria est.
At,si in puerum incidat, qui quartumdecimum annum hactenus non attigit, mitti illi sanguis non de-
bebit propterea, quòd tantillis, cum præsertim calidi ac humidi sint,plurimũ corporis substantiæ quo
tidie defluat, ac digeratur. Ita,quod ex incidenda uena moliendum nobis fuerat, id ultro nobis ex cu-
rati corporis natura præstatur. Quòd si corpus quartumdecimum annum excesserit, æstimandum est,
*Al. ἕξιν. i. habitudo. qualis nam eius *natura sit,num gracilis, & spissa, & dura, & copiosi sanguinis, an contra. Atque ita
in priori missionem sanguinis adhibebis: in secunda nequaquam. Quinetiam *modus uacuandi san-
B guinis ex ijsdem *indicantibus sumetur. Si enim cui sanguis mittitur, triginta annos natus sit, sed la-
xus, & mollis, & pinguis, & albus,ac gracilibus uenis,huic aut plane sanguinem nõ mittes, aut parum
detrahes. Et omnino quidem non mittes in tempore æstatis,& regione æstuosa, & cæli statu calido ac
A.l.1.f.4.c. 20.p.146.f. sicco: Parum detrahes in reliquis tum anni temporibus,tum regione,tum cæli statu. Etenim, si neque
obstructio subesset, nec putredo,sed sola succorum redundantia,protinus a missione sanguinis, pro na
turæ suæ ratione se haberet. Itaq; tantum succorum in omni tum corporis temperamento, tum regio-
ne,tum anni tempore, tum statu cæli detrahi par erat,quantum supra naturalem statum fuerat inauctũ.
Verum,quoniam nec obstructio, nec putredo curari per sanguinis missionem potest,ut quæ alia reme-
dia (ceu prius est monstratum) desiderent,reponi sanguinis aliquid ad curationis spatium debebit,quo
minus intempestiue nutrire necessitate ulla cogamur. Quantum nanque ad eiusmodi pertinet febrem,
prorsus nutriendum non est. Siquidem ostensum prius est solum uirtutis respectum esse, qui de nutri-
mento indicationem præbeat. Atque uero, quantum ad id, quod inanitum corpus est, nutrire opor-
tet. Ita necessum est duorum alterum, aut febrem, si nutris,augere: aut uires,si non nutris,deiicere.Sa
tius itaque fuerit (ut dictum est) aliquid sanguinis, quod proprium partibus animalis nutrimẽtum sit,
relinquas: ac ipse paucissimas sorbitiones potionesq; exhibere sis contentus: quibus utique, ceu me-
C dicamentis potius, quàm nutrimentis, egemus. Nam id quoque supra (quo minus multa de ijsdem
adhuc loquamur) est ostensum.

*Aduersus Methodicos,qui omissa uenæ sectione præcordia cataplasmatis, & per-
fusionibus relaxabant.* Cap. 15.

IMmo de cataplasmatis ac præcordijs perfundendis est loquendum. Quippe pleraq; medicorum tur
ba unum quiddam hoc quoq; ex methodicorum istorum curandi sanctionibus statuit. Omnesque,
sicuti post tertium diem nutriunt, ita etiam oleo prius perfundunt. Inde uno die interposito rursum
nutriunt, cataplasma prius imponentes: Quòd sicui aluus est adstricta, etiam hanc clystere ducentes.
Itaq; his saltem auctoribus ordinandi uictus artem, una hora quis didicerit. Verum non ita se uera
res habet. Sed, cum ars ipsa tota sit magna, non leuissima eius pars est scientia ordinandi uictus. Quæ
utique ex his maxime remedijs constituitur, cibo, potione, perfusione, cataplasmatis, & clysteribus.
Quippe ijdem medici, cum sanguinis missionem in principio etiam solam adhibuerint, reliquam omi-
nem ægri curationem uictui mandant. Itaque (ut dixi) unius horæ est uictus eorum disciplina. quòd
si, qui discit, ingenio ualeat,ne huius quidem integræ, sed minimæ eius partis, in qua scilicet quæ nũc
dicam,audisse licuerit. Qui febricitant, si ualentes uiribus sint, omnibus sanguinem ab initio mittes:
D perfusosq; oleo post tertiæ accessionem, uel mulsa cum alica nutries, uel sorbitione. Deinceps uero al
ternis cibabis diebus, sed cataplasma ex artomelite prius imponens. Sicubi uero aluus adstricta fue-
rit,clystere hanc duces. Atq; illorum quidem uniuersam ordinandi uictus artem, in his uerbis iam au-
disti, non utiq; in sex mensibus, sed sex uersiculis. Veram autem diæteticen, id est uictus ordinandi ar-
tem, nunc audies. Calfacere præcordia cataplasmatis,aut perfusionibus non est perpetuo tutum,sed
in ijs tantum ægris,quibus in toto corpore nullum errat superfluum: Ceteris omnibus extrema est per
nicies. Nam,siue redundantia utrauis sit,uel quæ ad uires,uel quæ ad uasorum continentiam compa-
ratur:siue etiam in una parte pluribusve uitiosa excrementa sint, omnia ad partem excalfactam trahun
tur.Quoties enim uidisti præcordia,cum plane phlegmone carerent,intra quatuor dies, quàm ea gre-
gales isti medici perfundere cœpissent,phlegmonen contraxisse, cum ego etiam id ipsum tibi prædixis
sem,iussissemq;,diligenter ad phlegmonen futurã attentus esses? In quibus id maxime intellexisti,quã-
tum malũ sit usui,qui alienus a ratione sit,insuescere. Quippe hi,cũ ex ijs,quæ ipsimet faciunt,phlegmo
nas semper excitent,id non animaduertunt,sed ijsdem semper erroribus implicant:veluti Hippocrates ijs
accidere dixit,qui hinc & inde ossiũ fracturas cũ ulcere deligabant.Etenim illi,cũ phlegmonas in ulce
re crearent,non tũ destiterunt,rati id adeo nõ ex deligatura,sed alio quopiam errore incidisse.Et quo-
modo,quæso,ad aliam curationis rationem se transtulissent,qui usum sine ratione profitebantur,ex ijs,
quæ

quæ tum ipſi ſemper facere eſſent aſſueti,tum præceptores ſuos ante ſe facere contemplati? Siquidem E huius generis homines ne tentandum quidem cenſent,vt ex indicatione, quicquam ſumant: ſed ſola experientia ſunt contenti. At Hippocrates ab ipſa rei natura idoneum curationis modum inuenit. Quo poſtea in uſum ueniente cognitum eſt,quantus eſſet in priori error. Quin,ſi quis in eiuſmodi affectibus,cataplaſmatis & perfuſione ex oleo relictis,uelit ad curationem,quam ratio docet,accedere,ipſe,quantopere aberrent,qui plethorica & quæ parum pura ſunt corpora,ſic curant,haud magno negocio experientia ipſa iudicabit. Sane accidit,ut in eiuſmodi morbis diuites potius, quàm pauperes perperam curentur. In his enim propter ipſorum delitias duplex peccatum non raro committitur,& quod ſanguis non mittitur:& quòd a medicis impenſior ſcilicet adhibetur diligentia, vt quotidie aliquid circa ægrotãtis corpus fiat. Ac inter initia quidem ſanguinis miſſionem maior eorum quas propter molli tiem non admittit,tametſi magis,quàm pauperes redundantiæ ſanguinis affectibus ſunt obiecti,ut qui magis tum cibis ſe impleant,tũ in ocio uiuant. Medici uero,qui eos curãt,ubi ſummum remedium eſt omiſſum,aliorum uſu ſarcturos ſe,quod deficit,putant. Huc accedit,quòd ipſi quoque ægri,ſiquis uictu contra morbum minore cum negocio inſtet, negligentiam rati:ſiquis rurſum quiduis agat, diligentiã, cogunt eos præcordijs aliquid quotidie admouere,ſed nec inuitis profecto ipſis medicis:ut qui facere ſemper aliquid uideri uelint,quòd ſic ſe maiorem mercedem accepturos ſperant. itaque accidit,ut illo F ipſo tempore phlegmonæ diuitibus incipiant, quo iam pauperibus morbus propemodum perductus eſt ad finem. Quippe miſſo in propoſitis febribus inter initia ſanguine,non pauperibus modo,uerumetiam diuitum ſeruis,plurimis quidem quinto,aliquibus ſeptimo criſis contigit,nemini ſerius. At diuites,qui & ſanguinis copiam, & excrementorum plus, quàm pauperes & ſerui habent, tum ſanguinis mittendi prætermiſere remedium, ac quotidie tum calido oleo perfundantur,tum laxãtibus cataplaſmatis utantur,phlegmonen nimirum aliquam uel in iecinore,uel uentriculo, uel reliquorum iſtic viſcerum aliquo contrahunt,alij in quarto:alij in quinto:omnes plane in ſexto. Nec oblitus,arbitror,es eius qui dum perfunderetur,difficultate ſpirandi laborauit,omni ſuperuacuo†[ad præcordia] caloris ui tracto. Ergo non hic modo perijt,ſed alij quoque infiniti quotidie pereunt,cataplaſmate ipſo cucurbitulæ ritu corporis ſuperuacua in uiſcera trahente. Non defuerunt profecto & qui cucurbitula quoque ipſa ſunt uſi,eo tantum conſilio,ut circa ægrotantem aliquid ſemper moliri uiderentur. Saluberrimum autẽ (ut prædiximus)eſt in febribus uenam incidere,non continentibus modo,uerumetiam alijs omnibus, quas putreſcens humor concitat:ubi præſertim nec ætas,nec uires prohibent. Leuata nanque,quæ corpus noſtrum regit,natura,exoneratáque eo,quo,uelut ſarcina,premitur,haud ægre, quod reliquum eſt uincet. Itaque proprij muneris haud oblita & coquet,quod concoqui eſt habile,& excernet,quod po- G teſt excerni. Eorum enim quæ in medio ſunt corpore,(ut iſti uocant) prouidẽtia,ubi detractus ſanguis non eſt,maximum plane eſt malum:ubi detractus eſt,non maximum. Quanquam ſic quoque noxia eſſe in ſynochis febribus poteſt:quippe deuſta immodico calore uiſcera etiam amplius deuruntur ac torrẽtur. Ergo eiuſmodi prouidentiam illi duntaxat requirent,quibus in una particula putredo conſtitit:ſi tamen hi quoque ſanguinem prius miſerint. Prouidebitur autem his,non ſicut triuiales iſti medici prouident,qui ſtatim inter initia relaxant,ſed in plurimis prorſus contra. Relaxantia nanque remedia,ſicuti, quod in membris continetur,euocant,ita,ſi in principio ſint admota,pro eo plus attrahunt. Cum enim adhuc ad affectum locum fertur fluxio,reprimere remittereque hanc expedit,non ad ipſum attrahere. Quæ uero Apocruſtica.i.reprimentia dicuntur,quæ adſtringendi certe uim obtinent,in principijs idonea ſunt duplici ratione,& quod robur affectis particulis inſerunt,(unde minus prompte affluxum excrementorum in ſe recipiant)& quod eorum,quæ in ijs iam contenta ſunt, tenuiſſimum extrorſum exprimant. Quod ſi tum fluxio humorum per ea remedia compeſcitur:tum denſitas, quæ ex adſtringẽdo in affecta particula relicta eſt,craſſiora detinet,iam tempeſtiua relaxatio eſt, quo ea, quæ retenta ſunt, uacues. Præcipue autem adſtringentibus eſt utendum, ubi in iecur aut uentriculum ſuperuacuum profluit: quando & e primoribus admodum hæ partes ſunt,& munus ſuum obeant uel in ipſis morbis, eſt H neceſſum. Porrò eſt non exiguum eorum munus,qualeque reliquarum partium, quibus illud modo negocium eſt,ut id,quo nutriantur,conficiant,uerum quod tantopere animalis interſit,ut,ſi neque in uẽtriculo probe alimentum fuerit concoctum,nec in ſanguinem in iecinore mutatum,utique,quod in fame nobis accidit,ut cibi penuria degere in abſtinẽtia cogamur, idem tum omnibus animalis partibus accidat. Non enim ex ijs,quæ deuorarit quis,ſed ex ijs,quæ in iam dictis uiſceribus confecerit,alimentum toti corpori ſuppeditatur. Atque ob hæc nimirum impenſius, quàm cetera mẽbra uentriculus & iecur adſtringentia deſiderant. Ergo,cum ea,quæ iam infixa ſunt,euocãdi tempus eſt,tum quoque modice adſtringi poſtulant. quod enim adſtrictionis in principio largius ijs,quàm ceteris partibus, adhibetur,id ſeruandum aſſidue,eſt nimirum manente,qui id indicet,uſu. Vſus uero eſt(ut paulo ante teſtati ſumus)nutrimenti confectio. Si igitur per imbecillitatem parum recte concoxerint, non modo aſſumpti cibi nulla eſt utilitas,ſed etiam uentriculo non raro ex eius corruptela laceſſito expellitur quoque aliquid prioris. Ita fit,ut duplex iam noxa toti corpori accedat,cum nec ex cibo ſumpto nutriatur, & aliquid†[ex eo,quod ſibi repoſuerat,]amittat. Huc accedit,& quod ciborum concoctio,ſiue ea in iecinore,ſiue in uentriculo ſit improſpera,febres intendit, ac ſucci uitio exacerbat. Quo magis in omni febre,ciborum concoctioni proſpicere magnopere oportet. Atque eius rei cauſa roboris quoque inſtrumentorum,

τὲπὶ τὰς φρέ-νας.i. ad ſeptũ tranſuerſum.

A.1.1.f.4.c.20 p.146.E

A.1.1.f.4.c.1. p.134.D

† τῆς οἰκείας παρασκευῆς.

Aſtrumentorum,quibus perficitur,non leuis habenda eſt cura. Sane aliqui ſunt(ut Hippocrates ait) qui ex eo,quod ignorant,non parum lucrifaciunt. Arbitrantur enim iecinoris ſe phlegmonen relaxanti bus præſidijs curare,ex eo ſcilicet famam ſibi comparantes,quod in agnitione falluntur. Siquidem uidentur non nunquam*lineamenta muſculi,qui a coſtis thoracis ad præcordia peruenit, perſimilia iecinori. Mirum autem minime arbitror eos,qui nec aliud quicquam in arte probe didicerunt,nec in agno ſcendis affectis partibus ſe exercuerunt,ſic laudem aliquando conſequi.

* περιγραφὴ. i. circũſcriptio.

Qua ratione cataplaſmata parare oporteat,quæ uentriculo,iecinori,lieni,& reliquis iniferioris uentris partibus conducant. Cap. 16.

VErum iſtos mittamus. Nos,vel ſi minima ſuſpicio ſit iecur uentriculumve laborare,abſinthiũ protinus oleo incoquemus,ac eas particulas perfundemus. Cum autem duplex in omni abſinthio facultas & qualitas ſit,ueluti in libris de medicamentis eſt traditum,utique in pontico adſtringendi facultas non parua eſt: In reliquis omnibus amara quidem qualitas eſt uehementiſſima, adſtrictio uero (quam ſaltem guſtu agnoſcas)aut plane obſcura,aut prorſus nulla ſentitur. Proinde ponticum ad iecinoris & uentris phlegmonas eligi præſtat. Porrò id eſt tum folio,tum flore longe, quàm cetera abſin- B thia,minore. odor quoque huic non modo non inſuauis, uerumetiam aromatum quid præferens: reliquis autem omnibus eſt fœdus. Quare hæc fugere conueniet,uti autem ſemper pontico. Etiam reliquorum medicamentorum,in quibus miſta cum amaritudine adſtringendi uis eſt, aliquid in oleũ conijcere,atque ad eundem modum uti licet. Oſtendimus nanque in opere,quod de medicamentis inſcribitur,amaram qualitatem præire,ac uiam adſtringenti facere. Quo fit,ut medicamentum id genus,omnibus,quæ tantum adſtringãt, ſit præſtãtius. Ac, ſit quidem intẽdere adſtrictionem ſtudes,etiã oleum ipſum adſtringendi uim habeat, cuiuſmodi eſt, & quod Hiſpanum uocant, & quæcunque cum *frondibus oleæ præparare ſolent, uel quale eſt crudum, quod græci omphacinon uocant. Sin leuiore uti adſtrictione placet, aliud olei genus præparabis, præcipue quod tenuium ſit partium: quod genus Sabinum eſt. Optimum tamen,ubi adſtringere uehementius eſt opus Hiſtricum oleum eſt,ut quod ambas in ſe uirtutes habeat,& amaram,& quæ adſtringat. In penuria uero abſinthij inter initia uel melinum, uel maſtichinum, uel lentiſcinum ſatisfecerit: quod ſi exigua febris ſit, etiam unguentum, quod ex nardo componitur. Eſto autem optimum id quoque. neque enim parum intereſt inter id, & quod uitioſum eſt, cum id, quod Neapoli in Italia conficiunt,nomine tantũ nardinum unguentum ſit,ſi cum eo,quod in Aſia fit,conferatur. Id antea Laodiceæ tantum compone- C batur: nunc etiam in multis fit oppidis. Quòd ſi inclinatio febris,in qua iſta moliris,non admodum ſit facilis,abſtinebis a nardino. uteris autem hoc tempore rectius melino: aut, ſi id non eſt, lentiſcino: ab hoc uero maſtichino. Omnibus nanque his nardinum unguentum ualentius excalfacit. Quare,ſi reliquorum copia non eſt,roſaceum illi admiſcebis. Sane myrtini adſtrictio idonea non eſt, cum craſſiorũ ſit partiũ,quàm ut alte deſcendere poſſit. Atq; hæc quidẽ exempli gratia protulimus:nam magnã eorũ copiam deligere ex medicamentorum libris licet. Ad eundem uero modum & cataplaſma compoſitam uim habeat ex ea,quæ tenuium ſit partium,ac relaxet,tum uero ex amara & adſtringente. Superet autem in ijs,ubi ſcilicet tũ reprimere,tum robur addere ſtudemus,quod adſtringat: ubi tenuare ac detergere,amarum:ubi euocare,quæ ex relaxantibus tenuium maxime ſint partium. Siquidem,quæ craſſæ ſubſtantiæ ſunt, ea pus mouentibus monſtrauimus eſſe accommoda. Cum autem definitũ in opere de medicamentis ſit, & quæ uel ſolã obtineant adſtringẽdi qualitatem,uel amaritudinẽ:& quæ ambas poſſideant qualitates, maxime deligẽda ſunt,quæ ambas habẽt. ubi ea nõ adſunt,ipſe amara ijs,quæ adſtringãt, miſcebis, ita nimirũ,uti nos in iecinoris phlegmone,ex copijs præſentibus cõponere cataplaſma uidiſti. Erat.n.is,qui ægrotabat,medicus:quẽ iam lucernis accenſis inuiſimus:quo tẽpore ab ijs, qui talia uenditant,nihil emi potuit. Ergo,cum inclinatam notabiliter febrem inueniſſem, utendum occa- D ſione quàm primum cenſui,eo certe magis,quod ſuſpectam horam,quæ gallicinio futura erat,alterius acceſſionis initium allaturam uerebamur. Incoxi in oleo quidem abſinthium:in aqua uero malum cotoneum. Dum autem hæc coquebantur,myrobalani pieſma,& ireos radicem,quæ intus inueneram, contudi cribrauique. Dein olei & aquæ q̃ parauerã,portionem in lebetem immiſi: ac,ubi modice coxerã, myrobalanum & irim unà cum exigua cera inieci. Coquimus autem cotoneum non in aqua modo,uerumetiam perſæpe in auſtero uino. Ac omnibus eiuſmodi cataplaſmatis de ipſa quoque cotonei carne interdum admiſcemus. Quippe,ubi,& quod conſuit, copioſum eſt, & particula ipſa infirmior, adſtringentem uim(ſicut ſcis) inaugemus. Vbi uero tum corpus totum purum eſt, nec membrum ipſum imbecillũ,nec ultra quid confluit,ibi in ijs,quæ miſcentur,materijs minimum quidem ſit,quod adſtringat:copioſius uero non ſolum,quod relaxet,ſed etiam & quod amarum eſt,& quod acre. Quòd ſi exigua febris ſit,ac phlegmone non adeo calens,tum æger ipſe inediam tolerare ualeat, hoc caſu digeſtoriam quidem curandi ſpeciem intendes:adſtringentem autem remittes. Neque enim amplius ipſi ſaltẽ phlegmonæ conducere poſſunt,quæ adſtringunt,ubi nec affluit quicquam,& craſſius humor affecto loco tenaciter eſt infixus,ſed(ſicut prædictum eſt)trahendæ potius curationis,ac,quæ adſtringant,miſcẽdi conſilium probamus:quo robur membrorum tueamur. Vnde nec colo laborante,nec reliquorum inteſtinorum quouis,nec muſculis,qui in præcordijs habentur, aut ipſo peritonæo miſcenda adſtringentia

*βαλλῶν libro ſequẽti uertit germina.

A.1.2.t.1.c.4. p.172.D.

tia ſunt. Sed nec, cum ueſica male habet, uterusve: modo (ut dictum eſt) nihil ultra ad locum fluat: nec E ſanguinis redundantia, nec excrementorum copia in toto ſint corpore. Porrò renes & pectus in media prædictorum conditione ſunt, quantum ſcilicet a uentriculi iecinorisq; ſolicitudine abſunt, tantum re liquorum ſupergreſſa. Siquidem in uentriculo ac iecinore exolui robur eſt pernicioſiſſimum: in illis mi nime eſt periculoſum. In his uero eſt quidem periculoſum, non tamen perinde, ut in illis: niſi ſi pus educere ex pectore, aut pulmone aliquando ſit opus. De liene pronunciare abſolute non eſt, nec niſi prius definita tum corporis totius natura, tum uero affectu, qui curationis tempore occupauit. Nam, ſi uel æger ex ijs ſit, qui atræ bilis excrementum naturaliter congerant: vel etiam eo tempore ſuccus is in eo abundet, neceſſe eſt in liene curando adſtringentia reliquis admiſceas, quo uiſceris robur cuſtodias. Ita enim & excrementa ad ſe trahet: &, cum corpus expurgarit, ipſe rurſus per uentriculum excernet: ueluti in naturalibus commentarijs de ijs eſt proditum. Sin nullum omnino ſit atræ bilis excrementũ, aut omnino adſtringendum non eſt, aut parciſſime. Obſeruandum uero diligenter eſt non in liene mo do, uerumetiam in omnibus partibus, in quibus humor putreſcit, quod ſymptoma maxime ſit uehemens, quod ſecundo loco, aut tertio: quo uidelicet affectu ex ipſis plane inuento, idoneam ei curationem adhibeas. Alias nanq; in membro affecto calor ſuperat: alias tumor, qui uel propter abundantiã humoris, uel propter craſſitudinem ſit durus. Si igitur calor præponderat, id agendum, ut ſenſim per F ea, quæ tepentem calorem obtinent, digeratur: quod genus eſt tum lini ſemen, tum chamæmelum: quibus adijci uel hordei uel fabarum farina debet, quippe quorum neutrum excalfacit. Sæpe autẽ (uti non ignoras) quod medici artomeli uocant, pro cataplaſmate eiuſmodi phlegmones præparamus, atque aquæ aliquid miſcemus: ad lienem uero etiam aceti aliquando aliquid. Si uero laborantis phlegmone partis calor non multum a natura exceſſerit, ſed magnitudo eius notabilis fuerit, digerere haud timide ſine aqua debebis, etiã fœnigræci aliquid ſupradictis immiſcens. Si uero, ueluti ſcirrhoſa, phleg mone ſit propter humorum, quos continet, uel craſſitudinem uel lentorem, tum aceti aliquid, tum ama ra medicamenta ſimul immiſcenda curabis: potiſſimum in liene. Etenim uiſcus hoc propterea, quòd ab iecinore craſſum humorem trahit, eiuſmodi humoris occaſione plerunq; laborat. Quo magis cataplaſ mata, quæ ex oxymelite & abſinthio & cappari fiunt, illi ſunt idonea. Hæc igitur cum medicorum uul gus ignoret, omnes oleo perfundunt, & cataplaſmatis relaxantibus curant prius, quàm corpus uacue tur: omniumq; maxime diuites: quibus non ſolum in talibus obſequuntur, ſed etiam eos lauari in bal neo permittunt. Ego uero nec eorum, qui ex putredine humorum febricitent, lauem quenquam: nec relaxantibus cataplaſmatis prius, quàm ſuperuacua purgarim, utar. His uacuatis non ſolum audacter lauem, ſed etiam cataplaſmatis utar, in alijs quidem membris, ijs, quæ relaxent: in iecinore uero ac uen G triculo, additis etiam, quæ mediocriter adſtringant.

Quæ cataplaſmata cordi, & pulmoni, & omnino pectori conueniant. *Cap.* 17.

PArcius uero ad pectus, quàm ad ea, eſt adſtringentibus utendum: quando talia humores, qui phleg monen excitant, in pulmones & cor non nunquam reprimunt. Ac cibis potius horum firmitudini eſt conſulendum. Neq; enim, ſicut in iecinore & uentriculo, ita hic quoq; tenuiſsimo uictu eſt utẽdum. in illis nanq; alimentum concoquitur, metusq; eſt, ne ipſis phlegmone laborantibus nec nutrimẽtum rite concoquatur, & phlegmone augeatur. In pectus uero tantũ alimenti iam concocti peruenit, quan tum uni ipſi particulæ nutriendæ ſatisfaciat. Ac longe quidem magis in pulmonis phlegmone abſtinen dum ab adſtringentibus eſt: quando in eo ipſis quoq; relaxantibus admiſcendum aliquid acrium quo dammodo & euidenter calfacientium eſt. Quippe foras trahere potius, quàm reprimere, in eo debe mus. Itaq; etiam cucurbitula utiliter ijs, qui ſic laborant, ſi prius ſint uacuati, applicabitur. Si uero abun dantia ſuccorum (quam uocant Plethoram) in his ſit, non magis ex pulmone in pectus aliquid excre menti transferet, quàm ex toto corpore attrahet in utrunque.

Cataplaſmata laboranti cerebro & capitis partibus accommodata. *Cap.* 18.

EAdem ratione nec in cerebri & eius membranarum phlegmonis, cucurbitulis in morbi initio ute- H mur, uerum ubi nec influit adhuc quicquam, & totum corpus prius eſt uacuatũ. At reprimentibus in his quoq; inter initia utendum. Sed cum oſsibus cranij medium occupantibus in altum deſcendere reprimentium uim cupimus, eorum, quæ præire ac deducere ea poſſunt, aliquid reprimentibus admi ſcebimus. Ea ſunt, quorum ſubſtantia ex tenuibus partibus conſtat. Sane acetum non modo tenuium partium eſt, ſed etiam non mediocrem reprimendi uim obtinet. Quo profecto rationabilius in princi pijs affectuum ipſo utuntur, roſaceo admiſcentes. Procedente uero tempore etiam ſpondylij & ſerpil li (quibus iam non modo partium tenuitas, ſed etiam calor ineſt) aliquid admiſcent: quo ſcilicet tem pore tranſire ad ea, quæ concoquant ac digerant, conuenit, atq; hæc utraq; ualentiora, quàm poſtulet ipſa pars phlegmone affecta, deligere, ceu uiribus eorum per ea, quæ interſunt, oſſa remittendis. Sane ad cum modum & caſtoreo utimur: cum tamen eo in alijs phlegmonis minime utamur, quamuis etiam in ſumma inclinatione ſint: eſt enim calidius id, quàm ut phlegmonis ſit idoneum. At uero locis circa cerebrum, phlegmonis ipſis iam inclinantibus, eſt utiliſsimum: quoniam non continuo his, ſed oſsi bus interuenientibus occurrat. Ineſt autem eiuſmodi pharmaco & partium tenuitas, quod ipſum ijs, quorum per denſum obicem tranſmitti uim oportet, eſt accommodum.

Quæ

A *Quæ partes per quas uias, & per quæ remedia uacuentur.* *Cap.* 19.

ILlud te profecto non fugit, nos ſingularum particularum meatus, qui ijs ad ſuperuacuorum emiſ ſionem ſunt proprij, fluxiles reddere, Inteſtino, uentriculo, & meſenterio, & concauis iecinoris in teſtinum rectum: Renibus, ueſicæ, iecinoris gibbis, uenæ cauæ, & arteriæ magnæ, & omnibus, quæ in lumbis habentur, eum, qui urinis eſt delegatus: Pulmonibus & pectori ipſam aſperam arteriam & fau ces: Cerebro & eius inuolucris eum, qui per palatum & nares deſcendit. Paritur fluxibilitas ijs quidẽ, quæ per ſedem excerni habent, mulſa, & cibis ijs, qui uentrem molliunt, & pharmacis, quæ modice proritare poſſunt. Quæ enim acriora ſunt, uitare oportet, quoniam phlegmonas exacerbent. Ad uen triculum uero, iecur, & lienem, ſiquando phlegmone ſint uexata, nec mulſa ipſa eſt utilis, quoniam il lico in bilem tranſeat, ac uiſcerum phlegmonas augeat. Excrementa uero, ut cum urinis excernantur, ijs medicamentis, quæ urinas mouent, (Diuretica Græci uocant) promouebis: Non ſecus, quæ in pectore & pulmone continentur, tuſſi (per ea ſcilicet, quæ hanc moueant) uacuabis. Porrò in opere de medicamentis cuiuſq; materiam didiciſti, non eorum modo, quæ iam comprehenſa ſunt, ſed etiã, quæ cerebri membranarumq; eius ſuperflua per nares emittunt.

Quo tempore, & qua ratione cataplaſmata relaxantia, & balneum ægrotos iuuent. *Cap.* 20.

B ETenim horum quoq; omnium uberem materiæ ſupellectilem in illis commentarijs habes. Qua re abunde ſunt ad rem præſentem, quæ hactenus de phlegmone laborantium partium differentia diſputauimus. Dicturus enim plura de ijs ſum in ea methodo, quæ omnium tumorum, qui præter na turam ſunt, curationem comprehendet. Neq; enim in præſentia dedita opera & ſtudio hunc ſermonẽ ſum ingreſſus, ſed præter penſum in eum, ſequela quadam rerum inuitante, diuerti. Siquidem propo ſitum nobis in hoc libro non fuit, ut te partis cuiuſq; phlegmone obſeſſæ optimam curationem doce rem, immo ut noxam eorum oſtenderem, quibus cataplaſmata in febribus non uacuato prius toto cor pore imponuntur: potiſſimum ubi intra corpus aliquid phlegmone infeſtatur. Quippe, ſi ambiens ita calet, ut materias ualenter liquet, maior noxa eiuſmodi cataplaſmatis ſuccedit, quàm lotioni in bal neo. Quanquam autumant, qui quotidie præcordia perfundunt, & cataplaſmatis inducunt, non mo do nullam ex ijs noxam, ſed etiam magnam utilitatem ægris comparari: contra ex lauando non modo nullam utilitatem, ſed etiam maximum incommodum, ſcilicet ignorantes, ſicuti reliquorum omniũ, quæ circa ægrum adminiſtrant, ita & balneorum naturam. Ego uero de uniuerſa earum ui in ſuperio ribus diſputaui pleniſſime. Nunc tantum dixiſſe eſt ſatis quibuſdam prorſus nihil nociturum balneum: quibuſdam minus, quàm cataplaſmata. Quod enim in præcordijs relaxantia (quæ iſti uocant) præſidia C faciunt, id balneum in toto efficit corpore. Eoq;, cum in remiſſionibus febris adhibetur, corpore iam mediocriter tranſpirante, non exiguum affert commodum, omnia ex eo tum fuliginoſa excrementa, tum tumida educens. Et, ſi quidem nullius uiſceris imbecillitas ſubſit, proficiet ægrotanti: ſi tamẽ hor ror inter exhibendum non incidit. Tribus enim his in balneo, quod in quacunq; febri adhibebis, intẽ tus ſis, oportet: Vni, quòd citra horrorem ſit adminiſtratum: Secundo, quòd nullum primæ notæ uiſcus ſit imbecillum: Tertio, quòd multitudo crudorum humorum in primis uenis non contineatur. Horror nanq; (ut prius dictum eſt) non ſolum intendere iam præſentem febrem poteſt, ſed etiam, cũ non fuit, eam interim excitare. Partes uero imbecillæ liquatos iam humores magis recipiunt, quàm ante, quàm liquarentur. Crudorum uero humorum copia in totum corpus digeritur. Horum ſi nihil obſtet, ex bal neis duo hæc ægro compendia accedant, & quòd redundantiæ humorum aliquid uacuabitur: & quòd multum febrilis caloris tranſpirabit. Quòd ſi, præter quàm quòd nulla princeps pars imbecilla ſit, etiã inferioris notæ partium aliqua ſit inualida, ueluti podagricis pedes, & ijs, qui articulari uitio laborant (Arthriticos Græci uocant) uniuerſi corporis articuli, maxima ſalutis pars ægro ex balneo comparabi tur, ipſis infirmis partibus quæ ſuperuacua ſunt, excipientibus. Aſſolent enim non nunquã & citra bal neum ſuperuacanea in partes infirmas confluere. A balneo uero magis, utpote tum ſuccis ipſis per id D liquatis, tum uiis, per quas meent, patefactis. Ambo enim hæc ex moderato calore proueniant, neceſſe eſt, tum ut humores liquentur, tum uiæ dilatentur. Proinde fit, ut, cum iecur, uentriculus, pulmones, pe ctus, uel principum id genus partium aliquod imbecillũ ſit, maxime lædantur, quicunq; ſe lauerint, ſi il lis ſuperuacua in corpore ſint, ijdemq; ipſi cataplaſmate uſi, duplex incõmodum ſentiant, nullo commo do. Quippe balneum tum corpus totũ uacuat, tum, quod fumidum eſt ac fuliginoſum, digerit: Relaxan tia cataplaſmata, ac ſimilis facultatis perfuſiones, ut nihil horum bonorum afferunt, ſic ſuperuacuum omne ad imbecillius, quodcunq; id circa medium corpus ſit, contrahunt, ſiue iecur id, ſiue uentriculus, ſiue ſeptum tranſuerſum, ſiue meſenterion, ſiue ieiunum, ſiue colon, renesve ſit. Quòd ſi diligentiam o ſtentare uolentes, etiam pectus unà excalfaciant, uel in ipſum, uel etiam in cor, uel in pulmonem ſu perflua rapient. Voco imbecillam partem, uel quæ natura eſt intemperatior: (alij nanq; alia ſic ſe ha bet) uel quæ ex præcedente aliquo morbo intemperiem contraxit: uel quæ in præſenti tempore in hãc ſit perducta. Non enim partium omnium, quæ aut phlegmone laborant, aut putreſcentes humores, aut obſtructiones continent, uirtus ſtatim infirma eſt: promptius tamen in ijs quoq; ſuperuacuum, qua lecunq; id ſit, in ægram partem propter calorem, quem affectus excitat, fertur. Quippe particula, quã obſtructio, aut putredo, aut phlegmone obſedit, febris ipſius ueluti focus eſt. Ergo, cũ huic propter ca lorem ſua ſponte trahẽti alia quæpiã occaſio extrinſecus ex ijs, q̃ poteſtate excalfaciãt, acceſſit, neceſſe

eſt

eſt affectum intendi. At uero, ſiquis,uti prædictum eſt,toto corpore prius uacuato, relaxãtibus curet, E ubi ſcilicet maxima febris non adeſt,utiq; prodeſſe aliquando poteſt. Tum uero,ceu dictum etiam eſt, lauare citra noxam licet. Cauendum tamen a frigido ſolio his eſt:quando & crudi & putreſcentes ſucci,† [minus apti ad exhalandum] redduntur,ſiquis in eo moretur. Sane officit ijs etiam, ſi aqua admodum ſit frigida: quando ſic affectorum tum corpus, tum uel maxime afflicta particula diſſlari euaporariq; poſtulat. Quo fit,ut uel perfundere illos aqua idonea ſoleamus:uel, ſi moderate,quæ in natatione eſt,frigeat, ingredi permiſſos celeriter exire iubere. In progreſſu tamen morbi,quo tempore & abſumpta iam ſuperuacua ſunt,& tum cruda tum putreſcentia concocta,& cataplaſmatis relaxantibus,& balneis ſine periculo utare.

† Al. δύσπεπτοι. i. minus apti ad concoctionem.

Quo pacto ratio uictus, æſtimato initio ac febris uigore, ſtatuenda ſit. Cap. 21.

PORrò aptiſſimum in febribus,quæ intermittunt,& repetunt,tempus eſt,cum,uti dictum eſt,exhalare iam cœperit febrilis calor. Statim enim corpus ad nutrimentum præparat, huius quoq; opportuno tempore ex duplici coniectato reſpectu, nempe ſummo præcedentis acceſſionis uigore, & futuræ principio. Ad hæc nanq; ſpectantes operam dabimus, ut quàm longiſſime ab utroque nutriamus. Ergo,ſi ſpatium, quod inter ſummum prioris acceſſionis uigorem, & ſequentis principium interuenit, ſatis ſit amplum, facile eſt idoneum tempus inuenire: Sin exiguum id fuerit, alterum facias, neceſſe F eſt,ut aut ægrum admodum adhuc calentem nutrias,aut ſequentis acceſſionis inuaſione iamiam affutura. Quo magis præſagio medici eiuſmodi febris indiget, qui primis ſtatim diebus,quanto ſpatio duratura febris ſit,conijciet. Quippe,ſi *continens fuerit, conſtat breui finiendam. Si itaq; ultra ſeptimũ progreſſura non uidebitur, prorſus continendus a cibo æger eſt:vtiq; ſi uirtutem non defecturã conijcimus. Sin ad nonum,aut undecimum,aut quartumdecimum uſq; progreſſura uidetur,aut etiam in ſeptimo finienda,ceterum æger uires infirmiores habere,quàm ut in tantum tempus ſufficiat, neceſſum erit nutrire:ac deligere,ſicut in re ancipiti conuenit,quod minus ſit noxium,diſtinguendo id diſcernendoque ab eo,quod magis ſit nociturum,idque tum ex loco afflicto unà cum affectu, tum acceſſionis & principij & ſummi etiam uigoris *conſuetudine. Siquidem,ubi uel iecur uel uentriculum phlegmone prehendit,pernicioſiſſimum eſt ante acceſſionem cibare:Vbi hæc abeſt, quibus infirma eſt uirtus,utiliſſimum. Aſſolent enim eos,qui ita ſe habent, iecinore quidem afflicto, alui deiectiones unà cum acceſſionibus inuadere: ore autem uentriculi uexato,ſyncope. In alijs uero animalis inſtrumentis, quod iã dictis portione reſpondeat,tum ex ſitus eorum ratione, tum dignitatis æſtimabis. Ageturque de ipſis poſtmodum. At ſummi uigoris & acceſſionis principij morem ſic conſideres, cenſeo. In ſummo uigore notabis,an citra magnitudinem febrilis caloris ſiccus ſit & ſquallens,an citra ſquallorẽ urens. Prio- G rem nanq; humectante uictu madefacere quàm primum oportet:In ſecundo,dum plurimum caloris ſe remittat,expectare. In principij uero acceſſionis more æſtimabis, an corporis extrema perfrigeret, & magnam ſanguinis reuocationem ad interiora corporis faciat: an omnino corpus non premat: Quippe ſecundum hoc, ceu facile manſuetumve,contemnes: In priore diſtinguas, oportet. Nam ſi abſque uiſceris phlegmone, aut ſuccorum redundantia, motus ad interiora in acceſſionibus pollet, nihil offendes paulo ante cibans: Sin uel phlegmone, uel redundantia ſubſit, cauenda eſt ante acceſſionem cibatio, ceu res maxime noxia.

A.l.4.f.1.t.2. c.8.p.779.b.

* συνεχής.i.cõtinua, eſt in codic.græcis. σύνοχος legit Linacer.

* ἤθει.i.more, quemadmodũ inferius uertit.

GALENI METHODI MEDENDI, ID EST DE MORBIS CVRANDIS, LIBER DVODECIMVS.

ARGVMENTVM LIBRI. H

Symptomata, quæcunque inſigniora ſunt ad euertendas uires, ac cum febribus inuadunt, curare docet.

Quo pacto aduerſus ſymptomata pugnandum pro ratione noxæ, quam uiribus inferunt. Cap. 1.

NON ſunt, ſicut non nulli autumant, eæ,quæ cum ſymptomatis conſiſtunt, febres, aut febrium genus ullum,aut ſpecies differentiave: ſed,ueluti tum alius morbus alij morbo, tum ſymptoma ſymptomati uno tempore, eodem in corpore copulatur, ſic & cum febre incidunt quædam grauiora ſymptomata,quibus proſpici maiore medentis ſolicitudine debet. Nam de leuioribus,quæ febrium generationi neceſſario ſuccedunt, adeo omnino non meminerunt, ut etiam, ceu prorſus non ſint, innominata ea reliquerint. At, quæ uel rarenter febricitantibus incidunt,uel communem magnitudinem excedunt, ſeorſum ab alijs

A ab alijs tradenda cenſent. Sunt porrò eorum primæ differentiæ tres. Aut enim in actionũ offenſa conſiſtunt: aut in retentorum uacuatorumve immodico exceſſu: aut corporum ipſorum affectu. Quartum enim genus numerandum inter ſymptomata non eſt, etiam ſi inter ſymptomata quàm maxime non pauci id poſuere, ſicut eryſipelata, ophthalmias, ulcera, parotidas, reliquaq; id genus. Ex prædictis uero tribus actionum quidem offenſæ ſi contriſtant,ſolicitudinem medici ad ſe conuertunt, affectumque deſerere cogunt. Idem faciunt & eorum, quæ retinentur uel expelluntur,exceſſus. At genus ſymptomatum,quod in affectibus conſiſtit,alterius quidem, quem curare oportet, affectus eſt ſignum: ipſum tamen nullam ſeorſum curationem exigit, utpote cum affectu, unde naſcitur, unà ceſſans. Vt enim in ſumma dicam, nullum ſymptoma, qua ſymptoma eſt, nec curationis rationem indicat,nec primum immutat. Monſtratum enim eſt ex morbis ipſis curationis indicationem præſtari, ueluti ex cauſis ipſis prouidentiæ. Dictum præterea eſt, & quomodo prouiſio ipſa cum medendo ſimul ſit miſta. Ex accidenti tamen ſymptomata quoque curandi rationem aliquando mutant, cauſæ ſcilicet locum eo tempore habentia. Eorum omnium,cum,ueluti cauſæ, curationem immutant, unum caput eſt. Dico id unum læſionem,ſiue ea ipſius uirtutis ſit,ſiue affectionis:quando,ſi nihil iis officiant,curationem non interpellant. Lædunt autem uires uigiliæ, dolor,& immodica uacuatio. Affectui uero eadem non uti-B que ſemper, ceterum magna ex parte nocent, ac potiſſimum cum fuerint immodica. Ob hæc igitur ſola, curandi ratione, quam ab initio inſtitueramus, ad præſens mutata, ſymptoma ſubmouere primum cogimur. Ergo,ſi reſoluantur uires, non tamen uehementer ſunt iam reſolutæ, ſed adhuc reſiſtunt, ad ſymptoma tantum ſumus attenti, atq; id, quàm primum ſubmouere maturamus. Sin iam reſolutæ uehementer uires ſunt, non modo ſymptoma ſedare,ſed etiam illas firmare properamus. Quòd ſi uno remedio tum ſymptoma leniri, tum morbus curari queat, id utique non fuerit ſymptoma reſpicere, aut ſymptomatis cauſa remedia ſumere: ſed omnis eiuſmodi auxiliorum ſpecies plane morbi curatio eſt. Neq; enim,cum lateris dolorem in pleuritide, miſſo ſanguine,uel corpore purgato,ſanamus:nec,cum abſceſſum diſtentum & cum dolore pulſantem diuidimus, ac pus emittimus,eiuſmodi curatio ſymptomatis eſt, ſed cum, exempli gratia, in dyſentericorum deiectionibus,ubi uehementer rodunt,uel tragi ſuccum, uel hircinum ſeuum, uel roſaceum ceratum per inferius indimus: quibus utique præſidijs ipſa exulceratio inteſtinorum non ſanatur, maxime ſi putredinoſum aliquid habeant: ſed uires interim conquieſcunt. Atque id eſt contra ſymptoma inſtare, morbo ad id tempus neglecto. Quippe, ubi uirium roboris fiducia eſt, adeo nunquam contra ſymptoma pugnamus, ut contra prorſus per ea non nunquam præſidia, quæ dolorem afferunt,morbos ipſos curemus: ueluti profecto dyſenteriæ ipſi mor-C dentibus maxime medicamentis tum potiſſimum medemur,cum utique eſt grauiſſima. Quippe medicus quidam quinquagenarius, cum iam ſeptimam noctem ægrotaret, nec uiribus admodum ualentibus eſſet, dolore illi capitis uehementi in dextro potiſſimum tempore oborto, non expectans, dum amicorum quiſpiam ad ſe ueniret, ſibi ipſi nocte uenam incidit. Itaque dolor illi protinus conquieuit: ceterum longo tempore tum decolor, tum uiribus imbecillis, tum exilis manſit, alique corpus eius deſijt (Atrophian Græci uocant) ſic, ut uix priſtinum habitum receperit. Eſt porrò hic quoque duplex medicorum contra dolorem inſtantium ratio: Altera, qua delicijs cubantium ſubſcribunt:altera ex artis ratione. Quippe, ſi licet ægrum doloribus obnitentem ualentibus remedijs uno die perſanari, qui tota neglecta curatione dolori tantum eſt intentus, non id ex artis ratione, ſed in ægrotantis gratiam facit. At, ſi ex dolore uires reſoluuntur, atque ex eo periculum impendet, & mitigari dolor, & roborari uires debebunt: quo & morbo reſiſtere,& curationis ſpatio ſufficere ualeant. Equidem noui quoſdam tum medicos, tum ægros, qui, dum animoſi uideri uolebant, ob id ipſum perierunt,quòd fortiter ac uiriliter contra dolorem ſemper ſunt renixi,nec,quod eum leniret, quicquam ceperunt,ſed in aſperis & (ut ipſi interpretabantur) affectum deſtruentibus auxilijs perſeuerarunt. Quos ſane ſpatio longiore curatos eſſe ſatius fuiſſet, quàm breui uiriliter mori. Quidam autem (ut ſibi eſt uiſus) generoſe D dyſentericos uehementiſſimo medicamento curans, multos uno ſanauit die,quoſdam uero iugulauit. Erat nanq; eius medicandi ratio eiuſmodi. Cæpas id genus,quod Græci Carton uocant,uno die comedendas cum pane dabat, tum potum parcum: poſtridie mane muriam acerrimam per inferiora infundebat:ſecundum hanc etiam pharmacum ualidum. His igitur tolerandis quicunq; ſufficere potuerunt, prorſus ſunt ſanati: aliqui uero conuulſione,aut animæ ex dolore defectu unà cum madore cutis oborto interiere. Eſto igitur terminus in ægrotantibus,quem non tranſibit is, qui ex arte generoſe contra morbum pugnat,ut tuto medicetur:Ei uero,qui dolorẽ mitigat, ut uires cuſtodiat: Vbi ultra pergitur, *crudelis hoĩs officiũ facit,qui unà cum morbo uitam quoq; homini aufert:Qui uero cubantis delicijs ſubſcribit,eiusq; uoluptatem non ſanitatẽ pro meta gerendorum habet,adulatoris. Committunt medici eiuſmodi exceſſus cum in alijs quoq; remediorũ generibus non paucis,tum uel maxime in ijs uocatis anodynis,quæ ex papaueris ſucco,uel alterci ſemine,uel mãdragoræ radice,uel ſtyrace,uel tali quopiam fiunt. Nam,& qui ęgris gratificantur,in eorũ medicamentorũ uſu modum excedunt:& qui intempeſtiue immodiceq; ſunt animoſi,dum prorſus horum uſum refugiunt,doloribus ægros iugulãt. Ergo, ueluti in omni totius uitæ tum habitudine,tũ actione,ita hic quoq; conſiliũ illud ſapientis,qui,Nequid nimis,dixit,cõplectemur,habentes pro fine, quo tendamus, cubantis utilitatem. Quippe, ſi fas eſt ijs remedijs,quæ morbum ſanent, utendo, quod optamus, efficere, abſtinendum ab ſopientibus medi-

A.l.3.f.1.t.1. c.1.p.347.c.

* σκαιοῦ

camentis est, quæ uocant Anodyna. Sin ex uigilijs, & uiribus resoluendis, ad mortis discrimen æger E tendat, tum profecto tempestiue eiusmodi medicamentis utare, scilicet non ignarus corporis habitum non nihil ex his lædendum, læsionem tamen, quàm mortem, potius eligendam. Nam, si hæc admodum magna non sit, saltem postea spatio longiore eam sarcire licebit. Sin ita est immodica, ut nec prolixo spatio persanari queat, at certe hanc ipsam eligendam potius remur, quàm ut homo pereat. Hac nimirum persuasione ipse quoq;, tametsi omnium maxime ab usu grauiter sopientiũ abhorrens, aliquãdo tamen ea & colicis exhibeo,& ijs,qui uel oculorũ,uel auriũ,uel aliarũ partiũ uehementissimo dolore cruciantẽ. Interim uero,& cum æger ex tenui destillatione,uigilijs,& uehementi tussi urgeẽ,pauxillulum eiusmodi medicamenti offero,facile noxam eius,siquis semel est usus, spatio emendatũ iri ratus. Porrò dissident inter se ipsa medicamenta. Quippe, quæ plurimum sopientum in se habent, ea ad præsens quidem magis sunt efficacia, ceterum ualentem, & remedijs rebellem in ægrotantis corpore frigiditatem relinquunt: Quæ horum in se habent minus, calfacientiũ uero sibi admistorum plurimũ, ea,quanto sunt ad præsens minus efficacia, tanto in futurum minus sunt noxia. Omnia tamen id genus magis sunt salubria, si post annum a compositione sumantur, ueluti quod ad Philonem referunt auctorẽ: quod ad dolores sedandos sensum stupefaciendo nullo minus est celebre. Sunt sane & alia medicamenta non pauca ex seminibus confecta, græce Diaspermaton & Trigona nominata, quæ, si- F cut ad torporem in præsens inducendũ mitiora,ita in futurũ sunt tutiora: atq; hæc quoq; oĩa utilius annotina sumuntur. Philonis uero medicamen,etiam si duorũ,trium ve,aut quatuor annorũ sit,multo sane est melius,sed nec inutile tamen sequentibus annis ad decimũ usq;. Quod .n. ultra inueterauit,tanto quidẽ est minus noxiũ,quanto est uetustius: ceterũ languidis est uiribus,eoq; parũ nauiter,cuius gratia paratũ est,perficit. Ergo,sicuti cauendus est,quoad fieri potest,eiusmodi medicamentorũ usus, ita, si necessitas urget,nec admodũ noua sunt offerenda, ꝙ frigida,quæ in his sunt,præualentes uires adhuc habeant: nec ita antiqua, ut spem nostrã frustrentur: sed,uti cõprehensum est,tandiu dimittenda sunt, quoad uiolentia refrigerantium,ab eorũ, quæ calefaciunt, ui mitigetur. Et talium quidem medicamẽtorum usus,eorũ,qui aduersus symptoma pugnant, est proprius, potissimum ubi ex frigida causa dolor est excitatus: obsunt enim talia plurimum toti affectui, ac curationi contumacem eum reddunt.

A.l.1.f.4.c. 28.p.157.B

Inter remedia quædam unà cum affectu, cui adhibentur, quædam seorsum symptomata curare. Cap. 2.

AT sanguinis missio,quæ scilicet uires non deijcit, symptoma spectantis medici, opus non est, sed eius, qui totum affectum adimere studet. Ad eundem modum & balneum,& purgatio,& fomẽta calida,& uini potio. Quorum omnium Hippocrates in aphorismis, ubi de oculis dolentibus loqui- G tur,his uerbis meminit: Oculorum dolores meri potio, lauatio, fomentum calidum, uenæ sectio, uel purgatio soluit. Hæc nanq; omnia, dum affectus sanant, unà etiam cum ipsis dolores sedant. Eodem modo nutrimentum, (ut in superioribus est dictum) ubi in sicco & squallente * corpore, stomacho laborante exhibetur, dum affectum ipsum sanat, etiam syncope prehendi prohibet. At non ea, quæ ex redundantia frigidorum humorum incidit,siue exolutio,siue stomachi syncope est,alimentum ceu medicamen desiderat: quanquam etiam in eiusmodi affectibus non solum nutrimentum, sed etiam uini aliquid non raro ægrotanti dare cogimur,non utiq; quo affectum curemus, sed quo periculum in præsens depellamus. Quippe uacuatio potius,quàm adiectio,est hoc genere laborantium curatio. Licetq; quotidie uidere sic ægrotantium plurimos, medicorum ignorantia perditos. De quibus agere nunc mihi tempestiuum uidetur.

" "
* Al. νοσήματι .i. morbo.

Dẽ curandis ijs, qui ex summa crudorum succorum copia febricitantes, syncope facillime corripiuntur. Cap. 3.

ERgo febricitare incipiunt non nulli, ubi maximam crudorũ succorum copiam unà cum oris uentriculi (quod sane stomachum uocant,) offensione, uel ex cruditatibus, uel alia quapiam occasione congesserunt. His & præcordia inflata, & totum corpus ampliore mole, quàm pro naturæ mo- H do,cernitur: tum color alijs quidem ad albidius,quàm pro naturali habitu, & † [intercute aqua laborantium magis simile,] est mutatus: non nullis etiã ad nigrius,aut liuidius: quos quidem medici plumbei coloris appellant. Omnibus pulsus minores sunt,quàm pro caloris ratione: præterea obscuri omninoq; inæquales: sæpe ea inæqualitate,quã Systematicen Græci uocant: semper uero ea, quæ in uno est ictu. Nulli taliũ sanguis mitti sine maximo dispendio solet,cum tamen uacuationẽ desiderent: uerũ nec sanguinis missionẽ,nec purgationẽ sustinent,utpote quos sine his syncope subito adoritur. Quænã igitur est ratio talibus medendi,qui,cum uacuari postulent,uacuantia præsidia non ferunt? Sane nullam aliam his [idoneam] uacuationẽ inueni,præter eam,quæ ex frictione paratur. Incipere uero in principio statim morbi oportet,ac primũ a cruribus,superne deorsum,idq; linteis non admodũ mollibus,sed aspredinis mediocre quid habentibus. Debet .n. radi ab his cutis,cum simul & calefieri per eam & digeri ægrotus postulet. Dehinc tota brachia,ab humeris usq;, superne deorsum simili modo sunt fricanda. Vbi uero artus omnes abunde calere uidebuntur, & metus fuerit, nequis ex multitudine frictionis contusa iam carne, lassitudinis sensus ipsis superueniat, oleo relaxante uteris: quod genus est Sabinum, ab adstringente uero abstinebis: cuiusmodi Hispanum est, Histricumque, & quod unà cum * germinibus uel ex oliua adhuc immatura conficitur. Hyems uero si fuerit, nihilo deterius

A.l.4.f.1.T. 2.c.52.p.79. F
† ὑδαλεώτερον .i. aquosius.
A. ibidem.
* libro superiore uertit frondes.

A terius fit, si ad digerentium aliquod transieris: cuiusmodi Sicyonium est, aut quod cum chamæmelo componitur, [aut] quod apud Aegyptios est in pretio. Quòd si, horum copia non sit, oportebit accepto relaxantium oleorum aliquo, & in quo nulla sit adstrictio, potissimumque quod est antiquius, immittere ipsi anethi, quod uidebitur satis. Mox, (ut ipsi solemus) ubi in uase duplici tantisper calfeceris, dum mediocriter qualitatem herbæ imbiberit, ungere hoc artus, & fricare tunc quoq; quàm plurimum debebis: postea oleum, quoniam tædium afferat, detergere, atq; ad spinam dorsi transire, hancq; totam pariter fricare, primum sicca frictione, post oleo. Ab hac rursus ad crura te conferes, & ab his ad brachia, exin denuo ad spinam, ita totum agens diem in domo puræ lucis, nec madente. Esto eius domus & calor media temperie. Sane mulsa, in qua coctum hyssopum fuit, his est aptissima. Seruandumq;, ne uel cibum, uel sorbitionem, uel aquam exhibeas, uel omnino liberaliter bibere sinas, nisi mulsa tribus primis diebus dumtaxat uti, ipse, quas dixi, partes ordine fricans, eoq; solum tempore intermittens,quo somnus hominem occupauerit. Ad quem etiam alliciendum,& frictio uberior facit: itaq; uel hoc nomine utile præsidium fuerit,nedum quòd uacuet. At uero nec uberior somnus his est salutaris: cum nec crudos succos digeri sinat, & uiscera grauiora reddat. Sed, siquis alius affectus est,qui somnum & uigilias modicas desideret, hic profecto in his est. Quippe somnus conco- B quit: Vigiliæ digerunt. Quorum utroq; est opus ijs, qui ex multitudine crudorum succorum ægrotãt. Ergo inuicem mediocriter adhibiti, iuuare se mutuo utiliter poterunt. Atq;, si pulsus his paruus admodum infirmusq; sit, aut etiam supra hæc uehementer inæqualis, scire licet extremum periculum esse: facienda tamen nobis, quæ retuli sunt, nec aliud quicquam moliendum. Sin pulsus robore mediocri sit ac magnitudine,præterea minime intercisus,& æqualis,considera,quæ ad aluum spectant: ac si sua sponte commode non deijciat,audacter per inferius aliquid infundes. Accidit nanque post aquã mulsam, ut, quæ in primis uenis, quæ scilicet circa iecur & mesenterium sunt, colligi superuacua solent, hac commode deijciantur. Quòd si maior iusto superfluorum impetus ad aluum citeẽ, principio quidem percoquere mulsam amplius oportebit: Ea nanque, sicut minus aluum subducit,ita magis nutrit: Contra cruda, ut minus nutrit, sic magis subducit. Post hæc, si superuacua largius descendant, ne sic quidem sistenda, sed exhibendus pro aqua mulsa ptissanæ cremor est. Si uero fluere pergant, alicæ sorbitione nutries, pulsuum interim ratione obseruata. Aliquando enim subito ad imbecillitatem, uel inæqualitatem, uel paruitatem mutantur. Quo tempore panem ex uino diluto exhibere conueniet, utiq;, si nec uentriculus, nec iecur phlegmone laboret: quando, si hac infestentur iam corpore crudis succis referto, plane desperata salus ægro est, pulsibus sic mutatis. Ergo in eiusmodi ægri casu C te ipsum a culpa immunem præstabis,si moriturum prędixeris,ac nullo generosiore medicamento usus fueris. Quibus uero spes est salutis (est autem omnibus, qui ita citra phlegmonen ægrotant) maximum medico, qui utiq; ipsos in principio susceperit, uidetur mihi dedecus esse,si in syncopen inciderint: quanquam per inscitiam medicorum quotidie id fieri cernitur. Verum non est,quòd hos spectemus, aut cum his nosmet conferamus, sed cum eo, qui, cum re uera peritus in arte sit, fœdum putet ægrum † [animo extemplo linqui,] ipso nec symptoma prædicente, nec ad id præparato, aut idem prohibente. Sane dictũ a me etiam in superioribus est,qui cataplasmatis & perfusionibus assidue præcordia uexant, ipsos in eiusmodi affectibus phlegmonas accersere. Minime igitur est his utendũ prius, quàm superuacua magna ex parte partim uacuata sint, partim concocta: tum uero etiam his utaris, licet, non tamen dumtaxat relaxans, sed ex absinthio mediocriter perfundens: si tamen febris non plane sit magna. Si uero medicanti tibi tres primos dies, ut dictum est, nihil occurrat incommodum, ijsdem ipsis uteris usq; ad septimum, aqua dumtaxat mulsa, in qua incoctum hyssopum sit, contentus. Siquidem longissimam, qui ita sunt affecti, cibi abstinentiam ferunt,corpore scilicet ex crudis ipsis,quos continet,succis concoquendis alto. Quòd si non modo crudi succi sint,sed etiam eo corruptionis peruenerint, ut concoqui ad perfectionem non queant, qui sic ægrotant, eorum desperata est saD lus. Sed qui,si nullus præsertim committatur error, seruari possunt, ij aqua solũ mulsa ad septimum usq; sunt nutriendi: aut, sicubi id res exigat,uel aluo fluente, uel ægro mulsam fastidiente, ad ptissanæ cremorem est transeundum. Sin hunc quoq; auersetur,alica ad eundem,quo ptissana,modum ei præparabitur. Neq; enim ijs, qui ita sunt affecti,acetum incommodum est: immo, sicubi crudos affatim succos esse animaduerteris, oxymeli pro mulsa exhibere assidue debebis. Quòd si huius assiduus usus tædio esse cœperit, transire inuicem ad mulsam & ptissanam conueniet: dein rursus ad oxymeli reuerti. Maxime uero, quibus tum paruus, tum tardus ac rarus pulsus est, ijs frigidos subesse succos putandum. Iisdem protinus & color uitiatus in toto corpore manifeste cernitur; qualis nimirum prius est traditus. Sed fieri fortasse, quod dictum est,non posse cuipiam uideatur, cum nulli febricitantium aut tardior, aut rarior pulsus fiat. Ceterum duplici ratione uerum esse, quod dictum est, comperietur: Vna, quòd euidenter in accessionibus appareat & tardiores & rariores,quàm pro naturali ipsorum habitu,pulsus fieri: Altera, ꝙ reliquis præter accessionẽ temporibus, horum arteriæ tum rarius, tum tardius, q̃ aliorum quorumuis qualitercunq; febricitantiũ,pulsant. Ergo,si æstas sit,& æger frigidæ potioni assuetus, frigidũ huic oxymeli dabis: Sin hyems sit,omnibus calidũ,tum ijs,qui calidæ, tum ijs, qui frigidæ insueuerũt,offeres,æque ut,si immodicus æstatis tempore æstus sit, etiam ijs, qui calidæ assueti sunt, frigidum: utique si nullum sit ijs uiscus ad iniuriam opportunum. Sane propositis aduersissima

A. ibidem.
A. ibidem.
† Syncope ex templo deprehendi. Inter syncopen aũt &lipopsychiã differentia est ut inferius patebit cap. 5.

ſunt tum balneum, tum aer ambiens, quoties uel nimium calidus eſt, uel frigidus. Itaq; ut lauandi hi E A.l.1.f.4.c.3. F.p.156
non ſunt, ſic & reclinandi in domo ſunt, æſtate quidem, quæ frigeat: hyeme, quæ caleat. Læduntur nanq; non parum ab utroq; exceſſu, uidelicet in balneo, æſtate, & omni caloris incremento crudis humoribus liquatis, ac per omnes corporis partes fluentibus ita, ut metuendum ſit, ne ad pulmones & cor ferantur: aliquando etiam ne ad cerebrum ſubeant: cum longe præſtet, ut circa iecur & primas uenas adhuc ipſis ſubſiſtant. In domo uero immodice frigida, & hyeme, & deniq; ambiente frigido ſucci, qui crudi ſunt, & inepti ad concoquendum manent, & iecinoris obſtructiones, ſi leues ſunt, augét ſi nullæ ſunt, eas craſſitudine ſua hærentes impactiq; creant. atq; hæc quidem agenda ſunt, ubi a primo die ipſe curationem ſuſceperis. Si autem ad eos, quos ſyncope iam premit, ſis accitus, ſi ea, quæ A.l. 1.f.4.c. 20.p.145.E
retuli, loca phlegmone uacent, panem exhibebis non multum, huncq; ex uino aliquo, quod celeré in corpus digeſtionem adiuuet, ſtatimq; ad frictiones uenies: quas etiam pro tradito iam modo admiſtrabis. Ac, ſiquidem æſtas ſit, & regio naturaliter calens & æſtuans, aut ſtatus cæli uehementer calidus, cum frigida uinum dabis: ſi nihil eiuſmodi ſit, cum calida. Quæ tamen ſecundo & tertio dabitur potio, omnino calidam exhibendam curabis. Quippe ad uniuerſam eam curationem, cuius gratia frictiones adhibuimus, calidum præſtat, utpote crudorum ſuccorum concoctionem adiuuans.

De curanda ſyncope, quę oritur ex flaua bile, ac de natura uinorum, quæ curandis ſyncopis conueniunt. Cap. 4. F

AT, quibus ex flaua bili, quæ os uentriculi infeſtet, ſyncope incidit, ijs frigida exhibenda potio eſt. Vinum tamen, quod & calidum natura ſit, & deductionem in corpus promoueat, omnibus, quos ſyncope male habet, offerre conueniet: diſtribui nanq; per corpus nutrimentum, quod ſumptum eſt, non in uentre manere uolumus. Conſtat autem ex uinis ea deligenda eſſe, quæ & flauo ſint colore, & ſubſtantia tenui, & ætate uetera: talia nimirum & boni odoris continuo fuerint. Quinetiam ipſe, ſi paululum, ubi miſta ſint, guſtes, ſenties calorẽ per totũ corpus tranſmitti. Ceterum amara præ uetuſtate uina ne ſunto, præſertim quæ ijs exhibebis, quorum ſtomachus flaua bili urgetur. Talia nanque ſimul laudabilem ac nutrientem uini ſuccum iam amiſerunt: ſimul, iniucunda cum ſint, hoc ipſo ſtomachum offendunt. Commodiſſima igitur his uina ſunt, quæ, cum naturaliter auſtera ſint, ſenſilem iam adſtringẽdi uim propter uetuſtatem non amplius exhibent: calorem tamen admodum euidentem habent: omnia enim, quæ requirimus, in ijs, quorum ſtomachus amara bili uexatur, efficient, cum & iucunde ſumantur, & tum ad concoctionem, tum ad digeſtionem in corpus etiam faciant: & ſucci uitium mitigent: & corporis habitum excalfaciant: & ſtomachum ipſum firment. Huiuſce generis uinorum optima ſunt Surrentinum, Signinum, Sabinum, Tiburtinum, Marſum, omnia quidem Italica, G
& adſtringentia, non tamen pari modo omnia. Nam Surrentinum, cum mediocriter adſtringat, tum calidius ceteris, tum iucundius eſt: Ab hoc nobile Tiburtinum: Eſt enim & aliud quoddam imbecillum Tiburtinum: quod etiam, ſicut Sabinum, leuiter poteſt adſtringere: Signinum uero auſterius eſt, ſicut etiam Signino multo magis Marſum. Hæc omnia uina ſtomacho, qui amara uexatur bili, ſalubria ſunt. Ideoq; illis utendum, quoties is uel ex ardenti febri offenſus ſyncopen attulerit, uel alias multa in eum bilis fluxerit, uel multam imbiberit. Quibus tamen ex crudis humoribus ſyncopes periculum imminet, ſane Falernum tanto iam memoratis præſtat, quanto tum melioris eſt ſucci, tum etiã calidius: utpote quod & uelocius illis per corpus digeretur, & crudis ſuccis concoquendis auxilio erit. Quæ cum dictorum ſingula, aliud magis, aliud minus, faciant, omnia tamen Falerna magis ſtomachum roborant. At, quoniam ipſorum Falernorum aliud dulce admodum eſt, (quod Fauſtianum uocant): aliud, ſi cum hoc conferas, auſterum: ſi cum Signino & Marſo, dulce, deligendum ad talia ſecundũ eſt. Si uero cubans per ſanitatem dulcibus uinis inſueuit, huic nihil prohibet dulcius Falernũ exhibere. Verum in Aſia, & Græcia, & nationibus, quæ his ſunt uicinæ, ubi copia iam dictorum uinorum aliquando non eſt, ex ijs, quæ illæ regiones ſuppeditant, aptiſſima ad digeſtionem in corpus ſunt Ariuſium & Lesbium: Hoc quidem, ueluti ex ipſo nomine patet, in Lesbo natum: Ariuſium locis qui H
buſdam in Chio prouenit. Cum uero tria ſint in Lesbo oppida, minus certe tum odorum, tum dulce in Mitylene gignitur: magis & odoratum & dulce in Ereſſo, dein in Methymna. Porrò ſumenda ex his † [quæ aparachyta ſunt: ita enim nominant ea,] quibus marina aqua admiſta non eſt, ratis maximum futurum incommodum ex ijs, quibus eſt admiſta. Alioqui nec aſſolent in Lesbo nobilibus uinis, de quibus nunc agitur, marinam aquam immittere: ueluti nec Ariuſio in Chio. Prouenit & in Helleſpõti Myſia uinum Surrentino non abſimile: *Myſinum per eminentiam uocant. Hæc omnia uina flaua & odora ſunt, & conſiſtentia, quæ inter aquoſa craſſaq; ſit media. Aquoſæ porrò conſiſtentiæ ſunt Adrianum, & Sabinum, & Albanum, & Gaurianum, & Thuſcum, & Neapolitanum Aminæum, quod ſcilicet in locis Neapoli uicinis gignitur: unde etiam ita id nominant. In Aſia uero & Tibecinum, & Ticatazenum, & tertium ab ijs Arſyinum. Contra uero craſſa ſunt, ueluti Siræon, ideſt ſapa, quod apud nos hepſema nominant, & Scybellites, & Theræum, & Albates. In Aſia uero Aegeates, et Perperinum. Ergo, quibus ex abundantia crudorum humorum ſyncope incidit, ijs craſſa uina ceu noxia, aquoſa ceu parum efficacia, ſunt fugienda. Deligenda uero eorum ſunt media, quæque, ut prædictum eſt, flaua ſint & calida. Neque enim inuenias ex albo uinorum genere calidum ullum: quãdo etiam auſtera, & mediocriter alba, cum inueterauerint, fuluiora quodammodo reddantur. Quòd ſi aliter

† Hæc erant in cod. græci

* Al. Myſium

A ſi aliter nominare fuluum colorem uelis, licet, uoces igneum pallens. Quotquot autem in ipſis calidiſſimã ſunt, omnia certe flaua ſunt: cuiuſmodi in Italia eſt Cęcubum. Quod etiã unum quoddam genus eiuſmodi uinorum ab initio, ſicut aliqui putant, non eſt, uerum ex uetuſtate eo peruenit, ut igneum colorem contrahat: unde ipſum quoq; nomen eſt ſortitum. Non tamen eo omnia peruenium: cum prius craſſentur, quàm in perlucido flauorem accipiant. Reliquorum uini generum, auſterorum, quæ mediocriter alba craſſaq; ſunt, certe nullum ad digeſtionem in corpus eſt idoneum. Si tamen abunde inueterauerint, nec aliorum copia ſit, uti illis licebit. Sunt uero eiuſmodi omnia, cum inueterauerint, ſtomacho utilia. Quo uero habeas horum quoq; exemplum, tum eius, quod ex Nicomedia affertur, memineris, uelim, quod omnibus hominibus eſt notum: tum Siculi Aminæi, quod in magnis reponitur fictilibus. Quod enim in paruis ſeruatur lagunculis, maxime huic eſt contrarium, cum & malum ſtomacho ſit, & capitis dolorem excitet. Ac ſemper quidem eſt id agendum, ut optimum eligas. Si id non eſt, quod illi pro iam comprehenſis notis eſt quàm ſimillimum. Aptiſſima nanq; ad deductionem in corpus ſunt Ariuſium, & Lesbium. Sed, ſi ea deſint, ſimusq; in Aſia, aut Aphrodiſienſe petemus, aut auſterum Tmoliten, aut aliquod his ſimilium, quod & colore ſit fuluum, & ilico, cum bibitur, manifeſte excalfaciat. Conſiderandum uero ante omnia eſt, qualisnam ægrotantis natura ſit. Nam, ſi
B imbecillum illi caput eſt, & quod facile calidis uinis impleatur, quæ minus calida ſint, potius ſunt offerenda: Sin firmo admodum capite eſt, & talibus uinis delectatur, aut etiam citra noxam ea ferre eſt ſolitus, haud timide his utetur. Porrò uina, quæ odora fuluaq; ſunt, quantum ex ipſorum eſt natura, omnia caput grauant. Eoq; tum Falernum, tum Tmolites, tum Lesbium infirmo capiti noxia ſunt. Qualis autem in Falernis tradita nobis differentia eſt, talis profecto & in Tmolitis habetur. Alterũ enim admodum eſt dulce: alterum auſterum, ſi cum illo conferatur. Calida tamen admodum ambo ſunt, eoq; caput grauantia. Auſtera uina uentriculum roborant, caputq; inter omnia uina minime tentant. Ceterum digeſtionem in corpus non promouent: quo magis fugienda tibi in ſyncope prehenſis ſunt non ſecus, quàm aqua. Habile uero ad facilem in corpus deductionem, & Hippodamantium, cum in ueterauit, eſt, ipſum quoq; ex ea ſpecie, cuius tum dulce Falernum eſt, tum uero Tmolites. Ineſt huic & adſtrictio manifeſta, quæ tamen in neutro illorum eſt. Itaq; etiam ſalubrius ſtomacho eſt. In penuria uero uini, quod accommodum utriq; ſyncopæ ſit, ei inquam, quæ ex multitudine crudi ſucci oritur, & ei, quæ ex bili incidit, coactus prorſus uino uti, fugere (ut prædiximus) oportebit omnia tum auſtera, tum noua, itemq; craſſa: deligere uero aquoſa, magisq; ſi ſint antiqua. Talia nanq;, tametſi non ualenter excalfaciunt, tamen facile in omne corpus deducuntur. Proinde, cum celeritas digeſtionis in
C corpus ſit his cum fuluis communis, differentia rurſus in his erit, quòd concoctioni, quæ uel in uentriculo, uel uenis agitur, fulua magis conducunt propterea, quòd magis excalfaciunt. Præterea * miſtibilia ſunt, & nutrientia: eoq; ad ſucci bonitatem opportuna utiliaue. Quorum omnium nihil in aquoſis uinis eſt. Minimum. n. ex horum ſubſtantia in ſanguinis mutatur ſpeciem. Sed, cum fulua caput ferant, quæ aquoſiora ſunt, nuſquã id cõtriſtant: Vrinas aũt præter cetera uina mouẽt. A quibus ſecundum locũ obtinẽt, quæcũq; fuluorũ maxime ſunt tenuia: quæ ẽt ad ſyncopas potiſſimũ ſunt deligẽda. Tardius his deducuntur in corpus, quæ fulua ſunt, & craſſa: quanquam ea quoq; auſteris omnibus magis ſunt penetrabilia. At uero nutriunt hæc magis, quàm tenuia, ac uitioſos ſuccos omniũ uinorum celerrime, bono ſanguine generando, corrigunt. Ergo inſtitutum ſermonem denuo repetamus.

* ἐπιπλαστικα.

De affectibus tum in ſpiritu, tum in partibus corporis, quibus uires læduntur, & ſyncope exoritur, remouendis. Cap. 5.

QVòd ſyncope præceps uirium lapſus ſit, id ab alijs ante me dictum eſt. Sed, cum eſſentia uiriũ, quibus regitur corpus, tum in ſpiritu, tum in ſolidorum corporum temperamento conſiſtat, hæc nobis, & ubi integra ſunt, ſeruari: & ubi † [corrupta ſunt,] ad integrum reuocari omnino debent. Ac, quemadmodum tueri ea per ſanitatem conueniat, in opere de tuenda ſanitate eſt præceptũ.

† corrumpantur.

D Quemadmodum uero & in morbis, traditum iam aliquatenus, & in præcedentibus commentarijs eſt. Non tamen adhuc res tota ad talem, qualem exigit, *contemplationem eſt perducta: nec talem methodum habuit, qualem priora. Quod igitur deeſt, id nunc adijciamus. Spiritus ſubſtantia unà cum ſolidis corporibus ſic nobis cuſtodienda in morbis ſunt, ut tum qualitate, tum quantitate, quoad fieri licet, naturaliter ſe habeant. Ac, ſi quidem ſic proſpici his poſſet, ut nec ſubſtantiæ eorum quicquam aut uacuaretur, aut prorſus immutaretur, id eſſet optimũ. Sed, quoniam in commentarijs de ſanitate tuenda oſtendimus fieri nõ poſſe, ut id generabili corpori unquã contingat, id agendum eſt, ut, quæ ſubſtantiæ portio defluit, hanc opponendo ſarciamus: quod alteraſcit, in debitã temperiem per cõtrariã alterationẽ uindicemus. Si igitur tum curatio, tum alteratio ſenſim paulatimq; fiant, etiam correctio utriuſq; ſenſim adminiſtrabitur. quod munus ad artem ſanitatis tuendæ ſpectare eſt monſtratum. Sin confertim, & ſemel ac magna aliquando uacuatio, uel etiam adiectio incidat, & morbus ita efficiatur, & medendi methodum ad eorum ſanationem requiremus. Veluti enim mutationem in non naturalẽ habitum, quæ ſenſim paulatimq; irrepit, corrigere, ſanitatis tuendæ artis ſunt partes, ita eam, quæ multa ſimul irruit, ſarcire, ad medendi peritiam ſpectat. Ergo animalis ſpiritus cerebrum ueluti fontem eſſe clare oſtendimus: qui partim ex inſpirando, partim ex eo, quod reticularis plexus ſuppeditat, irrigatur atq; alitur. Vitalis ſpiritus non æque euidens demonſtratio erat. Sed tamen in cordẽ eum & arte-

* συνόψεσ.

rijs contineri exiſtimare,alienum a ratione non eſt: eundemq; nutritum maxime quidem ex reſpiratio- E
ne,ſed tamen & ex ſanguine. Quòd ſi naturalis quoque aliquis ſpiritus eſt, utiq; his quoque in ieci-
nore & uenis continebitur. Sane dictum fuſiſſime de uirium eſſentia eſt in libris, quos de Hippocra-
tis & Platonis placitis ſcripſimus. Solidorum uero corporum ſubſtantia certa eſſe quantitate procul-
dubio deſiderat: eoq; nutrimenta mortale genus tuentur. Sed nihilo ſecius & elementa, ex quibus
componitur, mediocri eſſe temperie requirit. dictumq; ſubinde eſt, quemadmodum temperies ea ſit
tuenda. Ceterum, uirium lapſus, de quo nunc agere inſtitui, qui quidem ſolidorum corporum ſub-
ſtantiæ digerendæ ſuccedit, in longiſſimis morbis ſubinde incidit, animante ex frequenti atrophia, id
eſt nutriendi defectu, extenuato: præterea in ijs febribus acutis, quæ corpus liquant. Qui uero ex
ſubſtantiæ temperie mutata, prouenit, cum uel immodice ipſa fuerint calefacta, uel frigefacta, uel
madefacta, uel ſiccata, aut horum aliquibus copulatis affecta. Alteratio uero in ſpiritu, tum ex uitio-
ſis prouenit ſuccis, tum ex ambientis aeris malitia, qui alias alia de cauſa in hanc eſt mutatus: præte-
rea uenenatis facultatibus, aut animalium, quæ uirus eiectant, uenenis. Verum hæc a præſenti inſti-
tuto ſeponantur. Ipſius uero eſſentiæ ſpiritus corruptio, & quæ futura timetur, & quæ iam adeſt, quæ
tum ex affectu animi incidit, tum ingenti dolore, tum pluribus motibus, cuius generis & uigiliæ ſunt,
tum ex immodica eius tenuitate, & continentium eum corporum raritudine, tum uero ante hæc om- F
nia ex ipſo reſpiratu prohibito, & nutrimenti defectu,diligentius corrigi profecto poſtulat. Sunt por-
rò affectus animi, timor ſubitus & uehemens, (quem Ecplexin Græci uocant) præterea, quæ contra-
ria huic timori eſt, uoluptas maxima, Græci Pericharian uocant, quaſi exceſſum gaudij dixeris. Sci-
mus enim amborum occaſione perijſſe quoſdam. Iam reliqui quoque magni timores omnes, & cum
his maximæ uoluptates, etſi non iugulant, at certe facile reſolubilem infirmumq; ſpiritum reddunt.
Triſtitia uero, & anxietates, & ira, & cura eo genere ſunt noxiæ, quo frequentes uigiliæ, quoniam
uires reſoluant. Ac in ijs quidem omnibus ipſa per ſeipſam mouetur anima, in* corporalibus autem
actionibus ipſa corpus mouet. Reſoluitur autem eius robur utroque motuum ſuorum genere, ſi mo-
dum excedant. De laboribus uero quid attinet dicere, quo pacto & uehementius aucti quoſdam iu-
gularint, & omnes certe læſerint, tametſi non ſuſtulerunt? In omnibus eiuſmodi caſibus manifeſte ui-
dentur ægrotantes, tum animo linqui, tum uiribus reſolui: non nulli uero (ut dictum eſt) etiam mo-
ri, ſcilicet alias ſpiritu ipſo deperdito: alias alterato: aliquando ex parte digeſto: non raro hæc utra-
que perpeſſo. Tractatum autem fuſius de his eſt cum in alijs libris, tum uero in ijs, quos de Hippo-
cratis & Platonis dogmatis prodidimus. Ad rem uero propoſitam, modum, quo ſingula lædere ſunt
nata, diſquirere neceſſe non eſt, immo, quòd lædunt, ab ipſa euidentia accipere, ac eo ad uires tuen- G
das in morbis ſalubriter uti. Pari modo, & ſi ſpirituum, qui noſtrum corpus regunt, ſubſtantia aliquā-
do plus iuſto extenuata fuerit, utroq; profecto modo imbecilla fuerit, & tanquam temperie alterata,
& tanquam diſſipabilis, uel exhalabilis, uel, quocunque modo libet appellaſſe, reddita. Eadem ni-
mirum ratione, & ſi totum corpus tranſmutatum in immodicam raritudinem ſit, facile ſpirituum ſub-
ſtantia digeretur: quòd & ipſa tenuium partium ſit, & corpus eam non contineat. Ergo nec rarefa-
ciendum immodice ægrotantis corpus eſt,ſi ſpiritum retineri in ipſo ſtudes,ſed nec,quę in eo ſunt, per
comeſta & bibita ualenter extenuanda. Iam uero, quòd ipſorum quoq; ciborum ac potionum non le-
uis habenda ſit cura ad robur uirium tuendum, ut uidelicet tum quantitate modici, tum qualitate exa
cti exquiſitiq; ſint,id neminem latere arbitror: ſicut illud profecto cuiq; perſpicuum, quòd etiam ſub-
ſtantiæ,quam inſpiramus, habenda ſit cura, uti ſcilicet tum optima temperie ſit: tum ab omni inquina-
mento puriſſima, nec aliquid ex metallis, aut caminis, aut barathris ſibi admiſceat: aut aliquid ex pu-
tredine leguminum,uel olerum,uel animalium, uel cuiuſcunq; rei contrahat: aut halitus ex ſtagnis,uel
paludibus,uel fluuio recipiat. His itaq; omnibus proſpiciat, oportet, qui uires illæſas tueri uolet. Ad
hæc etiam ipſorum corporum ſolidorum,in quibus utiq; uel maxime conſiſtere uirium ſubſtantia uide-
tur, non parua habenda prouidentia eſt, ut .ſ. ſano temperamento ſint: atq; hoc quidem omnium par- H
tium commune commodum eſt. Ad robur autem uirtutis conſeruandum,& ad ſyncopalem acceſſionē
quo minus de repente incidat, cauendam, ſingulare præſidium eſt temperamenti cuſtodia, ante omnia
quidem trium principiorum: mox uero reliquarum partium, quæcunq; in conſortium affectus, prin-
cipia ſecum ex facili trahunt: cuiuſmodi eſt uentriculi os, quod propter exquiſitum ſenſum tum alia
ſymptomata non pauca, tum uero ſyncopas accerſit. Porrò memoratus iam crudorum humorum affe
ctus,ſi & copia ſua hi uires premant,& propter tum multitudinem, tum craſſitudinem exiguos anima-
lis meatus obſtruāt,iam multis nominibus exitialis eſt,ac ſyncope opportunos reddit: nempe & quòd
animal ſub eo non nutriatur,& ſuffocetur,& ꝙ mediocritas temperamenti eius nō ſolum alteretur, ſed
ēt corrūpatur. Quippe crudi ſucci nutrire prius,quàm ſint cōcocti,nequeunt: Iidēq;, cū multi ſunt,gra
uant: Si uero ſpiramēta,quibus perſpiratio agiť, obſtruant, calorē extingūt. Quòd ſi nec obſtruāt, nec
onerēt,ſyncopē ij certe non inferunt,ſed animi deliquia,quas Lipopſychias Græci uocant. Siquidem
reſoluuntur eiuſmodi ægrotātes, niſi frequētius nutriantur. Porrò exhiberi his oportebit non copioſe
ſemel,nec quæ craſſa frigidave poteſtate nutrimēta ſint,ſed,ſicut dictum prius eſt, quæ ex genere exte-
nuantium calfacientiūq; ſint. Ad eundē modum & medicamenta,quæcunq; ſaltē medicamenta ſumere
febricitans homo poteſt, extenuantia calefacientiaq; ſunt offerenda. His & aquoſum uinum idoneum
ab initio

A.l.3.f.11.T 2.c.6.p.516 D.E

*practicis eſt in pleriſq; cod. græcis, ψυχικαῖς .i. animalibus eſt in aliquibus.

A.l.3.f.11.T. c.6 D

A ab initio ſtatim eſt, ſi tamen uehementer non febricitent: quod haud ſane frequenter in hoc affectu
fieri aſſolet. magis etiam, ſi, qui laborant, ſenes ſint, præbendum ijs poſt quanq; cibationem uinum
eſt, magisq; etiam, ſi interpoſita quietis ſpatia mediocria ſint. Sane, qui ex eiuſmodi ſuccis laborāt,
hos quotidie acceſſiones exercent, præcipueq; ad ueſperam, & noctu, non mane, nec uſq; ad meri-
diem. Atq; de his quidem hactenus abunde.

De curanda ſyncope in ijs, qui tenuiſſimos ſuccos, & qui facillime exhalant, obtinent. *Cap. 6.*

AGe modo tranſeamus ad eos, qui contrario quidem huic laborant affectu, ſed tamen ſyncope
ſimiliter opprimūtur,niſi quis ſedulo ſit attentus. Hi ſunt, qui prætenues ſuccos habent,ſic ut o-
cyſſime* exhalent. Itaq; etiam diuerſa a iam dictis ratione ſunt curandi. Illos nanq; paulatim & aſſi-
due uacuauimus propterea,quòd multam ſimul uacuationem ferre non poterant: At, qui ſic ſe habēt,
hos paulatim & aſſidue nutriemus. Quòd ſi a principio hos uiribus adhuc ualentibus, curandos ſuſce
perimus,nec paulatim eos cibabimus. Poſſunt nanq; ij, uel quod liberius ſemel datum eſt, nutrimen-
tum ſuperare. Tanquam autem eos, qui ex crudi humoris multitudine ſyncope periclitantur, prorſus
periclitari diximus, ſi uel iecur his uel uentriculum phlegmone obſedit, itidem de quibus nunc agere
B inſtituimus, inſanabiles ſunt exiſtimandi, ſi uiribus iam languentibus aliquod eorum uiſcus phlegmo-
ne infeſtetur: quando nec aſſidue hos nutrire fas eſt, ſed tantum in remiſſionibus,nec ſeruare eos,ſi nō
cc nutriantur,licet. in eiuſmodi affectibus mortifera illa ſpecies in facie celeriter apparet, Naſus acutus,
cc oculi caui, & reliqua, quæ deinceps ſunt adſcripta. Nam, ſiue multum excernant, ſiue uigilent, ſiue
triſtentur,ſiue non cito nutriantur, protinus eiuſmodi faciem habent. Porrò, ſi alicuius horum, aut
etiā plurium occaſione tales eſſe uidebuntur,minus eſſe malum putabis,quàm ſi abſq; ijs eſſent emaci-
ati. Sin abſq; his tales appareant, pernitioſum iudicabis: atq; hoc amplius, ſi a principio morbi eam
habeant ſpeciem. Neq; .n. dum concoquatur,ſufficient. Atq; ob id Hippocrates dixit, ſiquid eiuſmo-
di conſenſerit,minus ſubeſſe periculi putandum. In morbi nanq; principio (ut prædixi) etiā ſi cum ali-
quo dictorum in eo ſint ſtatu,haudquaquā id bonū eſt: ceterū minus id periculi minatur, quàm ſi cum
horum nullo,immo ex ſpiritu ipſo prompte digeſto. Non ſolum autem extenuatis ad eum modum ſpi-
ritu horum & ſanguine, digeſtio ſæpe incidere aſſueuit, ſed etiam expultrice ui per uniuerſam corpo-
ris molem immoderatius concitata. Id quod incidere maxime ex imbecillitate retentricis ſolet. Sane
nutrire, quicquid horum inciderit, eſt neceſſe: ſicut etiam corporis ſumma denſare non ſecus, quàm
priorum rarefacere. Cum .n. maxime ij affectus inter ſe diſſideant, etiā præſidiorū ſpeciē diuerſiſſimā
C requirunt. Ergo frigidū ijs aerē adſtringentemq; comparabimus: qui, quemadmodū fiat,prius eſt di-
ctum. Vngendi præterea ſunt adſtrictorijs unguentis: Tum cibi ijs dandi,qui non admodū prompte dif
fluant,non aqua mulſa, non ptiſſanę cremor,ſed panis, & ſorbitio ex alica, & fructus auſteri,& qui non
facile corrumpantur, tum ipſi per ſe, tum uero & cum pane: etiam alica, quæ in aqua ſit cocta. Dabis
uero * aliquando ijs & oua,præcipueq; eorum uitellos. Album .n. eorum ægre concoquitur: Præterea
gallinaceorum, qui lacte ſint alti,teſticulos: itemq; ſuillum cerebrum, ſed uel diligenter aſſum, (quā-
do,ſi * cruentum detur, ſummopere lædit) uel in albo iure legitime elixum, porro & anetho iniectis.
Deniq; omni ratione agendum, ut & ſuccorum materiam craſſiorē reddas, & cutim dēſes, & exhala-
tionem inhibeas. Vinum uero ijs aquoſum neceſſarium inter initia eſt,ſumptū poſt cibum. Quòd ſi ex
ſententia nobis omnia reſponderint,etiā carnei ijs aliquid nutrimenti poſt alia dabimus: potiſſimū poſt
quartū diem,ſuccis,qui febrem excitauerunt,iam ad concoctionem uenientibus. Tali affectu laboran-
tis iuuenis,in decimo libro meminimus,quem (uti dixi) quotidie nutriui, idq; ante acceſſionem potiſſi-
mum: tum,quemadmodum ſemel dedita opera non exhibito illi cibo acceſſio cum ſyncope inuaſerit,
memorauimus. Ergo in omnibus eiuſmodi curationibus, ſi iam deprehenſus ſyncope cubans eſt, om-
nis ſolicitudo medentis ad ſymptoma uertitur: Sin nondū ea premitur,utriuſq; curā habebit, & ut ſym
D ptoma non incidat, & ut morbus paulatim diſcutiatur. Celerius aūt hunc diſcuteremus, ſi nullus ſym-
ptomatis ſubeſſet metus. Quippe,qui multitudine crudi ſucci grauatur,hunc,ſi modo iuſtam ſemel ua-
cuationē ferre poſſet,nec metus aliquis ſyncopes impenderet,ſemel, arbitror, uacuatum a morbo ex-
plicaremus. Eum uero,cuius ſpiritus & ſucci facile exhalant,ſi ante acceſſionem cibare nō cogeremur,
longiorem illi morbum certe non redderemus. Ac de ijs quidem hæc mihi dixiſſe ſit ſatis.

De reliquis ſyncopes cauſis, ac primum de affectibus, quibus dolores ſuccedunt. *Cap. 7.*

NVnc reliquas occaſiones,quibus ſyncopæ ſuccedunt,deinceps referemus. Hæ ſunt numero qua-
tuor,dolor uehemens,uigiliæ, immodica* uentris inanitio,ac † [in ijs, qui aliena loquuntur] ali-
quando motus: ſed & quintā,ſi non diſplicet,addas,nempe principiorū intemperiem, de qua in calce
libri agemus, idcirco maxime, quòd dupliciter prouenit, uel quia in nudis qualitatibus particulæ alte-
rantur: uel quia uitioſus aliquis ſuccus in has recipitur. Deinceps igitur de omnibus,quæ memoraui-
mus,eſt agendū,initio a doloribus ſumpto. Ergo,ſi cauſam ipſam, unde dolor excitatur, adimere poſ-
ſis, ita utiq; cōtra ſymptoma non pugnaueris, ſed ægritudinē curaueris. Sed, ſiqua occaſione prohibi-
tus,affectui ſubmouendo intentū eſſe non licet,uehementiā doloris mitigabis. Verum,qm̄ nec dolorū
cauſas ſubmouere,nec uehementiā eorum remittere fas eſt, niſi intellexeris, cuius uitio is dolor in cu-
bantis corpore excitetur,perpendendæ prius tum cauſæ dolorū ſunt: tū uero ſigna,quibus hæ dignoſci
queant.

* διαφορεῖσθαι.

*Non eſt in antiquis.

* ἔναιμον ideſt cruentum eſt in impreſſis ἄνωμον, quod ſubcrudū ab aliquibus uertitur, eſt in manuſcriptis.

* Non habetur in codicibus grecis antiquis hæc dictio uentris.
† ἐπὶ τῶν παραπαιόντων

queant. Nam,cum ſenſui plerunque parum pateant,hominem,qui in tali ſpeculatione ſit exercitatus, E
nimirum poſtulant. Itaque,cum nobis in alijs operibus non pauca de dolorum generatione ſint præce
pta,ipſorumque omnium opportunum tempus iam uenerit,neceſſum arbitror totam eorum rationem
ſummatim percurrere. Quoniam igitur in animalis corpore omnibus conſentientibus ſectis, non om-
nes partes ſenſiles ſunt,manifeſtum eſt,quæ prorſus ſunt inſenſiles,eas non dolituras. Igitur,cum ſenſi-
libus duntaxat dolor accidat, ſequens eſt, ut æſtimemus, eiuſmodi ne corpora perpetuo ſint dolitura,
an uno aliquo tempore,cum uidelicet ortus in his crucians affectus ſit. At, ſi ipſa euidentia nos docet
multum eſſe temporis,quo nihil omnino doleamus,non obſcurum eſt certo aliquo tempore, quo ſcili
cet excitatur in ſingulis, quæ dolent, crucians affectus,neceſſe eſſe ea dolere. Ergo,ſi inuentum nobis
fuerit, quæ nam affectio ea ſit, quæ in ſenſilibus corporibus orta facit, vt animal doleat, utique, &
quod quærimus,iam fuerit inuẽtum. Hic igitur ab ijs naturalibus notionibus,quæ omnibus nobis ſunt
communes,procedere methodo ad id, quod conſiderandum proponitur, conueniet. Porrò naturalis
notio nos docet uitium id corporis,ex quo ſit doliturum, aut continuitatis diuiſionem oportere eſſe,
aut alterationem aliquam. Ita etiam non incommode dictum ijs eſt,qui ex inſectilibus,uel inſenſilibus
uel incompactilibus elementis corpus componunt,affectum,unde dolor naſcatur,prorſus †[inueniri †ἄπορον εἶναι.
non poſſe.] Quippe,quæ tantummodo tangunt,eorum nihil uidetur dolorificum. At talia corpora tan F
tum ſe inuicem tangunt. Quòd ſi non contingant modo,ſed etiam ſe inuicem in concurſu frangant, ad
dolorem creandum nihilo plus conferunt, ſi quæ franguntur, inſenſilia ſtatuuntur: niſi etiam lapides,
cum diuiduntur,dolore affici dicemus. Verum de his latius tum alibi,tum in quinto de Aſclepiadis pla
citis diſſeruimus. Nunc autem confeſſum hoc principium ſumentes, neceſſe eſſe, ut affectus, qui dolo-
rem excitet,uel diuiſio ſit,uel alteratio, illud etiam memoria repetamus, ne alterationem quidẽ ipſam
ſenſim irrepentem,dolorem afferre animali poſſe, ſed quæ dolore animal afficiet, eam mutationem tũ
confertim factam,tum uero uiolentam eſſe debere. Videntur enim corpora non ſolum,cum in habitũ A.l.1.f.3.d.5.
contra naturam confertim aguntur,triſtem mutationem ſentire, ſed etiam in ipſo ad naturalem ſtatum c.4.p.130.F.
ſuum reditu(niſi eum paulatim accipiant)cruciari. Scimus enim qui in uehementi frigore iter fecerunt
eos cum ſeſe non ſenſim,ſed ſemel calfacere properarent,dolore circa unguium radices adeo uehemẽ
ti affectos,ut ferre non poſſent. Illud uero inquirere,an ipſum,quod uehementer excalfacit,aut refrige
rat,diuiſionem aliquam continui efficiat,longiore fortaſſe diſputatione eget: Et utique hoc oſtenſum
a nobis eſt in commentarijs de ſimplicium medicamentorum facultatibus. Verum quid agendo, quæ
uehementer uel excalfaciunt,uel refrigerant, dolorem inferant, quærere, ad rem propoſitam minime
eſt neceſſe: Siue enim ut ſubſtantiæ ſenſibilium continuitatem diuidentia: ſiue ut eam ſemel & confer- G
tim alterantia,id ad eorum inuentionem,quæ dolorem leuabunt,nihil refert,modo ſciamus, quod uio
lenter uel excalfacit uel refrigerat,id ſentientia corpora dolore afficere. Ergo,ſi cœpiſſe ab euidenti-
bus conueniet, euidenter autem uidentur, eorum, quæ corporibus noſtris propinquant, hæc ſola eſſe
dolorifica,& quæ uehementer uel excalfaciant,uel refrigerent, & quæ ſubſtantiæ continuitatem diui-
dant,(hæc autem ſunt,quæ uel contundunt,uel incidunt,uel diſtendunt)utique curationis eorum inuẽ
tionem quæremus uia aliqua inſiſtentes,quæ a quærendorum natura ſit accepta, quæ methodos appel
latur. Rurſus igitur ſupra repetentes dicamus. Quoniam id quærimus,quemadmodum in morbis dolo
re affligamur, ubi nihil nobis extrinſecus triſte appropinquat, neceſſum eſt, aliquam talem cauſam in
corpore quæramus, quæ ſcilicet uehementer excalfaciens, uel refrigerans, uel diuidens ſubſtantiam
ſenſilis alicuius corporis nos excruciet. Ac primum illud ſpeculabimur, cuiuſnam eſſe naturæ debeat,
quod continuitatem diuidet. Neceſſe igitur eſt uel ruptionem,uel contuſionem, uel eroſionem eſſe af-
fectum eum,qui diuiſionem continui faciat. At uero ruptio ex diſtentione quadam: contuſio ex grauan
te: eroſio ex mordente prouenit qualitate. Ergo,cum nihil extrinſecus ſit, quod uel diſtendat, uel gra-
uet,uel erodat,ſed ex ſeipſo horum aliquod corpus ſentiat,neminem latere poteſt diſtentionem ab ali
qua intrinſecus ſubſtantia,quæ multitudine ſua corpus ſe continens diſtendat, aut immodica ſiccitate H
prouenire: contuſionem ex eo,quòd aliquod corpus†[ab externo]ſupercreciderit,quod uel durum,uel †ἔνδοθεν..i. ab
magnum,uel graue,uel ſimul ambo fuit: eroſionem uero ex ſucco aliquo,cui mordens natura inſit. Igi- interno,eſt in
tur,ubi uehemens dolor urget,ſcrutandum nobis eſt,an ſuccus plurimus,an ſpiritus, cui non ſit exitus, aliquibus co-
an grauis moles,an mordens humor,an ſiccus affectus ſubſit: Ad hæc,ueluti inter initia eſt definitum, dic.græcis, &
an aliquid,quod ualenter excalfaciat,uel refrigeret. Quorum ipſorum quoque rurſum cauſæ uel in ſpi ita uidetur eã
ritu,uel in humoribus, uel in ſolidis ipſis ſunt ſtatuendæ. Quicquid enim eorum uehementer excalfa- legendum.
ctum refrigeratumue ſit,quando,quod uicinum eſt,tangit,dolorificum illi redditur. Igitur,quemadmo
dum ſingula,quæ comprehendimus, agnoſci poſſint: tum uero quod non omnium habeamus manife-
ſtas notas: quodque,ſi aliud quicquam, etiam cauſarum & affectuum, quæ ſenſum fugiunt, agnitio ex
multa exercitatione,& curioſa omnium perpẽſione nobis tandem pariatur,alibi monſtratum eſt. Nũc
uero id conſiderare propoſitum nobis non eſt,immo ſolam ipſam medendi methodum perſequi. Ex
qua ſcienter perſpecta quantum auxilium compendiumque medicis non ad præſidiorum modo cura-
tionumque*facultatem, ſed etiam ad affectus aliquando agnitionem comparetur, ſæpe uobis in ipſis *διαπορίαν.
ægrotantibus manifeſte oſtendi,quorum iam duos tresve,qui haud pridem ſunt ſanati,referam. Vnus
enim,ut ſcis,quadragenarius erat,qui cum colo laborare putaretur: non modo nihil eſt†[à fomentis
tum

A.l.3.f.4.c.1. c.8.p.430.D. †ὑπὸ καταν-τλίσεων καὶ πυρίων.i. a perfu ſionibus & fo mentis. & ita ẽt inferius.
A tum humidis,tum ſiccis]leuatus,ſed nec cataplaſmatis, nec clyſteribus, quibus ſcilicet publice uti in
eiuſmodi affectibus ſolent, uerumetiã a plurimis eorũ exacerbatus. Nã a rutaceo oleo per ſedẽ infuſo
deterius habuit,itemque a caſtoreo: quinetiam,ubi mel coctum cum pipere aſſumpſit, extremis dolo
ribus eſt afflictus. Iam,cũ cremorẽ cocti fœni græci unà cum melle accepiſſet, uehementer eſt irrita-
tus. Ipſe igitur,ubi mordentes ſuccos in tunicis inteſtinorum immerſos conieci, qui ſcilicet ſecũ unà
corrumperent tum ea,quæ per inferiora eſſent infuſa,tum ea,quæ per os ſumebat, exhibui homini nu-
trimentum,quod non facile corrumperetur. Deinde,cum minus eum cruciatum intellexi, uitioſos hu
mores purgandos iudicaui. Cum uero aptiſſimum ad eiuſmodi uitioſos humores eſſet medicamentũ,
quod ex aloe componitur,quodque iam uulgo picran appellant, utique ſemel hominem iuſte purga-
re non ſum auſus,quod doloribus & inedia duobus menſibus confectus eſſet. Verum ex quibuſdam
interuallis moderate id faciens,quindecim circiter diebus hominem(ut ſcis)prorſus ſanaui,idque nul
lo præterea adhibito præſidio. Atque hic quidem illo primum tempore ſic eſt uexatus,nunquã prius
inteſtini dolorem expertus. At alius iuuenis huic quidem ætate prope par, ſed qui ſæpe ante colicis
cruciatibus fuerat affectus,acceptò ſcammoniæ ſucco fuit purgatus. Cum autem bene largiter fuiſſet
uacuatus,primo quidẽ die ueſperi in balneo lotus,mox ptiſſanæ cremorem ſumens,poſt piſcem quoq;
B comedens,nocte ea,quæ cœperat,euomuit. Secũdo die itidem lauatus,comedit primum lactucã,mox
auium carnis aliquid in albo iure elixæ: ab hac alicam ex aqua ſumpſit uino auſtero iniecto. Vbi uero
ab ijs mediocriter ſe habere eſt uiſus,etiam tertio die nutritus ſimiliter eſt. Reddidit tamen per aluum
plura,quàm pro ciborum portione,caque cum morſu. Deinde quarto die etiam magis dolere ſibi uen
trem ſenſit: & cum ſe in balneo alicubi frigus accepiſſe imprudentem putaſſet, rutaceum ſibi oleũ per
ſedem infundens, non ſolum uehementiſſime eſt uexatus, ſed etiam liquidam deiectionem copioſiſſi-
mam excreuit: quod facile declarauit aliquid a toto corpore ad loca uentris deferri. Poſt deinde per
circuitus ſimilis redibat cruciatus. Audientes autem eius ſymptomata, intelleximus noxam ex ſcam-
monia in illis maxime inteſtinis procubuiſſe, quæ prius etiam fuerant imbecilla ſic, ut quaſi fluxionis
quidam exortus eſſet affectus. Ergo,quemadmodum hunc quoque ſanauerim,ſcis. Abijcere enim iuſ-
ſi præſidia colica,alicaque calente,quæ cocta in aqua eſſet,nutriri,immiſſis ei mali punici granis. Cum
autem tota nocte citra dolorẽ dormiuiſſet,miratus profecto eſt remedij nouitatẽ: rogauitq;,quid eſſet
A.l.1.f.4.c.5. p.141.E bibendũ. Dedimus itaq; bibẽdũ dilutũ rhois cremorẽ: quo uidelicet,ſiue aliqua eſſet i ſummo inteſtino
facta ulceroſa affectio,eã adſtringeret: ſiue ẽt ex cõſuetudine aliquid ex ſuperioribus locis in partẽ affli
ctam conflueret,id reprimeret: prandioque eodem uti iuſſimus,deinde ad ueſperam cœnare pane puro
C madefacto in uino aliquo naturaliter quidem auſtero, ſed ueteri. Conceſſimus præterea, ut auſterum
quemcunque uellet,*fructum ſumeret,ſiue malum,ſiue pyrum,ſiue punicum. Simili ratione etiam ter-
tio die cibatus,in quarto theriacen bibit,ſanuſque omnino eſt redditus: ac de cetero ad conſueta reuer
ſus, nullum ſenſit incommodum. Simili genere & alteri cuidam in æſtate affecto, cum ſitibundus ad-
modum eſſet,ſupra alia,quæ memoraui,etiam frigida potione uti permiſi. Ergo,ne requiras in omni af
fectu eiuſmodi notas,quales in pleuritide uel dyſenteria apparent. Quippe ſcientifica eſt morborũ id
genus agnitio,certis uidelicet definitiſque notis comparata: cum eorum,qui proxime ſunt dicti, conie
A.l.3.f.11.t.2 c.6.p.516.E cturalis agnitio ſit, ac ſolis ijs inueniri potis, qui exacte cuiuſque morbi propriam curationem norint.
Quare,quoniam de hac propoſita nunc diſputatio eſt, ipſam per ſe abſoluamus. Nec affectuum agni-
tiones attingamus: maxime quæ ex coniecturalibus notis incipiẽtes, cum eorũ, quæ proſunt obſunt q;,
cognitione ſunt coniunctę. Methodum enim in ijs,atq; etiã exercitationem,in morborũ agnitionibus
ſeorſum per ſe fecimus: quo ſcilicet arte quis inſtructus,in omni ægro tum locum,qui affligitur,tum ip
ſius affectum,ſicuti nos,inueniat.

Cap. 8.

Ratio curandi dolores.

A.l.1.f.4.c.3. p.137.A
D Ergo reuertamur ad affectus,qui dolores excitant. Si ſanguinis abundantia ſit,quod diſtendat,ue
luti profecto in phlegmone fieri ſolet, protinus, ubi uires ægri ualentes ſunt, ſanguis mittendus
eſt. Sed,ſi is uel ſanguinis miſſionem timeat: uel imbecillis uiribus ſit, tum reuellendus in diuerſum ſan
guis eſt,tum per propinqua deriuandus. Dictumque nobis prius eſt,quemadmodum hæc fieri conue-
niat. Quod ſi his peractis dolor etiam perſtat, patet profecto in ægrotante particula impactum eſſe,
quod contriſtat. Patet uero non minus,& quod curatio ipſa per digerentia medicamenta ſit molienda.
Pari ratione,& qui ex flatuoſo ſpiritu dolores fiunt, curabimus, ſed ſimul in his potius tum extenuãti-
bus cibis,tum potione,tum per ſedem iniectionibus,tum cataplaſmatis,tum humidis ſicciſque*fomẽ-
tis auxiliãtes. Sin moles aliqua grauãdo cõtundendove doloreẽ excitet,moli ipſi eſt medendũ. Sin mor
dẽs humor eſt,qui affligit,aduerſiſſima huic ſunt,quæ extenuãt & calfaciũt. Poſtulat nanque huius ge-
neris affectus,ſi modo curandus eſt,ut ea,quæ cõtriſtant, uacuẽtur: ſi id oĩno fieri nequeat, ut per epi-
craſin ſanetur: ſin id quoq; fieri nõ poſſit,ut,quæ torporẽ inferãt,medicamẽta exhibeãtur. Quæ quanq;
A.l.3.f.16.t.2 c.2.p.639. ſunt reliquorũ communia,minus tamen hos affectus,quàm alios,lædunt. Quippe tenuis cõſiſtentiæ,&
calidarum uirium plurimi talium humorum ſunt: quæ autem ex papaueris ſucco, & alterco, & eo mo-
do frigidis compoſita medicamenta ſunt,ſimul omnino & refrigerant & ſiccant: qua ratione non ſolũ,
ut ſenſui torporem inducentia,ſalutaria ſunt, ſed etiam ut humorum tenuitatem cogentia atque craſ-
ſantia, præterea uehementem calorem refrigerantia. Vbi uero craſſi glutinoſiq; humores exuperant,
alie-

alieniſſima ſunt,quæ torporem inducunt: cauendusq; magnopere in eiuſmodi affectibus eorum uſus E
eſt. Sed nec alioqui comitatur eiuſmodi ſuccos, modo ſoli ſint, dolor uehemens. Si uero ex accidenti
aliquo coniunctus his halituoſus ſpiritus eſt, qui ex ijs, quibus continetur, corporibus erumpere pror
ſus non poteſt, grauiſſimis omnino doloribus,qui ita ſe habent, cruciantur. Porrò accidit id illis dupli A.l. 1.f. 4.c.
ci ex cauſa,uel obſtructione,uel calore. Nam & obſtructio ſpiritū cohibet,nec exire permittit: & craſ 30.p.156.f.
ſa glutinoſaq;, cum calefiunt,flatuoſum ſpiritum gignere ſolent.Eiuſmodi ſane affectus ijs,qui ſe cibis
natura frigidis,& conſiſtentia craſſis ac glutinoſis referſerunt, quando in ipſis inteſtinorum tunicis fla
tuoſus ſpiritus continetur,potiſſimum incidit. Nam,cum hæ duplices ſint, ubi medio earū ſpatio eiuſ
modi collectus humor eſt,in flatulentum mutatur ſpiritum. Sane is & craſſus,& frigidus, & tardi mo
tus eſt. Vbi igitur tum retinetur,tum tunicas diſtendit, tum ſuccus,unde oritur, inteſtini partes, quas
contingit,uehementer refrigerat,duplici occaſione affliguntur,qui ſic laborant. Ac ad tempus quidē,
ubi torporem faciens medicamen biberunt, prorſus indolentes redduntur,ceterum affectus his omni
no fit maior. Nam & inteſtinorum tunicæ medicamentorū frigiditate denſiores, minusq; flatui tranſ
mittendo habiles redduntur:& humor ipſe tum craſſior,tum ad motum ineptior euadit.Itaq; & ſpatio
longiore ad ægri curationem,& medico,qui egregie in arte ſit exercitatus,eſt opus. Niſi enim certa ra
tione poſtmodum curationem aggredietur,uerendum erit, ne ſucci ſecundo in flatuoſum ſpiritū uerſi, F
eundem dolorem renouent: unde rurſus ſtupefacientium aliquid medicamentorum exhiberi ſit opus,
eadem ſcilicet neceſſitate urgente. Ac pari modo tertio, & quarto,& ſæpe deinceps, quoad homo in- A.l.3.f.16.t.
ſanabilis effectus,in malum totius corporis habitum perueniat,& poſt longa tandē tædia pereat. Quo 2.c.12.p.637.
pacto igitur dolores eos, quos frigidus humor in medio inteſtinorum intercluſus excitauit, ſanare con b.& c.
ueniet? Sane non perfuſionibus & cataplaſmatis, quæ ualenter excalfaciant.Quippe lenti oēs craſſiq;
& frigidi humores ab ijs, quæ calfaciunt, niſi etiam ualenter digerant,liquantur, ac in flatum mutātur.
Conuenit igitur eos incidere ſimul & concoquere: quas res tenuantia medicamenta præſtabunt: po-
tiſſimum tamen,ſi calida uehementer non ſint. Quòd autem horum quoq; ipſorum ea maxime deligen
da ſint, quæ magis flatum diſcutiant,magisq; ſiccent,nemini poteſt dubium eſſe. Sæpeq; ex plebe non
paucos audias minus ſibi dolere colon affirmantes, cum nec ipſis cataplaſma imponitur, nec oleo ali
quo perfunduntur, nec per clyſterem aliquid infunditur. Et ſane,qui generoſi animi fortesque ſunt, ſi
mediocri utuntur uictu, *tutius longiore in tempore percurantur, quàm qui uiolenter (ut dictum eſt) * βεβαιότερον,
calfacientibus utuntur. A nullo enim in eiuſmodi ſuccis tam eſt metuendum quàm a calore, qui eos li ideſt firmius,
quet,atq; in flatum uertat,ſed digerere non ualeat. Vidimus nanq; ex agreſtibus operis quempiā, qui, eſti antiquis
ubi coli dolorem ſenſit, protinus ſe cinxit,cum cingi ante non ſoleret. comedit autem cum pane alliū, G id quod uide
nullum dimittens conſuetum opus: nec toto die quicquam bibit, ſed ueſperi meracius: ab his & tota tur etiam uo
nocte dormiuit, & mane ab omni dolore plane liber ſurrexit. Eſt enim profecto allium ex eorum cibo luiſſe intelli-
rum genere,qui & flatum diſcutiant, & minime ſitim inferant. Sunt, qui parum id experti exiſtiment gere Linacer.
maiorem,quàm cepas,ſitim excitare, ſed plane errore:cum non modo non maiorem, quàm cæpæ, ſed *συντομότερον
nec omnino ſitim faciat. Idem omnium plane eduliorum maxime flatum diſcutit. Itaq; ipſe certe agre autem in im-
ſtium theriacen id appello. Ac,ſiquis uel Thracas, uel Gallos, uel deniq; qui frigidam regionem inco preſsis, ideſt
lunt,ueſci allijs uetuerit, non leuiter ijs hominibus nocuerit. Ac, quos ex ſupradicta cauſa uehemens citius.
inteſtinorum dolor citra febrem exercet, ijs & allium eſſe licet, & theriacen bibere: quippe quæ eiuſ
modi affectibus magnopere ſubuenit. At, ſi cum febri unà talis dolor aliquādo incidat,principio qui-
dem,ſi id ferunt,fomentum ſiccum ex milio eſt adhibendum. Si ab hoc non quieſcant, ſemen aliquod,
quod flatum diſſipet,in oleo, quod tenuium ſit partium, coquere, mox per linteum, quo purum ſit, o-
leum colare, deinde anſeris ſeuum in oleo liquare,& per ſedem infundere oportebit. Si anſeris ſeuum
non ſit,gallinaceo eſt utendum,in primisq; curandum, ut ſit expers ſalis, eſto autem nec admodum ue-
tus. licet uero & recenti uti, præſertim anſerino. At, ſi neq; ex hoc remittuntur dolores, ſecundo rur- H
ſus injiciendum idem eſt:adiecta etiamnum caſtorei & papaueris ſucci, utriuſq; fabæ non amplius ma-
gnitudine. olei uero hemina * modus eſto.Excipitur & lanula ex hoc medicamēto aliquid.Debebitq;
appenſa forti filo,quàm penitiſſime in rectum inteſtinum dimitti: quo utiq;,& cum libet, id facile reci
piatur,& euidentem conferat utilitatem. Ad eundem modum & oculorum & aurium dolores,qui ex
huiuſmodi humore,aut ſpiritu flatulento in febri excitantur, ſedare conueniet tum fomento ex milio,
quoniam id omnium & leuiſſimum eſt, & maxime ſiccans,quodq; ab eo deſluit, innoxium expersque
morſus eſt:tum auribus medicamentum id,quod ex caſtoreo & papaueris ſucco conficitur, infunden-
tibus: quo ſcilicet ad talia uti ſolemus. Liquor, quo hæc liquantur, ſapa eſto,quod apud nos uocāt He
pſema: pleriq; medicorum Siræon græce appellant. Quòd ſi imponi cataplaſma aliquando oportebit,
papauerum capitibus in aqua coctis, ac fœni græci, uel hordei,uel lini ſeminis farina aquæ immiſſa, ca
taplaſma conficies. Scire autem licet medicamentum, quod caſtoreum recipit, non ſolum aurium ſe-
dare dolorem, ſed etiam oculorum & dentium, ſi auribus inſtilletur. Iam uero collyria, quæ ex opio
fiunt,uehementiſſimos oculorum dolores remittere omnes norunt: Vtendumq; (ut prædiximus) his
eſt cum maxima neceſſitas urget, illud minime ignorantibus particulas ipſas non nihil lædendas, im-
becillioresq; in reliquam uitam ex refrigeratione futuras, ceterum ſaluti hominis in præſens, ipſam fu
turam poſtea noxam poſthabentibus. Siquidem non paucos eorum,qui his ſunt uſi,eo infirmitatis ue-
niſſe,

Aniſſe,ut alij fere nihil omnino uiderent,alij propemodum ſurdi forent,id omnibus iam notum eſt. Itaq;
nos,ſi quando cogimur his uti, poſtmodum in ſanitatis tempore particulas ipſas excalfacimus, nem-
pe auribus oleum id, quod ſolum caſtoreum habet,infundentes:oculis uero collyria, quæ tantum ex-
calfaciant. Ad quod ſcilicet munus maxime id probamus, quod ex cinnamomo conficitur. Ac de do-
loribus quidem,qui ex craſſis glutinoſisve, aut frigidis ſuccis, uel etiam flatuoſo ſpiritu excitantur,ha
ctenus abunde. Similis nanq; eſt eorum omnium curatio,ut quæ per comprehenſas iam materias per
ficiatur,niſi quòd is,qui ſpiritum flatuoſum comitatur, propriam quandam curationem eſt ſortitus ex
A.l.1.f.4.c. cucurbita cum flamma copioſa ſubinde admota. Videbiturq; tibi præſidium hoc in huiuſmodi affecti-
30.p.157.b. bus incantamenti cuiuſquam ſimile quid efficere, ſiue hi in inteſtinis, ſiue in quauis corporis particula
ſunt excitati. Illico enim cucurbita admota,qui ſpiritu flatuoſo cruciantur,tum a dolore liberi, tum o-
mnino ſani redduntur. Quos uero non ſpiritus modo flatuoſus,ſed etiam humor quiſpiam,unde is ori-
tur,male habet,ijs illico ad tempus dolor ſedatur,redit tamen uel in ſequente nocte, uel poſtridie, uel
etiam tertiò die ſimilis dolor: ac potiſſimum,ubi in uictu aliquid deliquerint, aut importunius particu
las excalfecerint. Tibi uero hoc quoq; maximum indicium affectus erit: ac curationē pro ratione proſe-
queris, nec impenſe particulam excalfaciens,& tenuatoria curationis ratione utens. Quòd ſi in uen
B tre quoq; talium quippiam incidat, mirifice hi ex acrium iniectione leuantur. Sed percuranda in his
primum doloris acceſſio eſt, admota ſcilicet cucurbita,quo uentoſus digeratur ſpiritus. Poſt id uacuā-
dus humor eſt,infuſo per ſedem eiuſmodi medicamentorum aliquo. Ego uero oleo quopiam tenuis
ſubſtantiæ uti aſſueui,rutam incoquens. Porrò aliqui in tali curandi ratione, ubi oleum acceperūt, ma-
ximo dolore cruciantur: poſtea exiguo interpoſito ſpatio excernunt humorem uitreum, atque ex hoc
protinus ſimul & a dolore & ab affectu liberantur. Quippe ſublata cauſa, quæ ſpiritum flatuoſum gi-
gnit, omnia conquieſcunt. His humoribus contrariam maxime naturam habent, qui tenues ſunt atq;
* συντόνους. i. acres,ſed ſimilem dolorem inferunt: non nunquam autem & conuulſiones *crebras accerſunt,utique
uehementes. cum in ore uentriculi ſunt collecti:ueluti dudum illi contigit, qui paulopoſt æruginoſum humorē euo-
muit. Satius uero ſit non æruginoſum ipſum dicere,ſed exactam plane æruginem. Talis nanque erat,
*ποτίδες qualis pulcherrima eſt ærugo. Verum huic adoleſcenti cum conuulſione & ſyncope, etiā *guttæ quæ-
dam frigidæ,& pulſus in ſummo gradu parui erant.Ex quibus cum conijcerem in ore uentriculi,quem
publice ſtomachum uocant, mordentem aliquem contineri humorem, dedi illi aquam tepidam bibe-
re: poſt quam protinus tale quid euomuit,quale ſi ipſe facere uelles, floridiſſimam æruginē aquæ mi-
ſceres. Cum igitur talis humor in uentriculo conſiſtit,uomitu eſt expellendus:cùm in inteſtinis,injice-
C re per ſedem conueniet,quod eluere eiuſmodi humorem ſit aptum. At id deterſiuum ſit omnino, opor
tebit. Cum autem talium plurima mordeant,commodiſſime ex his aliquod deligitur,cui morſus abſit.
Eius generis maxime eſt priſſanæ cremor. Cibi uero exhibendi his ſunt,qui & boni ſint ſucci,nec faci-
le corrumpantur:quorum etiam exempla in priore libro iam tradita habes. Quoniam uero etiam eo-
rum,qui ex ſiccitate uehementi tenduntur cruciantur q;, mentionem feci,ſatius fuerit de his etiam ali-
quid apponere. Scire nanq; licet eiuſmodi affectum,ſi modo curabitur, humectationem poſcere,cete-
rum curatu perdifficilem eſſe,uel potius, qui curari omnino non poſſit, ſi febris occaſione eſt contra-
A.l.3.f.2.c.5. ctus. Succedit maxime exitiali phrenitidi. Nec ſanatum quempiam ita conuulſorum aut ipſe uidi,aut
p.396. alium narrantem audiui. Nam *temere conuulſio uel ex repletione neruoſarum partium incidit: (qua
*τὰ πολλὰ. i. ratione eos,quos magna phlegmone premit,adoritur) uel ex mordente & tenui humore, qui neruoſa
ſæpenumero. corpora rodat: vel ex ingenti frigore,quod tale quippiam, quale gelu, efficit. Atq; hæ tres conuulſio-
nes ſubinde percurantur. Sed,quæ ex neruoſarum partium ſiccitate prouenit, inſanabilis eſt. Quippe
etiam in libro de maraſmo docuimus ſolidorum corporum ſiccitatem omnino eſſe inſanabilem. Quo
minus adijciendum quicquam de eiuſmodi ſymptomatis præterea puto:ſed nec de ijs,quæ uitio immo
dicæ uacuationis, uel per aluum,uel per uomitum,uel ſanguinis profuſionem incidunt, quòd & antea
D de his mediocriter ſit dictum, & poſthac dicere ſit neceſſum, potiſsimum cum mihi de tumoribus, qui
præter naturam incidunt, erit agendum. Itaque librum hunc iam claudam, quando de ſymptomatis
ijs, quæ utique tractatu maxime erant neceſſaria, & præcipue quæ cum febrium affectibus ipſis ſunt
connexa, abunde diſſerui.

GALENI

GALENI METHODI MEDENDI, ID EST DE MORBIS CVRANDIS, LIBER TERTIVS DECIMVS.

ARGVMENTVM LIBRI.

Inflammationes, ac reliquos præter naturam tumores curare docet, idque indicationibus diligenter adscriptis, ac ijs maxime, quæ sumuntur ex affecta parte.

Quid hactenus hoc opere actum est, quid hoc libro agendum, ac de duplici inflammatione. Cap. 1.

DVO iam genera morborum, quemadmodum quis methodo sanet, docuimus, alterum in intemperie positum, cui antiqua est appellatio: alterum, cui nos nomen indidimus continuitatis solutionem. De qua prima in tertio, quarto, quinto, ac sexto horum commentariorum præcepimus. Post eam de ijs, quæ in intemperie consistunt, usq; ad duodecimum egimus. In hoc uero totius operis tertio decimo de tumoribus, qui præter naturam incidunt, differre incipiemus, in quibus scilicet partes a naturali habitu in quantitate recesserunt. Sane, sanitatem, an naturalem habitum dixeris, ad ea, quæ nunc paramus, nihil interfit. At, cum plures specie affectiones in his sint, primum agemus de phlegmone. Expedit enim ab hac cœpisse, & quòd frequentissime incidit, & quòd febres aliaq; symptomata periculosissima excitet. Cum autem ueteres Phlogosin (quam inflammationem interpretere) subinde phlegmonen appellent, sciri uolumus non hoc loco nos de hac phlegmone differre, sed ea, quæ supra inflammationem, tensionem quoque in particula facit, quam non modo ipsi tactu deprehendamus, sed etiam ipse æger † [proprio sensu] aduertat. Quinetiam pro tensionis modo tangenti quoq; renititur pars phlegmone obsessa, auctiorq; est, quàm pro naturali habitu, nec dolor illi deest, maior minorve: Cum quo nõ nunquam & pulsationis est *sensus, cum scilicet malum amplius increuit: ac potissimum cum suppurat. Rubor quoq; in parte, quæ phlegmone laborat, maior minorve semper uisitur. † [Semper autem omnia partibus inflãmatis insunt] adeo, ut siue in ipso pedis uestigio, siue in parte interna manus magna phlegmone incubuit, hæc quoq; magis rubra uidentur, quàm ante.

† διὰ τῆς ἰδίας ὀνομαζομένης συναισθήσεως. i. eo sensu, qui peculiari τῆς συναισθήσεως (quasi consensum dixeris) appellatur.

*συναίσθησις.

Indicationes, quæ ex fientibus uel factis inflammationibus præbentur. Cap. 2.

ETenim ostensum est phlegmonen omnem e sanguinis confluxu consistere. Qui alijs statim calidior est, quàm pro natura fuit: omnibus certe in ipsa parte, quæ phlegmone uexatur, calidior efficitur. Atq; hoc omnium sectarum commune est: siue impactum tantum sanguinem in finibus uasorũ, phlegmones causam uelint: siue intercidentiam eius (paremptosin uocant) in solis arterijs, siue obstructionem aliquam: siue in raritatibus ratione contemplabilibus resistentiam. Quo fit, ut etiam curationis *indicatio omnibus sit communis, nempe uacuatio redundantis in particula phlegmone obsessa, sanguinis. Phlegmones uero, quæ in generatione adhuc est, duplex *indicatio est, ueluti in reliquis morbis omnibus, quicunq; in gignendo adhuc sunt, necdum absolutionem sunt nacti, ostendimus. Nam, quod eorum generatum iam est, id medicinæ artis parti, quæ morbos curat, subijcitur: Quod in generatione adhuc est, parti, quæ futurum morbum præcauet. Atq; idcirco diximus non simplicem, sed compositam esse totam de ijs ægritudinibus, quæ in generatione adhuc sunt, medentis solicitudinem, ex ea scilicet quæ prouidet, & ea, quæ curat: sicuti etiam, si omnino phlegmone laborare adhuc non coeperit, sed tamen appareat iam subesse in corpore genus aliquod eorum, quæ phlegmonen excitare possint, in talibus quoque omnibus sola prouisio *indicatur. At, si nulla adhuc in corpore causa subalitur, ijs, qui ita se habent, ea, quæ sanitatis est tutrix, prouidet. Ergo, quæ causæ phlegmonen accersere uidentur, has, cum iam in corpore sint conceptæ, sed tamen exiguæ adhuc & incipientes, utiq; ne maiores fiant, inhibere conueniet. Atque hoc præcauentis phlegmonen est officium. Cum uero ea magnitudine sint, ut iam phlegmonen creent, eas submouere oportet, ac, quantum iam phlegmones genitum est, sanare.

*In cod. græcis ãtiquis legit δεῖ δὲ πάντως ἐστὶν ἐν τοῖς φλεγμαίνουσι μορίοις. i. semper tamẽ (ipse rubor) omnino inest partib. phlegmone laborãtibus. & ita omnino uidetur legendũ.

De ortu inflammationum. Cap. 3.

AC communis omnium phlegmonarum generatio ex sanguinis influxu est, copiosioris, scilicet quàm pars postulet: ueluti tum in libro de tumoribus præter naturam ostendimus: tum in eo, qui de inæquali intemperie est inscriptus. Sane copiosior sanguis influit alia quapiam, alijsve particulis aliquando eum mittentibus, ac ea, quæ phlegmone laborare incipit, recipiente: aliquando particula, quæ affligitur, hunc ad se trahente. Partes, quæ mittunt, alias ut copia superuacuum, uel ut qualitate molestum, alias utroque nomine succum propellunt. Quæ attrahunt, ea morboso calore trahunt. Porrò in doloribus incipit quidem causa ab eo, quod affligitur, sed quicquid est phlegmones, id superpositæ partes

A.l.4.f.3.t.1.c.2.a.

Attes efficiunt. Ergo, quòd ad partem excalfactam uel trahuntur uicini succi, (ut nos censemus) uel confluunt (ut Asclepiades putabat) euidenter cernitur. Et constet hoc loco ex ipso, quod cernitur, sermoni fides. At uero, quæ dolent, cernuntur ea quoq; phlegmonen ex dolore pati. sed causam eius quidã omnino non assignant: quidam nullo modo probabilem. Nostra uero sententia talis est. Docuimus in eo opere, quod de naturalibus facultatibus edidimus, unam esse naturæ facultatem, quam excretoriam dicimus. Ea suo munere tum fungitur, cum triste aliquid sentit. Vnum uero quiddam est ex ijs, quæ eam contristant, ipsa, quæ dolorem excitat, causa, quæcunque ea sit. Hanc igitur eijcere dum properat, phlegmonen interdum in particula concitat. Cum enim primis suis conatibus nihil profecit, uehementius aggressa, quod infestat, expellere, sanguinis aliquid & spiritus ex superpositis partibus in afflictam simul exprimit. Atq; hinc fit, quòd ex dolore particula, pro portione confluentis in eam humoris, in tumorem attollitur.

Tumores omnes præter naturam ex rei influentis natura uariari, & quæ sint inflammationis causæ. Cap. 4.

A.l.3.f.2.t.1.c.6.p.408.d.

QVinetiam omnium tumorum, qui præter naturam sunt, uarietas ex eius, quod influit, natura nascitur. Vbi enim flatulenta materia copiosior accessit, flatuosi magis tumores fiunt: phlegmonæ uero magis similes, ubi sanguis: sicut erisypelati, ubi flaua bilis: & œdemati, ubi pituita: similiter scirrhosi, ubi uel crassus, uel uehementer lentus humor est, qui parti est infixus. Sane crassus humor, quodammodo iam melancholicus magis minusve est. Lentus autem ex glutinosis prouenit cibis: sed & ex ipsis aliquando neruosis partibus, utiq; cum multum excrementi genuerint. Verum de ceteris tumoribus post dicetur. Nunc de phlegmone agemus, ac prius, quæ omnium sunt communia, ad disputationem propositis, sic deinde, quæ solius eius uitij sunt propria, adijciemus. Cum igitur particula aliqua phlegmone urgeri cœperit, uidendum est, an propter calorem aliquem, qui in illa præter naturam sit ortus, an propter dolorem uel ipsius, uel propinquæ alicuius partis hanc contraxerit: quo. s. adempta causa, phlegmone non amplius increscat. Post hanc considerationem proxime illa contemplabere, nunquid uicina aliqua particula sanguinem largius ad partem phlegmone obsessam transmittat: deinde num totum corpus † sanguine nimium abundet, πληθώραν uocant.

† πληθωρικῶς διάκειται.

Inflammationes in glandosis carnibus facillime excitari, & quo pacto curari debeant. Cap. 5.

A.l.1.f.1.d.5.c.1.p.19.b.

NAm tibi (arbitror) non excidit, utpote sæpe a nobis monstratum, superuacanea, quæ a ualentioribus partibus ob redundantiam, uel qualitatem expelluntur, ea in imbecilliores procumbere, atque hinc accidere, ut glandulæ, quas adenas uocant, facile fluxiones recipiant, & maxime quæ raCriores natura sunt. Quippe ualentius est arteriarum, & uenarum, & neruorum, & musculorum robur, imbecillius autem ac forte prorsus nullum, corporum, quæ glandularum sunt naturæ. Sic igitur fit, ut & propter ulcus, quod in manus aut pedis digito sit, eiusmodi glandulæ in inguinibus & alis tum intumescant, tum phlegmone occupentur, cum defluentem ad ultimos * artus sanguinem priores excepe-

A.l.4.f.3.t.1.c.3.p.839.b.

rint. Quinetiam in collo, & secus aures sæpenumero glandulæ ijs, quibus in collo, capite, uel aliqua uicina parte ulcus est natum, intumescunt. Nominant autem ipsos adenas: cum sic intumuerunt, Bubones. Quòd si scirrhosior earum partium phlegmone aliquãdo fuerit, hæc & ægre sanabilis est, & Choeras, ideſt struma, dicitur. Quænam uero sit strumarum curatio, in proximo dicetur libro. Nũc de phlegmonis, quoniam de ijs differre proposuimus, denuo repetentes dicamus, quòd inhibitio earum incipientium, ex generante illas causa tollenda præstatur. primumq; de ijs, quæ ulcera sequuntur, agamus.

A.l.1.f.4.c.25 p.157.c

Postea enim quàm prope magnam arteriam, aut uenam ulcus ortum est, celerrime bubones excitantur. Cernitur autem aliquando ipsa quoque uena per totum membrum rubra, & calens, & distenta, ac siquis eam tangat, dolens. Ergo, si uel totum corpus sit plethoricum, uel malo succo redundet, difficilis curatio redditur: Sin sanum plane sit, facilis. Quippe excalfacere & humectare modice totum membrum, quo dolor mitigetur, oportet, (nosti autem eiusmodi præsidiorum materiam) ipsi utiq; ulce

A.l.4.f.3.t.1.c.19.p.844.F

Dri tetrapharmaco in linamento impositio: (liquatur id oleo potissimum rosaceo, uel, si id non adsit, relaxanti aliquo) toto uero membro, hapso lanæ ex calente oleo imbuto circundato. Quinetiam ipsi ulceri calidum imponi medicamentum oportet, ac super ipsum, calidum extrinsecus cataplasma ponere, quod ex farina uel hordeacea, uel triticea, uel ambabus mistis constet: humorem autem habeat aquam cum pauco oleo. Non secus uero etiam ipsi adeni, quæ phlegmone urgeri cœpit, ut mitigetur, imponi debebit primo die lana ex oleo calente madens, non autem, sicut non nulli faciunt, statim addito sale. Post enim sale utemur, cum & tumor per totum membrum fuerit remissus, & dolor ulceris sedatus. Quinetiam macedonicum, quod uocant, pharmacum similiter, sicut tetrapharmacum, ipsi ulceri imponere licebit. Etenim similia inter se sunt, solo thure tetrapharmacum macedonico superante. At, si uel plethoricum corpus sit, uel malo succo redundet, curatio per ea, quæ sic calent, fluxionem ad membrum citat. Atqui nec alia ulla uti datur. Cogimur ergo alias sanguinem mittere, idq; aut uena incisa: aut mẽbris ijs, quæ læsa non sunt, scarificatis. Manu.n. laborante, scarificabis crura: Altero crurum male habente, reliquũ. Has nanq; uacuationes indicat ipsa copia, sicut ẽt succorum uitiũ, redundãtis succi purgationẽ. Ac plerunq; post hæc præsidia, glãdularũ phlegmone desinit. Sæpe tũ uel ipso, qui curat, ad corporis totius uacuationem segniore: uel ipso, qui laborat, præ mollitie eam non admittẽte, earum phlegmone maior efficitur, sic, ut ad suppurationem perueniat. Sed &, quæ Phymata quoque

græce

græce appellant,memoratis*carnibus,ſicubi fluxio in eas procubuit, citra ulceris occaſionẽ accidunt. E

*glandulis.

Vbi ergo diſtentæ uehementer glandulæ ſunt,aut alia denique particula quæuis, quã phlegmone premit,cogimur toto corpore prius uacuato ipſam ſcarificare. Sane uacuamus totum corpus (ſicut in libro de plenitudine monſtrauimus) non modo cum in redundantię ſuccorum eſt habitu:ſed etiam cum mediocritatem ſuccorum continet,ſi morbi magnitudo ſuadeat. Siquidem dolor,& calor membri, in quo phlegmone ſedet,etiam ſi purum ab excrementis totum corpus ſit,fluxionis cauſæ fiunt. Expedit igitur parcius id,hoc caſu facere:ac vacuare,prout maxime tum ætati laborantis, tum naturæ congruere uidebitur,æſtimatis præterea tum anni tempore,tum regione, tum ægrotantis ipſius conſuetudine. de quibus ſæpe iam in multis diximus ſic,ut,etiam ſi adhibita in ſermone non ſint,ſubaudire ea conueniat. Vbi uero phlegmones ipſe ueluti feruor iam ſubſedit, mitigatorijs cataplaſmatis dimiſſis,ad ea, quæ digerunt,paulatim eſt tranſeundum:Ac primum cum mitigatorijs paulum mellis miſcendũ: Mox triticea farina in totum prorſus auferenda,contentis hordeacea cũ melle uberiore. Deinde ad aliquod eiuſmodi digerentium medicamentorum eſt ueniendum,quę uel humida conſiſtentia ſint,ſimiliter ijs, quæ in linamentis,uel linteolis excipiuntur,(Emmota græce uocant) uel cerati ſpecie. A duris autem abſtinendum eſt:qualia pleraque emplaſtra ſunt. nam & phlegmonarum reliquias contrahunt, & rurſus phlegmonen in ægra parte excitant. Quin,ſi pus aliquod notabile in ſuppurante particula ſit contẽtum,non expedit(quod non nulli faciunt)protinus incidere,immo* exhalationem moliri medicamentis ad id ualẽtibus, quorum uſus ex affectu ſit coniectatus. F

A.ibidem.p. 845.A.

*digeſtionẽ.

Quippe,cum phlegmones naturæ quicquã in membro adhuc reſtat,acria medicamenta magis irritant,quàm digerant. Cum uero,quod ex phlegmone relinquitur, ſcirrhoſum effectum uidetur, fidenter iam ualentibus medicamentis uteris,ſed obſeruato bis in die,quem præſtent effectum,primum mane,ſecundo ueſperi. Quòd ſi balneo quoq; utatur,etiam in eo tempore fiat. Si quando ergo ægram partem medicamenti acrimonia irritatam uideris, ita,ut tumentior,aut rubicundior ſit,aut magis doleat,mitigabis eam interea fomento, quod per ſpongiam adminiſtrabis. Id autem aliquando ex aqua dulci eſto,aliquando etiam ſal habente, ubi ſcilicet ſcirrhoſiores phlegmonæ ſunt. Sin aliquando puris copia medicamenta ſuperet, nec ea uideantur tibi totum digerere poſſe,†[ſecare exitum ei,quod digeſtioni non ceſſit,]eo potiſſimum loco oportet,quo eſt editiſſimum. Quippe tenuiſſimam etiam illic inuenies cutim. Memineris præterea in ſectione & alterius*indicationis,quæ ad effluxum pertinet:atque ad ambo reſpiciens,ita,quod ſuppurauit,incide: ac deinceps medicamentum aliquod eorum,quæ ſine morſu ſiccent,impone. Quòd ſi computruiſſe portio aliqua ſuppurantis partis uidebitur,excidi eam eſt neceſſe. Sane quidam in ijs,quæ in axillis & inguinibus ſuppurant,in myrtei folij ſpeciem ſemper excidi cutim iubent:quoniam in ijs laxa ea naturaliter ſit,ideoque omne,quod ipſi aduenit,prompte recipiens:† [præterea ipſa ex leui occaſione phlegmonen facile contrahant.] G

† τέμνειν χρὴ τὸ οὕτως ἀφιστάμενον. i. qđ ſic abſceſſit, ſecare.

† Ex antiquis ita uertendũ, ex leui occaſione phlegmonen facile contrahat.

At maximas aliqui ſectiones facere ſolent:quarum occaſione particula,ubi ad cicatricem eſt perducta,non ſolum turpiſſima redditur,ſed etiam ſit imbecillior,& quæ ſæpe homini ad motus ſit in mora. Hæc igitur ipſi uitantes,ſæpiſſime certe ſola inciſione, & medicamentis ualenter ſiccantibus,huiuſmodi affectus ſanauimus. Quòd ſi aliquando excidere aliquid propter multitudinem non puris modo,ſed etiam corruptarum partium fuit opus, contenti eramus ſectione, quæ myrti folium imitatur,plane non magna. Cum autem in ea exciſione longitudo maior, quàm latitudo ſit, eſto in inguine longitudo per tranſuerſum ducta,non autem per membri rectitudinem. Quippe ita,cũ membrum inflectimus,naturaliter cutis ſibi applicatur. poſt exciſam cutim,medicamento, quod Græci Mannam uocant,affectam partem implebimus. Eſt autem ea*purgamentum thuris,leui adſtrictione prædita,atque hoc nomine etiam thure ipſo ad non nulla utilior. Thus enim puris tantum mouendi facultatem obtinet,utpote nullam adſtringendi uim habens:Magiſque id facit, quod pinguius ex eo eſt, & magis albicans:ſicuti etiam,quod flauum ex eo magis eſt,ualidius ſiccat. Mannæ uero,etiam corticis thuris paululum eſt admiſtum:unde ſcilicet adſtringẽdi uim habet. Ipſe uero cortex thuris tum adſtringit,tum ſiccat inſigniter. Itaque etiam ad moderatiores ſanguinis perfuſiones eo utimur ſolo,ſicut etiã ad ualentiores ſolo uſto,ſed tunc & cribrato,& in molliſſimum puluerem redacto. H

* ὑπόσεισμα.

Quinetiam mitigare prius inciſam partem(ſicut dictum eſt)quantum poſcere uidebitur,oportet,*fomentis primum:dein cataplaſmate:mox humectante aliquo medicamento,aut non ſiccante, ſingulis ſcilicet extrinſecus impoſitis. Nam in ipſo ulcere tum manna(ut dictum eſt)tum ex præſidijs,quæ linteolis excipiuntur, primum ea,quæ pus citant:dein ea,quæ expurgant,ſunt imponenda:poſt quæ,ſi cauitas etiamnum ſit,quæ impleant,adhibenda ſunt:ſin minus,ea, quæ cicatricem inducunt (græce Synulotica & Epulotica uocant:)ueluti quod ex cadmia conficitur. At,quoniam in horum quoque uſu plurimis medicorum non paruum quiddam peccatur, non ab re fuerit etiam de ijs differere. Tum nanque ducere ulcus ad cicatricem incipiunt,ac idonea illi rei medicamenta applicant,cum iam penitus ſit impletum,nec quicquã illi reſtat cauum. Hinc illis accidit,ut cicatrices efficiant circumpoſita cute magis eminentes. Quo igitur illi cuti ſint æquales,conueniet id genus medicamentis,uti prius,quàm ulcus ad æqualitatem prorſus ſit impletum, impoſito ſuper ipſas ulceris oras ex ſpecilli mucrone medicamento aliquo ſicco ex ijs, quæ in ulcerum curatione retulimus: ſuper reliquum, linamento dato,quod aliquo medicamento ex ijs,quæ cicatricem inducant,& humida ſint conſiſtentia,fuerit imbutum. Cedente autem proſpere curatione,etiam id amouebis,ac poſtea ſicco tantum medicamine uteris,lato ſpecilli mucrone[ex eo] ſuper

* ἐπιβροχῆς

A ſuper toto ulcere uolutato. Foris aũt ſuffecerit linamentum uel ſiccum,uel ex uino madẽs:ac potiſſimũ quod ex mollibus ſit elychnijs:cuiuſmodi Tarſenſia ſunt:quoniam hæc quoque ad ulcera, quæ ſupercreſcant,ſubmittenda uim aliquam obtineant. Atque hæc ducente nos rerum ſocietate diximus.

De curatione ſingulorum affectuum,qui ad inflammationem excitandam concurrunt. *Cap. 6.*

NVnc ad ſermonem de phlegmone reuerſi dicamus communem omnium phlegmonarum curationis*indicationem eſſe uacuationem. Quæ uero adhuc in generatione ſunt, in ijs prior uacuatione eſt confluentis ad affectum locum ſanguinis inhibitio. Inhibebitur is commode,ſi ipſam fluxionis cauſam inuenerimus. Sane ea duplex eſt:aliquando enim ex ipſa parte,quam phlegmone uexat,oritur:aliquando ex alia quapiam,alijsve. Ex ipſa,quoties aut calidior eſt facta,aut dolore(ſicuti ante diximus)urgetur:Nõ ex ipſa,quando uel ab alia quapiam,uel ab alijs ſuperfluum illi tranſmittitur: u el etiã ex totius corporis affectu. Fit igitur calidior uel propter immodicum motum, uel aliquem ex Sole aut igni teporem,uel acre medicamentum:Dolore uero angitur & propter intemperiem,& uulnus,& contuſionem,& diſtorſionem,& tenſionem,præterea obſtructionem quandam,& ſpiritum flatuoſum. Intẽperies modo extrinſecus illi prouenit:modo ex ſuccis, qui in ipſo habentur corpore: Et extrinſecus, B uel ab aliquo uenenatorum animalium:uel pharmaco,quod uehementer excalfaciat,aut refrigeret: ẽt ex ambiente non nunquam:Ex ipſo uero laborantis corpore,cum id uitioſos ſuccos, qui facultate ſint diſſimili,congeſſit. His igitur omnibus æſtimatis,quæ phlegmonæ adhuc in generatione ſunt, earũ cauſas prius abſcindes:Quæ uero iam factæ ſunt,has utique curabis ſolas. Ergo quidnam medenti agendũ ſit, ſi totum corpus male ſit affectum, & dicta prius tum in his non pauca ſunt, tum in libro de plenitudine.& nunc ſummas eorum,quæ dicta ſunt,recenſebimus. Vbi enim æquabiliter inter ſe ſucci ſunt adaucti,id & Plethos & Plethoran Græci uocant:[nos plenitudinem.& ſuccorum redundantiam diximus.]Vbi uero uel flaua bili,uel nigra,uel pituita,uel ſeroſis humoribus refertum corpus iam fuerit,eum habitum Cacochymian(quaſi ſuccorum uitium dicas)non plethoram nominant. Ergo plethora tum ſanguinis miſſione curatur,tum frequenti balneo,tum exercitatione,tum frictione: præterea digerentibus medicamentis;& pręter hæc omnia inedia:de quibus in ijs,quæ de ſanitate tuenda ſunt,prodita,dictum abunde eſt. Succorum uitium purgatione, quæ cuique ſuperanti ſucco ſit accommodata, corrigitur. Dictum porrò & de hac eſt in ea parte operis de ſanitate tuenda, quæ de præcauendis morbis eſt inſtituta. Illinc igitur huc ea transferas,oportebit,ac conſideres,quonam ex ipſis uti maxime expediat. Siquidem,ſi iam febricitet æger,nec exercitatione uacuare exuperantiam licet, nec unctione, C quæ excalfaciat:ſed nec multa frictione,nec balneo:immo ſanguinis miſſione unà cum inedia, uel purgatione aliqua. At,ſi nondum febricitat,omnibus iam dictis utare,optimum quodque ad id, quod inſtat,deligens. Illud enim patere uel me tacente arbitror,eum. cui crura phlegmone laborant, non eſſe uel ambulatione,uel curſu exercitandum:ſed nec ſtare illi eſſe iubendum, immo ſedenti plurimum fricari,mox manuũ motu exercitari illi eſt ſatius. At,ſicui in ſupernis partibus cœperit pars aliqua phlegmone tentari,huic motus ex inambulatione aut curſu eſt ſalutaris. Similiter & frictio his quidem ea potior eſt,quæ cruribus adhibetur:illis,quæ in ſupernis partibus adminiſtratur. Quippe præceptum in cõtrarium reuulſionis,in omnibus talibus commune eſt. Neque igitur,cum uel circa ſedem,uel aliquam huic uicinam partem initium phlegmones incidit, aluum deijcies: Neque, cum in ueſica,uel cole,uel renibus eſt cœpta,pharmaca,quæ urinas prouocent,bibenda dabis:Nec,ſi mulieri in utero, uel pudendo inſedit,menſes huic prouocabis:Sed ad partes,quæ maxime longinquę ſint,ſemper reuulſionem facies,æſtimata ſcilicet tum phlegmones magnitudine,tum corporis totius ſtatu. Nam,ſi plurima ſuccorum abundantia ſit,nec exercitatione,nec balneo ſine periculo utare:Sin exigua ſit,licet,& per hæc uacues. Ceterum(quod dixi)hæc tum in ea parte operis de ſanitate tuenda, quæ morbos præcauet, ſunt ſcripta:tum in libro,qui de plenitudine inſcribitur,tum in his,quæ de phlebotomia,ſiue incidenda ue- D na:tum,quæ de purgantium medicamentorum facultatibus edidimus. Sed,quod ad commonefaciendum tantum de ijs ſit ſatis,nunc etiam abunde eſt dictum. Itaque ad propriam de phlegmone diſputationem nunc eſt ueniendum. In qua primum merito uerba faciemus de phlegmone, prout ab affectu partis, cui inſidet, oritur. Quippe ſatis conſtat affectum illum principio tibi eſſe ſanandum: mox, quicquid iam phlegmones eſt factum. Porrò interim ijſdem præſidijs ambo tolluntur: ueluti cum ex flatulento ſpiritu & denſitate particulę dolor quiſpiam eſt ortus. Hoc enim caſu eorum, quę modice calefaciunt(quę etiam Chalaſtica, id eſt relaxantia, ſiue remittentia uocamus) uſus eſt commodus, ut qui pariter & conniuentia corporis laxet, & flatuoſum ſpiritum tenuet, &, quod phlegmones iam conflatum eſt, digerat. Ad eundem modum, & ſi ex frigido dominante intemperies ſit oborta. Nam tunc quoque calefaciendo non ſolum intemperantiæ, ſed etiam phlegmonæ unà medeberis. Itidem, ſi calor uehementior intemperiem fecit, refrigerantibus præſidijs ambo ſiſtes. Siquidem intemperantia contraria ſemper requirit. Vacuatur autem, quod impletum eſt, non modo medicamentis ijs, quæ digerunt, ſed etiam, quæ adſtringunt & refrigerant. Magiſque profecto ad incipientes phlegmonas frigidis adſtringentibuſq;,quàm ijs,quæ digerũt,eſt utendum. Atque etiamnum magis,ubi craſſum,quod confluit,non eſt;Sed,ſi ſanguis in particula,quã phlegmone prehendit,uehementer eſt impactus, non eſt amplius repercutientibus utendũ: ſed tũ digerere eſt tempeſtiuum. Vbi autem

A.l.1.f.2.d.2 c.1.5.2.p.74. F.

A.l.1.f.4.c. 20.p.145.D.

A.l.1.f.4.c. 25.p.153.B

A.l.4.f.3.t.1. c.3.

autem ex animalis punctu morſuve dolor incidit, duplex ſedandi doloris ratio eſt, uel uirus ipſum uacuando: vel,quod dolorem excitat, alterando. Sane uacues id eorum medicaminum ope, quæ uehementer attrahunt:Alteres ijs,quæ ſunt contraria,idq; uel qualitatibus,uel tota ſubſtantia.Monſtratum nanq; eſt in libris de medicamentis quædam eſſe totis ſubſtantijs inter ſe contraria: quædam ſolis qualitatibus. Sed & illud indicatum æque eſt,quòd eorum,quæ contraria qualitate ſunt, methodus quæpiam ſit:eorum,quæ tota ſubſtantia ſunt aduerſa, methodus non ſit, ſed omnia ſint per experientiã inuenta. Tu igitur,quæcunq; methodo curandi explorentur, hinc diſces: Quæ experientia tantum deprehendit,ea in his operibus, quibus de medicamentis agitur, ſunt collecta, uno, quod de facultate eorum inſcribitur:altero,quod de cõpoſitione:& tertio,quod de facile parabilibus inſcribitur. In quibus operibus oſtendimus,quænam ex ſola experientia:quænam ex ſola ratione: & quænam ex ambabus inuenta ſint pharmaca. Ergo methodus,quam hoc opere tradere inſtitui, in doloribus uniuerſis, qui uel ex animalium,medicamentorumve noxa excitantur, duplicem * indicationem habet, nempe eius, quod dolorem creat,uacuationem, atq; alterationem. Vacuant id tum calfacientia omnia: tum quæ citra calefactionem uehementer trahunt:ueluti & cucurbitulæ, & caua cornua quædam, quibus non nulli cucurbitularum uice utuntur. Sunt autem,& qui ore ſuo uirus extrahunt, ægræ uidelicet particulæ admoti, ipſamq; labijs complexi. Huc ſane pertinet & cauterium, & medicamenta, quæ cauterijs ſimiliter eſcharam efficiunt. Atque hæc omnia totam eius, quod infeſtat, ſubſtantiam exinaniunt. Alterum auxiliorum genus eſt eorum,quæ qualitatem per contraria alterant,ſcilicet exhibentibus nobis, ſi uehementem calorem æger uel in ipſo demorſo loco, uel in toto corpore ſentiat,auxilia refrigerantia: ſin frigus ſentiat,calefacientia. Docuimus autem utraq; in ijs operibus,quæ de medicamentis ſunt ſcripta. At tales quidem omnis phlegmones communes medicationes ſunt. Variantur autem pro laborantium particularum ratione. Etenim id iam quoque oſtenſum eſt, ubi de ulcerum curatione egimus. Nec longo ſermone eſt opus ei, qui meminerit eorum, quæ ibi ſunt dicta, ſed ſat erit paucis ea tranſcurriſſe.

E F

A.I.1.f.4.c. p.137.b.

Indicationes tum ex ſimilaribus partibus, tum ex inſtrumentarijs in inflammationum curatione præberi. Cap. 7.

VNa itaq; indicatio ex ipſis ſimilaribus accipitur partibus:altera ex inſtrumentarijs. Et ea,quæ ex ſimilaribus ſumitur,*modũ calfaciẽdi,refrigerandi,ſiccandi,ac humectandi determinat:Quæ uero ex inſtrumẽtarijs,tum locũ ipſum,per quem uacuare oportet:tum uacuationis rationẽ: tum uero in ſimilis ſpeciei medicamentorũ uſu ipſum pluris minorisq; modũ.Ac de ſimilariũ quidẽ partium indicatione ſupra,ubi de ulcerum curatione eſt tractatum,diximus:de inſtrumentaria uero hic agemus. G

In inflammationibus uacuandi indicationem, indicationem refrigerandi ſuperare, contra in Eryſipelatis. Cap. 8.

CVm enim phlegmone duplici ratione a natura receſſit, & quòd pars ipſa multo ſanguine ſit referta:& quòd eadem ſit calidior,utiq; uacuationis * indicatio refrigerationis * indicationem uincit: contra ſcilicet,quàm in eryſipelate. In illo nanq; refrigerationis *indicatio magis urget, quàm uacuationis. Quanquam utriuſq; affectus curandi commune caput eſt infeſtantis humoris uacuatio. Ideoq; poſt,quàm refrigeratum eryſipelas eſt,ad ea,quæ digerunt,medicamenta conuertimur. In phlegmone igitur† tantiſper eſt refrigerandum,quatenus & ad incrementum eius ſiſtendum inhibendumq; eſt cõmodum. Etenim,cum immoderatus calor dolorem excitet, atq; etiam aliquid ad ægram partem attrahat,utroq; nomine augeſcere phlegmonen accidit. Ergo,quantum refrigerationis phlegmonæ,ceu calido morbo, congruit, tantum certe & incrementum eius inhibere eſt aptum. Idem parem gratiam præſtat,& cum repercutit id,quod affluit. Quod uero ex eo, quod in laborante membro continetur, quidpiam in proximas partes repellit, hoc phlegmones iã genitæ medela eſt. Simili modo,& quæ modice excalfaciunt,utraq; interdum ratione proſunt,quoniam & dolorem ſedent,&, quod contẽtum in laborante particula eſt,digerant: Quippe dolorem mitigando,augeri phlegmonas uetant: digerẽdo, H quod earum iam conceptum eſt,ſanant.

A.I.4.f.3.c. c.4.p.840.c.

† In antiquis cod. quibuſdam additur ζεούσης.i. feruentis.

Quatuor eſſe in totum uacuationum genera, quæ ex partium natura oriuntur. Cap. 9.

QVoniam igitur momentum omne curationis laborantis phlegmone partis, in redundantis in ipſa ſanguinis uacuatione cõſiſtit,uacuatio autem hoc genus affectorum excogitata eſt duplex, aut tranſlato ad alias partes,qui in ægra continebatur ſanguine:aut foris a corpore expulſo, ſatius profecto eſt utraq; uti,obſeruantibus diligenter,nequa ex accidenti læſio ſequatur.Ergo,cum gemina ſit dictarum uacuationum utraq;, quadruplex in uniuerſum naſcitur uacuantium auxiliorum genus: Tranſlationis enim ſanguinis ad alias partes alterum genus eſt,ubi ipſa pars, quæ phlegmone laborat,ſanguinem abigit:alterum cum eæ,quæ integræ ſunt,ad ſe trahunt: Eius autem, quæ extra corpus educit,alterum ſenſibilibus effluxibus:alterum ratione tantum contemplabilibus perficit. Atque id,quod ſenſibilibus effluxibus peragitur, alias per ipſam fit partem, in qua phlegmone reſidet: alias † [per ea,quæ unà cum hac aperiuntur.] Proinde etiam diſſectionum notitia ad eiuſmodi conſortium intelligendum eſt opus.Ergo tum hæ indicationes phlegmonarum curationem immutantes a partium natura præſtantur:tum ſupra has,quæ tum ex poſitu,tum figuratione ſumuntur:Quas nimirũ laborans locus,qua inſtrumentalis,non qua ſimilaris eſt,indicat.

A.I.1.f.4.c. p.153.b.

† διὰ τῶν συναναστομουμένων αὐτῷ.

A *De reliquis indicationibus ſimilarium & inſtrumentalium partium communibus.* Cap. 10.

SVnt etiam aliæ, quæ tum inſtrumentalium, tum ſimilarium communes ſunt: ſicuti cum actionem earum inſpicimus:præterea an rara pars ſit, an denſa: an acuti ſenſus,an hebetis †. Ad quæ omnia intentum eſſe oportet, qui recte curare ſtudet.

† Addendum ἢ ἀναίσθητον.i. an ſẽſu careat

Ratio reuellendi, deriuandi, ac omnino uacuandi inflammatas partes, iecinoris exemplo. Cap. 11.

QVoniam uero (ut ſemper teſtati ſumus) non ſatis eſt ipſa tantum uniuerſalia nouiſſe, niſi quis etiam in particularibus ſe exerceat, ita utiq; & nos nunc faciamus, non tamen omnia particularia percurrentes, ſed ea tantum, quæ nobis ſatis eſſe lectori uidebuntur. Proponatur itaque iecur iam phlegmonen contrahere incipere: tum,quænam mali eius commodiſſima ſit curatio, quæratur. Omnium ergo primum ab ijs, quæ retuli incipiens, an totum corpus inanitione indigeat, conſiderabis. Quod ſi indigere inueneris, mox ægri uirtutem æſtimabis, poſſit ne ſemel iuſtam uacuationem tolerare. Primum ergo ualida eſto. Ab hac æſtimabis ætatem. Nam,ſi puer ſit, quæ per diſſectam uenam ſit (ut ſupra eſt monſtratum) uacuationem non feret. Verum, cum pubertatem attigerint, iam pueri miſſionem ſanguinis tolerant. Ergo pariter tum reuellendus, tum educendus, qui ad iecur fluit,ſanguis eſt, interna in dextro cubito inſecta uena propterea, quòd & e * regione, & ampla uia cũ B uena, quæ caua dicitur, ſocietatem habet: Hac non apparente, media ſecanda eſt: Quòd ſi nec ea ſe oſtenderit, reliqua ac tertia eſt incidenda. *Modum uero uacuationis tum ex redundantiæ* modo, tũ ex reliquis, quæ in ſuperioribus diximus, inuenies, ætate, natura, tempore anni,regione, & conſuetudine: tum ante hæc, ipſa laborantis uirtute. Hæc enim in omnibus ſunt communia. Illud uero, interna ne, an media, an humeralis uena ſecanda ſit, an ea,quæ iuxta malleolum eſt, an, quæ in poplite,id uero ex laborante particula indicatur. Ac definitum iam eſt in ijs, quæ de incidenda uena ſcripſimus, de uacuationibus id genus omnibus: diceturq; nunc, quantum ſit ad rem propoſitam opportunum: primumq; hoc ipſum, Non eſſe ſcilicet ſolum illud ſatis, quod uacuandum ſit, inueniſſe: ueluti ſentiunt, qui amethodon ſectam colunt: quibus nulla de laborantium locorum differẽtia habetur ratio. Non enim ratio ſolum, uerumetiam uſus ipſe indicat aliam alij parti uacuationem congruere. Siquidem ex ijs, quibus oculi tentari phlegmone ceperant, non nullos ſola purgatione per aluum, uno die ſanatos uidiſti. Quam rem ſiquis facere in iecinore, cum phlegmone laborare incipit, tentet, maximam excitabit phlegmonen, æque ut, ſi, cum renes aut ueſica phlegmone tentari cœperint, quæ urinas cient, medicamenta exhibeat: aut, ſi cum uterus phlegmone laborat,menſes deuocet. Siquidem longiſſime † [a tentata fluxione parte,] quod redundat, reuellere, nequaquam ad eam trahere conue- C nit. Hac itaque ratione, nec ſi uentriculum aut inteſtina phlegmone occupare iam cœperit, medicamine, quod aluum deijciat, uti conueniat. Eandem cum his indicationem & uterus ſortitur, ſicuti cũ urinæ uaſis, pudenda. At uomitu uti pudibundis laborantibus, in diuerſa reuellens auxilium eſt, Græci Antiſpaſticon uocant. Eadem ratione in omnibus, quæ circa caput accidunt, medicamẽtum, quod aluum deijcit, ad contrarium auertit. Siqua uero circa fauces, & palatum, aut linguam, aut denique in ore, phlegmone laborare incipiant, in his omnibus cauenda ſunt, quæ pituitam per os euocant, Apophlegmatiſmus uocant:quippe cum id ſimile ſit, ac ſi deijcere aluum inteſtinis ægrotantibus uelis: aut urinas mouere, cum renibus aut ueſicæ ſit ægre: aut uomitum laceſſere, cum partes ſtomachi ſint afflictæ. Satius igitur ſit, vbi partes, quæ in ore ſunt, phlegmonen accerſere incipiant, deriuare ad nares. Pari modo uenam quoq;, ubi hæ partes ſic laborant, incidere humeralem in manu: ſi ea nõ cernitur, mediam: Vbi iecur, pectus, pulmo, aut cor ſic afficiuntur, internam: In angina, quam ſynanchen græce uocant, primas in manibus: ſecundas eas,quæ ſub lingua habentur: At ijs, quæ in occipite ſunt, afflictis etiam eam, quæ in cubito eſt,nec non eam, quæ habetur in fronte: Renibus uero, & ueſica, & pudendo, & utero ſic habentibus eas, quæ in cruribus ſunt ſitæ, ac potiſſimum, quæ circa poplitem ſunt: ſin minus, eas, quæ iuxta malleolos. ac perpetuo quidem in omnibus eam, quæ e dire- D cto eſt. Vbi iecur phlegmone inuadit, quæ in dextra ſunt manu: vbi lienem,contra. Itaque ſtatim prima uacuationis diuerſitas pro particularum diuerſitate uariatur:conſtatque communem indicationem non magis eſſe utilitatis,quàm noxæ,cauſam. Siquidem,quòd uacuandum ſit, id communis indicatio eſt: vnde autem,aut quomodo uacuatio ſit facienda, id æger ipſe docet locus. Ad eundem nanq; modum,ubi pectus,aut uentriculus,aut partes circa collum caputve phlegmone laborant, excogitatũ eſt artus uincire. Quippe ipſum,quod phlegmone infeſtatur,uinciendũ non eſt: Sed, ſi in manibus phlegmone eſt orta,crura: ſin in cruribus,manus.

* κατ' εὐθὺ.i. e directo.

† A parte,quæ fluxione tentari incipiat.

A.I.1.f.4.c.3. p.137.b. A.I.3.f.9.c.1. p.470.c.

Ratio refrigerandi ac adſtringendi inter initia inflammatas partes. Cap. 12.

SEd nec refrigerare inter initia, aut adſtringere, citra laborantis particulæ indicationem, utilitatis magis, quàm noxæ, ſunt cauſæ. Nam in particulis, quæ circa artus ſunt,ſat fuerit etiam ſpongiam uel ex frigida aqua, cui paululum aceti ſit immiſtum, uel ex aqua ſola madentem imponere: ſicut etiã ex uino aliquo auſtero: In iecinore uero,ſi phlegmone laborare cœpit, nemo compos rationis his utatur: immo, nec ſi melino infundas, aut myrteo, aut maſtichino, aut nardino, aut lentiſcino, aut aliquo oleo, quod adſtringat, aut etiam alio quopiam, cui abſinthium ſit incoctum, ne horum quidem ullum conueniet frigidum, ſicut nec ullum cataplaſma frigidum. Sed, ſi mala præcipue cotonea uino incoquens, cataplaſma ex eo præparaueris, ſi iecur phlegmone laborare adhuc incipiat, ne id quidem admo

uebis frigidum: ueluti nec oleum, ut dictum est, præparatum, uel oculis, uel oris partibus, sicubi hæc E
tentari phlegmone incipiant. Auri uero, etiam si acetum cum rosaceo infundas, nil offendes. At non est hoc oculis phlegmone laborantibus utile, ueluti nec medicamen, quod ex moris conficitur, aut aliud quippiam eorũ, quæ Stomatica græce dicuntur. Sunt enim eiusmodi omnia oculis tristia, quanquam genere sunt ex ijs, quæ indicentur. Glandulis uero phlegmone tentari incipientibus, sæpe solũ oleum calens sat fuit.

Quid differat uictus ratio, iecinore, aut uentriculo, & glandulis, ac artuum partibus inflammatis. Cap. 13.

SEd & reliquus uictus ordinandus ijs, quibus glandulæ aut etiam aliquid circa artus phlegmone tentatur, unam tantum * indicationem habet, quæ tot ac talia exhiberi iubet, quot & qualia facillime concoquentur. Nec quicquam refert, alicam, an ptissanam, an mulsam, an punicum, an malũ, an tale quippiam exhibeas. At, si iecur phlegmone infestatur, exquisitissimo uictu est opus: Aeque profecto, & si uentriculus sic laborat: quippe munus eorum toti animali est commune. Acceditq; omnibus animalis partibus maximum incommodum, siue non probe concoctum alimentum sit, siue nõ rite in sanguinem conuersum. Artuum uero partes tantum alimenti capiunt, quanto sunt nutriendæ. Quo fit, ut, siue ex malo, quod probe in uentriculo sit concoctum, alimentum ad eas perueniat, siue F
ex alica, siue ex ptissana, non multum interfit. In iecinore uero quantum referat nutrimentorum differentia, tum quòd maximam in utranq; partem uim habeat, hinc discas, licet.

A.l. 1. f. 4. c. 25. p. 54. D

Quæ nutrimenta medicamentaue assumpta iecinoris inflammationi conueniant. Cap. 14.

NAm expelli e iecinore oportet, quicquid in eo tũ amaræ bilis, tum saniei, quæ ex phlegmone prouenit, est collectum. Id uero fieri nequit, nisi & uasa, quæ sunt in uiscere, detergeantur, & meatus, qui ad ieiunum pertinet, sit apertus. Ergo alica, cum & huic inhæreat, & uasa, quæ in uiscere sunt condita, obstruat, præcipueq; eorum ora, & bilem in intestinum descendere, & alimentum in totum corpus digeri prohibet. Poscit ergo tum iecur ipsum, tum os meatus, qui bilem transmittit, cibos & pharmaca, quæ obstructa recludant. Talia uero omnia sunt, lenta quidem minime, sed tenui consistentia, & qualitate mordente. At uero ab his, utpote mordentibus, phlegmonæ irritant̃. Quare, quæ citra morsum ea detergeant, indigemus: cuiusmodi .s. mulsa est. At nouimus dulcibus omnibus tum iecur, tum lienem maxime intumescere. Supersunt igitur, quæ culpa uacant, ut in cibis ptissana: quippe quæ sine morsu deterget, ut in pharmacis oxymeli aqua mistum. Nam & punicum, & malum, & ce- A.l.3.f.14.T.3.c.13.p.581. E
tera, quæ adstringunt, dum bilis meatus os arctant, bilem ipsam excerni prohibent. Atque inde ieci- G
noris phlegmonis sunt incommoda, præsertim ijs, quæ in cauo uisceris consistunt. Quibus ad angustias, quas facit ipsa phlegmone, etiam ea, quæ ex adstringentibus & lentis fit cibis, accedit. Ac, quæ mordent, ea phlegmonas ipsas, quæ in cauo sunt uisceris, magis irritant. Quippe ijs, quæ in gibbis eius consistunt, mutata iam ueniunt ea, quæ assumpta sunt, ita, ut nec, quæ adstrictoria sunt, similiter adhuc adstringant: nec, quod mordens est, similiter mordeat: nec, quod propter lentorem in angustis uasis hærebat, similiter etiamnum maneat lentum. Est autem his occasio mutationis duplex, & quòd prius sunt concocta: & quòd sanguini, qui in iecinore prius erat, sunt admista. Cauo autem iecinoris phlegmone obsesso, protinus etiam uenas, quæ in mesenterio sunt, unà phlegmone laborare est necesse, quando ex ea, quæ ad portam pertinet, omnes sint ortæ: protinus etiam, quæcunq; oculis earum incidunt, uim suam ostendunt.

Aduersus Attalum methodicum, qui Theagenem Cynicum inflammatione iecinoris laborantem relaxantibus cataplasmatis enecauit. Cap. 15.

ANtibi ad communem phleginones curationem parua ex particulis ipsis accedere differentia uidetur? Mihi sane maxima uidetur: quamuis ij, qui Thessali stupiditatem æmulantur, communẽ indicationem solam satisfacere putent. Placet autem nunc ad memoriam reuocare tibi egregiam eo- H
rum curationem, quam Theageni philosopho Cynico adhibuerunt. Siquidem hanc norunt plurimi propter uiri famam, ut qui publice disputare in Traiani * circo quotidie sit solitus. Erat, qui hominem curabat, unus ex Sorani discipulis, nomine Attalus. Is imposuit quotidie iecinori cataplasma ex pane & melle, haud intelligens uiscus hoc mediocriter adstringi debere propterea, quòd animalibus altricis facultatis principium sit, & uenosum ab hoc oriatur genus. Ita igitur uiscus curauit, sicut bubonas, meris .s. & solis relaxantibus utens, cataplasma ex pane & melle imponens: ac prius oleo calente perfundens: tum sorbitione ex alica cibans. Hæc nanq; tria ferme omnibus nunc amethodis istis Thessalijs ad acutorum curationem sufficiunt. Visum autem est mihi seorsum Attalum monere, ut adstringens aliquid admisceret, nec nudis uteretur relaxantibus: ac de uisceris quidem natura nihil eram homini dicturus (Id enim fuisset plane asino fabulam narrare,) sed, quod me persuasurum homini arbitrabar, & cui omnes homines facillime assentire uideo, id tantum exposui nempe longam experientiam medicos docuisse, ut iecur mista medicamentorum materia curarent, eam autem scriptam inuenturum in ijs medicorum libris, qui sint de medendi ratione conscripti. Si ergo, inquam, tibi uidetur, misce aliquid de absinthij coma diligenter tunsa, cataplasmati: Oleo uero, totius herbæ aliquid, modice id, quemadmodum alios cernis in illo incoquentes: Cataplasmati uero Myrobalani piesma,

* ζυμγασία.

A.l.1.T.4.c.1.p.134.D

Apiesma, & irim, & iunci florem, aut narditidos herbæ radicem, aut cyperi miscebis: non inutile sit & ex uino ea aliquando præparare, ac miscere interim etiam de fæce ipsa. Quinetiam aliquid adstringẽtium incoquere malorum, cuiusmodi cotonea sunt, & quæ uocantur struthia: præterea, quæ Romæ, abundant, uocata cestiana. Oleum uero (nam id quoq; uideo miscere te) non quodlibet esto, sed uel hispanũ uel histricũ, uel crudũ, uel lentiscinũ, uel myrteum, uel melinum, uel nardinum unguentum. Porrò aliam materiam plurimam esse dixi eorum, quæ incoquere liceret. Nam & lentisci tenera germina, & myrti, & rubi, & uitis præsertim syluestris, a qua cœnanthen uocatã decerpimus. Non alienum etiam sit & atticum * hyssopum tum cataplasmati, tum etiam ceratis miscere. Nam & cerata quæpiam illi ex eiusmodi materia imponere post cataplasma suasi: & apponere illi tentabam uniuersam deinceps curationem, quo scilicet etiam, quæ a medicis græce Epithemata uocantur, ex mista materia componeret. Nam melius, inquam, est sublato cataplasmate aliquid super uiscus esse. Attalus uero sermonem meum interpellans. Nisi multum (inquit) tibi tribuerem, nihil horum tolerassem: nam, in quibus superiores medici passi naufragia sunt prius, quàm uera medicina inuenta a nostris esset, ea mihi ueluti ignaro suades. Ceterum tres (inquit) aut quatuor dies sine me Theageni ex mea sententia prospicere, & sanum eum penitus conspicies. Sed quid, inquam, si, cum subito pauci, & hi len- B
ti apparuerint sudores, moriatur? recordaberisne, quæ promiseris, ac de cetero sententiam mutabis? Atq; Attalus post hæc abijt irridens, nec quicquam præterea respondens, sic, ut neq; de alica quicquam me consulere permitteret, sed nec quod ex ijs, quæ urinas cient, miscere aquæ paulo post oporteret, quòd scilicet iecinoris gibba essent afflicta. Nam, sicuti iecinoris cauum per aluum purgat, ceu paulo supra diximus, sic gibba eius per ea, quæ modice urinas mouent: cuius generis est apium. Procedente autem tempore, ubi phlegmone iam concoquitur, etiam ualentioribus uti licet, asparo, & celtica nardo, & phu quod uocant, & petroselino, & smyrnio, & meo: sicut etiam per uentrem uacuare, si cauum afficitur, cnico cibis admisto, & urtica, & mercuriali, & epithymo, & * filicula: omnibus præterea, quæ modice aluũ deijciunt: magisq; in remissionibus tum his ipsis audacius quàm ante utendum: tum uero, quæ his sunt ualentiora, partim in ptissana incoctis, partim tunsis, ac in mollissimum puluerem redactis: exhibenda uero & hæc sunt uel ex ptissana, uel ex aqua. Ego nanq; etiam * filiculæ aliquid in ptissana aliqñ incoxi, & nigri ueratri corticem. Etiam clystere uacuare eos conueniet, inter initia uel sale, uel nitro, uel aphronitro aquæ mulsæ admisto contentis: in remissione uero, potissimumq; siquid scirrhosum relictum e phlegmone est, etiam ualentiora medicamenta miscentibus: quippe hyssopum eo casu aquæ incoquimus, & origanum, & colocynthida, & minus centaurium.

* Polypodio.

†Siquis ipsa neglexerit, uel glutinoso cibo usus fuerit, sicut Attalus, qui Theageni quotidie alicam exhibebat, ac nihil offerebat, qđ &c.

C Opportunissima nanq; ad scirrhum sunt iecur & lienis, † [siue quis parum habita de his ratione, glutinoso cibo utatur (sicut Attalus, qui Theageni quotidie alicam exhibuit): siue nihil offerat,] quod tum obstructiones eximat, tum detergeat. Verum, quod contigit Theageni, uel potius Attalo, dici est tempus. Vt enim promiserat post tres dies daturum se hominem a iecinoris phlegmone liberatum, tum magis, quàm prius, calente oleo uiscus plurimum perfudit: tum cataplasmate frequentius est usus hac diligentia felicius sibi curationem cessuram sperans: respondit; percontantibus de Theagene gloriabundus, meliora. Ceterum contigit, prout ipse prædixeram, subito hominem mori. Et, quod omnium maxime dignum risu fuit, ducebat Attalus secum ex ijs, qui de hominis statu rogassent, quosdam, quibus ostenderet adeo recte eum se habere, ut iam esset lauandus: lætusq; cum multis ingressus est domum, in qua iacebat: cum Theagenem mortuum quidam ex amicis, qui & Cynici quidam erant, & alioqui philosophi, lauare ex more pararent. Itaq; etiam usq; ad mortuum accedere, idque unà cum spectatorũ cœtu Attalo contigit: utpote cum nemo intus lugeret. Nam Theageni nec seruus erat, nec puer, nec mulier, sed cum eo soli amici philosophantes uersabantur: qui iusta quidem mortuorum, citra tamen omnem luctum obibant. Atque hanc laudem Thessalius asinus inter multos spectatores est consecutus, ostendẽs explicatum a phlegmone hominem intra quatuor (ut pollicitus est) D
dies. Reliqui uero methodici, cum innumeros quotidie iugulent, adeo rationem curandi mutare adhuc nolunt, ut, quæ a medicis sunt scripta, qui artis operibus uere insudarunt, ne uel semel experiri uelint: Adeo indelebile uitium uehemens ignorantia est, præsertim si cum superbia sit coniuncta. Eiusmodi igitur in omnibus sunt Thessali sectatores.

Qua ratione uiscera quædam facile scirrhosis affectibus corripiantur, ac de ea, quæ a particulis præbetur, indicatione. Cap. 16.

NObis autem uitandi eiusmodi errores sunt. Ac, si nihil aliud suppetat, saltem ipsi experientiæ credendum. Id quod ipse perpetuo suadere non desino ijs, qui circa rationem parum sunt exercitati. Nam melius profecto ijs est, quando & rudes sunt, & simul in rationabili methodo, quam nos nunc prodimus, minime exercitati, ut nihil penitus ex * ratiocinando accipiant. Quippe iecinoris subst̃tia scirrhis maxime opportuna est, utpote quæ naturaliter lutosum quippiã continet, ueluti medicus quidã nostri temporis per iocum dixit. Lienis uero rarior subst̃tia, quàm iecinoris est, ceterum crebrius scirrhosis uitijs affligitur, propter nutrimenti, quo utitur, speciem. Monstratum nanq; est, quòd crasso nutritur sanguine, qui ueluti limus purioris est, facillimeq; nigra bilis efficitur: ideoq; etiam ipsum,

* λογισμῶν. A.l.3.f.14.T.3.c.9.p.581. C

melancholicum [ſiue atrum] appellamus excrementum, atq; hæc duo uiſcera ſcirrhoſis tumoribus E tentari, uel experientia ipſa clare indicat. Renes uero, quòd conditi ſunt, tactum effugiunt. Ceterũ hos quoq; facile ſcirrhis deprehendi ratio docet, atq; idcirco nephritidas† [alias facile ſolubiles, alias ægre ſolubiles eſſe:] cum renes, ambo habeant, quæ in uiſcerum utroq; prædicta ſunt ineſſe, tum ſubſtantię qualitatem, tum excrementorum, quæ per ea dilabuntur, uitium. Quo fit, ut, qui craſſi ſucci cibis ueſcantur, calculi uitio corripiantur. Ergo, quanto trium horum uiſcerum ſcirrhoſi affectus difficilius curantur, tanto magis eſſe ſolicitos oportet, nequis in hos incidat. Maxime autem (ut dictum eſt) incidunt, qui ipſis phlegmone uexatis, ijs cibis utuntur, qui craſſos lentosq; ſuccos efficiant. Quinetiam eiuſmodi affectuum medicamina inter omnes conuenit ea eſſe, quæ diſſecent, & diſſoluãt, & frangant: quæ utiq; ex eorum ſunt genere, quæ obſtructiones eruunt & detergent, ceterum uiribus ualentiora. Horum non ſolum materiam, ſed etiam facultatem in opere de ſimplicibus medicamentis expoſuimus. Itaq; etiam breuior nunc ero, contentus generali facultate, & ſola methodo, cum paucis exemplis. Nam, cum & facultatum materiam iam habeas præparatam, & quæ curationem unà coindicent, ſint prædicta, nihil nunc aliud ſupereſt, niſi ut proprias cuiuſque morbi indicationes commemorem. Coindicantia igitur uoco uirtutem, naturam, ætatem, anni tempus, regionem, & conſuetudinem, & ſiqua ſunt id genus alia. Proinde de ea, quæ a particulis ſumitur, indicatione de- F inceps dicam, initio ab ea, quę a iecinore ſumitur, ſumpto. Quippe, ubi id phlegmone laborat, quæ extrinſecus applicantur, ea miſtæ eſſe facultatis debere poſtulat, idq; non in generatione phlegmones modo, (eſt enim id omnium phlegmonarum commune: quando etiam, ſiquis repellentibus tantum illo tempore utatur, non peccet) ſed etiam cum nec affluat amplius quicquam, nec repelli, quod in laborante particula continetur, poſſit. Accidit enim hoc quoq; multis de cauſis. Sane in principio tum parum eſt, quod affluit: tum magna ex parte tenuius: tum partis ipſius, quæ recipit, uirtus non nunquam ualentior, utpote nondum laſſata: tum quod in afflicta continetur parte, nondum uiolenter impactum. At, cum phlegmone in uigore ſuo iam conſiſtit, tum multus in ea ſanguis continetur, isque craſſior ſubinde, ac uehementer impactus: tum uirtus partis iam eſt debilior: quam alioqui ualentem requirimus, quo ſcilicet a ſe ſuperuacua amoliatur: quandoquidem haud ſatis potens eſt adſtringentium præſidiorũ uis, quæ ſola totum efficiat. Quippe poteſt hæc cogẽdis ac conſtringendis, & ueluti dẽſandis, & exprimẽdis corporibus, quæ tenuiora cõſiſtentia ſunt, ad circumpoſitas partes expellere: ceterum, niſi ẽt laborantis particulæ uirtus aliquid auxilietur, nihil adeo magnũ efficiat. Tunc igitur, quæ a phlegmone ſumatur, una duntaxat agendorum eſt indicatio. Hanc græce Diaphoreſin uocant (latine digeſtionem, euaporationemve dixeris.) Hæc humorem, qui in phlegmone obſeſſa parte continetur, G per meatus inſenſibiles educit. Quæ uero ab ipſa ſumitur parte, ea in diuerſam nos partem trahit, ſcilicet robur eius ſeruari iubens. Coeuntibus igitur unà contrarijs indicationibus, compoſitum quoq; eſſe medicamentum oportet. At, femur ſi phlegmone laboret, aut tibia, aut cubitus, aut brachium, aut, qui in his ſunt, adenes, cauſa non eſt, cur horum robori conſulas. Hæc tibi communis * indicatio ſit in omnibus ijs partibus, quarum munus eiuſmodi eſt, ut toti corpori ſit ex uſu.

† Gręci codices legunt, τὰς μὲν ἀλύτους τοπάμπαν εἶναι τὰς δὲ πάνυ δυσλύτους. i. alias omnino inſolubiles, alias ægre admodũ ſolubiles.

Vnde ſimilia diſsimiliave medicamenta, maioris quoq; ac minoris ratio, & locus uacuationi aptus indicentur. Cap. 17.

ERgo nec lienem tantum relaxantibus curare oportet, cum hic quoq; ex iecinore, quicquid limoſum & melancholicum eſt, expurget, propterea ſcilicet, quòd ex eo humore nutritur. Idcirco, quoties obſtructio quædam in eum incidit, aut phlegmone, potiſſimum cum ſcirrhoſa ſit, tum ea, quæ obſtructiones eximant, tum quæ diſſecent, uehementiora exigit. Nam, quale medicamentum iecinori eſt abſinthium, tale eſt lieni capparis cortex: Quale rurſus iecinori, quod uocant eupatorium, tale eſt lieni ſcolopendrium. Siquidem ſimilia genere medicamenta, ambo uiſcera poſtulant. Ceterum tanto ualentiora lien, quanto craſſiore utitur alimento. Scirrho igitur laborantibus ipſis conuenientia nutrimenta ſunt genere quidem eadem, ſed maioris minorisq; ratione differentia. Itaq;, & ſi capparis ex H oxymelite edatur, utilis ſane eſt utriq; uiſceri, ceterum nec ipſa pari modo nec ſimiliter miſtum habens oxymeli. Nam & ipſa copioſior, & ex minus diluto oxymelite lieni erit utilior. Atque hæc differentia eſt, quæ ex maioris, minorisq; ratione accepta eſt. At ſimilium genere, uel ſpecie, aut quomodocunque dixiſſe libet, præſidiorum, ex actione & * compoſitione indicatio ſumpta eſt. A ſocietate uero cum uicinis partibus, quod idem cum ſitu eſt, illa capiuntur, quòd gibba iecinoris per renes expurgari oporteat: caua uero ꝑ inferiorem uentrem. In liene uero alteram duntaxat eſſe ſuperflui uacuationem: cum quæ per renes agatur, nulla huic uiſceri uacuando uia pateat. Proinde, ubi phlegmone premitur, deiectorijs id medicamentis tum detergemus, tum laceſſimus, quo dimittat relaxetq; ſuperuacua. Sane duplex ratio eſt eiuſmodi medicamentorum uſus. Cum partes ſuperius poſitæ laborant, per ea, quæ eduntur ac bibuntur: Cum inferiores, per id, quod ſit per clyſterem infuſum. Quandoquidem, quæ eduntur ac bibuntur, eorum uis ante, quàm ad inferiores partes perueniat, reſoluitur: Quæ infuſa ſunt, ea omnino ad ieiunum uſq; aſcendere non poſſunt: immo, etiam ſi admodum nitaris fortaſſe tenue tantum inteſtinum contingant. Ergo illud quoq; ex partium poſitura didicimus, nempe inferioribus inteſtinorum aliquid eſſe per clyſterem infundendum: ſuperioribus uero, atque etiam ipſi uentriculo, lieni, & ſtomacho ſuperne aliquid exhibendum. Voco hoc loco ſtomachum, gulam quam

A.l.1.f.4.c.1. p.133.f

* διαπλάσεως. i. conformatione.

A.l.3.f.11.T. 3.c.6.p.526. D

† συγκόπτεσθαι. i. ſyncope corripi.

A quam proprie Græci ſtomachum appellant: Non nunquam enim ita etiam uocant os uentriculi: uelu ti cum ſtomachice † [anima linqui] aliquos dicunt. Verum in gula, quæ proprie uocatur ſtomachus, cataplaſmata ſuper ſpinam dorſi imponimus, non autem in parte anteriore, quemadmodum cum os uentriculi phlegmone urgetur. Siquidem ſpinæ gula ſuperiacet, per collum & pectus deorſum uſque ad uentriculum porrecta.

Quo pacto differentia remedia indicet laborans locus, Cap. 18.

NEque igitur hæc nouere, qui Theſſalum imitantur, ideoq; omnes una ratione curant. Neq; utiq; illud, quòd omne membrum phlegmone laborans, niſi cutim ſibi circundatam habeat ſpiſſam, tenuis ſaniei foras aliquid dimittit, ac laxat. Eo fit, ut ex ijs, quæ in ore, & naſo, & faucibus, & ſtomacho, & inteſtinis, & uentriculo, & uiſceribus omnibus ſunt, aliquid foras effluat. Ad eundem modum etiam ex interna facie pectoris, cum phlegmone premitur, excernitur aliqua ſanies. Quemadmodum igitur lienis ipſe, & iecinoris caua per inteſtina: gibba uero iecinoris & renes per urinas purgantur, ita pectus, ubi interna eius phlegmone tentantur, per membranam, qua tegitur (Hypezocota uocant) aliquid in medium ſui pulmonumq; ſpatium tranſmittit: Id autem ex purgari per eandem, qua pulmo, uiam debebit. Dabimus igitur ijs, qui ſic laborant, medicamenta, quibus tenuatoria ſit uis, quibus & B uiæ aperiantur, &, quæ deferenda per eas ſunt, diſſecentur [ac diſſipentur:] præſertim cum uel craſſæ conſiſtentiæ ſunt, uel glutinoſæ, qualia in ijs ſunt, quos empyos uocant. Deligenda tamen ex ijs ſunt, quandiu adhuc phlegmone inualeſcit, quæ mediocria ſunt: cum uero plane iam decreuit, aut penitus ceſſauit, & educi excrementa poſtulant, quæ ualentiora ſunt. Ergo mediocre in hoc genere eſt tum ptiſſanæ cremor, tum mulſa: ualentius autem & urticæ ſemen, & mulſa, in quam coniectum fuit paululum aliquid acrium herbarum, quales ſunt origanum, & hyſſopum, & calaminthe, & pulegiũ, & illyricæ ireos radix: Quòd ſi uel plus horum admiſceas, uel irin in molliſſimum puluerem tunſam cribratamq; in mulſam immittas, maxime incidens medicamen habebis. Ad eundem modum &, quod ex marrubio conficitur, oxymeli, aliaq; eiuſmodi ualenter craſſiora excrementa, quæ in pectore & pulmone continentur, incidere poſſunt: omniumq; eorum copia inuenies in operibus ijs, quæ de medicamentis edidimus.

A.l.3.f.16.T. 1.c.2.p.615. C

Differre curationem inflammationum, quæ in ſummo & in profundo ſunt corpore: ac de reuulſione pro ratione partium laborantium. Cap. 19.

NOn ſolum autem iam dictam remediorum differentiam ex laborante loco didicimus, ſed etiam illud, quòd, quæ in ſummo corporis phlegmone laborant, ea proprijs phlegmones remedijs cu- C rentur: quæ in alto ſunt corpore, ſi cum his aliquid acrium medicamentorum ſit immiſtum. Reſoluuntur enim eorum uires, dum alte deſcendunt. Hac ratione & cucurbitula (ſtrenuum plane auxilium) eſt inuenta, tum ut foras euocentur, quæ ſunt in alto: tum ut eximantur atque eruantur, quæ iam in ſcirrhum abeunt. Verum utendum cucurbita in ipſa parte, quæ phlegmone urgetur, inter initia non eſt, immo poſtea, quàm totum corpus uacuaueris, ac * neceſſarium ſit, eorum, quæ in inflammata parte continentur, aliquid educas atque eruas, aut etiam foras uerſus attrahas. * Generandis autem adhuc uitijs, minime ipſis membris, quæ laborare incipiunt, ſed ijs, quæ continuata his ſunt, cucurbita imponi debebit, auellendi in contrarium cauſa. Sic nanq; ad mammillas cucurbitam imponimus, cum ſanguis ex utero profluit, defixo maxime in ipſis communibus pectoris & uteri uaſis, eius ore. Sic, ſi ex naribus ſanguis profunditur, præcordijs maximas cucurbitas affigimus. Sic & omne aliud ſanguinis profluuium ad contrarium per communes uenas auertimus. Quemadmodum rurſum & ſanguinem (ſi ita eſt opus) attrahimus. Siquidem cum menſes euocare in animo eſt, in pube & inguine cucurbitam figimus. Præterea cucurbita in occipite defixa efficax eſt remedium ad oculorum fluxiones. Vacuari tamen prius totum corpus expedit. Nam, ſi † [refertum ſanguine] corpus ſit, in quacunq; parte capitis cucurbitam defixeris, totum ipſum implebis.

* χρεία.
* γινομένων.

A.l.1.f.4.c.1. p.134.D

† plethoricũ.

D

Ea medicamenta ad curationem uſurpanda, quæ noxiam qualitatem cum ea, quæ conuenit, admixtam non habent. Cap. 20.

ERgo hæc omnis phlegmones cõmunis * indicatio haudquaquam ſimiliter in qualibet parte adminiſtratur. Accedit ad omnia, quæ prædicta ſunt, pro non leui portione, ipſius exhibendi medicamenti natura. Neq; enim abſolute, ſi adſtringere incipientem phlegmonen eſt opus, quidlibet adſtringens in ijs, quæ deuoranda ſunt, adhibebimus, ſed ea, quibus nulla corruptrix admiſta uis eſt. Nam chalcanthus inter præcipua adſtringit, ſicut etiam miſy, & ſori, & chalcitis, & diphryges, & æs uſtum, & ſquama eius & flos, uerum hæc medicamenta deuorata, noxia ſunt: quocirca ſtomaticis ea miſcere tutum non eſt: defluit nanq; interdũ ex his aliquid ad uentriculum. Sed nec aloen probe miſcueris ijs medicamentis, quæ phlegmones alicuius cauſa, quæ intus conſtiterit, deuoranda ſunt: quando huic quoq; admiſta purgandi uis quædam eſt. Ceterum, ubi phlegmone prorſus inclinauerit, ſiquis paululum aloes admiſceat cauſa deijciendi uentris, qui prorſus non deiecerit, nihil lædet. Verum ſatius eſt mercuriali, aut urtica, aut cnico, aut talium aliquo aluum ſic laborantium ſubducere. In ſumma uero, ſiquis eam, quæ a partibus ipſis præſtatur, indicationẽ adimat, nihil obſtat, quo minus medicinam non ſex menſibus, ſed ſex diebus totam perdiſcas. At uero, nec ſi, quæ a partibus ſumitur, indicationem

adijcias, iam totum, quod exigitur ad curationem, habeas, nisi etiam methodos de medicamentis didiceris. Itaq; eas aggrediatur, oportet, quisquis consummate sanaturus est morbos. Nunc enim, si alicuius medicamenti meminimus, id (ut sæpe testati sumus) exempli causa fecimus. E

Quid differat phreniticorum & lethargicorum curatio: ac de loco principis animæ facultatis, aduersus Thessali sectatores. Cap. 21.

SEd adijciamus adhuc ea, quæ de indicatione, quæ a partibus sumitur, nondum attigimus, Thessaliorum istorum sectam euidentissime præcipitantes: qui, cum nec dissectionis rationem attigerint, nec partium actiones, usus ve norint, tamen, cum floccos carpentem quenquam cernunt, & festucas legentem, audent oxyrhodino caput madefacere, nostro exemplo. Nam cur, quæso, non thoracem potius? Siquidem indicatoriè remedia inueniunt. Sane fieri potest, ut etiam corde affecto phreniticus quis efficiatur. Empiricus nanq; ab experientia se ait eiusmodi medicamentorum nactum inuentionem. Qui autem & hanc uituperat, & inquisitionem de actionibus refugit, huic unde, quæso, succurrit, ut pro thorace caput in phreniticis madefacere eligat? Ceterum, hoc ipsum oxyrhodinum quod capiti phreniticorum applicamus, ceu quidam ex amicis dicere solebat, non solum amethodos istos Thessali sectatores, sed etiam reliquos manifeste redarguit uniuersos, quicunque principem animi partem in corde statuunt. Nam cum aliquando uidissem quendam ex Athenæi discipulis caput aceto & oleo mistis perfundentem, prohibui: iussiq; pectori admouere id remedium: Quippe læsam in delirio esse partem principem: Eam autem esse auctore Athæneo in corde: itaq; non recte relicto pectore caput eum, integrũ præsertim membrũ, uexare, eique negocium facessere, nunc oxyrhodinum infundendo, nunc radendo, tum spondyliũ, aut serpillũ, aut id genus aliquid admouendo: immo uero, si malum traheret, etiam castoreum, aut certe etiam cucurbitam: Quippe id esse persimile, ac si, cui in femore phlegmone sit, calcaneo remedium applicet. Quinetiam in lethargicis nemo est, qui capiti non applicet auxilia. nam & id uitium contrarium quodammodo secundum speciem phrenitidi est. Gignitur autem cerebro patiente: in quo scilicet princeps animi pars residet. Ergo, cum humor, qui in cerebro redundat, frigidus est, insensibilitas immobilitasq; hominẽ opprimunt: cum uero calidus est, perpetuus potius motus, unà cum rationis noxa. Accidit enim, ueluti monstratum in libris de his est, ex frigore segnitia: ex calore immodicus motus: ex humoris uero uitio dementia. Itaque incidenda in talibus affectibus uena est statim ab initio, si modo tam ualens uirtus sit, ut sine noxa missionem sanguinis toleret, ac nihil prohibeat eorum, quæ de secanda uena retulimus, sicuti uel crudi humoris copia, uel puerilis ætas, uel anni tempus, uel regio, in qua sit extremus calor, aut frigus. Atq; hoc quidem commune utriq; uitio, & ei, quod cum sopore, & ei, quod cum uigilijs incidit. Commune præterea utriusq; est, ut oxyrhodinum in principio admoueas. Nam repellendus a capite humor est, quisquis is fuerit. Quæ sequuntur, contraria sunt. Nam, quæ cum uigilijs coniuncta sunt, ea lenire expedit: quæ cum immobilitate, excitare. Iure ergo, cum in summo incremento sunt, ijs uitijs, quæ peruigilio & delirio infestant, perfusiones ex papauerum capitibus applicabimus: odorem quoque naribus obijciemus: ac narium alas intus, uel frontẽ ex similibus medicamentis illinemus. Quippe sopire ac stupefacere principem facultatem oportet, cerebrum scilicet, quod supra modum incaluit, refrigerando: In contrarijs autem uitijs excitare: ac noxij humoris, qui citra putredinem, & citra febrem altos sopores inuehit, crassitudinem incidere, atq; excalfacere. Tales nimirum altos sopores, Apoplexias, & Carus, & Catochas græce uocant. Quòd si aliquando humor putrescat, utiq; cum febri incidunt ea genera: uocaturq; morbus græce Lethargus. Incoquentes igitur in aceto thymum, & pulegium, & origanum, aliaq; id genus, naribus sic affectorum admouebimus: quo uapor ad cerebrum sublatus, crassitudinem humoris dissecet. Mox etiam palatum ualentibus & acribus medicamentis ungemus. Ab his uero etiam sternutatorijs utemur: tum capiti similes præsidiorum facultates imponemus, adaucta semper eorum etiam ad ipsum usque sinapi uehementia, si uitium diu trahat. Quinetiã cucurbitis ad utrunq; uitium, si diutinum sit, utemur: itemq; castoreo: quippe quod *ipsum probe concoquit, si debito tempore sit adhibitum. Quare hic ad communem rursus curationem redeunt lethargus & phrenitis †. Ergo in eiusmodi affectibus manifeste redarguuntur, & qui Thessalum sequuntur, omnes, & quisquis medicus principem animi facultatem statuit in corde. Non solum enim iam dictorum præsidiorum destituentur copia, sed etiam, cui ea parti accommodabunt, non intelligent. Neque enim, tanquam in ophthalmia, uel pleuritide, uel angina tum ab ipso ægro affectus locus sentitur: tum nobis partim tactu, partim uisu innotescit, sic in lethargo, & phrenitide, & epilepsia, & *delirio, & conuulsionibus, & tetanis, præterea eo, quod proprie uocatur catoche, se habet. In quibus omnibus præsidiorum formula ex affectus inuenitur natura: locus uero, cui maxime sint applicanda, ex prænoscendis tum actionibus, tum usibus partium.

F — G — H

A.l.3.f.1.T.1 c.3.p.363.B

A.l.3.f.2.T.1 c.6.p.408.E

A.l.1.f.4.c.10 p.46.E

*In impressis αὐτὸ .i. ipsum: in antiquis αὐτά .i. ipsa, referendo ad ambo uitia.

† est præterea in græco, ἐν τῇ παρακμῇ .i. in declinatione.

* παραπλήξεσι seu παραπληγίας. uide superius lib. 9 cap. x.

Qua ratione extrinsecus medicamenta capiti, aut oculis apponenda sint, ac de communibus præceptis illarum partium curandarum, ac de arteriarum sectione. Cap. 22.

ILlud autem, quamuis in sermone aliquando omittatur, sæpenumero prius dictũ est, meminisse oportere nos eorum, quæ simul indicent. Ceterũ in præsenti eam, quæ a partibus sumpta est, indicationẽ propositum

A propositum est persequi: ueluti statim in ijs, quæ ad caput pertinent, etsi non aliud, saltem illud nosse cuiuis est promptum, obiectam nobis ante cerebrum esse crassam membranam, quæ corijs istis externis sit assimilis: post hanc etiam cranium. Itaq; resolui in densis obicibus & duris, præsidiorum, quæ imponuntur, uim est necesse: ac, nisi suturas in capitis osse natura ipsa fuisset molita, nihil adeo æstimandum efficeret pharmacum ullum extrinsecus impositum. Sed, quoniam etiam suturæ, & in his præcipue coronaria non solum impositi medicamenti qualitates, sed etiam substantiam, si tenuis est, facile intro transmittit, merito multa circa cerebrum uitia ab extrinsecus applicatorum remediorum facultate iuuantur. Ipse enim in meipso expertus memini, cum infunderetur rosaceum frigidum, citissime clarissimeq; sensisse me in syncipitis loco eius intro penetrationem. Quinetiam plurima diuersitas suturæ huius in hominibus, si inter se conferantur, etiam ante dissectionem manifeste apparet. Vidimus enim in ijs, quibus rasum caput fuerat, inter mandendum, commissionis ossium in coronali sutura manifestum motum sic, ut facile appareret hominibus illis laxam esse eiusmodi ossium capitis compositionem. Merito igitur ad hanc maxime partem applicant omnes medici capiti infusiones, uidelicet accepta quasi per manus a primis inuentoribus ratione, ad id opus uenientes: Sed & ipsi, quicunque non negligenter ijs, quæ fieri assolent, attendunt, cernentes, & quemadmodum sutura ea li-
B quido moueri appareat, & quemadmodũ celerrime homines hac parte, siue ab externo admoto quopiam refrigeretur, siue excalfiat, id sentiant. Nam præter reliqua etiam tenuissimum est hoc loco cranium, & rarissimum. Ergo, quoties medicamenti cuiusquam uim uehementer descendere uoles, hoc maxime loco impones. Commodius etiam fuerit, si & cum infrictione id facias, aut tonsis capillis, aut etiam plane abrasis: Quòd si humidum sit, quod applicandum est, si id ex alto effundas, ac ueluti fontis ritu, illidas: quippe penitus intro ab ictu magis compellitur. Sicut autem hic uehementior humoris casus conducit, ita in oculis est contrarius: In capite nanq; os est, quod feritur: in oculis membranosa quædam imbecillaq; corpora. Et in capite quidem aliud est, quod dictum excipit: aliud quod curatur, quodq;, ut ictum non sentit, ita facultate, quæ ex incussu ad ipsum peruenit, fruitur: at in oculo non est, quod feritur, diuersum ab eo, quod curatur: sed idem ipsum, quod est curandum, ualẽter icitur. Ad hæc os capitis sensu caret: oculus acerrimi est sensus. Ergo infundere huic medicamenta oportet, primum superiorem *genam blandissime attollentes, mox minime, quemadmodum in capite, incutientes. Inueniendi præterea humores mitissimæ minimeq; mordentis naturæ, qui cum medicamentis sint infundendi. At mihi quidem magna cum consideratione uidentur ueteres ad oui deuenisse humorem, electo scilicet ex eo, quod & mordens minime esset, & glutinosum. Nam ex eo,
C quòd minime mordet, modo dictam *indicationem ijs compleuit: Ex lentore autem, ad indolentiã non nihil confertur. Quippe lenire eiusmodi humores possunt asperitates omnes, quascunque acris fluxio excitat. Accedit, quòd crassus mediocriter ac lentus humor constantius, quàm tenuis & aquosus, in loco permanet. Sane quòd lentum id, quod absq; morsu sit, cum modice incaleat, dolorem maxime leniat, id profecto ex mordentibus in aluo deiectionibus didicisti: in quibus iniectum seuum ilico *dolorem mitigat. Quòd autem permanere quoq; in laborante particula eiusmodi humidum expediat, manifestum est. Siquidem in ijs, quæ in uentre accidunt, per clysterem assidue infundere molestum est: In ijs, quæ in oculis, *genam attollere. At uero exquisitus membri sensus leue esse, quod inijciendum, nihilq; debere in se asperum sabulosumve habere, omnino indicat. Hinc igitur excogitatum commode est, tum humido oui utendum: tum, quæ terrea corpora ophthalmicis, id est ocularijs, medicamentis miscenda sunt, ea esse cum summa diligentia ad unguem leuiganda. Quoties tamẽ dolores his accidunt uehementes, repetitis ijs, quæ de omnium dolorum generatione accepisti, disquires, quonam ex his affectu dolere oculos in phlegmone, de qua nunc sermo proponitur, contingat. Nam aut ex uehementi acris confluentis humoris morsu: aut quòd eorum tunicæ plenitudine distenduntur: aut propter crassorum humorum flatuosive spiritus extensionem uehementes in his exci-
D tantur dolores. At morsum quidem tum purgantibus medicamentis, scilicet & deorsum reuellendo & uacuando curare conuenit: tum ipsi particulæ oui humore infuso, quo per eum acris fluxio sine offensa eluatur. Vbi autem prius concocta iam phlegmone ipsa fuerit, & simul corpus uacuum, tum utique lauationes in balneo his sunt aptissimæ. Nam & dolorem statim sedant, & fluxionem, quæ ad oculos fertur, sistunt, maxima quidem eius parte inter lauandum per totum corpus excreta: reliquo uero *diluto. At uero distensionem, quæ ex repletione prouenit partis, missione sanguinis, & alui deiectione, & infernarum partium frictione curare conueniet: quòd si necessitas aliquando urgeat, ligandis artubus: mox fomentis ipsi laboranti particulæ ex aqua dulci modice calida adhibitis. Atque [humorum uel flatuosi spiritus] extensiones curabimus uacuato prius in his quoque toto corpore: sed & humorum momento deorsum auerso. Mox localibus remedijs (Græci Topica uocant) utendum, non tamen medicamentis ijs, quæ repercutiant ac reprimant, immo ijs, quæ *euocent. Fouendi igitur sunt, sicut modo diximus, ac fœni græci decoctum ijs infundendum, sed lauato prius curiose fœno græco, nequid illi uel pulueris, uel sabuli adhærens clam lateat. Est nanque medicamen hoc maxime omnium, quæ oculis applicantur, sine offensa digerens. Meminisse uero in omnibus, quæ membratim docentur, communium præceptorum oportet. Quorum unum id est, digerentia medicamenta, ubi redundantia in toto corpore subest, si particulis quibusdam applicentur, imple-

A.l.3.f.2.T.1 c.10

* βλέφαρον .i. palpebram.

* Alias δῆξιν, idest mordicationem.

A. ibidem.

* contemperato.

* διαφοροῦσι.

A. ibidem.

re potius,quàm uacuare.Ergo tum reliquos morbos,tum uero phlegmonas (de quibus agimus)ſicubi E curas,nullo *euaporante auxilio prius fidenter uteris, quàm totum corpus *purgaueris. Illud quoque attendas in omni uitio,nedum phlegmone, oportet, aliquando totum corpus mediocri habitu eſſe in humorum tum qualitate,tum modo,unam autem aliquam,aut duas earum,quæ ſuprapoſitæ ſunt, partium,redundantiam ſuam ad ægram tranſmittere : ueluti non raro, ſed plane ſæpenumero accidere in oculis uidere licet,capite his fluxionem mittente. Manifeſtum igitur arbitror in ijs quoq; eſſe, ipſum prius caput ſanandum eſſe,explorato eius affectu, quem ſuperfluorum generatio comitatur. Et diutinas quidem oculorum fluxiones curamus oculis ipſis dimiſſis,atq; ad capitis procurationem conuerſi. Cuius uitium,ſi ex genere intemperantiarum ſit,curationem ex ſibi contrarijs,ſicut prius monſtratum eſt,adhibendam indicat. Plurimum igitur uel frigida intemperies caput uitiat, uel humida : nec dubiũ eſt,quin etiam ambæ congrediantur.Rariores ſunt,quæ propter calorem acrem oculis fluxionẽ immittunt:in quibus haud expedit ijs,quæ ex Thapſia & ſinapi fiunt,medicamentis uti,immo contrarijs omnino,oleo crudo,& hiſpano,& roſaceo,tum frequenti ex aqua dulci in balneo lauatione. Atq; aliquando cerebrum ipſum fluxionem tranſmittit:debetq; huius intemperies totius capitis epithematis corrigi. Aliquando uaſorum ipſorum uitium eſt:cum uenæ,uel arteriæ imbecilliores ſunt ſic,ut aliorum uaſorum ſuperuacua recipiant. Quo caſu aliqua earum parte exciſa, aut etiam totis bene alte præciſis, F *dura cicatrice,quod intereſt,intercipimus.Qua diſiunctæ inciſæ uaſis partes, continuæ præterea non ſint:nec ex altera in alteram confluere aliquid poſſit. Ceterum,cum eorum uaſorum, quæ in profundo ſunt recondita,ac e ſuperiore ad oculos unà cum neruis perueniunt, uitium eſt, nihil horum agi licet: Proinde ægre curabiles omnes eiuſmodi fluxiones ſunt. Quæ uero extrinſecus poſita uaſa ſunt,ea uel ſine chirurgia roborare licet,illitis medicamentis, quæ robur inſerant,Græci *Tonica uocant. Eſt &, quando calidus ſanguis,ac uaporum plenus ad caput aſcendit,ac maxime in arterijs redundat. Cui uitio excogitatum ſaluberrimum remedium medicis eſt, ut ipſa incidatur arteria. Oportet autem deraſo capite curioſe tangere, tum,quæ retro,tum,quæ ſecundum utranq; aurem ſunt,arterias:præterea, quæ in fronte,& quæ in temporibus ſunt. Quarum,quæ calidiores alijs apparebunt, ac maiorem exhibentes pulſum,hæ ſunt incidendæ.Quæcunq; uero & paruæ & prope cutem reſident, harum uel ſi partem aliquam excideris, ueluti facere in crurum uaricibus ſolemus, aptius erit. Noſtroq; tempore quidam ex ocularijs medicis non minimus,ex arterijs,quę in temporum ſummis muſculis reſident,non exiguã excidit partem. Ac fere quidem,cum exciſa eſt arteria, reliquæ eius partes ad ſibi continuas retrahuntur. Euenitq; id magis in ijs arterijs,quæ tum minores ſunt,tum minorem exhibent pulſum. Quòd ſi inter nudandum appareat tibi uas magnum,aut magnum exhibere pulſum,tutius fuerit uinculo id prius G excipere:mox,quod in medio eſt,præcidere.Sunto autem eiuſmodi uincula ex materia aliqua ægre putreſcibili. Talis autem Romæ eſt ea,quæ Gaietanorum dicitur,ipſa ex Gallijs aduecta:uendita uero maxime in ſacra uia,quæ a templo deſcendit ad fora. Ac horum quidem Romæ facilis eſt copia:viliſſime enim uenduntur. At,ſi in alia urbe artem exerceas,comparetur filum aliquod ex ijs, quæ ſerica nuncupantur. Habent enim ea diuites mulieres in multis ſub ditione Romanorum locis, potiſſimum in magnis urbibus,in quibus multæ ſunt mulieres id genus. Sin huius facultas non eſt, ex iis, quæ inueniuntur in regione,quam incolis,deligito materiam,quæ minus ſit putreſcibilis:cuiuſmodi eſt graciliũ chordarum. Nam,quæ facile putreſcunt,eæ cito a uaſis decidunt. Nos uero poſt,quàm undique ſunt carne impleta,decidere uincula uolumus. Quæ nanq; caro in abſciſſis uaſorũ partibus coaleſcit,ea pro operculo eſt,ac oſculum eorum cludit. Poſtea uero,quàm id factum cernitur, decidere iam uincula ſecure poſſunt.At uero,cum uenarum partem aliquam excideris, non eſt opus, eas tam imputreſcibili materia deliges,ſed ſuffecerit alia quæpiam.Siquidem in arterijs perpetuus motus inſecti uaſis ora reſoluit. In uenis autem,poſtea, quàm ſemel ſunt utcunq; clauſæ,ſiue per deligaturam conſtrictæ, ſiue per medicamentum adſtrictæ,permittunt circumpoſitam carnem circa coaleſcere,potiſſimum ſi,qui curatur,immotam partem ſeruet, magisq; etiam, ſi toto corpore uacuato ipſam attollat. Quippe etiã uarices ita H curamus.Vocatur autẽ uarix uena dilatata.Porrò dilatatur in teſticulis & cruribus *omnino.Sed,quoniam,cum hos adhuc ſcriberem commentarios,non pauci amicorum rogarunt,ut in fine totius operis omnia,quæ ad chirurgian pertinent, deinceps memorem, idcirco tractatio de uaricibus nunc differatur. Cum uero non pauci ſpeciatim ſint oculorum morbi,qui magis ſpecialem curationem deſiderent, ne de his quidem hoc loco pluribus eſt agendum. Nam,qui curioſe,quæ prædicta ſunt,legerit, & naturali prudentia fuerit,huic omnia inuenire,eorum ratione ſequenti,nullo negocio licebit.Qui autem tales non ſunt,ijs ſatius fuerit omnium uitiorum,quæ oculis incidunt,curandi rationem priuatim ſcribere : maxime cum amicorum non pauci ita poſtulent.

*διαφορητικῷ
* Vacuaueris.
A. ibidem.
* Aliqui cod. habent σμικρὰ .i. exigua: plures tamen σκληρὰ .i. dura.
* Tonotica.
†[illegible]

GALENI METHODI MEDENDI, ID EST DE MORBIS CVRANDIS, LIBER QVARTVSDECIMVS.

ARGVMENTVM LIBRI.

De reliquis tumoribus & affectibus præter naturam curandis, ſumpta ex ſingulorum generibus curandi indicatione.

Quid differat inflammatio, & Eryſipelas. Cap. I.

DE tumoribus,qui præter naturã in corpore conſiſtunt,quot numero, qualesq; ſint,proditum a nobis ſingulari uolumine ſeorſum prius eſt.Quemadmodum B autem hi methodo curandi ſint (quod utiq; docere propria propoſiti operis profeſſio eſt) in horum commentariorum tertiodecimo præcipere cœpimus. Et,quoniam in ſuperioribus de omni febrium ratione ſermo erat habitus, aptius mihi uiſum eſt de phlegmone primum differere, ut quæ & frequentiſſime incideret,& febres ſubinde accenderet.Ac dictum quidem non nihil fuerat in febrium curatione inter ceteras earum cauſas,etiam de phlegmone.Verum abſolutus ſermo,& qui proprie illi debebatur, in libro,qui hunc præcedit, eſt traditus:in quo methodum curandæ eius,qualis nam eſſe conueniat, tradidimus:nequaquam tamen auxiliorum materiã, niſi tantum exempli gratia,ſicut in ſuperioribus fecimus. Haud longe uero a phlegmone abeſt & alius morbus,quem Græci Eryſipelas uocant. Is,uti monſtratũ eſt,ex billioſo ſucco naſcitur. Sed præſtiterit fortaſſis eũ pluribus uerbis a phlegmone diſtinguere.Ergo cõia amborum ſunt,tum tumor,qui præter naturam ſit,tum uero calor.Diſſident inter ſe primum & maxime colore:quando,ſi is ruber ſit, phlegmonen uitium appellant:ſin pallidus flauusve,uel ex pallido flauoq; colore miſtus,eryſipelas.Præterea pulſatio magnæ phlegmones propriũ eſt ſymptoma,quippe quæ alte magis in corpus demittitur:Eryſipelas uero in cute potius conſiſtit,quàm alte deſcendit.Tenuis nanq; ſubſtãtiæ eſt pallidæ bilis humor. *διερχόμενος. C Itaq; facile ad ipſam cutim transfluit,carnoſis rariſq; corporibus *tranſmiſſis. Cutis uero denſitas non æque eſt huic bili peruia,niſi ſi admodum tenuis aquoſaq; ſit.Talis nanq; maxime eſt etiam, quæ quotidie cum ſudore exit. Licetq; multorum,qui in balneis ſudorem ſibi ſtrigilibus detergunt,hunc eius uidere coloris,cuius lotium eſt,iis,qui diutius cibo abſtinuerunt. Neq; enim ignoras eorum, qui ediã diu tolerant,pallidius ex aquoſo lotium reddi,mox uero etiam flauum, niſi quis prius humectante nutrimento potioneq; ſqualorem corporis irroret. Ac corpore quidem pro naturæ modo gubernato, amaræ bilis ſuccus inuiſibiliter exhalat:Præter naturam uero ſe habente, tum alijs (de quibus poſt agetur) uitijs redundat:tum uero eo,de quo nunc agitur,quod eryſipelas uocant. Cum enim uel longe copioſior, uel craſſior,quàm pro naturæ modo,redditus,* uniuerſus ad cutim compulſus fuerit,eam tum perurit,tum in tumorem attollit. *ἀθρόως

Quo pacto inflammatio, & Eryſipelas oriantur, ac de ipſorum generibus. Cap. 2.

SEd ſatius eſt, ueluti ſemper non dicimus modo,ſed etiam facimus, ita nunc quoq; a rebus nõ a nominibus initium faciamus:alterumq; principium,priore ſcilicet commodius,eiuſmodi, ſermoni demus. Cum ſanguis copioſus in aliquam particulam procubuit ſic,ut ab eius particulę uaſis nequeat cõtineri,exilitq; aliquid inſtar roris ex ipſis uaſis in ea muſculorum ſpatia,quæ ſimilaribus corporibus,ex D quibus componuntur,interueniunt,utiq; tumor ex plenitudine oritur,cui ſuccedit cutis tenſio † [& in alta carne cum pulſu dolor,] & tangenti renixus quidam,& rubor, & calor, ipſa nimirum cute ea, quæ ſubiecta ſibi caro patitur,ſentiente. Similis iam dicto & in viſceribus affectus oritur.Eſt enim his quoque ſua quædam caro,quam aliqui Parenchyma græce vocant, in quam videlicet ſanguis ex refertis vaſis halitus ſpecie exudans,iam dicta ſymptomata efficit. Atq; hic unus affectus eſt ſanguineæ fluxionis ſoboles,in carnoſa corpora maxime incidens. Secundus alter bilioſæ fluxionis germen eſt, ac circa cutim maxime conſiſtens,tum hanc externam, quæ omnium partium commune eſt tegumentum, tum membranoſam & tenuem,quæ ſingulis internarum eſt circundata. Ergo, ſicuti prior affectus etiã cutis aliquid apprehendit,ita hic quoque aliquid ſubiectæ ſibi carnis occupat. Quòd ſi craſſior humor acriorq; ſit,ſummam cuticulam(Græci Epidermida uocãt)excoriat : ſpatioq; temporis ad profundum aliqñ cutis exulceratio peruenit.Atq; hic quidẽ affectus eryſipelas nuncupetũ,duplicem(ut iam dictum eſt)habens differentiam,ꝙ uel abſq; exulceratione,uel unà cum hac incidat. Prior autẽ affectus unius rationis eſt,voceturq; phlegmone. Cum ergo nec plane bilioſa,nec ſanguinea fluxio eſt, ſed ex ambabus miſta,utiq; ab eo, quod in miſtura exuperat,nomen ipſi indatur,ac dicatur de eo id,quod exuperatur,ſic,ut uel phlegmonen eryſipelatoſam id uocemus,uel eryſipelas phlegmonoſum.Vbi autem neutrum uincit,ibi uitium phlegmones eryſipelatoſq; medium nominetur.

†ὀδύνη δ' ἐν τῷ βάθει, καὶ πόνος μετὰ σφυγμοῦ.

Ratio curandi simplex, & cum reliquis affectibus iunctum Erysipelas. *Cap.* 3.

CVrationis uero methodus, sicuti in alijs compositis, ita & nunc tradatur, initio a simplicibus sumpto. Ergo omnibus, qui sic præter naturam consistunt, tumoribus communis* indicatio uacuatio est. Adieci uero illud sic admonens te multitudinis humorum, qui eos excitent. Nam, siquis eos uacuet naturalem habitum membrum recipiet. Iam uacuatio pari modo in omnibus duplex est, una repellentium ad alias partes, altera foras digerentium per eum, qui sensum fugiat, halitum. At, quoniam erysipelas non quantitate modo affligit, sed etiam qualitate ipsa ex uehementi scilicet inflammatione cruciat, ampliorem refrigerationem, quàm phlegmone requirit. Nec tamen non periculosa toti corpori est eiusmodi curatio propterea, quòd bilis interim ad aliquod princeps membrum fertur: quippe cum, si uel sanguis ipse abundet, haud tutum sit ex minoris notæ membris fluxionem eius repellere. Tanquã igitur in illa post totius corporis uacuationem Apocrusticis, id est repellentibus, uocatis auxilijs usi sumus, ita nunc quoque faciemus, sed pro sanguinis missione, medicamento, quod bilem trahat, purgantes: ipsam uero afflictam particulam refrigerantes. Esto autem refrigerationis terminus, ipsa coloris mutatio. Etenim, quod purum erysipelas est, statim cum hoc quiescit: quod non purum est, sed iam quo dammodo phlegmonodes, si pluisculum refrigeres, liuidam cutim præfert. Sin ne sic quidem quis desistat, nigricat, potissimum in senili corpore, sic, ut quædam ita refrigeratorum ne digerentibus quidem medicamentis ad perfectionem sanentur, sed scirrhosus quidam tumor in particula relinquatur. Ergo satius est, ubi laborantis particulæ alteratum colorem uideris, a refrigerantibus adstringentibusque ad contraria transire prius, quàm uel liuida, uel nigra prorsus fiat. Porrò refrigerantium materia in opere de medicamentis est tradita. Solanum, & semperuiuum, & portulaca, & umbilicus ueneris, & psyllio, & altercum, & lactuca, &* intybum, & lenticula palustris, & cerata ex aqua admodum frigida, & alia id genus. Vbi uero inflammatio ægrotantis membri iam desijt, cataplasma illi prius, quàm liueat, ex hordei farina (ὠμὴν λύσιν græce uoco) est imponendum. Quod si iam liuor occuparit, incisa cute cataplasma superponendum est,† [perfundendusque locus plurimum quidem ex aqua calida: sed & marina aqua, & muria interim conducet. Quinetiam ipsi cataplasmati eiusmodi aqua, uel acetum, uel oxalme miscea tur] Hoc tempore etiam coriandrum cum* polenta quidam esse salubre erysipelatum medicamentum scripserunt. Alij rursus eodem inter initia usi, magnæ noxæ occasio laborantibus fuere. Sed & rosaceũ ceratum, cui immistum sit calcis aliquid, eodem modo sunt. qui prodiderunt erysipelati prodesse, aliaq; similis generis non nulla ex ijs, quæ ualenter excalfaciant. Quorum nullum est erysipelatis medela ante, quàm uidelicet mutatum desinat esse id, quod ab initio fuerat, atque alterum iam, illique contrariũ euaserit. Quomodo enim, quæso, non sit contrarius calido affectui frigidus: aut ei, qui flauo aut pallido colore est, is, qui liuidus aut niger est? Sicuti autem subinde phlegmonæ admiscetur erysipelas ita etiam aliquando œdemati: ac uocetur, quod ex ambobus tum est conflatum, erysipelas œdematosum non secus, quàm, ubi ex refrigerando durum ægreque resolubile redditur, uocabitur erysipelas scirrhosum. Iam curatio quoque, ueluti in omnibus compositis, ita in his administrabitur: ac potissimũ quidem contra exuperans pugnabitur, non prætermissa tamen nec ea, quæ ex admisto præstatur, facien dorum indicatione.

A.l.4.f.3.t.1. c.4.p.840.E.

*σύρισις.

† Antiqui codic. ita legunt αἰσονεῖν τε τὰ μὲν πλέιστα δὶ ὕδατος θερμοῦ καὶ θαλάσσης καὶ ἁλμης. ποτὲ δὲ συνόξει καὶ αὐτῷ γε τῷ καταπλάσματι μιγνύειν τὸ τοιοῦτον ὕδωρ ἢ ὄξος ἢ ὀξάλμην. i. perfundendusq; est locus plurimum quidẽ ex aqua calida, & marina aqua, & muria. non nunquam uero cõducet ipsi cataplasmati eiusmodi aquam, uel acetũ, uel oxalmen miscere.

De curandis œdematis, & scirrho. *Cap.* 4.

SIcut autem ex bilioſa fluxione erysipelas, ita ex pituitosa constat œdema ipsum, rarus quidam atq; indolens tumor. Equidem scio aliter quoque œdemata prouenire, †[sicut] in pedibus, in intercutis aquæ affectibus, & phthois, alijsque, †[qui uehementes sint,] malis corporis habitibus. Atque in illis quidem œdema* multitudinis eius, quæ hominem premit, est symptoma, nullam seorsum propriam curationem requirens. Nam satis erit, (si modo curatione egebit,) ipsa tum crura perfricare alias oxyrhodino, alias oleo cum sale, aut etiam oxyrhodino sal habente. At, si ex pituitoso humore in particulã influente œdema, constitit abunde, aliquando satisfacit spongia, quæ ex aqua, in qua sit aceti aliquid, maduerit. Porrò hæc ita attemperabitur, ut uel bibi possit, uel ut non multum supra hoc, aceti habeat. Deligare uero spongiam debebis, ab inferiore parte incipiens, ac supra finiens. Esto autem spongia, si modo conductura sit, omnino noua. Huius si copia non est, cuius erit, hanc detergebis expurgabisq; nitro, & aphronitro, & aqua lixina. Quòd si sub his œdema non subsidat, ubi rursus deligabis, pusillũ aliquid aluminis conijcies, ac nouam spongiam admouebis. Si nouæ copia non sit, melius est eo, quod uulgus uocat Elychnion, utare. Id uero ante omnia molle esto, quod genus Tarsicum est. Cuius si facultas est, audacter utitor: utilius enim experiere, quàm spongiam. Madeat uero ex pusca, quæ aliquid habeat aluminis: tum (ut præscriptum est) deligetur ab inferiore sursum. Sit autem arctatio mediocris, ueluti in offis fractura. ac primæ quidẽ fasciæ iniectiones, quæ scilicet inferne incipiunt, magis arctandæ: quæ deinceps sunt, sensim remittendæ, ceterum non adeo, ut laxa sit aliqua deligationis pars. Porrò idoneũ medicamentum ad hæc & Glaucium est, tum ipsum per se liquatum ex pusca, tum uel magis medicamentum nostrum, quod ex eo compositum est. Cuius compositionem habes in eo opere, quod de medicamentis est inscriptum. Sane hactenus a me scripta fuerant opera tria, unum de simplicibus: alterũ post hoc de compositione medicamentorum: & tertium de facile parabilibus. Quartum autem adscribere constituì: quandoquidem multi amicorum ita suadent. In eo de communibus & proprijs cuiusque partis & uitij medicamentis agetur. Verum medicamen illud, quod Glaucium habet, non œdemata modo,

† Hæc nõ sunt in antiquis codicibus.

* In antiquis legitur πάσσων id est affectiõnis.

A.l.4.f.3.t.2. c.3.p.849.B.

A.l.4.f.3.t.2. c.3.p.850.D.

Adolorum uero multo etiam magis tum erysipelata, tum phlegmonas incipientes sanat, ac potissimum calidas. Manifestum autem, quòd erysipelatosas phlegmonas, & erysipelata phlegmonosa idem medicamentum sanet: At non eas phlegmonas, quæ in scirrhum iam transierunt: aut erysipelata, quæ iam refrixerunt: aut denique ullum scirrhosum affectum sanauerit; de quibus utique in quinto de simpliciũ medicamentorum facultatibus aliquid est proditum: dicetur uero & nunc. Siquidem humor, unde eiusmodi uitium nascitur, aut glutinosus est, aut crassus, aut utriusque rationis particeps. Curandi uero eius communis* indicatio est, ut quod præter naturam in particula est, totum uacuetur. Modus tamen uacuationis eius proprius est. Nam detergere id, ubi contumaciter inhæret, oportebit. Quod si quis ijs, quæ* uehementer trahunt digeruntque, medicamentis uacuare tentet, nec ijs, quæ humectent & excalfaciant, molliat ac liquet, huic paucis primis diebus egregie processisse curatio, uidebitur: ceterũ, quod de affectu restabit, id insanabile erit: siquidem toto, quod in eo tenuium partium erat, digesto, quod reliquum est, ueluti lapidosa concretio, linquetur. Quippe etiam, qui in articulari morbo uisuntur pori, ex humore crasso glutinosoque prouenium: quando is non paulatim est digestus, sed uiolentis medicamentis totus simul siccatus. Ad eundem modum & calculi generantur in renibus, asso scilicet in his crasso glutinosoque succo. Hac igitur de causa ad scirrhosos affectus nullum uehementer excalfaciens siccansve medicamentum est aptum, sed ea tantum, quæ cum molliendo digerere possunt: cuiusmodi sunt tum ceruina medulla, tum uitulina, tum seuum hircinum, & taurinum, & leoninum: ad hæc ammonia cum thymiama, & bdellium utrunque, magisque Scythicum, quanto uidelicet est humentius. Parimodo & styrax, qui humentior est, sicco utilior est. His igitur* indicationibus attentus, etiam cõplicatos affectus sanare poteris, pro subinde iam dicta in omnibus compositis uitijs methodo.

*ἄθρόως.

Indicationes remediorum, quæ in scirrhis & œdemate ab affectis partibus præbentur. *Cap.* 5.

A.l.4.f.3.t.2. c.12.p.853.a.

MIhi uero iam tempestiuum fuerit de affectarum partium differentia mentionem facere: quã semper in omnibus tum morbis, tum symptomatis in memoria habendam censui. Diximus autem non pauca de indicatione, quæ ab ijs sumitur, in libro, qui hunc præcedit. Siquidem omnium, qui præter naturam sunt, tumorum, in quibus utique adhuc nõ sunt geniti pori, prima curationis* indicatio uacuatio est. Earum uero partium, quæ iam scirrhum contraxerunt, uacuatio per iam dicta medicamenta perficitur: uocareque ea malactica, id est mollientia, medici solent. Quoniam autem membrorum alia rariora naturaliter sunt, alia densiora, etiam uacuationem eorum diuersa specie remedia postulare est necessum. Hac igitur de causa tum in tendonibus, tum in ligamentis, [cum scirrhosa fuerint,] uisum mihi satius est ei curationi, quam per mollientia medicamenta molimur, aliquid incidentium admiscere. Ex quorum numero uel in primis acetum est. Interim uero & in alijs* partibus, quas scirrhus affecit, eo utimur: ut paulo post dicam. Verum in tendonibus & ligamentis in hunc modum: In aceto acerrimo candentem igni lapidem extinguo, ac, si quidem haberi potest, qui certe in magnis urbibus rarus nõ est pyriten: Sin eius copia non datur, molarem, Græci Myliten uocant, scilicet ex quo molas, quibus molimus, faciunt. Deinde ascendente post infusum lapidi acetum uapore calido, in hoc dimoueri scirrhosũ ligamentum uel tendonem cogo: atque exinde rursus medicamen, quod molliat, impono. Oleo tamen principio curationis, non aqua, quotidie omnino laborãtem particulam perfundo. Esto autem id oleũ haudquaquam adstringens, sed plane tenuium partium, cuiusmodi Sabinum est. Incoquimus autẽ oleo interdum althææ radicem, ac syluestris cucumeris, & siqua est eius generis alia. Atque hoc utor (ut dixi) quotidie. Ceterum curatio, quæ per acetum administratur, utilis est uitio iam adulto, & cum præparata iam sub mollientibus pars fuerit. Excogitaui autem & composita quædam ex aceto medicamenta, quæ inter mollientium usum ad unum diem impono. Siquidem aceti uis, modo ea quis modice & debito tempore utatur, salutaris eiusmodi affectibus est, ceu crassos uiscidosque humores dissecans ac dissoluens: sin uel immoderatius, uel in tempore non idoneo, tenuiores partes uiolenter absumens, id, quod reliquum est, lapidescere sinit. Sed & siquis eo diutius utatur, substantiam ipsam neruorum delibauerit. Ob id igitur nec sæpe, nec inter initia, nec longo tempore, medicamentis, quæ ex aceto componuntur, ad ligamenta & tendones est utendum. At in liene & carnosis musculi partibus scirrho affectis tutus eius est usus. Quippe raræ sunt naturaliter hæ partes, nec est quod metuas, nequis neruus eius ui lædatur. Ac ammoniaco quidem thymiamate cum aceto etiam alij non pauci lieni imponentes utuntur, ad luti scilicet crassitudinem, quod ex utrisq; mistum est, redacto, Idque solum ei curando sæpe satis fuit. Ad musculos uero, alium sane non uidi: ego uero ẽt sæpe sum usus, utiq; mollientium usui interponens. Atq; sub illis nulla cernitur euidens utilitas. Sed postea, quàm mollitus per ea scirrhosus tumor est, maximum certe usum ammoniacũ aceto liquatũ confert. Sufficit aũt eo uno alterove die usos, rursus ad molliẽtia reuerti. Ac rursus his pluribus diebus usos, denuo ad medicamen, quod ex aceto sit, redire, siue id ammoniacum, siue quid aliud habeat eorũ mollientiũ, quæ paulo supra sunt cõprehensa. Neq; enim aliud quicquam est admouendũ: cuiusmodi. s. pleraque sunt eorũ medicamentorũ, q̃ *sicca uocãt. Siquidẽ inter initia medicamentũ probabis, sed id insanabiles affectionis reliquias relinquet. Ego nanq; eiꝰ rei cã in medio tpe cataplasmate ex althæa sum usus. Vocat aũt hãc uulgus Anadẽdromalachẽ. Huiꝰ igitur radix seuo soluta salutare ad talia medicamentũ est. Esto aũt scuũ, si fieri põt, an serinũ: Sin id nõ sit, gallinaceũ: Sin nec huius facultas sit, suillo utendũ, Sed & syluestris maluæ, q̃ passim nasci-

A.ibidem.

A.ibidem.

A.ibidem.

* In antiquis codicibus legitur ἐξυρῶν i. quæ acetũ recipiunt.

nascitur, folia cum supradictorum aliquo tusa proficient. Meliora tamen crudis sunt, quæ modice ante E sunt decocta. Ac eiusmodi quidem auxilia, & curationis uariatio, qualis iam comprehensa est, omniũ particularum, quæ scirrhosis uitijs sunt affectæ, communia sunt. Ad eundem modum œdematum curatio, quam paulo ante memorauimus, comprehensis iam differentijs per particulas uariatur. Iis.n.quæ in præcordijs sunt, œdematis nemo frigidam ex pusca spongiam applicuerit: ueluti nec alijs, qui in his sunt, tumoribus. Iam quis absinthium oleo incoquens, genu unquam perfudit? Quis oculum, aut aliquid eorum, quæ intra os sunt, qualitercunq; affectum? At iecinori ægrotanti & lieni subinde cum maxima utilitate adhibetur. Docet id ipsum & experientia, quæ uim eorum euidenter indicat, non secus, quàm ratio. Nos tamen nunc hoc opere solam eam remediorum inuentionem, quæ methodo paritur, qualis nam sit, disserimus. In operibus de medicamentis ambas miscuimus, omnia medico cognoscenda esse rati, tum quæ solo inuenta sunt usu: tum quæ sola ratione: ad hæc tertio loco, quæ conferentibus ad inuentionem utrisque. Omnibus autem his ille solus commode utetur, qui in hac methodo est exercitatus.

Tumorum induratorum differentia, & qui proprie scirrhi appellentur. *Cap. 6.*

AC de phlegmone quidem scirrho & œdemate satis sunto, quæ hactenus sunt comprehensa, illo non omisso, quòd scirrhum nominamus tumorem durum, qui sine dolore est, non tamen omni- F no sine sensu. talis enim sanabilis non est. reliqui omnes, sicut ægrius sensilem ipsam partem affectam reddunt, ita omnino insensibilem non faciunt, utique si sensilis natura sit. Ligamenta nanque scimus insensilia esse. † [Quòd siquis eos dũtaxat tumores, qui & præter naturam sunt, & omnino insensiles,] scirrhos appellandos censeat, reliquos non scirrhos, sed tumores scirrhosos, & se de nominibus litigare sciat: & nos, quoties cum eo disputabimus, ita quoq; affectum nominabimus. Siquidẽ is mos noster est, quibus quisq; nominibus delectatur, ijsdem in disputatione cum illo uti.

† Quod siquis dũtaxat tumores præter naturam, qui omnino sint insensiles.

De inflationibus curandis, ac præsertim de Priapismo. *Cap. 7.*

NVnc tempestiuum est, ut de inflationibus differamus: quibus diuersa ab œdematis curatio est. Illa nanq;, ceu diximus, ex pituitoso succo ortum habent, proinde prementibus nobis cedunt, digitique admodum alte in ipsa descendunt. Inflationes uero ex flatuoso spiritu collecto nascuntur, alias sub cute, alias sub membranis, quæ ossibus circundantur, aut musculos uiscerumve aliquod* includunt. Porrò colligitur aliquando non parum etiam in uentriculo & intestinis, itemq; in medio spatio horum & peritonæi. Differunt quoq; hæc ab œdematis, quòd & pressa digitis non retinent uestigium, & sonitum, ueluti tympanum, reddunt: Itemq; quòd in cauitate sensibili subinde continentur, atque hac non nunquam maxima.* Indicatio autem curationis omnium communis est, ut, quod præter naturam est, G uacuetur, in quocunque id contineatur: Propria uero post hanc communem est, ut tenuissimis & calidis potestate medicamentis. Atque in uentriculo quidem & uisceribus oleum, quod tenuium est partium, quodq; rutam habet incoctam, aut aliquod calidorum seminum, cuiusmodi sunt cumini, & apij, & petroselini, id præstabit: Aliquando uero & cucurbita magna bis terve sine incisione medio uentri affixa. Tanta uero ac taliter applicata etiam totum umbilicum comprehendet. At in artubus & musculis, qui sub cute, aut etiam membranis, quæ ossa uestiunt, inflatio orta, si citra dolorem sit, liquor aliquis tenuissimarum partium, cuiusmodi est lixiuium noua spongia exceptum, satisfecerit: sin dolor quoque urget, ungenda pars est oleo, quod relaxandi remittendiq; uim habeat. Incidunt porrò ex percussionibus eiusmodi affectus, ubi scilicet uel musculus, uel mẽbrana, quę os circuit, est contusa. Ac super membranam quidem, quæ os ambit, antedicta imponenda est spongia. Ad musculos uero (nanq; hi aliquando dolent) medicamentum, quod magis mitiget, est adhibendũ. Quo fit, ut ad hos solo lixiuio non utamur, sed immissa ei tum sapa, tum pauculo oleo. Satius autem fuerit in principio non addidisse lixiuiũ, sed sapa cum uino & exiguo aceto uti, ac, quod mediocre sit, olei adiicere: ubi mista sunt, modice excalfacere, ac lanam non lotam, quam œsyperon, id est succidam uocant, ipsis imbutam imponere. Quòd si eiusmodi lanæ facultas non sit, ipsius œsypus iniiciendus miscellæ supradictæ est. Quòd autem atticus H œsypus ceteris omnibus præstet, tametsi a me non dicatur, ipse scis. Quinetiam ceratum, quod ex œsypo componitur, medicamentum est omnibus notum. Vtuntur plurimi eo ad phlegmonas, quæ in præcordijs sunt. Ergo huius quoque aliquid, ubi œsypus præsto non est, recte inieceris. Debent enim contusi musculi leniri medicamento, cui mista facultas sit, quæ simul concoquat, digerat, & modice astringat: quando, si nihil habet adstrictionis, auget aliquãdo phlegmonas: ac maxime in ijs corporibus, quæ plethorica sunt. Ergo trium iam comprehensarum * indicationum in inflatis ex plaga quadam musculis memor, ubi dolor maior urget, mitigatiua magis ratione uteris: vbi abest, [† maiori ui instabis.] Maiorem uim intelligo, cum breui uia properatur ad finem. Porrò breuis uia fit per ea medicamenta, quæ ualentes habent uires: hæ maxime in lixiuio & aceto habentur, post hæc in uino. Quoties igitur de mitigando non laboras, horum plus in misturam coniicies. Rursus, ubi repellere studes, uini plus, quàm horum, immittes. Porrò id optimum in hunc usum fuerit, si nigrum austerumq; sit. At, si digerere males, lixiuij plus indes. Acetum uero si his miscebis, ad ambo erit utile propterea, quòd mistas (ut monstratũ est) habet facultates. Vbi uero musculus sine dolore est, licet sane in lixiuij penuria pro eo aphronitrum immittere. Esto autem id minime lapidosum, sed magis spumosum. Est uero, quod lapidosum est, durum & spissum, ac ægre liquabile, cum dictis liquoribus miscetur: Spumosum uero molle est & laxum,

A.l.1.f.2.d.3. c.9.p.86.f.

* περιέχουσι.

A.l.2.t.1.c.4. p.172.c.

† ἀγωνιστικωτέρῳ τρόπῳ χρῶ.

A laxum, itemq; candidius, quam lapidosum. Hoc itaq; tum celerrime ab humore soluitur, tum iuuat maxime, utpote tenuium partium. Quæ uero huius generis inflationes neglectæ inueterarunt, primo quidem loco his ea, quæ ex lixiuio componuntur (ut prædictum est) adhibeas: secundo loco emplasticum aliquod. Dicam autem & horum exemplum. Strigmenta gymnasiorum feruefacta percola primum sic, ut pura sint: deinde rursum in cacabum immissis, calcem uiuam in farinæ speciem tunsam insperge ad luti usque crassitudinem. Salutare his est & medicamen, quod ex sycomoro componitur, aliaq; id genus. Nunc enim (ut dictum est) exempla tantum eorum medicamentorum scribo, quorum generalis facultas per medendi methodum inuenitur. Tanquam uero medicamentorum hoc loco ponũtur exempla, tum ut tota hæc methodus clarius intelligatur: tum ut magis nobis ad inueniendam materiam facultas suppetat: sic etiam & affectarum corporis particularum proponuntur. Statim enim affectus quidam est, quem iuniores Priapismum nuncuparunt propterea, quòd ijs, qui sic sunt affecti, etiam inuitis pudendum arrigitur. quod ubi uiderit quispiam, qui in his commentariis est exercitatus, protinus intelliget ex inflationum esse genere. Qui enim memoria tenuerit tum omnia, quæ in dissectione eius membri apparent, tum quæ de functione eius & usu in naturalibus libris sunt prodita, is nullo negocio intelliget, quòd cauernosus neruus, qui propriam colis substantiam constituit, halituoso B spiritu impletus affectum hunc excitat. Porrò halituosum spiritum in animalis corpore ex succis, qui lentè sensimve excalfiant, nasci didicimus. Quippe, ubi tum insitus calor ualidus est, tum partis humiditas ad summum concocta, utiq; in tenuem halitum soluta insensibili trãspiratu in ambientem effluit: Contra, ubi uel ingenitus calor imbecillior est, uel naturalis humor tum semicoctus, tum crassus, tum glutinosus, ibi crassior excitatur halitus, quàm ut transpirare possit, ac potissimum sicubi particula ipsa densior est reddita. Non nunquam uero humor, qui in membro continetur, subfrigidus est, præterea crassus & glutinosus: auctior uero calor in halitus eum crassos resoluit. Quæ res profecto magnopere tibi ad curationem æstimanda discernendaq; est. Siquidem principium ambobus affectibus commune est, nempe totum prius corpus uacuare, † [modo id capax uacuationis sit. Dictum uero a nobis sæpe est de uacuantium auxiliorum facultate. Ea sunt missio sanguinis: & purgatio tum per ea medicamenta, quæ subter expellunt, tum per ea, quæ supra, siue ea uomitoria dicere mauis: præterea multa frictio, & omnis dimotio: itemq; balneum, potissimũ quod ex aquis sit digerentibus. Sed & acria medicamenta illita per halitum digerunt, omniaq; uno uerbo, quæ calfaciunt & siccant. Ex accidenti etiam uacuare indicauimus & cibi abstinentiam, potissimum ubi ambiens calet. Ergo, quicquid horum sustinere cubans aptissime potest, eo est uacuandus, imponendumq; ipsi laboranti particulæ medica- C mentum, si ea calidior sit effecta, quod ad portionem caloris abundantis refrigeret. Sin aliter, inter initia quidem omnino, quod modice refrigeret: postea uero id necessum non est. Pari modo, & quæ circa lumbos sunt particulæ omnes, eiusdem facultatis medicamento sunt comprehendendæ: etiam reliquus uictus exhibendus, qui & flatui aduersetur, & siccet. Incidit uero uitium hoc non sane multis, sed iuuenibus magis, quàm alijs ætatibus: quo magis his sanguinis missio præcipue est salutaris, ceu nec ætate eorum eam recusante. Scio enim ipse quendam a me curatum tribus diebus, naturalem habitum recepisse, sanguine primum misso, dein medicamento hoc adhibito. Ceratum ex simplici rosaceo factum ita liquidum, sicut ad fracturas uti solemus, aqua frigida imbuens, ac simul cum ea subigens (nã æstatis initium erat) pudendo ac lumbis imposui: atque ita quidem hunc percuraui: simili modo & alium, qui post missum sanguinem humido medicamento, quod ex chamæmelo conficitur, est usus. Porrò istis etiam nymphææ aliquid potandum exhibeo, saltem in principio: mox* amerinæ semen: ac, si traxerit adhuc uitium, rutæ semen copiose comedendum. Est enim illud commune præceptum omnium ferme, quos uitiosus succus creat, morborũ, quòd in fine calfacientibus & siccantibus sit utẽdum: quippe hæc, quod reliquum humoris est, prorsus absumunt.

A.l.3.f.2., t.1.36.f.

A.ibidem c.39.p.699.

† τὴν ἂν δίοιτ' εἴη δέξασθαι κένωσιν legunt antiqui codices .i. ea nimirum euacuatione, quã ipsum ferre possit.

* τῆς ἄγνου .i. uiticis.

Quo pacto prætumida lingua laborans a Galeno curatus sit. *Cap. 8.*

D SAne linguam ita tumefactam cuidam uidimus, vt ore hominis contineri non posset. Huic nec uena unquam incisa fuerat, & sexagenarius iam erat: horaque diei fere decima erat, cum ad eum primum accessi & uidi. Ac uisus mihi est usitatis mihi pilulis, quæ ex aloe, scammonea, & colocynthide constant, uespere datis purgandus: ipsi tamen particulæ afflictæ suasi refrigerantium aliquid imponere, saltem in initio. Post enim, inquam, applicabimus, prout suadebit euentus. Verum id uni medicorum non placebat: ac propterea pilulas quidem sumpsit, de locali tamen remedio deliberatio in diem posterum est dilata: quo tempore etiam efficacius aliquid pręstiturum quicquid probatum fuisset, sperabatur, & purgato scilicet iam toto corpore, & humoribus ad inferna reuulsis. Ceterum ea nocte euidentissimum per quietem insomnium, nostrum homini consilium approbauit, ac materiam ipsam medicamenti definiuit, lactucæ succo collui iubens: quo ille solo vsus, prorsus est sanatus, nullius alterius egens. Quòd autem in priapismo uomitorijs medicamentis potius, quàm subducentibus, sit utendum, in linguæ uitio contra, id ex partium situ indicari manifestum est. Nam auersionis in contrarium (quæ ab Hippocrate antispasis dicitur) non a substantia, sed a curandi membri positu, inuentio præstatur.

De Cancri ortu,& curatione. Cap. 9. E

IAm uero tempus monet,ut ad aliud tumorum genus tranſeamus,atque a re potius, quàm nomine, initium faciamus.Ea nanque eſt haud dubie uereq; ſcientifica doctrina.Quòd igitur omnibus eiuſmodi tumoribus ſuccus aliquis influit,id in libro,quem de tumoribus præter naturam ſcripſimus, indicatum eſt.Quod autem non idem in omnibus ſit,ipſe ſenſus euidenter docet, differentibus nimirū ipſis tumoribus non colore modo,uerumetiam ijs,quæ ex calore,frigore,mollitie, duritieque ſpectātur, differentijs.Ac ruber quidem tumor euidenter ſubeſſe ſanguinis indicat humorem:ſicuti flauus & pallidus perſimilem ipſis bilem:ſubalbidus uero & laxus pituitam. Sunt autem & præter hos tumores quidam, qui colore ſint inter rubrum & nigrum medio: cuiuſmodi color fuſcus eſt. Hunc, cum in corporis partibus ſæpe incidat, plurimi medicorum liuidum, græce Pelidnon vocant. Renixus autem his quoque tumoribus ualens eſt:ac ſi uenas euidentiores membrum haberet, exaltatas eas a craſſo & nigriore quodam modo ſanguine,cuiuſmodi per aluum aliquando non paucis hepaticorum excernitur, uidere licebit.Suntque medici,qui mihi eum non abſurde uidentur fæci,† [quę ſuper uini dolijs hæret] aſſimilare. Ergo hic humor,ubi amplius incaluerit aut propter putredinem, aut febrem phlegmonodem,nigram efficit bilem,quam nullum animal,ne ipſi quidem mures guſtauerint: terra quoq; raditur ab ea:ac partes,quæ raduntur,omnes in altum attolluntur:uocaturque is effectus (ut Plato quodam loco F inquit) tum feruor,tum fermentatio. Eſt nanque is humor talis, quale eſſe acetum docuimus. Ex quo ipſo quoque ſi in terram effuderis,idem effectus uiſitur.Quo minus alienum eſt,ſi ueteres eiuſmodi humorem acidum nominarunt æque,ut pallidæ bilis amarum.Sane non raro etiam in uomitionibus talis apparet.Verum,ſicuti paulo ante dixi,unum quoddam uitium eſſe proprium uerumque ſcirrhum, qui præter alia etiam inſenſilis ſit:reliquos tumores,qui uidelicet nondum ſunt omnino inſenſiles, dupliciter eſſe a medicis uocatos,nempe uel ſcirrhos, propterea, quòd generis ſcirrhorum ſunt, uel ſcirrhoſos tumores,ſic & in humoribus,quæ quidem haud dubie nigra eſt bilis,ea talis eſt, qualem modo pinximus,certe acida,& terram fermenti ritu eleuans:tum omni animanti iniucunda. Quæ uero fieri talis eſt idonea,hæc bifariam nuncupatur, uel melancholicus humor, uel nigra bilis, ſcilicet, qui ſic eā nominant,affirmaturis aliam eſſe nigram,quæ dum animal naturaliter ſe habet,quotidie gignitur: aliā quæ ex uſtione ac uelut aſſatione conflatur. Quod autem ſemper pręcipio, vt nominibus contemptis ipſam naturæ rerum ſcientiam exerceas,id nunc eſt faciēdum,ac nominandum quidem, prout ſuccurret,ceterum oratione ſic interpretandum, quod quidam præter naturam tumores ex eiuſmodi naturæ ſucco proueniunt,cuiuſmodi eſt fæx in uino,& amurca in oleo:& quod hi ſpatio temporis putreſcente humore propterea,quod in uaſis ſit impactus,exulcerantur. Ergo,ſicuti reliqua omnia uitia plurimam G habent particularem in maioris minoriſque ratione differentiam,ſic etiam hoc uitium habet. Quippe phlegmones alia quidē admodum rubra eſt:alia paulo magis,quàm pro naturali habitu,rubra. At ſpecies,ſiue genus,ſiue quomodolibet appelles,ambobus eſt idem. Nam & rubriores, quàm pro naturæ modo, ſunt, & dolor omnino cum ipſis eſt, qui ipſe quoque magnam habet in exceſſu defectuque differentiam.Ad eundem modum nec renixus nec cutis tenſio omnibus eſt æqualis. Commune tamē eorum eſt,tum quod pars magis renititur,quàm ante, cum naturaliter ſe haberet: tum quod in tumorem quendam attollitur,extenta ſcilicet attentaque eatenus cute,quatenus tumor aſſurrexit.Simili ratione & uitium,quod modo deſcribimus,alias confuſa exiguaque,& quæ uulgum fortaſſe latere poſſint, affert ſymptomata:alias ita uehementia & magna,& cunctis euidentia,ut ne puerum quidem clam ſint. Verum commune illud in omnibus particularibus, quod intelligentiam ad ſe trahit,unus id morbus eſſe oſtenditur,& unam ſibi appellationē imponi cogit. At,ubi magna quidem omnia ſunt, nemo de appellatione ambigit,ſed nominant uno aſſenſu omnes eiuſmodi affectum Cancrum.Cum autem adhuc incipit,nihil miri eſt,ſi uulgus lateat,non ſecus profecto,quàm ſtirpes quæ e terra iam exeunt:quando hæ quoque peritis tantum agricolis agnoſcuntur.Ergo,quænam cancro tum communis, tum propria curationis indicatio ſit,opportune nunc dicetur.Communis igitur eſt,ut humorem,unde uitium eſt na H tum,ilico uacues ſimili uacuationis genere,ei quæ in alijs tumoribus ſupra eſt comprehenſa: Mox prohibere,potiſſimum ſi fieri poteſt, ne de cetero eiuſmodi ſuccus in uenis colligatur: Sin id fieri nequit, ſaltem eum omnino ex interuallis uacuare, & ſimul particulam firmare, nequid humorum redundantiæ ad eam confluat.Veluti ergo amaræ bilis humorem medicamento,quod eum humorem trahere ſit aptum,educimus,ſic & melancholicum educemus uel ſimplicium aliquo, cuiuſmodi eſt epithymum, pondo drachmarum quatuor in ſero lactis mulſave exhibitum: uel compoſitorum aliquo, cuiuſmodi noſtrum eſt, quod ex duobus & triginta ſimplicibus medicamentis eſt compoſitum.Sed horum materiam in alijs traditam habes.Hic autem,quæ ad propoſitam methodum proprie pertinent, dicamus. Poſt nanque purgationem illud de omnibus eiuſmodi affectibus prius eſt præceptum, quod uel retro regerere humorem,qui in membro procubuit,oportet,uel ipſum digerere:præterea quod in principio quidem tam in ipſo purgationis tempore,quàm ante,id repellere:ubi iam totum corpus exquiſite purgaueris,digerere.Vbi tamen mediocris tātum purgatio præceſſit,miſtum eſſe, quod applicabitur pharmacum,ex repellente digerenteque facultate conueniet.Sane ad craſſum humorem inutiles ſunt tum imbecillæ,eo,quod nullum operæpretium efficiant:tum ualentes,quod uehementer tenuiores, quæ in uenis ſunt,ſanguinis partes uel digerant,uel retrudant:craſſas uero & melancholicas, quas fæci aſſimi

laui-

† τῷ τοῖς οἴνοις ὑφιζανούσῃ. i. quæ in uinis ſubſi det.

A.l.1.f.1.d.4. c.2.p.15.BC.

A.l.4.f.2.t.2. c.15.p.854.c

A.l.3.f.11.t.1 c.6.p.517.A

A.ibidē 854.

A lauimus,nec euocent,nec repellant.Ergo,ſi his inter initia utere,utique minutus aperte tumor erit,ceterum,quod reliquum eius eſt,contumax ad ſoluendum reddetur. Quare mediocrium uirium medicamentis eſt opus:quæ nec propter imbecillitatem uincentur, nec propter effectus uehementiam ualenter ſanguinem craſſabunt: Ad hæc item,quæ omnino haud mordeant:quandoquidem uitij malignitas ab ijs,quæ mordent,irritatur,ac,ut dici ſolet,efferatur. Propter hæc igitur, quæ uiribus quidem ſunt mediocria,qualitate uero minime mordentia,ciuſmodi affectibus ſunt idonea.Materiæ uero copia, ſicuti in libris de medicamentis eſt traditum,ex uſtis elotiſque metallicis habebitur.Quippe,quæ medicamenta ex his componuntur,unà cum purgationibus,ad ſanandos incipientes cancros magnam uim habent.Maiores uero,ſat fuerit,ſi his prohibeantur augeri.Proſpicere uero,ut,qui iam ſunt ſanati,amplius nō regenerētur, id artis de tuēda ſanitate eſt opus:cuius ſane portio eſt ea,quæ de cibis præcipit. Ceterum,ſiquando cancrum per chirurgiam curare audebis, cœpiſſe quidem ab uacuando per purgationem melancholico humore oportebit. Vbi uero totum, quod uitiatum eſt, prorſus excideris ſic, ut nulla ſuperſit radix, ſines effluere ſanguinem, nec propere eum inhibebis: immo premendo potius, quæ circum ſunt, uenas, exprimes ex his craſſiorem ſanguinem: mox alijs ulceribus ſimiliter curabis.

A.ibidē.854.

B *De carbunculis & reliquis affectibus curandis,qui ulcere cruſtoſo conſtant.* Cap. 10.

EST tamen & aliud uitium,quod ex humore craſſo ferueteque naſcitur. Incipit hoc plerunque a puſtula:aliquando uero & ſine hac.Ceterum inter initia,quibus hoc inſtat, ſcabunt particulā omnino:mox oritur puſtula quædam:qua rupta,ulcus cum cruſta gignitur.Sæpe uero nō una oritur ſcabentibus puſtula,ſed multæ exiles,ueluti milij ſemina,crebræ in particula reſidentes;quibus per ruptis, ſimiliter cruſtōſum ulcus prouenit.In carbunculis uero,qui per Aſiam populatim ſunt craſſati, etiam citra puſtulas non nullis excoriatā ſtatim cutis eſt.Omnibus tamē,uti dixi,cruſtoſum ulcus fit,modo cruſta ipſa cineris colorem præferente,modo nigrorem. Omnibus præterea his circumpoſita caro in ſummam peruenit inflammationem, non tamen colore aſpicitur eryſipelatis, immo qui adhuc phlegmones colore ſit nigrior:ueluti ſi pluſculo rubro minus miſceas nigri.Quòd autem neceſſario febricitent, qui ita ſunt affecti,idque non minus,immo magis,quàm illi,quibus eryſipelatoſa eſt phlegmone,id utique latere neminē poteſt:Sed & incipiendā ab inciſa uena curationē eſſe,id quoq; neminē latere arbitror,qui præſertim meminerit,quæ in curatione febriū de ſanguinis miſſione diximus.Nec illud obſcurum,ſanguinis uacuationem,quæ ad animi defectum uſque ſit adhibita,magis his etiam collaturā: niſi tamen aliud quippiam obſtet ex ijs,quæ uenam incidi uetent.Imponi uero ſibi laborās particula,quod C ad humorum inflammationem ſpectat,refrigerantia deſiderat. Ceterum propter humoris craſſitudinē atq; etiam malignitatem,nec fluxionem auertere unquam poteris: &, ſiquando id feceris, aliud quippiam,quod in alto ſit corpore,offendes. Atqui nec affluere is permittendus eſt: quin potius inquirēda remedia ſunt,quæ cum modice reprimendo etiam digerere poſſint.Tale profecto eſt tum cataplaſma, quod ex*plantagine conficitur: tum quod ex cocta lente, ſcilicet miſcentibus his nobis micam panis teneram,qui clibano ſit coctus.Eſto autem panis nec omnino a furfure purus,nec nimium eius habēs. Siquidem,qui omnino purus eſt,eius ſubſtātia in cutis meatibus hęrere eſt apta:Emplaſticoterō Gręci uocant:Furfuraceus autem craſſiorum eſt partium. Super ipſum uero ulcus,ualens aliquod imponendum eſt medicamentum:cuiuſmodi eſt Andronis, Paſionis, uel Polyidæ: liquarique id cū uino aliquo dulci ad ſordium craſſitudinem debebit. Porrò commodiſſima ad hunc uſum uina ſunt tum theræum, tum ſcybelites.In quorum inopia ſapa utendum,quæ apud nos Hepſema dicitur. Quæ autem pharmaca reliquis adhiberi ulceribus ſolent,nempe quæ concoquant & pus moueant, ea nunc adhibenda nō ſunt:quando ita putredinem particulæ auxeris.Quinetiam ſcarificare eiuſmodi tumores poſt ſanguinis miſſionem alienum non ſit.Sunto autem inciſiones mediocribus altiores propter infeſtantis humoris craſſitudinem.Ceſſante uero iam inflammatione ulcus ad cicatricem ſimiliter reliquis ulceribus perdu D ces.Atq; hactenus de carbunculis dixiſſe ſat arbitror.

A.l.4.f.3.t.1. c.9.p.841.C.

A.ibid.142.e.

* Arnogloſſo.

A.ibid.142.d.

De ſtrumis,quas chœradas dicunt. Cap. 11.

DEinceps de reliquis agam tumoribus,orſus a ſtrumis,Chœradas Græci uocant.Exiſtunt hæ glādulis in ſcirrhoſum affectum mutatis.Eſtq; curatio earū, quod ad ipſum attinet uitiū,ijs ſcirrhis, qui in alijs partibus naſcuntur,communis. Ceterum,quod ad ipſius partis naturā ſpectat, in quibuſdā glandulis alias geminas curationis*indicationes adijciūt. Præſtiterit fortaſſis hoc loco de nominibus aliquid clarioris doctrinæ gratia diſtinxiſſe. Quippe glandulæ, quæ,quod in medio uaſorum in diuerſas partes diductorū habetur,implent, eiuſq; diductionis pro firmamēto ſunt, carū haud magnus uſus animātibus eſt:ſed ex abūdantiore prouidentia,ſicut alia quædam, ſic has quoq; glādulas natura fabricauit.Earum uero,quæ uel ſaliuam,uel lac,uel genitale ſemē;ad hæc quæ pituitoſum quendam humorē in meſenterio,uel faucibus,uel larynge,generāt,earum maior eſt uſus. Atq; aliqui has nō glādulas, ſed glādulosa uocāt corpora,ut quæ non paulo q̃ reliquæ glandulæ, & rariore ſint & magis ſpongioſa ſubſtantia:quinetiā in has tum arteriæ,tum uenæ ſenſibiles peruenīūt. Atq; hæ quidem, cum in ſcirrhoſo ſunt affectu,non aliter,quàm ceteræ omnes partes,ſunt ſanandæ. At quæ in medio uaſorum ſpatio conſiſtunt,in ijs alia curationis*indicatio præſtatur:qua ſimul cum uitio etiā pars ipſa tollitur. Eſt uero duplex ea quoq;,nempe uel totum,quod uitiatum eſt,ſcalpello excidentibus nobis,ueluti in cācro;uel

putre-

A.l.4.f.3.t.2. c.9.p.851.b

putrescere id medicamento cogentibus. Porrò, quæ eiusmodi medicamentorum materia sit, id in o- E
pere de medicamentis est proditum.

De abscessibus, quæ apostemata dicuntur. *Cap.* 12.

MIhi uero tempestiuum est de alijs tumoribus docere. Quorum se primum abscessus offert: Apostema id græce dicitur. Huius duplex item genus est: Vnum, cum phlegmone in pus uersa pus ipsum tanquam in sinu aliquo est collectum: Alterum, cum nulla præcedente phlegmone humor aliquis statim ab initio, isq; alias specie alius, ceterum omnino acris, in parte aliqua colligitur: porrò excoriat hic circumposita corpora, spatium uidelicet sibi moliens uel inter duas tunicas, uel sub certis membranis. Excoriat autem omnino ipsa copia distendens: interim uero acrimoniam quandam putredinosam tempore contrahens. Sane inueniuntur in huiusmodi abscessibus, cum scalpello sunt diuisi, proprietates quædam non paucæ, nec humorum modo, sed etiam solidorum quorundam corporū. Siquidem unguium, pilorum, ossium, testarum, lapidum, & pori fragmentorum similia inuenta in his corpora quædam sunt. Ac humorum ipsorum alius, ueluti lutum, uel cœnum, uel olei quidam limus, uel uini fæx: alius adeo grauiter olens, ut omnes auersentur. Verum hæc rarius incidunt. Frequentissima uero huius morbi sunt tria genera: quorum singula propriam appellationem græce sunt sortita. Ea sunt, Atheroma, Steatoma, & Meliceris, a similitudine contentarum in tumoribus substantiarum di- F
cta. Est enim aliud eorum ueluti seuum, aliud ueluti mel, aliud pulticulæ, quam Atheran uocant, simile. Curationis uero eorum *indicationes sunt communes, nempe id, quod continetur, uel digerere, uel totum putre reddere, uel excidere. Aliqui igitur eiusmodi tumorum triplicem curationis rationem admittunt, quotquot scilicet ex tenuiore humore constant, ut meliceris: Aliqui duplicem tantum, ueluti atheroma, quippe, quod tum excidere, tum putrefacere licet: Steatoma uero sola manuum opera curatur, cum nec putrefieri possit, nec digeri. In ijs uero abscessibus, qui in alto corporis consistunt, ac potissimum in uisceribus, medicamenta, quæ ex aromatis cōponuntur, maxime sunt utilia, utpote quorum uis collectum humorem tum in halitum resoluat, tum digerat. Sunt profecto & alia eius generis non pauca, quorum laudatissima sunt tum antidotus, quæ ex uiperis componitur (Theriacen uocant) tum, quæ Athanasia uocatur, tum Ambrosia: atq; hæc quidem sumptuosa: uiliorum sane optimum est nostrum, quod ex cretica calamintha est compositum. Omnia uero id genus in opere de medicamentis colligemus: quod, uti paulo ante diximus, satius arbitror ijs tribus, quæ supra memoraui, quo nihil desit, subijcere.

A.l.4.f.3.t.1. c.20.p.845.b.

De tumoribus, qui toto genere præter naturam sunt, ac de optima curandi uia. *Cap.* 13.

QVoniam uero eorum, quæ per chirurgiam fiunt, curationis * indicationes aliquid commune ha G
bent, aliquid proprium, satius nobis uisum est ea non distrahere, sed uniuersa in calce huius operis apponere. Nunc porrò tantulum etiam de tumoribus, qui præter naturam consistunt, est adijciendum, quòd, quicunq; ex his toto genere præter naturam sunt, ij sui ablationem indicent, communiori scilicet *indicationi, quæ per omnia, quæ totis substantijs a naturæ habitu recesserunt, extenditur, subiecti: veluti in steatomatis & atheromatis habet. Huius certe generis est & quæ Myrmecia græce uocatur, & quæ Acrochordon, præterea in uesica calculus, & hypochyma, & in mulieribus molæ in utero gestatio: ita uero appellant informem carnem. Omnia nanq; talia summouere in totum properamus. Quorum uero etiam locus ipse affectus una quæpiam *naturalium partium est, prima *indicatio est, ut affectus sanetur. Secunda ab hac, si insanabilis is sit, vt unà cum uitio pars quoq; ipsa exciditur: sicut in cancro & omnibus ulceribus, quæ curationem respuunt. E contrario uero in suffusione, quod Hypochyma uocant, † [uicti in prima indicatione,] ad alium eam locum, qui minoris sit momenti, transferimus. Non desunt, qui hæc quoque uacuare sint aggressi: sicut in iis, quæ chirurgia tractantur, dicam. Nunc illud dixisse sufficiet, quòd humor, qui in hydrocelis uisitur, alienus a corporis substantia tota natura sit, sicut etiam, quæ in ascitis hydropibus continetur aqua. Quarum certe uacuationem uel medicamentis, quæ digerant, molimur, uel chirurgia: in hydrocele quidem immisso sipho- H
ne: in hydropibus uero adhibita punctione, quam paracentesin uocant. Porrò exciditur unà cum affectu ipso, ueluti in ijs, quæ ante comprehensa sunt, etiam pars affecta: ita & in herniosis aliquid peritonæi. Pari modo & columella aliquando unà cum uitio ipso exciditur. Itidemq; in cruribus & testiculis, vnà cum uaricibus ipsæ uenæ. Ad hæc, tunica in naso cum polypo, & foratus dens cum foramine: uerum ex his nullum est, quod ad naturalem habitum possit reduci. In columella uero id omnino est conandum, nec properandum ad eam excidendam, sed, quando gracilis est, & ad lori tenuitatem redacta, tum est auferenda. Porrò talem eam reddet longius tempus: at, qualem Hippocrates in præsagijs descripsit, paucorum dierum numerus. æque uero & cetera, quæ in magnitudine naturalem habitū excesserunt: in quibus annumeranda sunt omnia, quibus supercreuit caro, & encanthides, & qui in sede thymi dicuntur. Sunt ex istiusmodi *ulceribus, & quæ ambigua sint specie, ueluti cicatrices, quæ supra circumpositam cutim multum extant: item, quæ in oculis sunt, pterygia. Curationis tamē eorum *indicatio manifesta est. Siquidem talia omnia amouere oportebit: atque id semper agere, ut rationibus, quibus id fiat, pensitatis optimam semper earum deligas. Sane optimæ rationes tripliciter iudicantur, tum ex temporis curandi breuitate: tum ex curando citra dolorem: tum ex maxime tuto curando. Rursus, ut tuto cures, tria propria sunt, quibus intentus sis, oportet: Vnum primumq; ut omnino absolutionem

*τῶν κατὰ φύσιν. i. earū quæ secundum naturam sunt.

† ἀποτυχόντες τοῦ πρώτου σκοποῦ.

* Non est in antiquis.

A nem operis consequaris: Alterum, ut, sicubi hunc non consequaris, saltem cubantem non lædas: Tertium, vt uitium non facile reuertatur. His considerationibus si optimam curationis uiam iudicaueris, inuenietur in omnibus, quæ nunc proposuimus, qn̄ potius chirurgiæ, & qn̄ potius medicamentorum ope sit curandū. At chirurgiæ quidem studium in ijs præsertim, quæ nunc sunt proposita, ad interēptionem eorum festinat: ut quæ, quod in animalis corpore toto genere præter naturam habetur, id prorsus tollendum sibi proponat. Quod si perficere nequeat, proximum illud consilium habet, ut uitium transferat, ueluti in hypochymatis. Quod uero ex medicamentis petitur, primum huc tendit, ut, quod præter naturam est, tum uacuet, tum digerat. quod si per membri naturam, aut etiam uitij rebellionem fieri non licet: ut id tum in pus uertat, tum putrefaciat, hoc uero secundo loco destinat. Quippe ita in columellæ uitio facimus: primum scilicet ad naturalem habitum eam reuocare tentantes: id si consequi nō est, prorsus amputantes, idq; uel chirurgiæ opera, uel per caustica medicamenta. Verum medicamēta, melius est, in tractationem de ijs differamus: (quandoquidem tribus iam proditis, aliam quoq; quartā adijciendam statuimus) ac chirurgiam in calce huius operis apponamus.

A.l.3.f.9.c.15 p.473.a.b.

Quæ secundum naturam, quæ præter naturam proprie in nobis dicantur. *Cap.* 14.

B NOn est igitur, quòd in his amplius immoremur: sed transeundum ad ea, quæ similem ijs, quæ comprehensa sunt, curationem desiderant. Ea sunt, tum quæ in numero & magnitudine conuenientem modum excedunt: tum quæ in ambobus ijs deficiunt. Dixi hoc loco conuenientem: quòd si conferentem, uel conducentem, uel secundum naturam, uel utilem alibi usurpauero, eadem sermonis uis erit. Ac dictum quidem de his est alibi latius. Ceterum redigere in memoriam summatim omnia, etiā hoc loco alienum non fuerit. Omnium ergo, quæ in corpore habentur, primum, cuius maxime indigemus, est ipsa particularum minime impedita functio. Hanc uero, quia possidemus natura, idcirco publice dicimus expetere nos secundum naturam agere. Et, quia hoc ipsum cum eo, quod est secundum naturam, [uel naturaliter se habere,] est coniunctum, merito profecto nihil interesse arbitramur, secūdum naturam habere, an secundum naturam agere dicamus. Quin & sine additione interim græce dicimus expetere nos τὸ κατὰ φύσιν, vtiq; subaudito in dictione, uel habere, uel agere, uel ambobus. [Latinitas propter articuli fortassis inopiam, ea figura destituitur.] Atque hæc quidem causa est, cur medicis recte usurpata uox hæc, Secundum naturam, sit de omnibus, quę in corpore ex sententia nostra esse cupimus. Scire autem licet in ijs, quibus natura *deficit, nec primum, nec propter seipsum, secundum naturam a nobis expeti, sed † [propter actionem,] & ex accidente. Siquidem sextus digitus non nullis ab ipso statim ortu est congenitus, & quintus defecit: & alia quædam similia, aliqua in numero, ali
C qua in legitima quantitate uitiosa. Ac, siquidem hæc plurimum, recta uero rara fierent, contra, quàm nunc, de naturæ operibus statueremus, utique non tuentes ut nunc, sed auferentes ea. Hæc ratio memoria tua nunquam excidat, cum sit ad nominum usum utilis, quæ tum fallere incōsideratos possunt, tum discordiæ phantasiam excitare, sicubi alter dicat totum, quod præter naturam est, esse tollendum: alter, quod nocet, aut inutile est, aut incommodat actioni.

* ἀποτυγχάνει
† δευτέρως. i. secundario.

De ijs, quæ in magnitudine, & numero excedunt uel deficiunt, ác primum de curandis ijs, qui obesitate & corpulentia onerantur. *Cap.* 15.

ERgo denuo repetentes, de rebus loquamur, quando de nominibus est nobis definitum, hinc orsi. Coniuncta comprehensis iam morbis sunt ea, quæ uel magnitudine, uel numero, a debito naturę modo sunt aliena: in quibus amputare quidem conueniet, quod magnitudine, uel numero redundat, reficere autem & fingere, quod desit: vbi uidelicet fieri id licet. Quintum nanq; digitum, aut tale aliud membrum medico certe gignere non licet, sed unius naturæ opus sunt omnia talia. Verum in totum tollere, quod numero redundat, aut præcidere aliquid eius, quod magnitudine modum excessit, hæc nobis quoque licent. Siquidem ex medici officijs unum est, nec id leuissimum, ubi in corpulentia eo deuenit corpus, ut nec ingredi sine molestia, nec sedem propter uentris molem contingere, sed
D nec respirare libere possit, hanc liquare ac tollere, † [æque nimirum, ut, cum corpus ali desinit, (Atrophian Græci uocant) quod genus, quos uomica male habet, patiuntur,] huic quoque reficiendo prospicere. Sæpe autem euenit, ut non totum corpus, sed una quæpiam pars ex atrophia tabescat: quam scilicet uel neruorum resolutio, uel ipsius partis intemperamentum præcessit. Opportuneq; iam de curatione horum considerabimus, orsi ab ijs, qui corpulentia nimium onerantur. Ostensum uero in libris est, qui de temperamentis sunt inscripti, quòd calidior sicciorque temperies exile corpus reddit. Ergo id agendum, ut nimium obesi corporis temperamentum tale esse faciamus, si modo ad debitum modum redibit. Sane docuimus tum in illo opere, tum nihilo secius in opere de tuēda sanitate, quòd acuta exercitatio, & tenuans uictus, & id genus medicamenta, & animi cogitatio temperamentum totum non solum calidius, sed etiam siccius, ac propterea corpus exilius reddunt. Igitur in exercitationibus celerrimus cursus est idoneus. Tenuantis uero uictus materia seorsum singulari libro est prodita. Quòd si medicamenta tenuantia quoq; requirant, etiam hæc in operibus, quæ de medicamentis cō scripsimus, sunt edita: quanquam referentur eorum nunc quoq;, quæ sunt efficacissima: quibus, ubi demere nimiam obesitatem studes, utaris, suadeo. Ergo, quæ ad articularia uitia quidē exhibere solent, quæ scilicet ualentem incidendi facultatem habent, ijs tu quoq;, cum nimiam obesitatem curabis, utitor. Sunt porrò talia, rutæ semen, præsertimq; syluestris, unà cū ipsis corymbis, & aristolochia rotunda,

† æque nimirū, ut cum corpus in ea redatur atrophia, qualem ii, qui phthoe detinētur, patiuntur.

& minus centaurium, & gentiana, & polium: præterea ex urinam cientibus, ea, quæ pollentes habēt E uires, ueluti petroselinum. Vnumquodq; enim talium, tum ipsum per se, tum uero alijs mista, uniuersa & extenuare potenter succos, & uacuare sunt habilia, partim quidem sensibiliter per urinas, partim per insensibilem transpiratum: sed & sal, quod ex combustis fit uiperis, potenter extenuat. Multique cum uel graciliores, uel mediocris habitudinis essent, ex eiusmodi medicamentorum potione perierunt, sanguine ipsorum excocto. Ruerant autem ad ea propterea, quòd liberatos aliquos articularijs uitijs uiderant, minime scilicet æstimantes, quòd temperies eorum, qui sanati fuerant, humidior pituitosiorq; erat, qualis nimirum obesorum est. In quibus eiusmodi medicamentorum securus est usus. Ipse nanq; iuuenem quendam quadraginta circiter annos natum, oppidoq; obesum percuraui, usus tum antidoto, quæ aduersus articularia uitia est composita, tum sale theriaco, ipsaq; theriace, ac reliquo extenuanti uictu, & pro exercitatione cursu ueloci. Porrò præparaui hominem ad cursum, perfricando primum linteis asperis, quoad cutis ruberet: dein statim cum oleo, quod in se digerens aliquod medicamentum habebat. quo etiam post cursum rursus utebar. Talia medicamenta sunt, tum syluestris cucurbitæ radix, tum althæa, tum gentiana, tum aristolochia, tum panacis radix, tum polium, tum centaurium. Per hyemem uero etiam a balneo iam dicto oleo hominem re unxisse profuerit. Verum cibum exhibere non statim a balneo, sed interposito somno conueniet. Quòd si uelit etiā F rursus ante cibum lauari, permittes. Magis etiam ad rem pertinebit, si àquæ ipsi digerendi facultas insit. Ac, si quidem talem aliquam sponte natam habemus, ipsa utemur: cuiusmodi in Lesbo uisitur, a Mitylene stadijs quadraginta: sin minus, ipsi similem aliquam moliemur. Est porrò ea, quæ in Mitylene conspicitur, & uiribus & colore talis, qualis utiq; fiat, siquis florem salis aquæ marinæ misceat. Hæc ipsa aqua etiam hydropicis, & reliquis tumefactis idonea est, utpote ualenter desiccans, ita profecto, ut præpinguibus: ac præcipue siquis ipsos cogat in ea celerrime natare, nec post largam lauationem protinus esse, bibereve, sed somno interposito, aut omnino saltem quiete. Sane illud est sciendum, atq; ab eo, qui obesitatem curat, prædicendum, quòd aliquando ex multo simul obito motu, & febri hominem tentari est credibile: & quòd febris ad rem propositam non aliena erit utiq;, si medicus recte omnia faciat. Etenim perspicuum est, ubi ex lassitudine febricitarint, qui ita curantur, quòd sopita eorum febre, rursus ad eandem curationis formulam redibimus. Sane fugere in ijs curandis cōueniet & uina, quæ multum nutriunt, cuius generis crassa sunt: uti uero uel aquosis, id est colore albis, & consistentia tenuibus, uel quibus mare est admistum.

A. l. 1. f. 3. d. 1. c. 8. p. 1 20. D

De reficiendis corporibus extenuatis, ac restituendis particulis, quæ deficiunt. *Cap.* 16.

AT, ubi eos, qui extenuati sunt, reficere in animo est, ijs uinum exhibebimus crassum: cibum G uero, qui succum efficiat crassum: exercitationes paucas, frictionem mediocrem: ac, ut summa complectar, omnia iam comprehensis contraria moliemur. His uero etiam picari commodum est, † [idq; tertio aut quarto quoq; die.] Quippe id ad carnem instaurandam, egregium medicamentum est adeo, ut si quod singulare membrum hoc uitio laborat, id hoc præsidio restituatur. Ac nobis quidē in omnibus ferme hoc unum satisfecerit, siquidem humectat & calefacit, sanguinis multitudine accita. Ergo nec assidue id ægrotanti corpori admouere conueniet, nec, cum conueniet, sæpe illinere, uerum in hyeme bis, in æstate semel id fecisse est satis. Quibus uero a natali die gracilia sunt membra quædam, ijs etiam mangones puerorum hoc ipso præsidio succurrunt, unà cum certa percussione, quā græce Epicrusin uocant. Est porrò & illius mediocritas quædam, ut scilicet nec plus iusto, nec minus fiat. Ea talis est. Ferulas paruas ac leues modice illitas, gracilibus partibus incutiunt, donec modice attollantur: quippe in hoc summa rei est: ueluti Hippocrates de perfusione aquæ calidæ dixit. Primū quidem pars intumescit, post gracilescit. Ergo, quibuscunq; particulis bonā habitudinē reddere studemus, has & fricare, & perfundere, & percutere, & picare oportebit tantisper, dum intumescāt: hoc ubi factum est, protinus desistere prius, quàm digeri cœperint. Etenim, quæ calefaciunt omnia, sicuti attrahere, ita etiam digerere sunt apta. Si ergo perstes, dum, quod attractum est, digestum sit, operam luseris. H Ad hunc modum mango quidam proxime nates pueri † [fame consumptas,] breui auxit percussu mediocri quotidie usus, aut saltem alternis diebus: item moderata picatione. Ceterum, quibus totum corpus est extenuatum, ijs lauari quoq; post cibum est idoneum. Veluti autem metus erat, ne tenuantibus auxilijs febris succederet, corpore scilicet immodice per hæc calefacto, sic ijs, qui a cibo lauantur, timendum est, ne sibi iecur obstruatur, potissimum propter ciborum speciem: quippe cū aliter quoq; obstruere soleant, quæ succum crassum gignunt, si quis his liberalius utatur. Vbi igitur alias id efficere solent, multo profecto promptius idem post balneum facient. Incidit tamen ex tali uictu diutius exhibito, etiam calculi in renibus generatio: quod uitium cur omnibus non contingat, satis patet. Quippe incredibile non est quibusdam uel densos admodum esse renes, uel perangusta uenarum in iecinore ora: quibusdam contra esse habita. Horumq; dignotio nulla plane certa est: sed percontandum assidue ab eo, qui iam dicto modo est cibatus, num quis illi grauitatis sensus in dextris præcordijs & circa * renes sit. Quòd si quid tale aliquando senserit, protinus cappari ex oxymelite in principio cibationis, donec constiterit grauitas, dabitur. Ad membra uero, quæ ægre reficiebantur, ac plusculū iam refrigerata erant, usus aliquando & thapsia sum, alias ea ex melle membrum illiniens, alias ēt ex cerato. Siquidem attrahit ea quoque partibus, quibus superposita fuerit, sanguinis copiam.

A. l. 1. f. 3. d. 1. c. 11. p. 1 22. d

† δι' ἡμερῶν ἢ τοι τριῶν ἢ τεττάρων. i. idque trium uel quatuor dierum spatio.

† In impressis codicibus & in plerisque manuscriptis græcis legitur, ὑπολείπτου .i. gracilioris: in aliquibus autem ut Linacer uertit, ὑπὸ λιμοῦ συντακέντος .i. fame consumpti.

* ψόας .i. lumborū carnes.

Quibus

A Quibus autem exiguum aliquid pudendi præputio de naturali deest quantitate, ijs non raro citra thapsian sola tensione debitum modum reddidi, * membranulam mollem firmamq;, cuti gummi illitæ circumuoluens. Satis autem constat, quòd etiā membranulæ finem † [parti subiectæ] agglutinari gummi oportebit. Siquidem & siccatur cito, & sine dolore adstringit. Porrò cuti præputij ex interna parte rotundum aliquid ac mediocre supponi prius oportebit, quod uidelicet postea, quàm agglutinata membranula est, facile eximas. Eorum uero, qui thapsia præputium adducunt, quidam rotundum id e plumbo fecerunt, ueluti solenarium quoddam: mox illi extrinsecus præputij cutim circumtendunt, ac molli loro deligant. Fueritq; & id non nunquam utile, utiq; quibus multa desit cutis: Quibus autē exiguum est, quod deest, ijs (ut comprehensum est) sola * membranula circundata sufficiat. ubi autē circundabitur cuti, & agglutinabitur, subtus imponi solenarium prius oportebit. Ego uero, cum nihil horum præsto est, modicum chartæ inuoluens, immittere pro fulcimento præputij soleo, ut postea, cum plane coaluit, quod foris est circundatum, exempto, quod fulciuerat, facile meiat is, qui curatur. Constat uero hoc quoq; uitium ex eo morborum esse genere, quod naturalem magnitudinē est egressum, alias putrescente præputio incidens: alias ab ipso ortu minore, quàm par erat, congenito. Subijcitur autē duplici chirurgiæ rationi, interim in superna pudendi parte circulo incisa cute, B quo uidelicet eius unitate soluta, eatenus deorsum trahatur, quoad glandem cooperiat: Interim uero scalpro ex interna parte, quà glandis initium est, excoriata, mox deorsum tracta, ac deinde (ut supra comprehensum est) molli quopiam deligata. Dicemus autem & de eiusmodi rationibus in sermonis progressu æque profecto, ut de curtis id genus, quę Colobomata Græci appellant. Quippe ita uocāt, quæ in labijs, aut narium alis, aut aure deficiunt. Nam methodo quadam curantur hæc quoq;, primū quidem excoriata utrinq; cute, deinde adductis coniunctisq; inter se cutium oris, ac utriusq;, quod callosum est, detracto, mox, quæ reliqua sunt, adsutis atq; agglutinatis. Eiusdem generis sunt, & quas in maiore oculi angulo Rhœadas græce uocant, utiq; uel impensius minuto, uel prorsus perdito ipso angulo. At prorsus quidem perdito eo, omnino insanabile relinquitur uitium: Minuto uero, ijs quę modice adstringunt, curatur, si tamen totum corpus primum ante purgaueris, dein caput. Sunt mediocriter adstringentia medicamenta, & quæ e glaucio componuntur & croco, & quæ nardina uocantur: & in primis, quæ ex uino sunt confecta. Vt uero summa complectar, quibus perit aliquid substantiæ, maxime quidem id agendum, ut ei quàm simillimam faciendam curemus: si id fieri nequit saltem aliquid, quod eundem præstet usum, machinabimur. Erit autem profecto & id eatenus simile. Etenim, cum ossis tibiæ sæpe excidere portionem magnam cogimur, ad alteram loco eius substantiā C producendam, carnem gignentibus medicamentis naturam ipsam prouocamus. Quæ utiq; inter initia uelut dura est caro: postmodum calli durioris firmitudinem accipit: ac temporis spatio roborata, ad ingressum, ossis loco, fit habilis. Quinetiam, ubi internodia digitorum excidimus, in excisorum loco alteram, qualem prædiximus, naturam prouenire cernimus. Quòd autem uenas quoq; sensibiles generatas aliquando uidimus, prius est dictum: uerum has non tam similes ijs, quæ prius perierant, quàm easdem renasci dixeris: ueluti in cauis ulceribus carnem. Cicatrix uero, quæ in hac calli modo durata gignitur, ea cuti quidem est quàm simillima, cutis tamen non est: quando & densior ea uisu tactuq; sentitur: & ratione ex eo, quòd pilos non edit, intelligitur. Hæc igitur si præsto tibi ad manū semper erunt, quæ tibi in curationibus peragenda sint, minime requires.

* ἶνα χάρτου .i. fibram uel mēbranulā chartæ.

† τῷ ὑποβεβλημένῳ ἄνω μέρει τῆς ἰνός. idest illi parti mēbranulæ, quę in superiori regione sibi subiecta ē.

* χάρτιον.

De reliquis curandis affectibus, qui ad prædicta genera referuntur. *Cap.* 17.

MIhi uero iam tempestiuum est ad alia morborum genera transire, sed quibus est cum supra comprehensis societas. Ergo serpens ulcus, qui Herpes græce dicitur, is eiusdem est generis cum exulcerato erysipelate: Ramex uero, quam Sarcocelen uocant, cum scirrhis. At uitia, quæ Ophiasin, Alopecian, & Ptilosin appellant, ex eo sunt morborū genere, in quibus naturale aliquid est amissum, æque nimirum, ut myrmecia eorum est, quæ toto genere sunt præter naturam. Porrò triplex omnium D horum est differentia. Quædam nanq; ex mutatione consistunt solidarum partium: sicut myrmecia, & leuce, & uitiligo, [& ossis caries, quam sphacelon uocant,] & elephas, & scabies, & lepra. Quędā, cum prius omnino non fuerint, postmodum sunt orta: ueluti meliceris, & atheromata, & steatomata: atq; alio modo helminthes, & ascarides, & ceria: (ita enim uocant longam latamq; helmintha) omniaq;, quæ supra diximus in abscessibus quibusdam, callosę substantię, aut lapillis, aut ossibus, aut pilis, aut alijs quibusdam id genus similia inueniri. Itaq; attentum esse semper oportet in omnibus, quæ præter naturam habentur, atque diligenter aduertere, ex quo ea genere sint: si modo illud recte a nobis dictum est, primam faciendorum indicationem, unde ad omnia, quæ deinceps sunt administranda, initium capietur, a genere ipso sumi. Herpetas nanq; biliosus procreat succus: quo fit, ut eatenus eiusdem sit cum erysipelate generis, atq; huius quoq; magis etiam cum eo, quod exulceratum est. Differt autem ab erysipelate humoris tenuitate. Est enim admodum tenuis, qui herpetem excitat, adeo profecto, ut non solum omnes interiores partes, quæ utiq; carnosæ substantia sunt, transeat, sed etiā cutim ipsam ad summā usq; cuticulam (Epidermida Græci uocant,) quam solam propterea, quòd ab ea remoratur, tum erodit, tū exedit: quando, si hanc quoq; sudoris uice transiret, haudquaquā ulcus excitaret. Quippe id ulcerū, quę ex mordente humore oriuntur, quę nimirum spontanea uocant, commune est, quod humor, qui ea facit, sistitur in exitu ac tardat. Porrò ex eo, quod alter humor altero sit tenuior

 crassiorve

craſſiorve, ulcerum differentiæ, quæ ex profunditate ſpectantur, proueniunt. Huius certe generis eſt, E
& quæ Phagedæna Græce dicitur, & exulcerati cancri. Quorum omnium communis curatio eſt, ut inhibeatur primum humoris confluxio, poſt ſanetur ulcus. Propria uero cuiuſq; tum ex membri inuenitur natura, tum ex humoribus nõ ſolum ſpecie, ſed etiam quantitate. At tenuiſſimus quidem in eiuſmodi humoribus eſt is, qui exulceratum herpetem excitat: craſſiſſimus, qui cancrum: proximum ab his locum occupat, quod ad craſſitudinem attinet, qui phagedænas creat. Harum ſpecies quædam A.l.4 f.3.t.
ſunt, quæ Chironia ac Telephia græce dicuntur. Iam aliæ quædam eiuſmodi appellationes ſunt, ſed 1.c.7.p.84.
inutiles & ſuperuacuæ. Siquidem ad curationem pernoſci oportet humoris tum copiam, tum craſſi- A
tudinis tenuitatisq; eius modum, tum potentiam: ueluti ſtatim in herpete, quoniam humor tenuis eſt, (ut qui ex genere flauæ ſit bilis) ubi ſummam cuticulam in tranſitu perrupit, utique, cum digeſtus is eſt, permittit cicatricem ulceri induci. Itaque, ſiquis toto prius corpore purgato, mox, quæ influentem humorem reprimant regerantq;, medicamentis utatur, iam herpetem curauerit. Sin neutrum horum fecerit, ſed tantum ea, quæ cicatricem inducunt, adhibuerit, utiq; exulceratam cuticulam ita ſanauerit: proximæ tamen illi, quo minus exulceretur, non conſulauerit. Poſtmodum uero illa quoq; cicatrice incluſa, quæ ipſi continua eſt, exulceratur: idq; longo ſpatio, ceu ſerpente malo ipſo, F
fit, donec humor, qui id facit, ſit uacuatus. Etenim Romæ mulier quædam illuſtris, cum herpetem in malleolo haberet, primum quidem medicamento, quod algam recipit, eſt uſa. Hoc cum protinus cicatrix induceretur, proxima illi ſumma cutis eſt excoriata, ueluti ex deſquammatis. Cui cum deinde ſuperpoſitum medicamentum eſt, rurſus illi continua eſt exulcerata. Idq; ita aſſidue perrexit, donec ad genu exulceratio perueniret: cum interim quiduis potius pati, quàm medicamento, quod bilem traheret, purgari parata eſſet. Itaq; etiam (quod fieri in talibus aſſueuit, quoniam pleriq; culpant non culpanda) damnato ex alga medicamento aliud admoueri iuſſit. Deinceps igitur, quod ex ſandice componitur, utebamur. Vt uero id quoq;, quod exulceratum iam fuerat, ſanauit: quod uero nunc exulcerabatur, non inhibuit, ſed iam ad bubones uſque uitium aſcenderat, ipſa neceſſitate coacta, ſerum ſe lactis ſumpturam annuit. Immittentes igitur clanculum minimum ſcammoniæ, inuitam purgauimus, ac ſanauimus. Ergo, cuius gratia hæc dicta ſint, denuo repetamus. Poſt, quàm commu nem omnium, quæ ſub eodem genere uitiorum ſunt, * indicationem acceperis, utiq; non hanc in particularibus exequeris, ſed reduces ſemper ad differentiam, quæ tum affectibus, tum ipſorum cauſis ſit accommoda: ſicuti de ſpontaneis oſtenſum eſt ulceribus. Vacuabis nanq; eum, qui redundat, humorem, ceterum aliquando medicamento, quod flauam purgat bilem: ſæpe eo, quod nigram: modo eo, quod miſtæ eſt facultatis, quod ſcilicet bilem ſimul & pituitam educat: ueluti in altero herpetum ge- G
nere: quem a ſimilitudine, quam habet cum milio, Cenchrian græce appellant. Quippe is non protinus ulcus facit, quemadmodum alter, ſed admodum exiguas puſtulas, ad ſpeciem milij: quæ ipſæ interpoſito ſpatio in ulcus abeunt. Adeo non ſine ratione quibuſdam uſum eſt in eiuſmodi uitio bili eſſe aliquid pituitæ admiſtum. Incidunt ſane non nunquam & citra uehemens totius corporis humorum ui tium in partibus ulcera, quæ haud difficulter medicamentis, quæ repellendi digerendiq; miſtas facultates habent, curantur. Ac repellunt quidem non ſolum ea, quæ adſtringunt, ſed etiam, quæ ſine adſtrictione refrigerant: digerunt uero, quæ calefaciunt. Conſtatq;, quòd in generatione ulceris exuperare debebunt, quæ repellendi facultatem habent: ubi non amplius confluit in ægrotantem particulam uitioſus humor, quæ digerunt. Siquidem exiguum uitioſi humoris, etiam ſiquis ad uiſcera & magnas uenas retrudat, nullum profecto, quod ſenſu percipiatur, malum committet. At, ſi eius non leuis quantitas ſit, in princeps aliquod membrum aliquando procumbit, ubi ſcilicet prius naturæ uiribus totum corpus expurgantis non ſit uel per deiectionem, uel urinas, uel cutim, quæ totum corpus includit, uacuatum. Atque flauæ quidem bilis uacuatio eſt facilis: pituitæ uero, ac potiſſimum eius, quæ craſſior glutinoſiorq; eſt, itemq; nigræ bilis, difficilior: quo magis purgantis medicamenti ope indigent. In herpete uero, quoniam tenuis humor eſt, qui id uitium creat, abunde eſt etiam aluum ſit leuiter ſoluiſſe, uel urinas per ea, quæ id modice efficiunt, citaſſe. Verum, quoniam de medicamentorum methodo proditum etiam aliquid in ſuperioribus eſt, non pauca autem & in operibus, quæ proprie his ſunt dicata, ſatius ſit ſermonem nihil ultra proferre: quando ſatisfacere etiam ei, qui attentus erit, hæc poſſint: neq; enim nos ea a muſis accepimus. Verum homini, qui prudens ſit, & diligens, & mente exercitatus, ipſa rerum natura, quid agendum ſit, ſuggerit. Vbi uero etiam inueniendi uiam ab alio quis traditam cœperit, huic facillimum eſt per eam ultra progredi. Huius rei amplum teſtimonium fuerit, quòd eiuſmodi uiri artem maximis operibus illuſtrarunt. Qui uero parum ſunt prudentes, ij nihil præterea inueniant, etiam ſi tota uita infinitos artis effectus conſpexerint. Plurima nanq; inueniuntur hodieq;, quæ apud maiores noſtros non fuere inuenta: ueluti nunc Romæ quidam excogitauit, quemadmodum acrochordonas & myrmecias ore ſanet. Verum de prioribus, utpote a cute extantibus, minus eſt mirum: de myrmecijs uero, potiſſimum quæ cum ſumma cute prorſus ſunt æquales, mirum uidebatur. Veruntamen has quoque primum labiorum applicatione, ceu ſuctu, ad ſe trahebat, atque a radice euellebat: deinde primoribus apprehenſam dentibus totam ſimul eximebat. Sed & ſcalpro ad myrtacei folij ſpeciem formato, & ferramento eo, quod Scolopomachærion Græci uocant, quiſpiam manibus exercitatus, facile eas excidat: cum proprijs lineamentis

Amentis a circumpoſita cute circumſcripta diſcernantur. Aeque uero & ualente aliqua pinna circulo myrmeciæ impoſita ipſam educimus. Debebit porrò pinnæ fiſtula eſſe myrmeciæ craſſitudini par, ut eam undiq; prorſus conſtringat. Quæ poſtea circumacta, ac ſimul deorſum impulſa, celerrime ita myrmeciam etiam cum ipſa radice totam educet. Conſtat uero, & quòd finis ipſe pinnæ, quæ eam circulo ſecabit, non tenuis modo, ſed etiam acutus & firmus eſſe debebit. Itaq; tum galli ueteris pinna, tum uel magis aquilæ ad hunc uſum eſt commoda. Abſcindere uero ab his tantum radicem uerſus oportet, quatenus reliquæ partis fiſtula complecti myrmeciam poſſit. Sane ex ipſa ſtatim abſciſſione, ſi modo ſcite fiat, etiam acumen ipſi comparabis. Atq; hoc quidem ratio inuenit, non caſus. Iam, quòd hæc uehementer attrahentibus medicamentis ſurſum uelletur, & putrefacientibus enecabitur, ratione ab aliquo eſt inuentum, qui ijſdem poſtea uſus, experientia rem comprobauit. Quædam nanque etiam ante experientiam fiduciam de ſe manifeſte præbent: ueluti, quę aculeum ac telum, quod modo infixum ſit, eximunt: itemq; arenulas, ſi quæ oculo inciderunt. Quædam ratione certe excogitantur, confirmantur autem ipſo uſu. Quo autem facilius etiam per te eiuſmodi uias ad curationum comparandam copiam inuenias, non tædebit aliquod huius generis exemplum proponere. Nominamus autem id genus, in numero particularum uitium. Quoniam enim quædam deficiunt, ſicut
B dens, uel digitus, uel e naſo ala, uel auris quæpiam particula, uel pudendi pellis: quædam redundãt,
A.l.1.f.1.d.5. c.1.p.18.E ueluti ſextus digitus, & quæ Græce Exoſtoſis dicuntur, & dentium ij, qui naturalibus adnaſcuntur, adimere quidem, quod ſuperuacuum eſt, ſane haud difficile eſt: aliud uero producere, quod ſimile ei ſit, quod deſit, id in quibuſdam quidem eſt facile: in quibuſdam difficile: in alijs plane fieri non poteſt. Si nanq; carnoſum ſit, quod deeſt, haud magno negocio id reficias. atq; eius rei in cauis ulceribus tradita methodus eſt. Sin os ſit, ipſum quidem inſtaurare non eſt, ceterum aliud pro eo durum efficere, id licet. Dictum uero etiam in præcedentibus eſt de reficiendis uenis, nempe quòd aliquando nouas alias ſenſibiliter progenitas uidimus: aliquando omnia tentantibus non prouenerunt.

De reſarciendo pilorum defectu. *Cap.* 18.

AT, ſi digitus deſit, uel tale quippiam, reſtituere id prorſus non licebit. Sane proditum & de præputio prius eſt, quemadmodum id quiſpiam inſtauret. At, quæ in naſo, uel aure, uel labio ſunt curta, ea quidem ut refeciſſe non licet, ita decorem aliquem his adijcere licet, ſiquis diuiſam utrinque cutim mox in unum conductam queat agglutinare. Alia uero ratione huic morborum generi annumerantur atheromata, & ſteatomata, & melicerides, & aſcarides, & ceria, & helmintes: præterea, qui in articulos & pulmones incidunt, calli, quos poros uocant: itemq;, qui in renibus & ueſica inueniun-
C tur, calculi. Quippe in omnibus his communis eſt ſubſtantiæ generatio, quæ ante non fuit. Contra fit in alopecia, & ophiaſi, & ptiloſi, item caluitie, in quibus amiſſio particulæ eſt, quæ utilis fuerat. Tanquam igitur in ceteris omnibus, in quibus gigni quippiam uolumus, id agimus, ut naturæ motus liberos minimeq; impeditos reddamus, eodem certe modo & in pilis amiſſis. Quippe naturæ opus eſt, ueluti in ſinuoſis ulceribus generatio carnis, itidem in capite & palpebris productio pilorum. Ergo, ſi recordaberis ea, quæ in naturalibus libris noſtris de pilorum generatione didiciſti, utiq; ex ipſis amiſſionis eorum cauſas inuenies. Siquidem oſtenſum in his eſt, quòd ex ſuccis, qui per cutim tranſpirãt, quod * limoſum eſt, id pilos tum a principio gignit: tum de cetero ueluti ſuccreſcendo auget. Hoc igitur quoties uel prorſus perijt, uel redditum eſt uitioſum, toties pilos corrumpi eſt neceſſe. Corrumpuntur nanq; & ſtirpes ipſæ duplici de cauſa, alias nutriente ſucco deſtitutæ: alias non idoneo uſæ. Ac prorſus quidẽ perdito eo, qui pilos alat, ſucco caluicies oritur. Eodem uitiato, tum quas Ophiaſis græce uocant, tum alopeciæ proueniunt. At primum quidem † [ex naturali eorum tum ortu, tum mutatione] etiam alienã a natura cauſam inueſtigabis. Ab hinc curationis rationem inuenies. † Quæ utique per indicationes omnibus iam dictis (in quibus uel aliud quoduis uitium, uel etiam ulcus ex humoris uitio incidit) communes peragetur. Siquidem & inhibere, quod influit, & abſumere ac di-
D gerere, quod iam ægrotantem locum occupauit, conueniet. Ergo, ceu in ulceribus illis purgationẽ nocentis ſucci primum adhibuiſti, eodem modo in pilis ipſis ab hac primum curationem inchoabis, ſcilicet diligenter prius æſtimans, quis color cutis ſit, cuius cernis corruptos pilos. Nam, ſi his albidior, quàm pro naturæ habitu, ſit, pituitoſi humoris purgationem exhibebis: ſin pallidior, eiuſmodi bilis purgationem non ſecus, quàm, ſi nigrior conſpicitur, quæ nigram detrahant bilem, offeres. Sane ad uitioſi humoris ſpeciem certius agnoſcendam non leue tibi adiumentum præcedens uictus conferet, præſertim intelligenti, quinam ciborum nigræ bilis ſuccum colligant, quinam pallidæ, uel pituitæ. Ergo, cum iam plane purum ex purgatione corpus exiſtimas eum, qui in cute continetur, humorem digerentibus medicamentis diſcuties, ſic tamen, ut in his caueas, ne adeo calida acriaq; admoueas, ut cutis exulceretur. Quinetiã ea, quæ ualenter ſiccant, cauere conueniet, ne uidelicet cũ uitiato humore etiam utilem, qui adfluit, abſumas: ueluti in caluicie fit. Hæc igitur ipſe aduertens, admiſcui primum ijs medicamẽtis, quæ alopeciam ſanarent, exiguum thapſiæ. Deinde cõſiderans quotidie, quemadmodũ ægrotãtis natura ab hac eſſet affecta, ubi uel tumefactã pluſculũ, uel quodammodo excoriatam uidi, illo quidem die a medicamento abſtinui: illeui autem particulam uel galli uel anſeris liquato ſeuo propterea, quòd hæc magis tenuium ſunt partium, & altius deſcendunt. Deinde poſtero die, ſi quidem aliquid iam dictorum remanſerat, ſimili modo illeui: Sin nihil tale apparuerat,

* ἰλυῶδες eſt in impreſsis & in aliquibus antiquis, in alijs λιγνυῶδες, id eſt fuliginoſum.

† in græco tãtum eſt ἐκ τῆς κατὰ φύσιν αὐτῶν διοικήσεως. i. ex naturali ipſorũ gubernatione.

† ἐνδεικτικῶς ὑπὸ τῶν κοινῶν ἀγομένης σκοπῶν ἅπασι τοῖς προειρημένοις. i. quæ indicatiue per ſcopos omnibus iam dictis &c.

rursus medicamento sum usus. Atq; , ut id alte demitteretur,etiam cutim prius linteo infricui, quoad E manifeste rubra fieret. Verum, si a balneo uti eiusmodi medicamento uoles , idipsum ex balneo factũ cernes,quod prius ex frictione habebas. Iam eos quoq; , quibus periere ex cilijs pili (quos græce Ptilus nominant) similibus genere medicamentis sanabis.

De oculorum uitijs, qui sunt toto genere præter naturam, ac de alui lumbricis. *Cap.* 19.

DEliges autem materiam oculis idoneam: nec per negligentiam committes , ut medicamentum intra tunicas eorum confluat. itaque sicca tutiora sunt: de quibus æque , ac de ceteris, in nostris de medicamentis operibus est proditum. Nunc enim (quod dixi) abunde est sola genera medicamẽtorum, prætermissa particulari materia, transcurrere, quo minus de ijsdem identidem dicere cogar. Ergo, quæcunq; ab ipsa naturæ moderatione sunt aliena, ea tollere conueniet. Quæcunq; uero sub hac se tenent, ceterum quodammodo corrupta sunt, ea restituere, quatenus licet, oportebit. Sane dictum a nobis est aliqua ambiguæ naturæ esse. Nec illud non dictum, quòd eorum, quæ aliena sunt, quædam tota substantia sunt aliena, † logica scilicet inquisitione, nec ad curationes in quibusdam affectibus perinde utili. Siquidem pterygium a sanitatis habitu alienum esse, patere cuiuis arbitror: non tamen idem substantiæ ratione, quemadmodum atheroma & meliceris, est alienum: sanatio uero huius quoq; , dum paruum adhuc est & molle, per ea medicamenta, quæ detergent, perficitur: cuius generis sunt, quæ trachomatica uocant: ubi magnum durumq; euasit, chirurgiam postulat. Simili ratione & aquularum (quas Hydatidas uocant) quæ magnæ sunt, chirurgia curabis: quæ paruæ sunt, siccantibus medicamentis iuuantur. At Chalazion (est enim id quoq; ex uitijs, quæ oculos infestant, unum) cum toto genere alienum a natura sit, auferri postulat. Ad eundem modum & pus ab oculis, quos Hipopius uocant. Verum id plerunq; medicamentis digeritur. Hypochyma uero iam incipiens digeritur: ubi diu constitit, non potest. Aetate uero nostra ocularius quidam medicus, cui Iusto nomen erat, etiam concussione capitis multos hypopius sanauit. Collocans enim eos in sella rectos, ac capita eorum utrinque a lateribus apprehendens, mox quatiebat adeo, ut manifeste descendere pus ipsi uideremus. Mansit autem horum pus deorsum propter grauitatem substantiæ, tametsi hypochymatis nequaquam manentibus, nisi admodum ea quis diligenter impingi cogeret. Etenim leuius est, ac, ut ita quis assimilet, nebulæ similius hypochyma, quàm pus: quanquam horum quoq; ipsorum quædam (hypochymatum dico) serosioris humoris sunt. Hæc autem punctione ad præsens discutiuntur: Interposito tamen haud longo spatio, † [ceu limus quidam] deorsum fertur. At, quãdo pus, quod in oculis est, digerere placet, collyrijs, quæ myrrham habent, maxime utemur: quæ utiG que & Diasmyrna Græci proprie uocant: his certe minus, sed reliquis melius faciunt, quæ Dia libanu uocant. Quæ uero impense siccant, ad præsens certe ualenter uacuant, sed, quod reliquum est, ita cogunt, ut ægre resolui possit: ueluti de scirrhosis tumoribus prius est comprehensum. Subinde uero multum simul puris uacuauimus diuisa tunica ea, quæ cornu est specie, paulo supra locum, quo committuntur inter se tunicæ uniuersæ. Nominant porrò locum græce alij iris, alij stephanon, id est coronam. Quo fit, ut hoc quoq; uitium tribus subijciatur uacuandi modis, & chirurgiæ, quæ simul multum aut totum expellit: & per medicamenta, quæ paulatim: & ei, quæ ad alium ignobiliorem transfert locum, ueluti in concussione. Sunt profecto (ut dixi) ex genere eorum, quę tota substantia præter naturam sint, & ascarides, & helminthes, siue eæ teretes sint, siue etiam latæ. Quocirca & prorsus eas expelli e corpore conueniet. Expelles autem, si prius enecaueris. Necabis autem amaris medicamentis. Viuentes nanq; obsistunt intestinis adhærentes: at mortuæ expelluntur unà cum stercore. Expelluntur cum hoc etiam uiuæ, sed stupefactæ, &, ut ita quis dixerit, semimortuæ factæ. At teretes quidem absinthium perimere potest: Latæ uehementiora medicamenta desiderant [cuiusmodi est filix:] Pari modo, quæ ἀσκαρὶς græce dicitur. Verum de medicamentorum copia dicere non est præsentis propositi. Quare hic iam huic quoq; libro finem imponamus. H

† Hoc in loco inter dictionem aliena, & logica codex quidam græcus simul antiqui intercapedinẽ plurium uersũ habet, in quo uox λείπεσθαι deesse significat, legitur.

† Alias καθάπερ ὀλυνθίους ἀδὲ .i. ceu uinifex quædã.

GALENI DE ARTE CVRATIVA AD GLAVCONEM LIBRI DVO,

Nicolao Leoniceno interprete:

Ad antiquorum græcorum codicum fidem diligenter recogniti.

ARGVMENTVM LIBRI.

Docet rationem curandi, febrium exemplo, quæ uel absque putredine, uel cum ipsa hominem inuaserint: Item propositis symptomatis, quæ frequentius aut uehementius lædunt.

De communi & propria hominum natura dignoscenda, ac ex quibus medendi uia, ac ratio constituatur. *Cap.* 1.

B

VOD quidem non communem tantum hominum naturam medicum cognoscere oportet, ò Glauco, sed & uniuscuiusque propriam, & dudum ab Hippocrate recte traditum est, & nos in ipsis artis operibus (ut nosti) circa id sufficienter studuimus. Non tamen propriam singulorum naturam æque atque communem possibile est scribere. Verum scripta contrario modo se operibus habent, tum in pluribus alijs rebus, tum præsertim in his, quæ ad præsentem pertinent intentionem. Petijsti .n. a nobis, ut tibi uniuersalem quandam medendi uiam ac rationem, quasi per figuram & quoddam compendium ostenderemus. hæc autem qualitate, & quantitate singulorum auxiliorum perficitur, necnon & modo eorum usus, & temporis occasione, quæ præ omnibus est cognitu difficillima: circa quam præcipitem admodum existentem (quemadmodũ quodam in loco etiam scribit omnium bonorum nobis auctor Hippocrates) uides plerunque medicos non modo uulgares, sed & præcellẽtes aberrare. Quin & quòd magni etiam momenti sit, si quantitas bona coniectura uiribus accommodetur, idem uir pariter scripsit. Cum igitur ad recte medendum plurimum conferre, & temporis occasio, & auxiliorum quantitas uideatur, (inuenies autem hæc unicuiq; ægrotanti propria) nihil autẽ proprium possit sermone explicari, hoc pacto, quod commune est, cogimur scribere, quamuis id sit usu secundum. Nam & quosdam aliquando ægrotos uisimus, cum quibus dum sani essent, non eramus uersati: quo fit, ut neque, quem colorem, quam habitudinem, aut natiuum calorem, aut quem arteriarum pulsum a natura habuerint, agnoscamus: quæ si sciremus, magnitudinem morbi satis aliquando indicare possemus: nam, quantum unumquodq; a naturali statu recedit, ad tantam morbus magnitudinem peruenit; quantum uero recedit, solus ille scire potest, qui naturalem statum exquisite cognouerit. Cum igitur hoc in ipsis fuerit nobis ignotum, ne omnino hæsitemus, ad commune confugimus, quamuis ad usum secundum locum obtineat: Hic uero artifex plus aliquid, quàm hi, qui arte carent, assequitur. Quid uero hoc ipsum plus sit, primus omnium, quos nouimus, & hoc memorauit Hippocrates. Plenius autem de hoc scripserunt, qui Hippocrate fuere posteriores, atque illius scripta accurate legerunt, ex quorum numero unus fuit Mnesitheus Athenienſis, uir tum in alijs omnibus, quę ad artem pertinent, sufficienter doctus: tum uero, qua uia ac ratione medendi scientiã oporteat exercere, nemini peritia secundus. Hic igitur Mnesitheus a primis atq; supremis incipiens generibus, putauit secari illa oportere in alia genera speciesq; & differentias: hæc rursus in alia diuidi, ac D denuo ista eodem modo, donec ad talem peruenerimus speciem, post cuius diuisionem in unum numero & indiuiduum desineremus. Mihi uero, qui ad te scribã, satis est breuibus meam explicasse sententiam. Nam ridiculus uideri possem, si tua te uelim docere, tanquam non multo antea a Platone illa didiceris: neque enim ut te docerem, quam uiam ac rationem in diuisionibus sectari oporteat, hæc uolui meminisse, sed quóniam mihi ad sequentia omnia plurimum conducere existimaui: &, cũ a me exigeres edisscere causam, ob quam medicorum plurimis aberrare contingit, non aliter tibi ostendere poteram: Etenim, quæ in alijs hæresibus contingunt errata, & quæ multi medici nunc in ægrotantium curatione delinquunt, hanc primam atque præcipuam causam habent, diuisionis scilicet prauitatem. Quidam enim in primis & supremis generibus stant, solum, quæ ab illis sumuntur, indicationibus contenti: quidam uero usque ad aliquid diuidunt, non tamen usque ad finẽ perueniunt; non nulli uero etiam uitiosis utuntur diuisionibus. Qui uero & omnia, quæ sunt secundum naturam, & quæ præter naturam, ad eiusmodi methodum reducit, atque ab omnibus his per diuisionem inuentis sufficientes sumit indicationes: hic solus, quantum humanis permittitur uiribus medendo non errabit: atque illos quidem, quorum habet notitiam, melius curabit, quàm alios: ignotos uero proxime illis, quoad fieri poterit, ad sanitatem perducet. Siquis enim primum distinxerit eam, quæ secundum ætates, differentiam, deinceps autem eam, quæ secundum temperaturas

atq; potentias,ceteraq; omnia, quæ hominibus insunt:colores dico, atq; calores, habitudinesq;, pul- E
suum motiones, exercitia, assuetudines, atq; animi mores, his quoque adiunxerit eam, quæ maris a
fœmina,differentiam:&, quæcunq; ad regiones, & anni tempora perinde, aliasq; eius, qui nobis cir-
cunfunditur, aeris constitutiones recto modo distinxerit: hic ad propriam laborantis naturam agno-
scendam proxime accedet. Sed ex his omnibus non nulla quidem in libris de pulsibus: non nulla ue-
ro in his, in quibus agitur de temperaturis, sunt determinata: Sicuti,quæ præter naturam sunt,uniuer
sa quomodo inter se & speciebus, & generibus differant, in libro de passionibus est præfinitum. Nunc
uero de his solum ægrotis dicere proposuimus,quorum natura, antequam morbum contraherent, no
bis erat exquisite perspecta:cum quibus tamen & reliqui omnes intelligentur, qui nobis erant ignoti.
Nihil enim difficile ab eo,quod est perfecte distinctum,id,quod non tale est, inuenire.

De causis & signis febrium Ephemerarum. Cap. 2.

INitium igitur sumemus a febribus: quoniam & tu in his præcipue curandi artificium habere cupie
bas. Et primum quidem de his sermonem habeamus, quæ simplicissimæ sunt, quas Hippocrates
ephemeras, id est diarias, appellat: hæ uero sunt,quæ propter lassitudinem eueniunt, & ebrietates,at-
que*iras, * furores, atque mœrores, atque alias animi curas uehementes. Et, quæ ex bubonibus fe- [* ὀργάς. * θυμούς.]
bres ortum habent, ex hoc genere sunt, præterquam si absq; ulcere fiant manifesto: tunc enim suspi- F
cionem afferunt, & nullo modo mites sunt. Et uigiliæ plerunq; simplicem febrem induxerunt,sicut fri
gefactio, & exustio quandoq;. Atque hæ omnes febres soluuntur facillime. Oportet siquidem eos
confestim ducere ad balneas, atque ad aliam consuetam uictus rationem: Quandoquidem, qui per-
tritum illum sermone medicorum triduanum terminum admittunt, sæpius acriores febres effecerunt,
quamuis & aliter præterea delinquant: quemadmodum cernis ex eis plures in quolibet ingressu de-
linquere ita,ut manufactas plane faciant ægritudines. Sed cura quidem harum febrium in promptu est,
sed earum dignotio maiorem exigit diligentiam,de qua nemo ante nos, quantum oportuerit, scriptū
reliquit:quare minus mirandum complures tantum in medicinæ operibus aberrare, quantum etiam
cognitione falluntur. Sæpius enim quidam ab initio casu aliquo in graues morbos incidunt,ueluti ui-
no pleni, aut sole exusti,aut frigefacti,aut lassitudine oppressi, aut uigilias passi, aut ira concitati, aut
quauis alia causa,quæ per se nocere natura sit apta, correpti: deinde totum in causa antecedente con-
sistere, neque aliam subesse dispositionem arbitrati, circa uictum negligentius se habent adeo,ut se ip-
sos lateant in insanabiles, aut ægre curationem admittentes morbos prolabi. Ob hæc igitur ante om-
nia curare oportet, quemadmodum etiam Hippocrates admonet, ut non solum futura præcognosca-
mus, sed præterita etiam atque præsentia. Nam, & quod nunc præponitur, ad eam artis attinet partē: G
quod pro uiribus manifeste trademus. Neque enim parua est differentia, si laueris iam ægrotantem,
& securum esse iusseris, aut cum per omnem custodiam securitatemque traduxeris. Cum igitur ad
ægrum accedes, primum a maximis, quæ circa ipsum sunt,consideratio incipienda, deinde & ab alijs,
adeo ut nec minimum aliquod pro uiribus omittamus: Nam ut magis aut minus ei, quæ fit ex maxi-
mis, indicationi credamus, ex aliorum fit adiunctione. Maxima quidem in omnibus febricitantibus
signa, in pulsibus atque urinis consistunt: His uero addere oportet, & quæcunque alia circa faciem
Hippocrates scribit:accubitum quoq;, & respirationem: item ea, quæ per superiora uel inferiora ex-
cernuntur: Et siquid aliud accidens circa aliquam corporis partem, aut operationē consistere uideas
(qualia ille mille in millibus scripsit) neque ex his ullum aliquod negligenter prætereas: hęc quidem
omnibus febribus communia sunt. Itaque etiam in simplicissimis, de quibus pręsens est sermo, nihil
horum relinquere oportet. At,postquam ex pulsibus atque urinis febris*naturam perceperis:cum pul [* ἦθος. i. mores Al. εἶδος, idest speciem.]
sus nullum inflammationis signum habuerit,neque omnino inęqualitas in una arteriæ compulsione ap
paruerit, aut si hoc affuerit,omnino sit imbecille:vrinæ autem omnino similes his, quæ secundum natu
ram se habent,aut non multū a naturali statu recesserunt: tunc & ad omnia illa, quæ antea a nobis sunt
dicta,accedere oportet: Et,cum ueluti chorus quidam omnia concinne loquuntur, tunc etiam fidere H
oportet, ac,si libeat,interrogare,nunquid aliqua manifesta antecesserit causa. Siquid enim huiusmodi
ęger fateatur, expectata prima febris solutione, statim oportet lauare, cum tunc certior tibi sit facta di
gnotio, & ex ipso solutionis modo. Nam arteriarum motus in hoc in totum assimilatur ei, qui in sanis
deprehenditur: cum in nulla alia febre ad naturalem habitum reuertatur, neque si multum temporis
inter primę accessionis finem & secundę principium intercidat, quemadmodum in tertianis atq; quar-
tanis. In illis enim febris remanet signum:in ephemeris autem in totum aboletur accessione cessante:
Plurimis uero earum & humidi quidam uapores, & quibusdam etiam sudores optimi apparent: aut o- [A.l.4.f.1.t.1.c.6.p.766.d.]
mnino quidam plurimus ueluti uapor ex intimo corporis exit. Sed & urinæ quoq; multo nunc melio-
res,quàm circa febris principia,uidebuntur: Et,si capitis aut alterius partis dolor simul inuaserit, neq;
hic amplius persistet. Aegrotantis quoque in tolerando facilitas, magnum & ipsa signum,tanquam si-
gillum quoddam, ultra omnia alia signa,febris bonitatem tibi indicabit.Et,si,dum lauantur,neq; hor-
ror quidam insolitus molestauerit, neq; alia tristitia affuerit: &, si post balneum deinceps bene se ha-
bere perseueret,tunc ne uerearis cibum offerre.Vinum quoq; sine formidine ad potandum exhibe,ad-
hibito tamen, ut pręsentia exigunt,modo. Nos autem,ut te non latet,eis causam,quę antecesserit, so-
lemus dicere, neq; expectamus,ut illam ęgrotus anticipet enarrare: quod maximum est argumētum,
illum

A illum non errare, qui talem sit adeptus facultatem. Si igitur remanentibus adhuc animi affectibus cō-
sideratio habeatur,tunc ex pulsibus maxime tentanda dignotio, quemadmodum in libris de pulsibus
scripsimus: post hos uero & ab alijs dignotio est petenda. Quòd si illi iam quidem cessauerint, rema-
neat autem dispositio: paruum quidem ex pulsibus habebis indicium earum, quæ febrem attulerunt,
passionum: sufficient autem tibi & sine pulsibus reliqua. Communiter quidem omnibus urinæ rufę:
Adiungitur uero his,qui propter tristitiam febricitant,acritudo potius, quàm abundantia caloris: quē
admodum e diuerso his, qui propter *furorem. Sed & extenuatio corporis in his,quos tristitia, quàm
in his,quos cura uexauit conspectior existit:oculorum præterea cauitas, ac quædam insolita deco-
loratio. hæc quidem sunt & in alijs,qui quouis modo diu cogitarunt, communia. Maxime autem &
ex oculis distinguere oportet:nam ex his etiam in sanis animæ mores possumus coniectare. at in ægro
tis,siquis diligenter inspicere queat, sunt indicia certiora. Sic quidem eos, qui propter disciplinas, aut
contemplationem aliquam diu cogitarunt,ab his, quos tristitia corripuit, discernere oportet. At eos,
[* Al.ligatus.] qui uigilarint,distinguit forma palloris: nam in ipsis facies est subtumens,& oculorum motus * mani-
festus:uix enim palpebras attollunt:inest etiam palpebris humiditas. Nam,qui tristantur, aut cogita-
tionibus detinentur, his exiccantur. Cauitas uero est commune accidens omnibus, mœrori, uigilijs,
B cogitationibus, non tamen *furori: in hoc enim neq; oculorum cauitas, neque pallor manifestus, &
plus caloris,atq; celerius ex imo prorumpit: neq; pulsuum magnitudo destruitur, quemadmodum in
uigilijs,tristitia,& cogitationibus. Quare hæc a * furore apertissime distinguuntur: abinuicem uero,
quemadmodum diximus antea. Eorum autem, qui ex lassitudine in febrem inciderunt, cutis est sic-
cior,quàm in alia aliqua ephemera febre:Sed hoc quidem omnibus ex lassitudine febricitantibus cō-
mune existit in tempore accessionis,donec consistit:post hoc uero pluribus, modo non sint supra mo-
dum labore uexati, quidam humidi uapores, aut calidus uapor ex intimo corpore effertur:quibusdam
uero,etiam postquam febris consistere desijt, siccitas perseuerat: quod maxime accidit his, quos su-
perfluus labor oppressit, aut refrigeratis, aut a sole exustis simul cum lassitudine. Et quidem pulsus nō
eodem in utrisque modo se habent, quia parui quidem his sunt,quos superfluus labor uexauit: in alijs
uero magni. Quæ uero cute condensata accidunt febres (condensatur autem hæc aut ex frigore, aut
[* Al.isolita e.; A.l.4.f.1.t.1.c.33.p.769.] ex qualitate aliqua, quæ uim astringendi habet,† [subito ei] adueniente, uelut illi, qui aqua alumino-
sa se lauit, accidit) hæ quidem ex omnibus febribus solæ sunt astricta passio. Has uero tactu cogno-
scere licet: quemadmodum & arentes febres, & quæ ex lassitudinibus & exustionibus fiunt. Nam ne-
que harum dēsitas hos queat latere, qui tactum habent exercitatum. Sed & caloris motus nescio quo
C pacto resurgit, qui mitis quidem in primo tactu sentitur: acris autem si plusculum tardemus. Non ta-
men & his urinæ sunt rufæ, neque corporis moles concidit, neque etiam oculi caui atque aridi fiunt:
quoniam etiam quibusdam humecti magis atque prominentes apparent, quàm hi, qui secundum na-
turam se habent. Neque sunt pulsus minores, cuiusmodi in mœroribus, curis, aut uigilijs, aut ualde
immodicis exercitijs apparent. Febres autem, quæ ex bubonibus fiunt, pulsus habent maximos, ue-
loces, atque frequentes: multusque illis calor inest: ac, postquam febris constiterit, statim ex profun
do quidam emergit humidus uapor, calidus quidem, sed mitis: acrimonia enim & mordacitas mini-
me omnium febrium, huic generi febrium adest: atq; ut plurimum facies rubicunda illis & magis tu-
mens: vrinæq; subalbidæ. Communis autem omnibus huiusmodi febribus est pulsus æqualitas: nam
paucæ admodum ex his febribus eam,quæ in uno ictu,inæqualitatē ostendunt, & neq; ipsæ satis aper-
te ac manifeste illam præ se ferunt. Talia quidem sunt ipsarum indicia.

De curatione febrium ephemerarum. Cap. 3.

CVrare autem oportet omnes quidem balneis. At, qui ex densitate cutis aut ex bubonibus febri-
[A.l.4.f.1.t.1.c.9.p.756.f.] citant,si in aere balnei immorari iusseris, haudquaquam nocebis: reliquos omnes quàm citissi-
me oportet ab aere semouere:si uero diutius in aqua immorari uoluerint,permittendum. Oleo autem
D tepido & multo & manibus mollibus perfricare quàm plurimum oportet, præcipue quidem, qui ex
lassitudine febricitant:secundo autem loco, qui meatus habent astrictos: & tertio, qui ex bubonibus
febrem incurrerunt:sæpius autem istos lauare oportet, in quantum contigerit. Cibum autem assume-
re,qui ex lassitudine febricitant,possunt multoties,non æque tñ,qui ex densitate cutis, aut bubonibus
febricitant:at his utrisq; tenuis uictus est optimus:qui uero ex lassitudine febrierint, præcipiendū est,
ut cibos assumant concoqui faciles,ac cruditatem præcipue deuitent. Sed & uinum potare, quantum
possunt conuincere,sunt permittendi.Mensurę aūt ratio,quemadmodum in alijs omnibus; ex uiribus,
& ætate sumitur ęgrotantis, necnon & ex naturali temperatura, & præterea ex consuetudine, & anni
tempore,& regione,atq; alijs huiusmodi. Qui uero ex bubonibus febricitant, arcendi sunt a uini potu,
donec bubones soluantur. At,qui cutis foramina habent astricta,uel refrigerati sunt, si non multū hoc
affectu laborent,neque plenum corpus habeant,non sunt a uini potu prohibendi:at, qui pleniore cor-
pore sunt, uel multum refrigerati, prohibere utile est. Qui uero ex uigilijs aut aliquo animæ affectu
febricitant, postquam balneaueris, cibo humectante ac boni succi reficere expedit. Vinum uero [o-
mnibus, sed] pręcipue his, qui uigiliam passi sunt, intrepide offerendum est, nisi capitis dolore pre-
mantur,aut pulsum uenarum in temporibus sentiant. liquet autem, ꝙ etiam in alijs eadem obseruāda
sunt. Sed & ijs,qui ira,aut mœrore aliquo, aut cogitatione febricitāt,uinū est exhibendū:& qui* furore
febricitant,

febricitant,quando omnino ab affectu quieuerunt; prius uero non tutum est uti uino. Tentare autem E oportet & contrarium semper afferre ei,quod molestat:labori quidem,quietem:uigilijs uero, somnũ: iræ autem,&*furori,atque tristitiæ,eam animi iocunditatem,quæ ex sermonibus,actionibus, spectaculis,enarrationibus percipitur. Sic, qui cogitatione laborat,omnino ratiocinationes omittat:&,qui ex bubone febricitat,prius huius curationi intendat,ac multo prius,ulceris unde originem habuit. Hæc quidem febrium ephemerarum indicia atq; remedia sufficienter se habeant. Reliquæ uero febres non nullæ ex inflammationibus,non nullæ ex humoribus accenduntur; &,quæ ex inflammationibus fiunt, sunt ueluti quædam accidentia partium phlegmone laborantium:& morbus magna ex parte ab instrumento patiẽte denominatur phrenitis,aut peripneumonia,atque pleuritis,aut aliquid tale. sed de his postea dicemus.

De febribus putridis. *Cap. 4.*

AT,quæ ex humorum putredine febres accenduntur,hoc ipso nominantur febres, & sunt non accidentia morborum, sed ipsæ morbi. Ex his uero nonnullæ quidem sunt sine accidentibus, quæ & mitissimæ sunt:quædam uero simul cum accidentibus infestant. Nos uero de prioribus dicamus febribus,quæ accidentibus carent, in quibus maxime,si fieri possit, primo die, qualis sit febris, an acuta uel longi temporis,est cognoscenda: & utrum ex his,quæ intermittentes dicuntur,an continua. quod F si primo statim die fieri non potest,secundo saltem formam inuenire est tentandũ.quod si neque in hoc aliquid firmum aut stabile sciatur, in tertio saltem aliquid manifestius apparebit: nam paucæ omnino sunt,quæ,ut exquisite dignoscantur,quartum desiderent.Ego uero,quàm breuissime potero,indicia explicare tentabo, ex quibus speciem febris intelliges: planius autem ac manifestius de omnibus alibi disseruimus.

Signa febris tertianæ. *Cap. 5.*

QVæ igitur cum rigore inuadunt,non ab re ex earum numero esse iudicabis, quæ per circuitũ infestant. Tertianæ enim atque quartanæ in totum cum rigore faciunt accessiones. Sed tertianæ quidem in primo insultu cum uehementi sæpe rigore incipiunt; Quartanam uero non uidimus cum uehementi rigore incipientem,sed post tempus magnitudo illi superuenit,præter id,quod neque statim ab initio hæc febris ut plurimum solet inuadere,sed alijs,quæ antecesserint,subsequi. Quartana itaque eas,quæ errabundæ aut erraticę dicuntur,† insequitur: Quotidiana uero raro aduenit, quin os uentriculi patiatur:quemadmodum quartana ex male affecto splene generatur:tertiana ex iecore laborante.Quæ quidem cum ualido rigore incipit,magis febrem tertianam,quàm aliquam aliarum febriũ fore par est.Si uero & alia,quæ postea dicentur,signa attestentur,hanc proculdubio in prima die tertianam esse cognosces. G Quod si cum paruo rigore inceperit,tunc magis & alia signa attendere mẽte oportet:quoniam non quotidiana tantum atque quartana,sed etiam hemitritæus,id est semitertiana,aut aliqua alia ex continuis esse potest. Alia uero signa & ex caloris qualitate, & quantitate, & arteriarũ motu sumuntur,ex ipsa etiam rigoris,qui sentitur,forma,& anni tempore,& regione,& temporis statu, atque ex natura & ætate ægrotantis,& ex præcedentibus causis,& his, quæ concomitantur. Nam calor quidem,multus & acris esse debet:Pulsus autem magni,† [ac calidi,] uehementes,ueloces,atque frequentes, omnis inæqualitatis,præterquam febrilis expertes. Rigor autem, ueluti si a re aliqua acuta magis,quàm frigida,cutis pungeretur;cum hi,qui quartanam,aut quotidianam patiuntur,potius frigidum rigorem sentiant:Tempus autem anni æstiuum,sicuti & locus & præsens constitutio calida:sit autem & ægrotantis natura calidior,biliosior,& ætas iuuenilis:& exercitationes potius, quàm ociositas, antecesserint:magis deustio,quàm frigefactio:& parcitas cibi potius,quàm crapulæ:uigiliẹ quoq; mœrores,atque lassitudines,& intensę cogitationes ad eundem perducunt effectum.Quod si multos alios eodem tempore laborantes contigerit tertianis corripi febribus, hoc quoque maximum præter ea, quæ nuper diximus, signum erit. Quod si, cum hæc omnia affuerint indicia,aut saltem, quæ maxima sunt,& longe præcipua, sitis quoque uehemens adiungatur,uomitusq; bilis,aut sudor, uel utraque superuenerint, tunc etiam aperte manifesta erit. H Quod si post hæc a febre quieuerit homo,hac inquam, quæ in suo motu est & omnibus nota: propria uero febrium inæqualitas in arteriarum motu relinquatur,tunc certissime poteris esse tertianam febrem enunciare,æque, ac si per tertium diem accessionem fecisse uidisses.

† Quidã cod addunt. propter phlegma.

† In antiquis quibusdã hæc non legũtur.

Signa quartanæ. *Cap. 6.*

A.l.4.f.1.t.1. c.62.p.797.b.

QVartana autem(nam & huius signa tibi scribere oportet) manifestissimum sui prębet indicium in principijs accessionum,quando rigent adhuc,qui quartana laborant.Nam eorum pulsus satis tardi sunt ac rari.Cum autem consistit febris,aut etiam augetur,necesse quidem est,ut uelo ces fiant atque frequentes.Seruatur tamen & tunc propria ipsius tarditas ac raritas, si additam uelocitatem atque frequentiam accessioni,ratione perpendas. Etenim,si comparaueris quartanæ febris consistentiam tertianæ consistentiæ,non paulo ueclociores atque frequentiores in tertianis pulsus ostendere arterię uidebuntur: Et ipsius unius motus inęqualitas in quartana febre eius formam ostendit: nã, quę omnibus communis est febribus, in uno pulsu arterię inęqualitatem in hac manifestissime licet comprehendere,multo enim uelocius principium finemque motus inuenies,quàm medium. Non tamen in tertiana ita se habet:breuis etenim in ipsa est uelocitatis excessus, atque in consistentia pręsertim.

A tim.Verum & caliditatis indicia diuerso modo se habent,nam tertianarum calorem & æstum & ueluti feruorem,in quartanis haudquaquam inuenies.Hæc igitur signa maxima sunt.Reliqua uero extrinsecus,nam neque hæc sunt omittenda,sed & ægrotantis natura est inspicienda,si in ea atra bilis abundat: & tempus quoq; anni,si autumnus:& præsens cõstitutio,si inæqualis:sic uero & loci natura, & morborum peruagantium populariter: & si lien intumuerit, febrisq; sine ordine antecesserit,& ætas senior, quam consistentium:& si cum sudore febres desinant.In his uero bilis flauę uomitus minime est expectandus,quemadmodum nec in quotidianis:hoc enim tertianarum proprium est: At,cum febris cessauerit,si adhuc signum febris remanserit:pulsusq;,his qui secundum naturam, rariores ac tardiores fuerint,quartana proculdubio erit huiusmodi febris.

Signa quotidianæ. *Cap. 7.*

A.l.4.f.1 t.2. c.47.p.781.a.

FEbrem uero quotidianam uel ex his maxime signis agnosces: nam eius caliditatem humidiorem cum quadam acritudine esse oportet,non,cum primum manus admouetur, confestim occurrentem,sed per moram.nam quædam fumosa caliditas cum multo uapore commista, exire uidebitur: cũ magis ignis in multo humore suffocetur,quàm ipsum possit cõuincere. Sed & his multo minores sunt B pulsus pulsibus quartanarum,quàm istarum pulsus pulsibus tertianarum. Rursus uero tanto rariores sunt in quotidianis pulsus his;qui in tertianis,quanto illis pulsus quartanarum: at tarditas in utrisque eodẽ mõ se habet.Minus uero siticulosa hæc febris est:tantumque eam quartana excedit,quantum istã tertiana.Lingua uero & totum corpus siccissimum est in tertianis:at in febribus his humidissimum.Et uomitus pituitosi.Et,quæcunque per uentrem excernuntur,frigidiora sunt,atque humidiora,& crudiora, aquosiora, & pituitosiora. Vniuersum corpus denique in hisce febribus plenum crudis humoribus inuenitur.Ideoque ætatibus,naturis,annique temporibus, & temperaturis humidioribus accidunt. Nam iuuenem biliosa ac sicca temperatura nunquam uidi huiuscemodi corripi febre. Pueri autem,& maxime paruuli,& ex his,qui iam perfectum corpus habent,pituitosi & habitus crassi,atque ocio plurimo dediti,crapulis,ebrietatibus,balneis assiduis,post cibum præsertim,utentes, a quotidianis facile capiuntur.Loca etiam humidiora,atque ex anni temporibus hybernum,atq; ex constitutionibus humidiores hanc præcipue afferunt febrem.Quòd si sit etiam populo communicata,tunc præter ea,quæ antea diximus signa hoc quoque non parum ad eam dignoscendam conducit. Non tamen harum febriũ declinationes,quemadmodum tertianarum & quartanarum,sudoribus terminantur. Quare neque ad integram quietem manifeste(exceptis paucis)perueniunt.Vrinæ uero,quæ procedentibus ipsis adue- C niunt,totius morbi tempora docent:quæ autem in principijs uidentur,febris etiam speciẽ indicabũt. Nam in quotidianis uel albæ sunt & tenues,uel crassæ & turbulentæ,*uel rubidæ.In tertianis autem rufæ uel subrufæ.In quartanis uero uariæ quidem,sed crudæ omnes. Hæc quidem febrium intermittentium sunt indicia.

*Alias.&

Indicia febrium continuarum. *Cap. 8.*

FEbres autem continuas ex eo cognosces, quod nullum eis adest ex signis, quæ intermittentibus oportere adesse diximus. Et si citra etiam quatuor & uiginti horas non cessauerit febris. Si uero inæquale habuerint incrementum,hoc præter alia signa longius etiam tempus ostendit. Et quidem si & proprium febrium signum in pulsibus manifestum habuerint. Si uero & inordinatio quædam, uel inæqualitas ipsis,uel inconcinnitas adsit,& hoc etiam indicium erit simul magnitudinis ac continuitatis.Si uero in hoc statu permanentes,tertio die maiorem accessionem ostenderint, aut excrementa & urinæ omnino crudę apparuerint,non possunt huiuscemodi febres ad septimum diem iudicari.Si uero & quarta dies tertiæ diei similis fuerit,& febris quodãmodo*submersa,neq; facies,aut reliquum corpus collabatur quicq̃:huiuscemodi febris ad longius tp̃s extẽdi cõsueuit.Tales quidẽ sunt differentiæ earũ febriũ,quæ accidẽtibus carẽt.Curatio aũt earũ deinceps scribetur: primũ quidẽ intermittentiũ, D deinde continuarũ.Ex intermittẽtibus uero breuissima quidẽ ac mitissima est tertiana. Lõgissima aũt, ac,quantum in ipsa est,haudquaquã periculosa,quartana.Quotidiana uero,lõga,& non sine periculo. Quare ab initio statim ad uniuersum ægritudinis tẽpus inspiciẽtes,rõnem uictus instituemus.Nã ægritudinibus,quę acutæ sunt ac celeriter ad statũ ueniunt,& si ualde tenuẽ uictũ exhibueris, haud magnũ afferes detrimentum. Quæ uero sunt diuturniores,nisi ab initio grandiori cibo reficias, hominem cũ morbo pariter perimes, aut intẽpestiue uictus modũ cõmutabis. Neque.n.oportet statu aduentante grandiorem,quam prius,cibum offerre,sed contra potius,tenuissimũ uictum, qui in toto morbo exhibeatur,ad statum reseruare.Hoc igitur in omnibus febribus commune præceptum. Sed oportet præterea,quæ singulis febribus intermittentibus propria sunt, considerare. Veluti confestim in tertianis (neque.n.male ab his initium sumendum)primum distinguas,si exquisita sit febris,& (ut quispiam diceret)legitima,aut nõ exquisita,sed uelut notha:nam,quæ exquisita est,in septem,quod longissimũ est, circuitibus iudicatur,præter id q; ẽt minime periculosa est: Alterã uero,quæ nõ est exquisita,uidi qñq; cum in autumno incepisset,in uere desinere. Deinde uero,ut par est,in tempore adeo longo, tum quia ægrotus medici præceptis parere noluisset,sed in aliquo deliquisset:tũ quia ex hyeme læsus esset, lien ualde intumuit,&*præcordia flatibus sunt oppleta,& iã subtumida quædã erat decoloratio in facie,ac p̃sertim circa crura:adeo ut nobis de iuuene dubitare cõtigerit,ac maiorib⁹ uti remedijs fuerit necessarium.

A.l.1.f.4.d.1. c.1.p.133.a.

A.l.4.f.1.t.2. c.35.p.785.a.

rium. Sic igitur nihil simile habet huiuscemodi tertiana cum exquisita. Quare & ab initio eas distin- E
guere oportet. quantum enim natura differunt, tantum rationabile est rationem uictus permutare. Vt
igitur eas optime sciamus distinguere, quæ adolescenti acciderint, mihi sat erit scribere: quæ, ueluti
quoddam exemplum ac monumenta, tibi futura sunt earum, quæ non exquisitæ tertianæ sunt. Erat
tempus anni medium inter occasum pleiadum & æquinoctium antecedens: inceperat autem febris
cum horrore adolescenti circa auroram fere, ut neq; in caliditate similis tertianæ uideretur, neque in
pulsibus. sed neq; uomitus bilis subsecutus est, neq; sudor sufficiens, præterquam quòd in die secun-
do tantummodo circa horam tertiam quidam pauci humidi uapores exierunt: ex quibus febris qui-
dem transpirabat, at ita pedetentim, ut uix circa uesperam expers febris uideretur. nam febris signũ
satis manifestum in pulsibus manserat: in reliquis uero circa uesperas satis bene se habebat, & per to
tam pariter noctem. Rursus uero circa tertiæ diei auroram secunda accessio facta est, omnino, præter-
quam in tempore, similis primæ: nam nocte superueniente paululum ante diem uapores humidi exhã
larunt, ac circa quartæ diei auroram febris cessauit. Ac reliquo deinceps autumni tempore atq; hye-
mis, quo ægrotauit, alia omnia & hora accessionis & solutionis febris eundem modum seruauerunt.
Agebat autem adolescens circiter decimumoctauum ætatis annum, albus aspectu, & pinguis, qui sæ-
pius ante in ocio degerat, & crapulis balneisq; plurimis & repletionibus usus erat: quare neq; bene ei F
bos concoquebat. simul autem aduenit ei durus pulsus, in prima quidem die atque secunda mediocri-
ter: in tertia autem & quarta atq; sequentibus usq; ad septimam, ad tantam peruenit duritiem, ut qui-
spiam, qui soli crederet pulsui, multorum fore mensum ægritudinem iudicaret. talis autem perdura-
uit usq; ad uernum æquinoctium, in quo cœpit mollescere. & rursus postea quadragesimo die omnino
æger a tertiana est liberatus, tendente paulatim ad mollitiem pulsu, ac minore quotidie fiente acces-
sione, urinisq; bonam habentibus subsidentiam: etenim hæ quoq; in priore tempore erant admodum
crudæ. Talis quidem est tertiana, quæ alteri exquisitæ maxime contraria existit. Reliquas uero inter-
medias haud numero paucas, ex extremis determinatis haud difficulter inuenies. Quæ enim in princi
pio sermonis tertianarum febrium indicia scripsimus, si omnia affuerint, exquisitam reddunt tertia-
nam: cuius accessionis tempus breue est, quatuor nimirum horarum, aut quinq;, aut sex, aut (quod lon
gissimum est) undecim, aut duodecim. Huiuscemodi præterea febrium urinæ tertio die, aut ad summũ
quarto coctionis signum ostendunt. Hoc pacto quidem exquisitam aut non exquisitam tertianam co-
gnosces: eadem quoq; ratione & quartanam & quotidianam. Cui enim omnia insunt indicia, quæ in
quartanis febribus antea scripsimus, hæc uera atque exquisita quartana est: cui uero minime, spuria est,
& nequaquam exquisita: & quotidiana quoq;, cui omnia, quæ diximus, insunt, exquisita est: cui autem G
non, non exquisita. Non igitur sicuti exquisitæ quotidianæ & quartanæ, ita etiam non exquisitæ, sunt
diuturnæ, sed, quemadmodum exquisita tertiana breuis est temporis, sic & quartana & quotidiana ex-
quisitæ, diuturni. Hæc quidem in his, qui per circuitum quendam febricitant, oportet considerare. In
alijs autem febricitantibus urinas atq; excrementa atq; uniuersum corporis habitum inspicere opor-
tet: calorem quoque, atq; arteriarum motum, & quæcunq; alia præter hæc Hippocrates, & lógus usus
inspicere iubent, ueluti regiones, anni tempora, constitutiones, & ætates, corporum temperaturas,
consuetudines, & causas antecedentes, & quæ simul cum morbis inuadunt, & quæ in medio tempore
apparent. Iam totum, ut cuiq; uideatur, admonitum est, non tamen re uera ita se habet: nam quoddam
maximum etiam inter hæc omnia, breue tamen dictu, nondum scriptum est. Quid uero hoc est? morbi
quantitas ac uirium, res, quæ ad eam explicandam uno indiget uerbo, ad usum uero permagna: neque
enim bene prænoscere possumus, nisi horum singulorum magnitudinem diligenter pensitemus. Nam,
utrum morbus sit exitialis, an non: & quando magis debeat mori, aut sanitati ægrotus restitui, nisi om-
nium, quę diximus, quantitatem diligentius animaduertens, ad duo redegeris capita, ad ipsius scilicet
morbi magnitudinem, & ægroti uires, non poteris uere prænoscere. Nam, si uires adeo ualidæ fuerint,
ut possint morbum superare, necesse est ægrotum euadere: si uero contra, omnino morietur. Non igitur H
solum inspicias, qualis sit morbi species ac forma, sed & eius magnitudinem aduerte. Non paruam au-
tem hoc exigit experientiam, tum alias ob causas, tum quia neque scribi, neq; omnino sermone edoce
ri singulorum quantitas potest. † Et, siquid in nobis est, ex nulla re adeo possumus ad exquisitam perue
nire notitiam, quantum ex crebra exercitatione circa quantitatis coniecturã. hoc quidem in ipsis ope
ribus & discere & docere possibile est: quæcunq; uero in qualitate determinantur, hæc diligẽter ac ma-
nifeste, quàm breuibus poterimus uerbis transigemus.

† Alias. Et si id, quod nostrum est, siquid forte ex nulla alia re ad tantum perfectionis uenit, quàm crebra &c. A.l.4.f.1.t.1.c.39.p.786.a.

Tertianæ exquisitæ febris curatio. *Cap.* 9.

EXquisitam ergo tertianam, ut quæ ex flaua bile commota inualescat, quanto magis fieri potest, re-
frigerare oportet ac humectare: nam contrariorum contraria remedia sunt, quæ quidem quod su-
perfluum est, reprimant: quod uero deficit, suppleant. At flauæ bilis humor inter omnes, qui in corpore
sunt, humores ficcissimus calidissimusq; existit. Hunc igitur, cum ad uentriculum repit, per uomitũ edu
cere oportet: cum uero uergit ad inferiora, per inferiorem excretionem: hoc quidem & sponte fieri so-
let in tertianis exquisitis. Per urinam quoq; & sudores oportet diuertere. † Iuuat autem & per inferio-
res partes bilis expurgatio. Venter autem mollibus clysteribus exinaniendus est. Vrina uero potioni-
bus, in quibus apium aut anethum maduerunt, prouocanda. Et, si tibi coctionis signa monstrantur, iam

† Alias. Et si id, quod nostrum est, siquid forte ex nulla alia re ad tantum perfectionis uenit, quàm crebra &c. A.l.4.f.1.t.1.c.39.p.786.a.
† Alias. Iuuat enim & pbas partes (urinã scilicet & sudorem) bilis expurgatio.

A cum fiducia absinthium potes exhibere: quod alioquin summum est remedium mordicationum stoma
chi, quæ a bile proueniunt, si præsertim ex ipsius coma, quantum sufficiat, accipiens melicrato intinxe
ris. Balnea uero calida ex aqua potabili prosunt, tum quia aliquid bilis educunt, tum etiã quia sua qua
litate plurimum iuuant: nam huiuscemodi omnia balnea humectant, ac potentia refrigerant: Marinæ
autem aquæ & salsæ, nitrosæ atq; sulphureæ plus quidem bilis educunt, sed multo minus, quàm potabi
les, prosunt. Præstat uero neq; ipsas utiles dicere, quandoquidem plus qualitate nocent, quàm euacua
tionibus iuuent. Equidem noui quendam corrupto iudicio hisce balneis uti persuasum, deinde exte-
nuato corporis habitu ad tantam uenisse perniciem, ut tabe consumptus interierit: reliqua uero uictus
†In aliquibus cod. Græc. legitur. πρὸς τὴν χένεσιν τῆς χο λῆς. i. ad gene rationem bilis.
ratio † [ad bilem etiam excernendam] exhibita fuerat. Semper autem oportet contrarias qualitates il
lis, quæ præter naturam inualuerint, opponere: cum hoc *multo plus iuuet, quàm quomodolibet eua
cuare. sed neq; hoc ipse nouerat, neque alio docente didicerat. Hæc igitur in balneis intentio sit, ut
corpus madeat atq; humectetur, atq; iccirco neq; nitrum, neq; sal, neque sinapi inspergere oportet,
(quod genus mali complures ægrotis afferre uidentur, † at plurimum olei calidi infundentes ad aquã
perducere ac madefacere: &, si in ea natare uoluerint, quantum id facere possunt, permittendum. At,
qui balneis admodum delectantur, si etiam bis in die lauari permiseris, non aberrabis: sed illud semper
*Alias. multo ties.
†Alias at oleũ quam maxi-me calidum.
B habeto in memoria, ut in tempore id faciant. Si uero etiam coctionis signa ostendantur, tunc, etiam si
sæpius laueris, nihil deliqueris. A uino uero ante, quàm morbus concoquatur, omnino abstinendũ:
at, ubi concoqui cœperit, dandum est ab initio tenue, aquosum, & paucum: vbi uero iam prope est, ut
morbus soluatur, amplius est offerendum. Cibi autem, quicunq; humectant atq; refrigerant, omnes
utiles sunt exquisitis tertianis: quantitas uero in ipsis sit tanta, quanta optime concoqui possit. Ex ole
ribus quidem atriplex, blitum, lapathum, & malua, & lactuca, & cucurbita: ex alijs uero & ptissanæ
succus, & ex alica forbitiones: & ex piscibus, saxatiles: Ex uolatilibus autem, quæ mollibus constant
carnibus: quæ autem talia non sunt, eorum alæ: testiculi quoque gallorum: & suum pedes, & cerebra:
paruorum uero si etiam dederis carnem liquefactam, nihil nocebis: sed & oua ad forbendum sunt con
cedenda, & præsertim uitelli eorum: nam hi facilius, quàm pars alba, concoquuntur. Ex fructibus autẽ
permittendum est, ut illos degustent, qui non sunt omnino difficiles concoqui: oportet autem abstine-
re a melle, sinapi, & salitis, atque omnibus acribus, & a uinis & satis uetustis, & quæ natura sunt calida.
Hæc quidem sit uictus ratio in pluribus ueluti ad coniecturam exposita. Qui uero non sunt delicioſi,
his talis uictus est instituendus, qualem nosti me aliquando instituisse in exquisita tertiana secundum
sermonem Hippocratis, ex succo ptissanæ usque ad crisim. Hæc quidem in exquisitis tertianis ser-
C uare oportet.

Tertianæ nothæ curatio. *Cap.* 10.

A. ibidẽ. c. 39. p. 787. b

IN his uero, quæ non exquisitæ sunt, prouidendum est pro uiribus, ne morbus augeatur, neve ægro-
tantis uires prosternantur, quæ longiori tempore debent laborare. Difficile uero est seruare utrun-
que, quoniam inediæ quidem, quantum prosunt ad morbi coctionem, tantum uel etiam amplius offi-
ciunt uiribus. Cibi uero, quantum ægroti robur adaugent, tantum coctiones impediũt. Sed & id quo-
que noscere opus est, ad quantam magnitudinem perueniat morbus, ac quantæ sint ægroti uires: ut ad
ea, quæ maius auxilium exposcunt, inspiciens, inedia quidem in ualentioribus audacius utaris uiribus,
& morbo coctu difficili: largiori autem cibo, ubi uires sunt debiliores, neq; morbus admodum conco
qui contumax. Hæc quidem & in omnibus alijs morbis considerare oportet. In tertianis uero non ex-
quisitis, neq; statim circa initia balneare expedit, sed cum iam coctionis signa apparuerint: neq; quoti
die cibum oportet exhibere, sed satis est alternis diebus. Quies uero & calefactio circa præcordia
iuuant, & forbitiones concoqui faciles, & clysteres non admodum molles. Quòd si sanguinem mitte-
re oporteat, neq; hoc quoq; omittendum, sed ab initio statim adhibita earum rerum, quas scis, distin-
ctione tantum mittendum, quantum præsens exigit status. Sit autem totius uictus ratio, non quæ hu-
D mectet atq; refrigeret uniuersum corpus, qualis in exquisitis exhibetur tertianis, sed & aliquem mo-
dum assumat ad calefaciendum, atq; incidendum. Plurimum igitur eos iuuat ptissanæ succus, pipere
adiecto: vel etiam hyssopum, uel origanum, uel spicam nardi mulsa aqua infundens & decoquens ad
bibendum propina, & quæcunq; alia, quæ cient urinam, præterquàm illa, quæ supra modum calefa-
ciunt atq; exiccant: maxime uero post diem septimam danda est iugiter absinthij coma. Et quidem oxy
meli potione plurimos iuuat: & aliquid ex his, quæ molliter uentrem subducunt, quibus me assidue uti
nouisti. Vomitus autem post cibum adeo his, quibus hæc febris perduraverit, utilis est, ut multos scia
solis uomitibus statim prorsus fuisse curatos.

Quartanarum curatio. *Cap.* 11.

DEinceps de quartanis dicemus, quas etiam ipsas ab initio mediocriter ac leniter tractare opor-
tet, nullum forte medicamen aut euacuationem exhibentes, nisi forte sanguis uehementer su-
perabundans appareat. Et, si uena incisa is, qui fluit, niger uideatur ac crassus (præcipue uero in his,
qui liene laborant, huiuscemodi uisitur) audacius mittendus est: quòd si flauus aut tenuis apparuerit,
statim supprimendus. Venam uero secare oportet uel interiorẽ, aut eam, quæ est in sinistro cubito, me-
diam. Et uictũ deinceps instituere minime flatuosum, & optimum: Ventrem, quantũ possibile est, mollẽ
facientes his, quæ usitata sunt: Quòd si hæc nihil proficiant, clysteribus utendum est, a principio quidẽ
mollibus,

mollibus,postmodum uero acrioribus.Arcendi sunt autem a carnibus porcorum, atque ab omnibus E
edulijs,quę tenacia sunt,& tardum habent exitum,ac quæ refrigerant*exiccantque corpus. Vino per
utendum est albo ac tenui,ac mediocriter calido:& uolatilibus,quæ boni succi sunt, & non in paludi-
bus degunt.Pisces autem adhibendi concoqui faciles, mollibus carnibus nihil tenax habentibus præ
diti.Vtendum est autem salsis,& sinapi:Et certis diebus id medicamen,quod dia trion pepereon uoca
tur,uel quod diospoliticum,est assumendum,&,si quotidie piper tãtum cum aqua biberent, recte etiã
facerent. A frictionibus autem, & ambulationibus, & balneis, atque alijs usitatis non sunt penitus
prohibendi. Et,si omnino possent a balneis abstinere,solis contenti frictionibus,quamplurimum ex
eo iuuamen admitterent.Et,si quartana febris breuis sit, neque admodum uiolenta, nihil nocuerit, si
diebus interiectis ad consueta exercitia se transferant. Hæc quidem ab initio & usque ad statum sunt
peragenda.Si uero in statu morbi præcipue ægrotus esse uideatur, tunc subtilioris uictus ratio est adhi
benda,quàm ante uel postea.Statim uero præcipiendum est,ut diu conquiescat,ac uisceribus prouidẽ
dum ungendo atque emplastrando ijs,quæ mollire ac laxare possint: deinde medicamentis utendum,
quæ ciendi urinam uim habent. Et,si coctionis morbi indicia apparuerint, tunc purgare oportet ijs,
quæ humores atros exinaniendi uim habent,non semel tantum,sed sæpius,si fuerit necessarium. Vten
dum autem & uomitibus post cibum tunc continue:&,si nihil prohibuerit,elleborum album est exhi F
bendum,primum quidem*permistum radiculis:quòd si nihil fecerit,elleborũ ipsum. Qui uero neque
unt euomere,hi per inferiora ualentius sunt purgandi,& his postea medicamen confectum ex uiperis
in potu dandum,& alia,quæ ad huiuscemodi febres commendantur, ex quibus est & illud nobis fami
liare præ ceteris laudatissimum,quod succum cyrenaicum recipit. Quicunque uero ab initio aliquod
ex his medicamentis exhibuerunt,aut omnino ante statum,quartanam, quæ erat simplex,sæpius fece-
runt duplicem,aut omnino maiorem ac difficiliorem:ex duplici aũt triplicem, aut omnino ambas dif
ficiliores maioresq; reddiderunt.Noui autem medicum,qui ausus est homini,qui triplici quartana la-
borabat,medicamen ex uiperis exhibere,quando nondum morbus in statu esset,deinde(ut par est) au
ctis omnibus,febris continua subsecuta hominem occidit.

*Codices græci impressi & manuscripti oẽs, Oribas., Paul., Aetius & Trallianus in hoc Galenum reprehẽdere,legũque mẽctant. Vide Stephanũ Athe. quomodo hunc locũ explanet.

*Alias infixũ.

Cap. 12.

Quotidianæ curatio.

QVotidianam autem cum uolueris curare,utere oxymelite,†[post primos dies,]& illis,quæ pos
sunt urinam ualide ciere:& uniuersum totius uictus caput sit ad incidendum efficacius. Circa
statum uero,de uentriculo est habenda solicitudo,ac de eius ore præsertim: deinceps iubendũ
est,ut post radiculas & cibos assumptos euomant:his etiã,quæ pituitã subducũt,utendum. Reliquã ue
ro uictus rationem ad communes intentiones inspiciens inuenies. G

†Alias primi diebus.

Cap. 13.

Curatio febrium continuarum,quæ carent accidentibus.

COntinuas autem febres,quibus quidem status morbi non ultra septimam futurus est,& uires ua
lidæ sunt,atque ætas præterea consentit,his quidem admodum exquisitus & tenuis uictus est in
stituendus.Quibus uero uel status totius morbi ultra septimam,uel uires inualidæ,hi ab initio solidio
ri cibo sunt reficiendi: prope uero statum,tenuiori. Cum autem iam adest status, tenuissimum uictum
seruare oportet:deinde rursus assidue solidiorem,ac simile augmentum efficere illi, quod ante statum
fiebat,decremento.Sanguinem uero mittere oportet & ob morbi magnitudinẽ:& quibus rubor mul-
to plus,quàm naturæ conueniat,& maior,quàm pro consuetudine,totius corporis tumor,& uenæ emi
nentes atque extensæ,his omnibus est auferendus,nisi uires,aut ætas,aut aliquid eorum, quæ supra cõ
memorauimus,prohibuerint. Quòd uero humidus uictus in febribus acutis omnibus iuuat, dudũ re-
cte dictum est.Succum igitur ptissanæ his,quibus non acescit,exhibere oportet:& melicratum,quibus
non bilescit.& sorbitiones ex alica,& panem ex aqua,& quæcunq; alia eandem, aut similem uim hñt.
In his uero,quæ præter modum calidæ & æstuosæ sunt,cum primum uideris coctionis signa,tunc auda
cter aquam frigidam potandam exhibe.Modus uero in quantitate seruetur,quemadmodũ tempus an
ni,regio,ętas,& natura,& consuetudo etiam exposcit.Talis quidem est,ut in uniuersum dicã,febrium, H
quæ accidentibus carent,curandarum ratio.

Cap. 14.

Febrium,quæ cum accidentibus affligunt,curatio.

QVæ uero cum accidentibus sunt,non æque simplicem exigunt curationem, ac pro uiribus me-
tiendum est,quanta sit febris, quantumve ex accidentibus periculum immineat, atque ad id,
quod uehementius ac difficilius est,intendendum, non post habita omnino etiam alterius cu-
ra.Age enim siquis febricitet, † [& adsit] plethorica dispositio, uerum ex recentibus cruditatibus sit, † Alias legi non adsit.
ac morsum sentiat afflictumque os uentriculi: uel si etiam humorem aliquem malum euomuerit, & in
huius transitu non parum fuerit offensus,adeo ut grauiter se habeat atque anxie: Nunquid hic ad fe-
brem respicientes, solam multitudinem euacuare tentabimus, (quod alioquin sine molestia faceremus,)an prius ori uentriculi prouidebimus,ac deinde,postquam circa hoc bene se habuerit,quam cõ
tigerit,totius corporis euacuationem faciemus?Mihi quidem ita agendum uidetur.Multos itaque sę-
pius uidi,qui ita affecti erant,quosdam interijsse,non nullos ad extremum periculum fuisse perductos
cum medici eos euacuare tentassent, antequam os uentriculi corroborassent. Sed neque, si fuerit fe-
bris cum profluuio uentris,alia est opus euacuatione:uerum hęc sola sufficit, quamuis non sit pro mul
titudinis ratione:quicunque enim his plus adimere fore necessarium putantes, aut sanguinem mitte-
re,

Are,aut uentrem mouere tentauerunt,in grauiora pericula duxerunt. Sed neque, siquis simul & distẽ-
tione neruorum laborauerit,& sanguinis eguerit missione:huic tantum semel mittere oportet, quantũ
exigit*morbus:sed aliquid etiam accidenti est relinquendum:cuius causa sæpe sudores eueniunt,& ui
giliæ molestant,& uires ægroti debilitantur.Ita etiam,si uehementissimæ uigiliæ aut dolor intensus æ-
grotum infestant,cauendæ sunt subitæ ac multæ euacuationes.Ipsa præterea ambientis aeris tempera-
tura,loco accidentis cuiusdam habenda,quando exquisite calida ac sicca fuerit,† [qualis est tempore
medio]inter Canis ortum & Arcturi.Atque ideo omnes,quibus medici nihil omnino de temporũ sta-
tu cogitantes,sanguinem abstulerunt,interierunt. Si etiam ualde frigida fuerit, tunc quidem sanguinẽ
mittere est formidandum:cum non ignoremus non parua ex similibus sequi pericula. Interierunt autẽ
non nulli,qui in calidis admodum constitutionibus non recte euacuati sunt,ex syncopa uocata,& dis-
solutione:in frigidis uero,cum accessiones incipiunt,nimium refrigerati non amplius releuantur. Ob
hæc igitur neque in locis supra modum calidis aut frigidis sanguinem mittere audemus. sed, si regio
ipsa & temporis status consentiunt,omnino abstinemus:cum uero non consentiunt, euacuamus qui-
dem,sed multo minus,quàm si neutrum prohiberet. tanquam etiam accidens quoddam, ægrotantis
ad patiendum facilitatem considerare est necessarium:multi enim†[neque unquam sunt euacuati,]ne
que euacuationem ullam integram,aut inediam longam possunt perferre: sed alij quidem ex his in om
nimodam corporis imbecillitatem facile incidunt:quidam uero statim os uentriculi male affectum ha
bent,adeo ut cibos abhorreant:quòd si eos cogantur assumere,aut non retinent,aut male concoquũt.
In hac dignotionis parte etiam ægrotantis temperaturam contemplari oportet: quicunque enim cali
di & sicci natura sunt,hi omnes facile ab integris euacuationibus offenduntur.Et consuetudo quoque
non parui momenti est tum ad omnia alia,tum præcipue ad euacuationis indicationem, † quidã enim
nunquam antea fuere euacuati, neque unquam euacuationem integram pertulerunt, & multis cibis
usi sunt,nonnulli contra neque multis cibis usi fuerunt,& euacuationibus sunt assueti.hos igitur intre
pide euacuare oportet,quando & reliqua etiam consentiunt,ceteros uero(nempe insolitos)nec si om
nia alia id suaserint. Eodem pariter modo & corporis habitus considerare oportet: nam,qui densa &
solida carne constant,his habitus haudquaquam facilis pati.quare non oportet uereri ipsos euacuare
ex toto si quidem & alia id iubent:sed qui mollem,& humectam,& diffluentem habent carnem,hi mi
rum in modum sunt ad patiendum habiles.quare,& si reliqua omnia sanguinem esse minuendum per
suadent, non tamen id facere audendum est:sed & alijs euacuationibus, quantum moderate & caute
fieri potest,utendum est.eodem modo,& quicunque supra modũ crassi sunt aut macilenti: nã & his ue
C nam incidere cauendum est,aliasque euacuationes integras uereri oportet.His etiam & ætas annume
randa est ueluti accidens quoddam,quod prohibendi integram uacuationem uim habet: neque enim
pueri,neque seniores hanc sine noxa tolerant. Hosce igitur omnes, quos diximus,ubi dispositiones
hortentur,non semel,neque ex toto,sed paulatim oportet euacuare inedijs moderatis,& frictionibus
& clysteribus mollibus,humectationibusque,& cataplasmatis,& balneis:quorum singulorum indica
tiones rursus ab ijs,quæ antea diximus,sunt assumendæ. Ita etiam,siquando duo contraria accidentia
consequantur, inspicere oportet, utrum eorum sit fortius.Eodem modo,si duo morbi eundem homi
nem obsederint,qui inuicem pugnantes habeant indicationes:nam & tunc quoque aduersus id,quod
magis urgeat,instandum,neque alterum omnino negligendum. Eas uero, quæ habentur ex acciden
tibus & morbis indicationes, non simpliciter, sed secundum causam, a qua singula fiunt, considẽ-
randum:qualia sunt defectus animi,& dissolutio. Nam consueuere medici de una re hæc duo nomi-
na dicere. Est unum quidem res ipsa, cuius sunt plures causæ: Nam animo deficiunt & ex choleris
nominatis, & ex profluuijs uentris, & difficultatibus intestinorum ac læuitatibus, & muliebri fluxu,
& uulneribus,& sanguine per ora uenarum,quas Græci hæmorrhoidas appellant, emanante, aut per
superiora educto,aut per nares aut alios meatus, & ex enixarum purgationibus immoderatis. Non
D nunquam uero & uehemens cruditas animæ defectum attulit: & tunc præsertim, cum uentrem supra
modum soluerit.Et,qui bulimus appellatur,nihil aliud est,quàm animæ defectus. Omnem præterea,
quæ ex utero prouenit,strangulationem,defectus animi antecedit, sicuti ad uteri uersus superiora re-
cursus,& ad latus inclinationes,atque inflammationes plerunq; consequitur. Antecedit autem mor-
bum attonitum,& comitialem,cum malignus existit,& dissolutiones,& syncopen,& tabem.Sed & in
principijs febrium non admodum paucarum aduenit, & tunc præsertim, cum supra modum aut fic-
cum.& squallidum,aut plenum immoderate corpus extiterit. † Et non nunquam etiam simul cum fe
bre incendente atque maligna inuasit. Et quibus extremæ corporis partes in principijs febrium plu
rimum sunt refrigeratæ: & quicunque ob inflammationis magnitudinem uel hepatis, uel uentriculi,
uel stomachi febricitant: his etiam in principijs accessionũ nõ nunquam animi defectus aduenit, il-
lis præsertim, quib⁹ humores crudi & incocti redundãt, aut qui aliquã præcipuã partẽ obstructã hñt.
Animo etiã deficiunt,quibus os uentriculi male affectũ est,aut humorũ uitio mordicaĩ,aut crassis,uel
lẽtis,†[uel humidis,uel frigidis humoribus aggrauatur. Quidam etiam in uehemẽtibus animæ affecti
bus animo defecerunt],sed præcipue senes,& qui alioquin sunt imbecilles. Etenim plures eorum tri
stati,aut lætati,aut irati, animo defecerunt. Sed & roridæ humiditates quædam aliquando his ita affe-
ctis haud in tempore superuenientes, animi defectum inducunt:Sicuti,& qui magis robusto sunt cor-
pore,

*Alias multitudo.

†Multi codi. græci legunt. καθάπερ πίττες ἐγένετο ἐν τῷ μεταξὺ &c. i. qualis hoc anno fuit tempore medio &c.

†In quibusdã codic. græcis hæc non habẽtur.

†Manuscripti tamen quidã codices habẽt quidam enim nec unquam euacuationẽ integram pertulerunt, & multis cibis usi sunt &c. Sunt etiã codices, qui habeant. quidã enim nec unquam euacuationem integram pertulerunt, nec multis cibis sunt usi,quidam cõtra, & multis utuntur cibis, & euacuationibus sunt assueti.
A. l. 1. f. 4. c. 10. p. 146. F.
A. l. 3 f. 11. t. 2 c. 6. p. 517. A.

A. l. 3. f. 11. t. 2 c. 6. p. 516. E.

†Et cum ardẽti & maligna febre non nũquam simul inuasit etiã eas, quibus extremæ corporis &c. Nam de ijs potius debet intelligi, qui in inuasionibus cauſi

pore,ex immoderatis ſudoribus idem patiuntur. Et, ſi abſceſſus quiſpiam rumpatur uehementer ei, E
qui non admodum robuſtis ſit uiribus:ac tum præcipue, cum materia ſimul tota ad uentriculum, uel
uentriculi os,aut thoracem defluxerit:Et, ſiquando etiam nos abſceſſus ſecantes totum ſimul emitte-
re pus tentauerimus,animi defectum ſubſequi eſt neceſſarium. Et, ſi quandoq; purgantes, aut clyſte-
re abluentes,aut quomodocunq; euacuantes, id aliquo modo uehementius, quàm oporteat, egeri-
mus:neq; enim in morbo intercute tota ſimul ſuperfluitas (quamuis ſit præter naturã) poteſt ſine no-
xa euacuari:ſed tunc quoq; neceſſarium eſt hominem deficere animo. At uero ex uehementia dolo-
rum ueniunt diſſolutiones, cum morſus quidam ac tormina, aut ilei,†[aut inteſtini craſſioris affectus]
ſubito accidunt. Sed & neruus percuſſus,& muſculi caput animi defectum intulerunt, & maligna in
articulis ulcera, omniaq; gangrænoſa & depaſcentia,& immoderata frigiditas,atq; caliditas,uitalisq;
roboris diſſolutio. Hæ quidem ſunt defectus animi cauſæ. Singulæ uero earum propriam curatio-
nem deſiderant, & de omnibus quidem non contingit nunc ſcribere:nam,quæ paſſionibus aſſident,ſi-
ne illis curari non poſſunt. Tantum igitur in præſenti ſermone de ipſis dicemus,quantum quiſpiam de-
cis edoctus,poſſit ijs,quæ repente ingruunt,acceſſionibus occurrere: Veluti quòd eos,qui ex choleris
& uentris profluuio & multis alijs uniuerſim factis euacuationibus diſſoluuntur, aqua frigida ſparge-
re oportet,& nares apprehendere,& os uentriculi perfricare,ac iubere,ut euomant,ſtomachum irritã F
do digiti uel pennæ immiſſione. ſed neq; malum manus & crura alligare: oportet autem nexus fieri
plures ac fortiores circa manus, quando per inferiores partes fiunt euacuationes: quemadmodum,
quando per ora uenarum hæmorrhoidum ſanguis profluit, aut uentris profluuia adſunt, aut cum per
uteros exeunt in mulieribus menſtrua: nam,ſi tunc crura fortius ligentur, ſæpius aliquid ad partes in-
feriores attrahitur: Contra autem fit in fluxibus ſanguinis factis per nares atq; uomitibus, in quibus
crura ſunt uehementius alliganda. Et quidem,quibuſcunq; in vulneribus ſanguis emanat,eodem mo-
do,ſi ex ſuperioribus partibus accidit,inferiores:ſi ex inferioribus, ſuperiores uinculis ſunt aſtringen-
dæ. Situm quoq; aliquem in aduerſum tendentem parti expedit inuenire,non tamen hoc multum fiat:
nam,ſi nimium tendatur,atq; ex hoc fatigetur,nihilominus irritatur,quàm ſi inclinaret ad eundem lo-
cum. In uniuerſum autem,aut ad communia membris patientibus in aduerſum trahere oportet, aut ad
ea,in quibus eſt euacuationis origo. Atque ideo uehementes euacuationes, quæ ex uteris fiunt,cucur
bitulæ iuxta mammas appoſitæ ſtatim ſedant:quæ uero ex naribus, hepati ac ſpleni ſecundum narẽ pa
tientem:quòd ſi ex ambabus naribus ſubito ac multus ſanguis efflueret, utriq; uiſceri ſunt adiiciendæ.
Vinum etiam aqua frigida temperatum curat eas, quæ ex magnis fiunt euacuationibus,diſſolutiones,
& tunc præſertim,quando ad uentriculum fluunt humores. Sed aduertendum eſt, an aliquid ſit, quod G
prohibeat huiuſcemodi exhibitionem. veluti ſi aliquod unum ex uiſceribus inflammationem patiatᷣ,
aut caput uehementius doluerit, aut paſſio aliqua,quæ delirare cogat,affuerit,aut febris incendens in
morbo crudo. magna enim & quaſi inſanabilia ex potu uini in huiuſcemodi affectibus nocumẽta pro-
ueniunt. Quòd ſi nihil prohibeat, poſtmodum ægrotantis naturam,& conſuetudinem, & ætatẽ,& am
bientis aeris temperaturam diſtinguere oportet:ad hæc enim reſpiciens, uel frigidum uel calidum po-
tum exhibebis. Nam,qui aſſueti non ſunt potare frigidum,aut manifeſte ex ipſo offenduntur, & qui-
cunque natura ſunt frigidiores,& qui in extrema ſunt ſenectute, & loco naturà degunt frigidiori,tem-
pore hyberno, cauere frigidum oportet:at qui contrario modo ſe habent, hiſce intrepide offerendum
eſt. Sit uero uinum in fluxionibus,quæ ad uentriculum fiunt,calidum & tenue, quale Lesbium:in ſan-
guinis autem fluxibus craſſum ac nigrum & acerbum. Ipſis uero locis imponere oportet, ueluti uen-
triculo, & utero,& ſtomacho,& thoraci, quæ corroborandi uim habent:capiti autem & fronti,præter
hæc,illa etiam,quæ refrigerant. Et, quibus in ſummis partibus, & in naribus uena aliqua diſrupta eſt,
medicamen aliquod ex ijs,quæ ſanguinem ſupprimere poſſunt,imponendum. Balneæ uero in fluxio-
nibus quidem ad uentrem aptiſſimæ ſunt,ſanguinis uero fluxum acriter irritant.Et,quicunque ob ſudo
ris multitudinem animi defectum patiuntur,his etiam plurimum nocent: horum enim adſtringere o- H
portet,ac refrigerare,non laxare cutem: & uinum frigidum præcipue his exhibere,& nihil omnino ca
lidum offerre. Sed neq; etiam crura ac manus ligare oportet,neq; cogere ad uomitum,neque ullo mo
do mouere: Ac uentis refrigerantibus aditum præparare: aerem quoq; domus alterare frigida atque
aſtringente qualitate,myrtorum folijs,uitium capreolis,ac roſis pauimentum conſternentes. Nihil ue
ro horum confert,ubi ad uentrem fluxiones fiunt:nam,quo magis cutem denſaueris, tanto ipſæ magis
augentur. His igitur,qui ex euacuationibus diſſoluuntur,ita confeſtim ſuccurrendũ eſt:At, qui ex mul
titudine, non ita. Verum in illis artus quàm plurimum fricare oportet,calfacere,atq; alligare:A uino
uero & cibis abſtinendum,& balneis etiam,ſi febricitauerint:Sufficit autem,ſi eis dederimus melicrati
potum,in quo ebulliuerit thymus,uel origanum, uel pulegium,uel hyſſopus. Conuenit quoque oxy-
mel, [& ligare ac fricare manus potius,quàm crura.] Et, quæ etiam ex utero laborante exoluuntur,
non aliter curandæ ſunt,excepto oxymelite:fricare etiam atq; alligare magis crura oportet, quàm ma
nus. Et,quemadmodum in multo effluxu cucurbitas iuxta mammas imponimus, ſic, quibus ſurſum
aut in latus tractus eſt uterus,inguinibus & coxis adhibebimus:& naribus quidem ea,quę fœtidiſſimũ
odorem habent:utero autem odorata,& ea,quæ laxare ac calefacere poſſint, medicamẽta afferemus.
Si uero os uentriculi fuerit imbecille,atq; ideo animi ſequatur defectus,ea,quæ roborandi uim habẽt,
oportet

maligni extremis corporis partibus refrigeratis,animi defectum incurrunt. ut uidere licet pagin.99.e.

†Codices quidam greci manuſcripti hæc uerba non habent.

A. ibidem.

† κωλικῆς διαθέσεως eſt in pleriſq; codicibus græcis, quãquã aliqui κοιλιακῆς διαθέσεως hic habent. qui tamen inferius prope finẽ capitis τοῖς κωλικοῖς πάθεσι, ut reliqui etiam cod. habent.

A.l.4.f.1.t.1. c.13.p.787.b

A. ibid.5.7.b

A oportet emplaſtra adhibere, quale eſt,quod fit ex palmulis, uino, farina hordei, croco, aloe,ac maſti-
che: madefacere autem ijs,quæ conſtant ex abſinthio,& oleo melino,& maſtichino, & nardo,& œnã
the,& uino: Et, ſi ipſum æſtuet,miſcere ex refrigerantibus aliquid,ueluti cucurbitæ ſuccum, atque la
ctucæ,& portulacæ,& ſolani, & ſereos, & uuæ acerbæ:hæc quidem non ſolum refrigerat, ſed etiam a-
ſtringit. Aqua etiam frigida æſtuanti ori uentriculi plerunq; prodeſt, ſi in tempore detur,alioquin plu
rimum obeſt. Atq; ijs, qui uentriculi os imbecillum habent, uinum calidum potius oportet exhibere,
ſi nihil ſit aliud,quod prohibeat. Plurimum uero iuuat eos, qui ita laborant, etiam frictio extremo-
rum. Quòd ſi ex his remedijs nihil melius ſe habuerint, exæſtuantes quidem quam primum ad bal-
neas ducere oportet:qui uero aliquid frigiditatis ſentiunt, medicamen dia trion pepereon nominatũ,
atq; ipſum piper ſolum,atq; abſinthium bibant. Qui uero ex uitioſis humoribus os uentriculi mordi
cantibus diſſoluuntur, hos poſt aquæ calidæ aut hydrolei potum fac euomere: quòd ſi difficulter euo
mant, prius concalefacere oportet, quæ os uentriculi circumſtant, loca, & manus, & pedes: quòd ſi
neque hoc modo poſſunt euomere, digitos aut pennas demittendo irritare oportet: quòd ſi ne-
que ſic euomant, rurſus his oleum calidum quàm optimum exhibendum. Solet autem ſæpius oleũ
non ſolum ad uomitum irritare, ſed etiam uentrem molliorem facere. eſt autem & hoc præſentibus
B rebus non parum utile: quare niſi ſponte accidat, arte procurandum eſt: præcipue uero & glandibus
ſuppoſitis hoc tentandum eſt facere: quòd ſi ex iſtis facilius fiat, etiam abſinthij comam in melicrato
decoquens ad potandum exhibeas, atque deinceps uinum: ac omnibus modis membra oportet cor-
roborare partim ijs, quæ extrinſecus apponuntur, partim abſinthij potionibus: non tamen id in prin-
cipijs faciendum ſuadeo, ſed poſtea, quando partes, quæ circa aluum ſunt, fuerint expurgatæ. Quan-
do uero adhuc humores in ipſis continentur, nondum adſtringere, ſed tantum concalefacere (ut an-
tea diximus) conuenit. Vbi uero multa pituita frigida in ore uentriculi fuerit aceruata, fouere qui-
dem plurimum oleo, in quo abſinthium ebullierit, poſtea uero etiam melicratum exhibere,uel hyſſo-
pum, uel aliquid ſimile infundendo: Dandum etiam oxymeli, aut piper, aut diatrion pepereon, aut
diaſpoliticon medicamen: Et uniuerſum uictus rationis caput incidendi uim habeat. Quæ uero ex
nimia frigiditate ueniunt exolutiones, eodem modo curandæ ſunt, quo bulimi,omni modo calfacien
do: vinum igitur eis exhibere oportet calida temperatum, ac cibos, qui calefaciendi naturam habẽt,
fricareq; ac calefacere ad ignem ſimul. Quæ uero ex nimio calore accidunt, ijs, quæ refrigerandi, ac
corroborandi uim habent, curandæ ſunt: hæ uero maxime eueniunt ijs, qui in aere ſuffocante ac bal-
neo commorantur. Statim igitur ipſos corroborabis, ſi aqua frigida ſparſeris, & flabellaueris ad uẽ-
C tum conuerſos, & os uentriculi perfricueris atq; agitaueris, ac poſtmodum uino ciboque refeceris.
At, qui ob inflammationis magnitudinem, aut uehementis febris malignitatem animi defectum pa-
tiuntur,† & in principijs acceſſionum refrigerantur: his artus fricare fortiter, & calefacere, cruraque
ac manus alligare,ac uigilias, cibiq; & potus omnimodam abſtinentiam præcipere oportet. Optimũ
uero in his, quid futurum ſit, præcognoſcere,atque hæc ante acceſſionem facere anticipare. Eos etiã,
qui ex ſiccitate in principijs acceſſionum ſyncopam ſunt incurſuri,optimum eſt præuidere: nam,ſi dua
bus aut tribus horis ante acceſſionem exhibito cibo,manus ac pedes conſtringi iuſſeris, nó interibũt.
Oportet autem cibos eſſe concoqui faciles,& uentriculo aptos. Quòd ſi magnum imminere pericu-
lum fueris ſuſpicatus,uinum dare anticipabis,uinumque præſertim in alicam elixatam infuſum: quòd
ſi aliquid † [panis loco alicæ] exhibueris, idem ualebit. At, ſi mediocris ſyncopa expectatur, uino
parcendum: ſufficit enim tunc mala punica, aut pyra, aut poma, uel aliquem alium fructum aſtringen
tem cibis admiſcere: &, ſi ad hæc mediocriter tulerint acceſſionem, cum rurſus cibum obtuleris, non
erit neceſſarium fructibus uti. hæc quidem facienda ſunt,ſiquid futurum præuideris. At,qui ex inopi-
nato in periculum inciderint, uinum calidum cum pane eſt exhibendum, & paululum aliquid cum eo
alicæ calidæ. Nam, ſi ijs,qui ita affecti ſunt, amplius obtuleris, aut cibos difficiles concoqui, non mo-
D do ſyncopam patientur, uerumetiam penitus ſtrangulabuntur. At, qui animo deficiunt ex membri
principalis obſtructione, his oxymel dare oportet, atq; ex hyſſopo, origano,pulegio,& melle potum,
ciboſque incidendi naturam habentes: nam craſſi ac tenaces magnas in ſimilibus afferunt noxas. Sed
neq; deterius fuerit artus perfricare atq; alligare: prodeſt etiam hiſce potibus uti, quæ urinam cien-
di uim habent, ueluti qui anethum, & fœniculum, & apium, & petroſelinum, & ami, & daucum, &
ſpicam nardi recipiunt: quæ ubi manifeſte iuuerint, iam uino utendum eſt albo & tenui, non admodũ
antiquo. Noſces uero huiuſcemodi obſtructiones cum ex alijs inæqualitatibus pulſuum: tum ex his
præcipue, quæ ſecundum magnitudinem, paruitatem, ac uehementiam, & debilitatem fiunt,ubi ſyn-
drome (id eſt concurſus) quam plethoricam uocant, non adſit: nam iſtius quoque communes ſunt.
Fiunt uero & in huiuſcemodi diſpoſitionibus,cum uehementes fuerint,pulſus intercidentes. Hæc qui
dem in libris de pulſibus a nobis latius explicantur. Nunc uero tranſgrediamur ad eum ſermonem,
qui ſupereſt de reliquis exolutionibus, ueluti,quæ ex abſceſſuum diſruptione,aut ſectione contingunt,
aut ex ſuperflua euacuatione in ijs,qui aquam intercutem patiuntur: confeſtim quidem hi optimis o-
doribus fouendi ſunt, paulopoſt autem ſorbitionibus concoqui facilibus ſunt reficiendi. Si uero ob
triſtitiam, aut gaudium,aut timorem,aut iram,aut terrorem exoluantur, odoribus & nariũ apprehen-
ſionibus ſunt reuocandi, cogendique ad uomitum. Eodem pariter modo, qui ex uulneribus,aut pur-
gationibus,

A.ibid.517.b

†In principiis acceſsionum & refrigerantur.

†Al. panis ex alica. A.l.4.f.1. t.2. c.30.p.784.f.

gationibus, aut doloribus, qui in articulis, neruis, & musculorum tendonibus eueniunt, exoluuntur, E
statim sunt reuocandi: postmodum uero conueniens passioni curatio est afferenda. Animi uero defectus, qui intestini laxioris doloribus, aut ilei, aut similibus uehementibus cruciatibus fiunt, ex pa- A.l.4.f.1.t.a c.16.p.783.b
tientium locorum concalefactionibus frictionibusq; extremorum præcipue curantur. At, quæ ex propria imbecillitate uirium, quæ regunt corpus, eueniunt exolutiones, ex intemperatura uidelicet factæ partium, de quibus uires proueniunt, contrarijs curare intemperaturis oportet: frigidas quidem, concalefacientes: calidas uero, refrigerantes: atque in alijs eadem ratione. Virtus igitur, quam uitalem uocant, quam ex corde prodeuntem ostendimus, ex pulsuum debilitate cognoscitur: At, quæ ex hepate oritur, ac naturalis dicitur, ex sanguineis egestionibus ab initio aquosis atque tenuibus, postmodum uero crassis ad modum fæcis: At, quæ ex cerebro originem ducit, quam præcipue non nulli animalem appellant, ex motuum uoluntariorum imbecillitate deprehenditur. Sed de his quidem dispositionibus proprio tractatu separatim tibi scribemus: permulta enim ab ipsis medicis sunt prætermissa.

Curatio capitis a uarijs causis molestati. *Cap.* 15.

QVoniam uero sermonem de accidentibus hucusque fecimus, rursus ad primum institutum redeamus, unam in omnibus communem intentionem habentes, causas nimirum, a quibus fiunt F
eorum singula, considerare. hæ siquidem tibi conuenientem curationem indicabunt. Veluti siquis doleat caput, si quidem os uentriculi illi mordeatur, & fastidium sentiat, iubendum est, ut euomat. nam uel bilem euomet, uel pituitam, uel utrunque. Quod si nulla insignis appareat in uentriculo passio, considerandum, nunquid multitudo, uel obstructio, aut inflammatio aliquarum capitis partium adsit: inuenies uero primum quidem; si interrogaueris, nunquid dolor per totum caput extendatur, aut alicui particulæ fortius insideat: deinde nunquid cum grauitate, uel tensione, uel mordicatione, uel pul A.l.3.f.1 t
su. Nam, qui cum grauitate dolores fiunt, multitudinem ostendunt: qui autem cum mordicatione, uel c.7.p.350
uaporis uel humoris acritudinem: cum pulsu uero, inflammationem, at cum tensione, si quidem sine grauitate ac pulsu, spiritus crudi ac flatuosi multitudo: si uero cum pulsu, corporis membranosi inflammatio: at si grauitas adsit, multitudo intra membranas contenta significatur. Cum igitur omnia distinxeris, causam, ex qua horum singula fiunt, considerare oportebit: illa enim tibi modum curationis ostendet: Veluti si multitudo uaporis atque humoris contineatur, aduertere oportet, nunquid ob magnitudinem febrium humores diffusi, ac ueluti efferuescentes ad caput ascenderint, an propter eius partis imbecillitatem, an ob totius corporis plenitudinem. hanc enim totius corporis euacuationibus haud difficulter curaueris: Eum uero, qui ex partis imbecillitate contingit, partim quidem in contrarium tra G
hendo per totum corpus, partim ipsi parti remedia adhibendo. In contrarium uero trahes clysteribus acribus, & nexibus, & frictionibus in partibus inferioribus plurimis, &, si expedierit, aliquid etiam sanguinis abducendo. Partem autem sanabis eo tempore, quo ad uniuersum corpus retrahis, ijs utens perfusionibus, quæ a capite uim repellendi habent, ac deinde euacuantibus, postremo uero corroborantibus. Repellit autem oleum, quod omotribes; id est immaturum, nominatur, aut tale aliquid simile, & quod oxyrhodinum, & rosaceum uocatur, ipsum per se ipsum, & quæcunque ex capitibus papaueris, & teneris oliuæ germinibus, & hederæ corymbis, & mentaque uiridi, & sisymbrio parantur. Vtendum uero ipsis in* multitudine quidem crudiore ac frigidiore, tepidis: in calidiore autem & biliosiore, *Al.affectu.
frigidis. Euacuat autem atque dissoluit & oleum calidum ipsum per seipsum, magisque, si antiquum fuerit, uel sicyonium aut anethum in ipso ebullierit. nam multitudo humorum, qui non admodū sunt crassi atque tenaces, sufficienter per huiusmodi euacuatur. Sed, & si spondylion, uel serpillum intus decoxeris, aut pulegij comam, uel calamenthi, uel mentæ, uel sisymbrij, ita etiam id, quod crassius est, euacuabis. Hæc uero ipsa, uirium etiam aliquid membris adijciunt, &, quæ debilia sunt, roborant. Vtēdum igitur ipsis deinceps usque ad integram sanitatis restitutionem. Et, si oportuerit, per nares etiam & palatum expurgabis: & sternutamenta excitabis. Et, si ad balneas hominem induxeris, siccis sindoni H
bus caput est perfricandum, salque & nitrum & sinapi sine oleo imponendum. Hæ quidem sunt ex particulæ debilitate doloris capitis medicinæ. At quando ex magnitudine febrium accidit, & medicamenta adhibere est necessarium, frigidæ qualitates ac uires, & quæ ex hydrelæo, & oxyrhodino, & papauerum capitibus constant, infusiones expediunt. In dolore autem capitis, qui sanguinis fluxum aut uomitum decretorium significat, non sunt remedia quærenda. neque enim accidens quoddam, sed bonum signum potius tale quicquam est existimandum, sicuti & multa alia, quæ ante crises contingunt: quæ plurimis quidem terrorem incutiunt, bonum tamen quoddam ostendunt. Optimum uero est posse dignoscere, ubi corpus perturbatur, natura cum alias excretiones, tum præsertim uomitum, & sanguinis fluxum moliente, quorum inseparabile indicium est capitis dolor. Diximus autem pleniùs de hisce omnibus alibi: nunc uero, quantum poterimus, primum seruantes institutum, breuiter de ipsis transigemus. Considera igitur primum quidem species febrium, si calidæ sunt atq; urentes: nam hæ per excretiones iudicari consueuerunt, quemadmodum, quæ molliores sunt ac ueluti* submersæ, diu durant, & sæpius feruntur in abscessus. Secundo loco, si morbus sit ad salutem decliuis. Quis enim bonam crisim in morbo pernicioso expectauerit? Tertio ad hæc, totius morbi tēpus considerandum. si enim principij uel augmēti fuerit signum, nondum autem status neq; concoctionis signa apparuerint in

A in urinis, uel sputis, uel alui excrementis, non expectandum est bonam fieri crisim. Hæc sunt, ex quibus sperauerit quispiam morbum per excretiones crisim habiturum. Eius uero, quod iam instat, neque iā etiam futurum est, hæc signa sunt. Difficilis quædam tolerantia omnem crisim antecedit, &, si quidē in die crisis esse debet, noctu: si autē noctu, in die. Si igitur tale aliquid uideas, considerandū est, quotus sit ægritudinis dies. Quidam enim sunt, qui ad crisim apti sunt, paruo etiā motu a natura accepto. Multi A.l.3.f.1.t.2. c.30.p.850.d.
uero in magnis motibus nequeunt omnino magnitudinē perturbationis inspicere, nunquid sit secundum diei naturam. Nam septimus dies etiam ex paruo naturæ apparatu ad crisim per euacuationē mouetur. Sextus uero magno apparatu indiget, & sæpe neq; ulla in eo fit crisis: quod si fiat, neq; sine periculo, neq; fideliter actidit. Sic autem & unicuique dierum aliorum quædam inest propria natura, quā, ubi de diebus decretorijs agitur, definiuimus. Age, iam sit dies pro magnitudine perturbationis: Dein de oportet considerare, qualis erit crisis. De alijs igitur nihil impræsentiarū dicere oportet. At, si uomitus aut sanguinis fluxus ex naribus futurus est (nam huiusmodi crisibus unum diximus esse signum, dolorem capitis) ex his maxime distinguere oportet. Primum quidem, si sta tim ab initio non inuasit, sicut quoddam ægritudinis accidens, sed in perturbatione; quæ ante crisim fit. Secundo loco, etiā si cer uix aliquid compatiatur, & præcordia retracta sint, aut anhelitus difficilis repente superuenerit, thora
† Alias pulsus subito agitati ac perturbati. A.l.5.f.13.t.5 6.22.p.566.e.
ce ueluti angustiore facto. Si enim post hæc omnia † pulsus in tumorem subito elati non reciderint in paruitatem, neque debiles facti fuerint, statim crisis expectanda est. Si uero non modo non deciderint sed etiam in altum attollantur, & uehementiam assumpserint iam faciem ægrotātis inspicere oportet. Nam, si aliqua ijs, quæ in ipsa sunt, partibus palpitet, aut uenæ, quæ sunt in temporibus, pulsent, aut genæ, uel nasus, uel oculus rubidior factus fuerit: magis etiam crisis expectanda est. Si uero & inuiti lachryment, aut splendores uidere imaginentur, ac manus naribus ueluti scalpentes admoueant, tūc nō iam fluxurum, sed iam fluentē sanguinem inspicies: nam, ubi semel aut bis scalpserint, statim erūpit. Ne que uero ex his perterrearis, si hominē desipientem, aut resilientē inspexeris. Nam & hæc humorū repentium ad partes superiores indicia sunt, quemadmodum & anhelitus, difficilis, & præcordia retracta, & collum simul cum capite aggrauatum. At tibi unà cum his indiciò etiam sit desipientia. Et hæc quidem sufficere signa possunt. Sed accedit quandoq; & ægrotantis ætas, & natura, quæ spē magis confirmat, ac præterea anni tempus, & præsens constitutio. Nam, si ęgrotus fuerit adolescens, aut alioquin natura calidus, aut multo sanguine abūdauerit, magis adhuc de hoc sperandum erit: & si etiam sæpius antea, dum sanus esset aut ægrotaret, sanguis ex naribus fluere uisus est, hoc uel solū sufficit fluxus sanguinis spem afferre. Si uero & tēpus anni æstatem uideris, uel non quidem æstatem, alioquin tamē ca-
254
C lidam præsentem constitutionem, non ne ex his aliquam indicationem assumemus? Quòd si & plures eo tempore crisim ex sanguinis fluxu habuerint, & hoc tibi spem uehementius augebit: & si corpus plethoricum extiterit, & consuetæ excretiones fuerint retentæ. Mihi quidem non modo non uidetur difficile eum, qui tot & talia habuerit indicia, futuri sanguinis fluxus prægnoscere: uerum etiam absurdum & magnæ imperitiæ, non prægnoscere. Nostri uero temporis medicorum indiligentia ea admiratur, quæ admiratione digna non sunt. Nam, siue ex dextra nare, siue ex sinistra fluxus sit sanguis, nihil difficile ex nuper dictis prænoscere: plures uero medicorum hoc non solum difficile, sed neq; omnino possibile existimant. Tametsi has & alias excretiones omnes prænoscere licet, si hæc duo tantum considerauerimus, & unde naturæ motus agatur, & in quam partem. Nam, & quæ deficiunt adiuuabimus, & quæ immoderate feruntur coercebimus, si ista nouerimus: Veluti, uerbi gratia, sanguinis fluxus ex splene, magnæ cucurbitæ sinistris præcordijs suppositæ facile retrahunt: at, qui ex hepate prodeunt, dextris, & qui ab alijs membris, eadem ratione. Nam ex uno de oībus colligere poteris, uniuersale con tēplando. Quare & ego hoc in loco præsentem finiā sermonē: Deinceps autem de febribus, quæ ex inflammationibus accidunt; tibi transigam, deque alijs passionibus, quæ in singulis partibus corporis cō stituuntur. Phlegmonæ autē, id est inflammationes, a ueteribus uocabantur, quæ sunt ueluti phlogosis;
D id est inflammina, uel incensiones: a iunioribus autem non omnes. Neq; enim herpetas, neque, erysipelata neque tale aliquid quicquam inflammationibus annumerant: sed uni tantum affectui ex calidis qui fit cum tumore duro atque dolore pulsatili, hoc nomen accommodant. Non tamen ad hunc solū febres & dolores sequi uidemus, sed ad omnes simpliciter calidas, ac ueluti efferuescentes passiones. De his igitur, atque alijs similibus morbis sequenti libro uerba faciemus.

GALENI DE ARTE CVRATIVA
AD GLAVCONEM LIBER SECVNDVS.
ARGVMENTVM LIBRI.

Ratio curandi omnes præter naturam affectus, qui communi nomine inflammationes dicuntur.

De generibus, ac differentijs inflammationum. *Cap.* 1.

DE his autem, quæ in singulis corporis partibus fiunt passiones, ò Glauco, deinceps dicemus, ab inflammatione incipientes. Etenim sæpius hæc fit, plurimasque habet differentias, ex quibus omnibus solent febres contingere. Communis igitur in omnibus immoderata caliditas, & ueluti phlogosis, id est inflammen, unde & phlegmones. i. inflammationis, nomen de ipsis afferre antiqui consueuerunt. Propriã autem in singulis differentiã inuenies, ex qua eius speciem agnosces, & conuenientem assequeris curationem. Aliter enim qui herpetes, aliter, quæ erysipelata, atque aliter, quæ phygethla uocantur, ac reliquas inflammationis species curabis. itaque hoc etiam in loco antecedit ea facultas, qua possumus recte agnoscere passiones. Tibique hoc primum conabor scribere, omnes ab initio distinguens inflammationum differentias. Prima igitur inflammationis differentia est, secundum quam hanc quidem humidam, hanc uero siccam esse contingit: humidam quidem, quæ ex calida fluxione membrum occupãte contingit: siccam uero, quando nullo humore influente calor naturalis igneſcit. Hoc autem usq; ad aliquid quidem ueluti febris est membri: cum uero iam ad immoderatam caliditatem ac siccitatẽ peruenerit, corruptio atque extinctio omnimoda fit. Quare neque in plura secari potest, quemadmodũ differentia altera, secundum quam quosdam influere humores particulæ dicebamus. Multæ enim sunt huius species: nam fluente sanguine altera: flaua bile altera: ambobusque simul humoribus alia tertia. Et quidem in earum singulis uel iam putruit id, quod influit, aut in membro constrictum putrescit: & uel crassum est, uel tenue & uel optimum, uel acre. Sanguine igitur optimo ac mediocrem crassitudinem obtinente ad particulam aliquam uniuersim fluente, atque ob multitudinem conculcato, uehemens dolor arripit, hominem nisi membrum sensum omnino hebetem habuerit: pulsusque in profundo molestus accidit, tendique omnino ac contundi membrum apparet, & uehementem calorem persentit adeo, ut comburi uideatur, & refrigerari desideret: talisq; rubor per summa uiget, qualis ex balneis aduenit, aut ex igne, aut quouis alio modo calefactis. Hæc quidẽ passio totius generis nomen accipit, atque Inflammatio nominatur, sicut multæ aliæ species nomen generis accipiunt: sitque assidue ex omni fere occasione. Nam & uulneribus, & conuulsionibus, & contusionibus, & disruptionibus, & defatigationibus ob exercitationem, & exarticulationibus, atque fracturis, & spontaneis ulceribus aduenit: & præter hæc omnia, quando ad immoderatam humorum repletionem uenæ pertingunt, tunc superfluum effundunt ad aliquam partem, quæ eo tempore recipere apta sit. Omnino autem hæc reliquis omnibus est imbecillior, uel rarior, aut ad attrahendũ paratior, uel immobilior, quacunq; causa fuerit ad has perducta dispositiones. Neque enim de hoc dicere proposuimus. Flaua uero bilis: quando sui seruans naturam unà cum sanguine per totum corpus defertur, morbum facit, qui icteros, id est regius, appellatur. Sola uero, quando secreta est, & in aliquo membro consistit. Herpes uocatur. Si quidem crassa sit secundum substantiam, totam exulcerat cutem usque ad carnem suppositam: atque hunc affectum Hippocrates nominat herpetem exedentem: Si uero tenuior fuerit, id, quod in superficie est, tantum ueluti deurit: atque hæc species generis sortitur appellationem, cum simpliciter & sine additione Herpes uocetur. Nam ex duabus alijs speciebus, quæ quidem nuper dicta est, Herpes exedens nominatur: reliqua uero altera, miliaris, quoniam in hoc affectu pustulæ paruæ ac multæ per summam cutem similes milijs excitantur. fit autem Herpes huiusce modi ex bile quidem & ipse, sed minus calida & acri, quàm sint priores. Quod si ex sanguine & flaua bile calidioribus, quàm oporteat, mista fluxio fuerit, uel ex sanguine quidẽ, sed feruescente & tenuissimo secundum substantiam, Erysipelas passio uocatur, multo inflammatione calidior, magisq; colorem flauum repræsentans: Et, si tetigeris, facile sanguis subterfugit, rursusq; illabitur exquisite tenuis, & aspectu rubidus. Non tamen dolet hoc, ueluti inflãmatio, neq;, ut aliqua inflãmationis species, pulsum, aut cõpressionem, aut tentionem inuehit similem: sed quandoq; ualde parũ infestat, ac tum præsertim, quã do per solam cutem diffusum fuerit, nihil inferiorem carnem molestãs. & tale sæpius accidit, atq; hoc est exquisitum erysipelas. Quemadmodũ, quod attingit inferiorem carnem: neq; ex uere tenui fluxione consistit, neq; tantum est erysipelas, sed iam dispositio permista ex erysipelate atq; inflammatione. Exuperant autem in ipsa quandoq; propria erysipelatis accidentia, atq; hic affectus a iunioribus medicis

A. ibidem.

A. l. 4. f. 3. t. 1. c. 4. p. 840. A.

A. l. 4. f. 3. T. 1. c. 3. p. 830. C

Acis erysipelas inflammationis participans nominatur: non nunquam uero inflammationis, & tunc ipsum nominant inflammationem erysipelatis participantem. Quòd si neutrius accidẽtia manifeste obtinuerint sed æqualia apparuerint, tunc erysipelas atq; inflammatio misceri dicuntur. Exquisitum igitur erysipelas cutis solius passio est, non tamen ipsa inflammatio partium tantum cuti subiectarum, sed harum quidem præcipue, non nunquam uero etiam cutis: & est ipsa quidem dolorem afferens nihilominus, quàm altera, pulsus tamen ei deficit. Cum uero sanguis influens calidus sufficienter extiterit & crassus, quodcunq; membrorum subito occupauerit, hoc comburendo facit ulcus cum crusta: quicquid uero circumiacet, in inflammationem leuat, efferuescentem grauiterq; dolentem: uòcatur autem Carbo huiusce modi passio. Cum uero sanguis influens niger extiterit crassusq;, ac fęculentus, ac feruens, qualis, quem antea diximus: simul autem & sanies non nullas tenues admistas habuerit, pustulas quasdam per summa cutis excitat, similes ijs, quæ ex igne fiunt, quibus disruptis crustosum sub ipsis ulcus inuenitur: hocq; etiam Carbo est. Inflammationis quidem species tot sunt secundum ipsam passionis diuisæ naturam. Multas uero quispiam prætermissas putaret, deceptus multitudine nominum, ueluti a Græcis Bubonas, phymata, phygethla, ophthalmias, peripneumonias, pleuritidas, & multa alia similibus appellationibus dicta: hæc enim omnia inflammationes quædam sunt, in prioribus comprehensæ speciebus. Singula uero diuersa sunt sortita nomina, quoniam, qui primi ea imposuerunt, uno nomine & passionis ipsius, & patientis particulæ compositam intelligentiam interpretari uoluerunt: Sunt enim bubon, phyma, & phygethlon, partium laxarum (quas glandulas, idest adenas, uocant) passiones: Bubon quidem inflammatio: Phyma autem, quod statim augetur, atque ad suppurationem festinat: Phygethlon autem est id, quod erysipelas particeps inflammationis, aut inflammatio erysipelatis nominatur: Sic autem & Ophthalmia eius membranæ, quæ corneæ inhæret, est inflammatio: Pleuritis autem eius, quæ latera succingit: Synanche autem faucium: Peripneumonia uero pulmonis: eademq; in singulis ratione. Eas igitur, quæ sunt in partibus apparentibus inflammationes, promptum est cognoscere: quæ autem in occultis, & febres afferunt omnino, non æque discernuntur. At mihi uidetur mente egere perspicaci eiusmodi agnitio, ac præterea peritia naturæ membrorum, quam ex sectione simul & exquisita scientia operationumq; atq; usuum comparamus. De his quidem in alijs tractatibus diximus. Nunc uero non datur de his sermonem adiungere, quãdo tibi repente peregrinandi necessitas ingruat. Quo pacto uero quispiam eas optime curet inflammationes, quæ in apertis partibus constant: hoc tibi primum transigere satago, principium sumens ab ea passione, quæ plurimum fit, atq; idcirco totius generis affert appellationem: In qua hoc in primis considerandum existimo, quod & in alijs omnibus magnam uim habet, ut morbi causam inueniamus.

A. l. 1. f. 2. T. 1. c. 6. p. 408. D

De causis inflammationum, ac de communibus indicationibus illarum curandarum. *Cap.* 2.

EST igitur una quędam apparentium inflammationum causa, quæ non admodum occulta est, quæ Fluxio appellatur, nisi quandoq; illis coniungatur, quæ aliqua alia ex causa euidenti factæ uidentur: quando enim nulla ex his præcedente membrum confestim patitur inflammationem, ea, quæ hanc passionem causa generat, Rheuma, id est fluxio, uocatur: ipsa uero passio, dispositio rheumatica. Oportetq; in his inflammationibus principia curationum optima fieri: nam, quæ in ipsis errata contingunt, difficulter sanabiles, aut omnino insanabiles faciunt dispositiones. Sunt autem hæc duo maxima errata, si nulla de toto corpore prouidentia habeatur: & si calefiat atque humectetur etiam membrum. Hæc uero duo medicorum plerique delinquunt, non nulli quidem a Methodicorum hęresi persuasi, & inflammationes omnes esse passiones astrictas existimantes, quas elaxare oportet. Sunt uero quidam, qui sine ratione atq; ulla consideratione istos sequuntur, unam excusationem ad male agendum habentes, cum multis delinquere. Sed neque ex Dogmaticis medicis quispiam, neque ex Empiricis ita sensit: sed, quod & ratio & experientia suadet, totum quidem corpus euacuare congruis euacuationibus consulunt: Ipsam uero inflammatam partẽ perfundere ac superlinire eis, quæ id, quod influit, repellendi uim habent: id uero, quod in membro patiente continetur, euacuandi, uim autem ac robur adiungendi ijs, quæ iam affectæ sunt, partibus. Ad quæ uero inspicientes oporteat euacuare, iam & antea diximus: sed & nunc breuiter cõmemorabimus, ut in sequentibus memoria seruata, non sit necessarium in singulis passionibus eas, quæ euacuationes indicant, audire intentiones. Aetatem igitur, & tempus anni, & regionem, & præsentem constitutionem, & eius, qui afficitur, robur, habitumq;, & consuetudinem, atque ipsam ægritudinis naturam diximus considerandam: Ex his enim, quando euacuare, uel non euacuare oportet, & unde, & quomodo, inuenitur: Veluti in ea, de qua nunc agitur, dispositione, ad genu fluxus deferatur, atque hoc subito plurimum attollatur: tibi uero totum corpus plenum sanguine appareat, & ualida laborantis uis, tempus autem anni sit uer, regio temperata, æger uero sit adolescens aut iuuenis: is sanguinis euacuatione ex superioribus partibus indiget, oporteteq; incidere eius in cubito uenam, aut scilicet interiorem, aut mediam: Si uero aliqua pars superior pateretur, per inferiora sanguis est educendus, (Semper enim fluxionis motum ad contrarium trahere expedit) atque emplastrum apponendum est ex semperuiuo & corticibus malorum punicorum in uino decoctis, & rhu, & farina hordei compositum: hoc. n. in talibus optimum est, atq; ad omnia, quæ facere intendimus efficax: repellit enim id, quòd influit, atq; id, quod continet, exiccat, & membra circunstantia corroborat: milleq; alia medicamina eodẽ modo componere licet,

quorum compoſitionis uiam ac modum in libris de medicaminibus didiciſti. Vnde ego quoque in ſin- E
gulis unum aliquod tibi ſubijciam, futurum tibi & monumentum, & exemplum eius, quæ in alijs
eſt, facultatis. Si quidem non admodum doleant, talibus utendum eſt: cum magno autem dolore flu-
xu incidente non ſic oportet, neq; aquam calidam, neque oleum, neque farinæ triticeæ cataplaſmata A. l. 4. f. 3.
afferre: hæc enim omnia diſpoſitionibus rheumaticis aduerſantur, quanuis ab initio aliquid iuuare ui- c. 3. p. 8 40.
deantur. Sufficit autem in huiuſcemodi affectibus uehementiam doloris mitigare aliquo ex his, quæ
ex paſſo, & oleo roſaceo, & pauca cera, quæ in utroq; ſit liquefacta, conficiuntur. Oportet aũt hæc
lanis excipere ſordidis, quæ plurimum œſipi habeant, & æſtate quidem frigida, hyeme autem tepida
apponere: Sic etiam cataplaſmata ex arnogloſſo, lente, pane, & roſaceo oleo adhibere: paulo autẽ
ſupra patientes particulas apponere ſpongiam uino acerbo intinctam, aut aqua frigida: melius uero
fuerit, ſi parum aliquid aceti adiungatur. Quòd ſi hæc cura inſigniter profuerit, neq; alicubi pus ſe o-
ſtenderit, emplaſtris, quæ ad fluxionem mollia parantur, eſt utendum. Optima uero ex ijs ſunt, quæ
exiccandi & repellendi, quod fluit ſanguinis, ſine dolore uim habent: quemadmodum ea, quæ uehe-
menter intendunt, atq; idcirco dolorem afferunt. plus doloribus obſunt, quàm exiccando proficiũt.
Tale igitur oportet eſſe medicamen, quale nobis in uſu eſt, quod ex chalcite conſtat oleo roſaceo diſ-
ſolutum: ſi uero lanam mundam uino acerbo madefeceris, & exterius appoſueris, plus iuueris. Quòd F
ſi pus ſe in particula oſtenderit, cataplaſma imponere oportet ſemel aut bis: plus uero in præſentibus
iuuat farina hordeacea: adiungendum tamen in his aliquid uel aceti uel uini. Et poſt, quàm ſecueris,
& pus euacuaueris, cauendum eſt deinceps, ne oleum aut aquam imponas: Et, ſiquando uulnus ab-
luere, aut abſtergere oporteat, melicrato uel oxycrato & uino et mulſo utendum. Superponendum
uero, ſi adhuc inflammetur, ex lente cataplaſma: Si uero ſine inflammatione fuerit, aliquod ex his
medicamentis, quę emplaſtica uocantur: quibus in huiuſcemodi ſectionibus uti conſueuimus, & præ-
cipue eo, quod ex chalcite conſtat: Apponenda uero ſuper hæc extrinſecus ſpongia aut lana uino acer
bo perfuſa: quòd ſi acerbum non affuerit, tanto aceti aqua temperanda eſt, ut adhuc potari poſſit, at-
que hac intingere oportet. Sunt uero & ad hoc opportuna ea uina, quæ aliquid aquæ marinæ recipiunt
& tu quoque, ubi ſit opportunum, potes conficere permiſcendo ſal ei, quod affuerit. Vulneri autem
nullum ex medicamentis, quæ oleoſa ſunt, apponendum, quale eſt macedonicum, & quod tetraphar-
macum nominatur: nam exquiſite exiccare expedit. Ita quidem ſanare oportet, quæ ex fluxione fiunt,
inflammationes. Quæ uero alia ex cauſa fiunt, humectare & calefacere nihil prohibet. Et, ſi ad ſup-
purationem perducere uolueris, cataplaſma ex farina triticea, quæ in oleo atque aqua ebullierit, ap-
ponendum. Et, ſiquando ſcarificare oportuerit, neq; hoc uerendum eſt. Si uero eas, quæ ex fluxio- G
nibus fiunt, inflammationes ſcarificaueris, magnum afferes malum, ac per initia præſertim. Nam,
quæcunq; ex ipſis longioris temporis exiſtentes, poſt totius corporis euacuationem, atque aliam op-
portunam curationem, quaſdam durities atque nigrities in membris habent derelictas, his ſanguiné
auferre nihil abſurdum eſt: neque enim amplius hæ inflammationes exiſtimandæ ſunt, ſicuti neque
eryſipelas, quod iam liuidum eſt. Etenim & hoc per initia quidem infrigidandum eſt, tunc præſer-
tim, cum ſine manifeſta occaſione factum fuerit: quando uero iam illi deerit feruor, & ſcarificare con-
uenit, atque emplaſtrum ex farina hordeacea cálida, & ceratum, & aliud aliquod medicamen ex diſ-
ſoluentibus apponendum: non tamen ex uena in talibus ſanguinem mittere neceſſe eſt, ſed uentrem
tantummodo expurgare ſufficit: dandum autem medicamen, quod bilem flauam educat. Si uero paſ-
ſio parua fuerit, neq; hoc facere eſt neceſſarium, ſed ſufficit clyſtere acri uti. Quæ uero ex ulceribus
fiunt eryſipelata, & quæcunque adeo manifeſtas cauſas habent: ſi ſtatim uolueris cataplaſma appo-
nere ex farina hordeacea, & preſertim ſi antea ſcarificaueris, nihil nocebis. Inflammationibus uero,
quæ cum eryſipelate coniunctæ ſunt, & eryſipelatis cum inflammatione iunctis, miſta, quantum fieri
poteſt, curatio eſt adhibenda, ſemperq; illi, quod magis ſuperat, reſiſtendum. Et eorum quoq;, H
quæ Bubones, & Phymata, & Phygethla a Græcis dicuntur, ſimilem ijs, quę in alijs partibus ſimi-
les accidunt diſpoſitiones, curationem oportet adhibere, præterquam in partibus, quæ acriora medi-
camenta in eiſdem affectibus poſſunt tolerare, quemadmodum laxiores partes, quas adenas uocant.
Herpetas autem, quantum ad totius corporis euacuationem attinet, ut eryſipelata, curare opor- A. l. 4. f. 3.
tet: quantum uero ad patientem particulam, non omnibus ſimilis curatio adhibetur. Nam, qui exe- c. 8. p. 841. B.
dentes ſunt, refrigerari quidem deſiderant ſimiliter alijs herpetibus & eryſipelatis, non tamen ea fe-
runt medicamenta, quæ præter id, quod refrigerant, etiam humectare natura apta ſunt, ſed ſola ad-
mittunt refrigerantia, quæ etiam maxime poſſunt exiccare. Non igitur uel lactucam, uel polygonum,
neq; ex ſtagnis lentem, aut paluſtrem lotum, uel anthylion, uel pſylion, uel portulacam, uel ſerin,
uel ſemperuiuam, uel tale aliquid, quod refrigerare poſſit atq; humectare, apponere oportet, quæ ery-
ſipelatibus erant opportuna: neq; unquam ſpongię fidas frigida aqua perfuſę, neq; ſolano, quamuis
refrigerandi atq; unà exiccandi uim habet, ſed mediocrem. Cum igitur maiorem, q̃ ſolano adſit, expe-
tunt ſiccitatem, ſuper imponere ipſis oportet ab initio quidem ex uite capreolos, & folia rubi, & rubi
canini, & arnogloſsi. Poſt hæc uero & lens adiungenda, ſi oporteat, & aliquando mel, & farina horde-
cea, &, quod antea ſcripſimus ad inflammationes, quæ ex fluxione eueniunt, cataplaſma, dempta ab
eo ſemperuiua. Ipſa uero loca exulcerata inunge medicamentis, quæ ad herpetas in libris, qui
Pharma-

A Pharmaceutici dicuntur, ſcripta ſunt. Multa uero huiuſmodi apud omnes inueniuntur, plurimaq; ex
his ad figuram paruorum circulorum formantur, &, ubi uti uolueris, ex paſſo liquefacere oportet:
quòd ſi paſſum non affuerit, uino tenui & albo & ſubadſtringente, quale eſt Falernum, & Maſſilioti-
cum, & Sabinum, & Adrianum, & Arſyinum, utendum eſt. Cauendum tamen, ne ob antiquitatẽ,
aliquam contraxerit in guſtu acritudinem: &, ſi poſca aquoſa loco horum aliquando uſus fueris, nil
deterius feceris. Iam uero in longum tempus protractis ulceribus, neque paſſo circuli parui ſunt di-
luendi, neque poſca adhuc aquoſa ſit: & uina, quæ ſunt adſtringentia, ſufficienter conueniunt, præci
puequidem nigra: &, ſi ea non affuerint, alba. Medicamina autẽ in hoc tempore ipſis præcipue ſunt
accommodata, & quod Polyidæ uocatur, & Paſionis, & Muſæ, & Andronis, & quæcunq; alia his ſi-
milia ſunt. Herpetas uero, qui ſumma tantummodo exulcerant, niſi diu perduraũerint, nullo horum
inungere oportet, † [comburunt enim fortiter,] & uehementer exiccant. Verum iſtis ſufficiunt,
quæcunque uim glaucij habent, medicamenta, diluere autem maxime quidem aqua: quòd ſi nil pro-
fecerit, etiam acetum adiungere oportet: quòd ſi etiam ſolani ſucco intinxeris, aut arnogloſſi, plus
etiã proficies. Summatim uero hæc te cognoſcere oportet, quòd omne ulcus, ſiue ſponte, ſiue ex ac-
cidenti, ſiue ex uulnere factum fuerit, exiccari deſiderat, medicamento (ut inquit Hippocrates) non
B *aſpero, hoc eſt, non mordente, neque uehementer irritante, præterquam ubi malignum & cum pu
trilagine fuerit: talia .n. acriora expetunt medicamina, & quæ ignis uires habent, quale eſt miſy, &
chalcitis, & arſenicum, & calx, & ſandaracha: etenim non aliter, quàm ignis, adurunt medicamen-
ta huiuſcemodi: ſæpius uero, ubi iſta ceſſerint, ipſum ignem adhibemus. Quapropter & his, qui
Carbones appellantur, ſuper ipſam cruſtam, ubi præcipue particula putrefit, huiuſcemodi medica-
mentorum natura eſt conueniens: Non tamen loca circumiacentia tangere expedit, ne te ipſum lateas
ea exulcerans, quæ minime expedit, ſed antedictis circulis paruis utendum eſt, qualis eſt, qui An-
dronius nominatur. Si quando uero rubor inualuerit, & multa phlogoſis, id eſt inflammen, medica-
mentum paſſo diluendum, uel arnogloſſi ſucco. Si uero magnus ſit tumor, uino quidẽ acerbo in prin-
cipio, poſtmodum uero & aceto. Cataplaſma etiam ex orobi farina & oxymelite confectum appo-
nendum: atque ante hæc ſtatim ab initio tantum ſanguinis auferendum, quantum ſufficit, niſi aliud
prohibuerit. Hæ quidem ſunt paſſionum per genera curationes: Quæ pro naturæ inſtrumentorum
patientium uarietate mutantur. Quatuor uero ſunt ab his indicationes, ab eorum temperatura, a for
matione, a ſitu, atq; a uirtute. A temperatura quidem, ſi non nulla quidem ex ipſis natura ſicciora
ſunt, non nulla autem humidiora: quædam frigidiora: quędam calidiora exiſtunt: Et ſecundum con-
C iugationem humidiora ac calidiora, uel humidiora & frigidiora, uel ſicciora & calidiora, uel ſiccio
ra atq; frigidiora, aut ex toto temperata: oporteteq; in curationibus intentionem haberi ad membri na-
turam: hæc enim, quouſq; infrigidandum aut exiccandum ſit, docet. Nam, ſi carnoſæ partes inflamma
tionem patiuntur, paulum exiccandæ ſunt: uenoſæ quoq;, quanuis ſint carnoſis ſicciores, non tamen
& ipſæ multum exiccari deſiderant. Sed, quæcunq; natura arterioſæ ſunt, magis uenoſis ſunt exiccã-
dæ, atq; his amplius neruoſæ, & multo magis his chartilaginoſæ & oſſeæ. Nam prius, quàm ad propriã
naturam particula redeat, nondum curationi impoſitum eſſe finem arbitrandum. Ad ſicciorem uero
temperaturam reducunt, quæ natura ſicciora ſunt: & ad frigidiorem, quæ frigidiora: & ſecundum
alias qualitates eodem modo: ad mediocrem uero referunt, quæ ſunt in ſingulis mediocria. Sic qui-
dem partium temperaturæ paſſionum uariant curationes. At Formationes hoc modo: nam quædam
ex ipſis intus habent ſpacioſitates, quædam extrinſecus, quædam utrinq;, quædam neutra parte. Ve-
lut ex ſimplicibus arteriæ ac uenæ & nerui. quæ quidem ſunt in artubus ſeu membris extremis, quæ
græce κῶλα dicuntur, [qualia ſunt crura atq; brachia,] intus: quæ uero intra peritonęum, utrinqué.
Nerui autem, qui in dictis membris extremis ſunt, neutra parte: qui uero intra peritonæum, ex altera
A. l. 1. f. 4. c. 1. p. 134. D parte. Viſceribus autem fere omnibus intrinſecus atque extrinſecus ſunt magnæ ſpacioſitates, ac præ
terea caro ipſa, pulmonis quidem, ſpongioſa: contra uero renum, denſiſsima: & poſt hanc, hepatis
caro: ſplenis uero caro, quanto denſior eſt carne pulmonis, tanto hepatis carne rarior. In omnibus igi
tur his, quæ neutra ex parte habent cauitates, quæ ſuperfluum fluxum excipiant, fortiter exiccare
oportet, quanuis non fuerint natura ſicciores, ſicuti nerui, & præcipue illi, qui ſunt in artubus. Sed,
quæ intus & extra aliquid inflammationis poſſunt relaxare, non multum huiuſcemodi fortiter exiccã-
tibus egent, ſi præſertim laxam carnem habuerint, quemadmodum pulmo. At ex Poſitu indicatio,
neq; ipſa negligenda eſt: nam, per quæ euacuare oporteat, atq; quomodo, ipſa præcipue demonſtrat.
Fluentium igitur adhuc humorum, Antiſpaſis, id eſt retractio, ſic enim Hippocrates nominat: eorũ
autem, qui iam membrum obſederunt, Deriuatio medela eſt. Vtrunq; autem euacuationis genus per
communes uenas fieri præcipit. Veluti in locis muliebribus in contrarium trahes, ſi eas, quæ in cubito
ſunt, ſecueris uenas, aut iuxta mammas cucurbitas appoſueris, uel manus concalefeceris, & fricueris
atq; alligaueris: Deriuabis autem, ſi eas, quæ in poplitibus, aut talis ſunt, uenas diuiſeris, & cucurbitas
coxis applicueris, & crura calefeceris, ac perfricueris, atq; alligaueris. Et, ſi quidem in parte dextra
locorum muliebrium paſsio fuerit, a dextra manu, aut crure detraxeris ſanguinem: ſi uero in ſiniſtra,
a membris, quæ illi e directo ſunt. Quod enim ab ipſo Hippocrate Cat' ixin, dicitur, hoc ipſum eſt, ſe-
cundum * rectitudinem. Interiores autẽ uenas incidere oportet: hæ enim uiciniores magisq; e directo

† In cod. Ant. Græc. legitur ἐπεὶ γὰρ ἰσχυρὰ .i. ſunt .n. fortia.

* σαρκικῶς.

* Alias æqualitatem.

ſunt patientibus membris. Nam, ſi ſplene inflammationem patiente, ſanguinem uis euacuare, inte- E
riores in manu ſiniſtra uenas ſecato: & ſi hepate, eadem ratione in dextra. Siquid uero ex ſuperioribus
inflammationem habuerit, ueluti in his affectibus, quos Græci ſynanchas & ophthalmias uocant, & A. ibidem.
quicunq; alij capiti aduenerint, eas, quæ extrinſecus ſunt, atque e directo. Patientibus uero membris
extremis, a coniugibus euacuatio facienda eſt, ſiue retrahere uelis, ſiue deriuare, præterquam ubi paſ-
ſio ſit inuererata: tunc enim a membro ipſo patiente detrahimus. Sic igitur in ſynanchicis eas, quæ
ſub lingua ſunt, uenas incidimus, quando iam totum corpus uacuum ſe nobis obtulerit, paſſio uero ſit
diuturna. Sic & hepati & ſpleni cucurbitulas applicamus: ſic & aliud quodlibet patiens membrum ſca-
rificamus, ſi non amplius humores influant (tunc enim magis irritaueris, ac malum duplicaueris) ſed
quando iam totum corpus expurgatum fuerit, neque iam aliquid influit, aliquid uero, quod pridē in-
fluxerat, in membro contineatur. Et quidem laborantibus gibbis hepatis partibus, quod per urinā tra
here oporteat: concauis autem per excretionem inferiorem, ſitus ipſe uiſceris indicat: atq; etiam tho-
racem & pulmonem per tuſſes expurgare: uentriculum autem & ſtomachum per uomitus: inteſtina
autem per inferiores excretiones: quemadmodum & ſplenem & renes per urinas: locos autem mulie
bres per menſtrua: cerebrum autem atq; eius membranas per palatum, & gargareonem, & nares, &
aures. Sed, quòd & ijs, quæ in ſuperficie ſunt, partibus talia medicamenta apponere oporteat, quali- F A. ibidem.
bus eget paſſio: ijs uero, quæ in profundo ſunt, & quas per multa interpoſita debent eorū uirtutes at-
tingere, non qualia nunc ſint, ſed qualia futura ſint, ex ſitu membrorum agnoſcimus. Quare, ſiue me-
dicamentum eſt ex ijs, quæ extrinſecus apponuntur: ſiue ex ijs, quæ comeduntur, aut bibuntur, nō præ-
ſens eius uis conſideranda eſt, ſed qualem obtinebit, quando ad membrum affectum peruenerit. Ob
hæc igitur, quæcunq; in pulmonis inflammationibus extrinſecus thoraci applicantur medicamenta,
ualde fortiora atq; acriora natura ſunt, quàm ſi ipſa uiſceri patienti apponerentur. Quod enim per mul
torum corporum media ipſi membro patienti eſt occurſurum, omnino exoluitur, & uiribus deficit, ſi
ab initio fuerit imbecille. Tantum igitur aduentitij roboris adiungere oportet, quantum in tranſitu
amittitur, ut, quod relinquitur, æquale remaneat ei, quod tactu iuuat. Ob id igitur in thoracis inflam-
mationibus, quæ in parte ſumma conſiſtunt, ea, quæ ſolum laxare poſſunt, ſufficiunt: Intrinſecus autē,
ſicuti in membrana ſuccingente, acriora ſunt neceſſaria. Et de ſplene etiam, atque hepate, omnibus-
que uiſceribus intra peritonæum ratio eadem. Sæpius enim ex medicamentis impoſitis ulceratur cu-
tis, quanuis durior minusq; ad patiendum habilis, quàm uiſcera. Et, ſi ipſis uiſceribus medicamenta
applicare poſſemus, quibus ſubinde indigent, tanto molliora eſſe oporteret, quanto & ipſorum natu-
ra facilior affici. Et quidem omnia, quæ comedere uel bibere iubent, medicamenta uiſcerum paſſioni- G
bus opitulantia, hæc multo acriora ac potentiora uiribus eſſe conuenit præ his, quibus indigent mem
bra morbis affecta: exceptis illis, quæ & uentriculo & ſtomacho auxiliantur: hæc enim ſola talia exhi
bentur, qualia a paſſionibus exiguntur: reliqua uero omnia acriora, ac uiribus potentiora ſunt, eaque
præſertim, quæ uel renum, uel pulmonis occaſione dantur. Conſidera itaq;, quot numero partes per-
tranſire oporteat id medicamen, quod ad pulmonem ſit peruenturum: primum quidem os, & fauces,
& ſtomachum: deinde & uētriculum ipſum, & quædam ex tenuioribus inteſtinis: deinde eas, quæ ſunt
in meſenterio, uenas: deinde eas, quæ in cauis partibus hepatis: ex quibus ad eas, quæ in gibbis ſunt,
tranſumptum, hinc ad concauam peruenit uenam: poſt quam ad cor: deinceps hoc modo ad pulmo-
nem. Neq; negare poſſumus, quin in ſingulis partibus his, quibuſdā admiſceatur humoribus, ac quan-
dam tranſmutationem, atq; alterationem pro natura uiſceris capiat: quare, quod de eius uirtute relin-
quitur, minus omnino eſt atq; imbecillius, quàm ut membrum affectum iuuare poſſit. Quæ igitur a ſitu
partium indicatio ſumitur, tantum curationem euariat: Quæ uero a Virtute, quantum nunc dicturus
ſum. Quoniam ex partibus corporis non nullæ ab influentibus uirtutibus gubernantur: quædam uero
a proprijs atq; natiuis: atque ex his ipſis quædam ſibi duntaxat, quædam etiam alijs fons & origo ſunt
quarundam uirtutum: & aliæ quidem opus habent peculiare, aliæ autem commune: permutare opus H
eſt curationis formam pro ratione earum, quas diximus, differentiarum. Nam pleraq; ex remedijs ijs,
† [quæ antea memorauimus,] morbum quidem finiunt, ſed natiuas membrorum uirtutes offendunt,
quæ quidem offenſio ad totum corpus pertinet: Quod dupliciter fit, quatenus aut uiſcus illud alicu-
ius uirtutis eſt origo omnibus partibus communicatæ, aut ipſius opus toti corpori utile eſt. Hepar. n,
cor, cerebrum, & teſtes communia uniuerſo corpori principia ſunt uirtutum: Ventriculo autem, atq;
locis muliebribus propriæ inſunt uirtutes nulli alteri parti communes. opus tamen uentriculi quidem
toti corpori confert, locorum muliebrium autem nequaquam. Nocet autem ſæpius paſſionis cura-
tio membri patientis uirtuti. Quæ enim immoderate laxant, ſoluunt robur, quare & membri uirtutē;
quæ autem ſupra modum refrigerant, natiuum calorem extingunt, qui fortaſſis (ut non nulli arbitran-
tur philoſophi ac medici ſummi) ſubſtantia uirtutum exiſtit: &, ſi non hoc, ſaltem primum & maxime
neceſſarium ipſarum inſtrumentum. Iam uero & qualitates quædam extraneæ uirtutes diſſoluere poſ
ſunt. Nihil igitur horum in curationibus præterire oportet, ne noſmetipſos lateamus, in eum inciden
tes ſermonem: Morbus quidem curatus eſt, homo autem obiit. quod a quamplurimis quotidie factita-
ri uidemus, qui irrationalem experientiam colunt, atq; hæreſim methodicā, omnia artis bona deſtruē-
tem, quæ rationes quaſdam dogmaticas quidem, ſed multis erroribus plenas; conſectatur. In indica-
tione

† Non eſt in antiquis. A.l.1.f.4.d.l.p.134.d.

Actione autem, quæ habetur ex uirtute partium, quiſpiam etiam reponeret & facilitatem & difficultatē
ad ſentiendum. Nam, quæ facile ſentiunt, acria medicamenta non tolerant, ſicuti neque etiam humo-
res. Nam, cum acris humor in uentriculi ore continetur, ſæpius ſyncopa corripiuntur. Quòd ſi me-
diocris ſit affectus, anxietatem & nauſeam habent, & non nunquam humorem, quo infeſtantur, euo-
munt: non nunquam uero fruſtra agitantur, hocque in illis affectibus accidit, in quibus in ore uentri
A.l.3.f.13.c. culi uitiatus humor imbibitur. Eodem pariter modo, cum ad oculos huiuſmodi defluxerit humor,
15.p.563.b.c. maximum affert dolorem, & puſtulas ulceroſas, quæ difficulter curationem recipiunt, excitat. Sic
quoq; rurſus oculi ipſi ob eam, quam habent ad ſentiendum facilitatem, tolerare non poſſunt acrium
medicamentorum uiciniam, quemadmodum neque etiam uentriculi os: quinimmo nec aliquod ex-
trinſecus aggrauans hæ particulæ tolerant, & minus uentriculo oculus, utpote qui non nunquam etiā
ab ijs, quæ inunguntur, grauatur. At, quæ difficilem ſenſum habent, hæc cataplaſmata grauia ſuſtinēt,
& medicamenta mordacia. Siquis igitur uelit ex facilitate ſentiendi indicationem illis quatuor, quas
antea memorauimus, quintam annumerare, uel in ea comprehendere, quæ ex uirtute ſumitur, nihil,
quantum ad recte medicandum, differt. Has igitur omnes indicationes in memoria habere opor-
tet in quacunque particula morbo aliquo affecta: nam & ipſius Temperatura, & Formatio, & Situs, &
A.l.1.f.4.d.1. c.1.p.133.b.c. B Virtus, ſingulas, quæ in nobis fiunt, operationes commutant, communi intentione ſeruata: hanc e-
nim ex morbo ſemper aſſumendam eſſe docuimus. Qui igitur ſecundum ſolam & ſimplicem intempe
riem morbi fiunt, per contrarias qualitates curantur: Calida quidem intemperies per refrigerantia,
ſiue primo, ſiue ex accidenti refrigerent: Frigida uero per calefacientia: ſic ſicca per humectantia: hu
mida autem per exiccantia curantur. De eo uero, quod primo calefacit, aut ex accidenti, plene (ut
noſti) diximus in eo tractatu, quem De ſimplicium medicamentorum poteſtate compoſuimus: Vbi id,
quod primo refrigerat, quandoque ex accidenti calefacere oſtendimus, quemadmodum aquæ frigi-
dæ infuſionem, ubi caloris naturalis fecerit reuocationem: & quod calefacit, refrigerare, cum rare-
faciendo corpus caliditatem fecerit euaporare. Quæ igitur ſecundum ſolas actiuas qualitates corpo
ris ſunt alterationes, ex ſola, quæ ex calefacientibus, refrigerantibus, humectantibus, atq; exiccan-
tibus poteſtate adhibetur, ad naturalem habitum reſtituuntur, neq; ſenſibili egent euacuatione. Quæ
uero ob materiæ influxum, ſi quidem bene temperata ſint, ſolam euacuationem deſiderant: ſi uero in-
temperata, euacuationem, atq; unà per contrarias qualitates expetunt alterationem, ueluti quæ rheu-
maticæ dicuntur diſpoſitiones. De quibus (ut noſti) unum a nobis uolumen eſt editum, in quo & hoc
ſtatim ab initio oſtenſum eſt, quòd ea, quæ totum corpus alit, facultate debilitata, huiuſmodi fiunt di-
A. ibidem. C ſpoſitiones, cum aceruata ſuperfluitas ad partes præcipue defluat imbecilles. Si enim per rheumaticā
diſpoſitionem ſanguis, qui in huiuſmodi partes fluat, aliquam habeat cacochymian, miſta oritur di-
ſpoſitio: quod forte rariſſime euenit. Sanguis enim ſine pituita, aut flaua, uel atra bile fluens, tenuis
ſemper mihi conſiſtentiæ apparuit. Ex alia autem quapiam cauſa ſi pars intumeat, conſiderandum eſt,
an huiuſmodi affectus ſit phlegmone, an ſcirrhus, an œdema. Nos enim omnem calidam ac ueluti flā-
meam diſpoſitionem nominamus phlegmonen, id eſt inflammationem: cuius differentias paulo ante
diximus. Tempus itaque eſt, ut de œdemate quàm breuiſſime ſubijciamus, ut memineris eorum, quæ
latius de hoc nos dicere audiuiſti.

De Oedemate. *Cap. 3.*

OEdema igitur uocamus tumorem mollem, doloris expertem, quem ex pituitoſa ſubſtantia, aut
ſpiritu uaporoſo fieri conſtat, qualis in cadaueribus euenit. Non nunquam etiam in pedibus &
cruribus eorum, qui aqua intercute, & phthiſi, & alio malo habitu (Græci cachexian uocant) labo-
rant. Verum tale œdema in periculoſis illis diſpoſitionibus accidens eſt, nulla propria præcipuaq; cu
ratione indigens. Sola enim fricti o ex oxyrhodino, aut non nunquam ex ſale & oleo, uel etiam ex ſa
A.l.4.f.3.c.2. le iniecto oxyrhodino ſiſtit ipſum, aliaque huiuſmodi multa. Cum uero propter pituitam parti influ-
e.1.p.849.b. D xam huiuſmodi ſit affectus, ſpongia in aqua, quæ parum aceti habuerit, infuſa paſſionem aliquando
ſedat: quæ ſi non quieuerit, plus aceti miſcendum eſt: ſit tamen moderata ipſius temperatura, ut poſſit
ipſam quiſpiam bibere. Quæ autem ex ea plus aquæ continet, in principio adhibenda eſt, maxime in
mollibus corporibus: Quæ uero hac fortior fuerit, in robuſtis & duram habentibus pellem, & quæ
ad primam ſpongiæ appoſitionem non iuuantur. Oportet autem ſpongiam omninò nouam eſſe, quæ
ſi non affuerit, ſaltem exquiſite abluatur ex aphronitro & nitro, & ex ea, quæ conia ſtacte, id eſt lixi-
uium diſtillatum, a Græcis nominatur. Quòd ſi ex his œdema non quieſcat, aluminis parum imponen
dum eſt, ſpongiaque omnino noua applicetur. Si uero in aliquo artuum tale fuerit œdema, incipien-
do ligaturam in imis partibus, finire oportet in altioribus, iniectionem & compreſſionem & uniuer-
ſam diſtributionem faciendo, uelut in fractionibus. Curationis enim intentio in huiuſmodi affecti-
bus miſta eſt, una quidem ut eorum ſubſtantiæ aliquid diſſoluatur: alia uero, ut aliquid congregetur
ac reſtringatur. Si igitur per ea, quæ dicta ſunt, non ſedetur, tunc aliquid fortiorum medicamento-
rum, quod temperaturam miſtam habeat, ex dictis uiribus adijciendum eſt. Ego in diuturno œdema-
te, ubi prius particulā oleo illeuiſſem, deinde ſpongiā ex lixiuio appoſuiſſem, atq; uehemētius ſtrinxiſ-
ſem, affectū perfecte curatum uidi, non amplius uidelicet hac curandi regula hūte miſtam uiriū inten-
tionē, ſed ad diſcutiendū & incidendum declināte: id quod in oībus fere diuturnis affectibus probatū
haberi

haberi non ignoramus. Poſtquam uero ſatis ad te de œdematis ſcripſimus, de ſcirrhoſis deinceps tu- E
moribus dicendum eſt.

De Scirrho. *Cap.* 4.

EXquiſitus ſcirrhus eſt tumor præter naturam ſenſu priuatus duruſque: non exquiſitus uero non omnino inſenſibilis eſt, difficulter tamen omnino ſentit. Scirrhus igitur inſenſibilis curationẽ nõ recipit: qui uero difficulter ſentit, non incurabilis quidem eſt, non tamen facilem curationem admittit. A.l.4.f.3.t.1. c.11.p.853.i. Fit autem ex humore lento & craſſo, qui partibus, quæ indurantur, tenaciter infigitur. Interdum ita que ſtatim a principio congregatur paulatim & augetur: crebrius uero medicorum imperitia paratur, cum uehementer eryſipelata & inflammationes aſtringunt & infrigidant. Siquis igitur medicamenta uehementer diſſolutiua induratis corporibus adhibuerit, quæ manifeſtam faciant ſcirrhi diminutionẽ, breui tempore ſperabit perfectam curationem, non uere, ignorans, quòd reſiduum paſſionis hoc curationis modo incurabile redditur: tenuiori enim ex eo diſſoluto humore, reſiduum exiccatum lapidis duritiem aſſequitur. Non igitur curandæ ſunt partes induratæ medicamento immodice ſiccante, ſed eo, quod calorem habeat tepidum, humiditatem uero nec multam, nec omnino minimam. A.l.1.f.4.c.11 p.153.a. Quod enim ſuperfluum humorem habet, nihil omnino diſſoluit: quod uero minimum, plus, quàm oportet, exiccat. Oportet igitur induratũ corpus, a medicamento, quod auxilio futurum ſit, ſimile quid pati his, quę ſub F
ſole funduntur: uocantur autem Malactica, id eſt mollificantia, huiuſmodi medicamenta, de quibus amplius diximus in quinto tractatu libri, qui de ſimplicium medicamentorum uiribus inſcribitur. Et exẽpla eorum dicta ſunt, ſimplicia quidem, medullæ omnes atque adipes. Ex medullis primas partes obtinet ceruina, deinde uitulina: ex adipibus autem adeps anſeris in uolucrum genere: leonis uero in pede ſtrium ceteris præſtat. At uero, qui ex gallina ſumitur, anſerinum, & qui ex pardo leoninum ſequitur, ac deinde urſinus, atque taurinus. At, qui ex capris accipitur, & craſſior, & ſiccior prædictis eſt, eoque adhuc magis, qui ab hirco capitur. At, iam dictum eſt, quod huiuſmodi affectus medicamentis uehemẽter ſiccantibus non indiget. De differentia uero, quæ ex eorum tenuitate craſſitudineque oritur, indicatiue quidem dictum eſt, manifeſte uero nequaquam adhuc. iccirco in memoriam tibi reuocãda ſunt, quæ inuicem commentabamur, quando Cercyllij puerulum curabam, cui ex eryſipelate nimis infrigidato atque abſtrito tumor ſcirrhoſus in toto femore relinquebatur. Exiſtimauimus enim medicamenta, quæ ipſum curare deberent, tenuia eſſe oportere: quare femur oleo perfundebam in profundã peluim poſito puero, quæ multum Sabini olei continebat, eo, quod omnium tenuiſſimum ipſum eſſe ſciebam: a balneo uero abſtinebam, niſi in longo interuallo dierum totius corporis curandi gratia. Poſtquã uero partem fouimus, medicamenta ex prædictis medullis & adipibus confecta adhibuimus: miſcen- G
do non nunquam bdellium ſcythicum, maſtichen ægyptiam, atque ammoniacum thymiama uocatum quod pingue & non uetuſtum eſſet: ſimiliter & chalbanen. Et poſt, quàm per hæc præparatum fuerat, ſoluens ammoniacum pinguiſſimum in acerrimo aceto circumliniui totum femur circum circa: deinde per aliquot dies rurſus opopanacem & pinguiſſimum miſcui aceto acerrimo, & huius uidelicet exoluens id, quod recens erat: alioquin pingue non permaneret: quemadmodum nec bdellium, nec ammoniacum, neque etiam chalbane: iuſſique puerum alteri cruri innixum ſaltare, ut plus cibi ad illud ferretur. Poſtea, ubi repulſus erat iam ſcirrhoſus tumor, timens, ne eius reſiduum maneret, omnia e cõtrario facere aggreſſus ſum, femur ex aliquo medicamento eorum, quæ pice conſtant, perungens. A.l.4.f.3.t.1. c.12.A.B. Manifeſte itaque clarebat, quod ex aceto linimenta egregie tumorem comminuerant, laxatiua autẽ molliorem reddiderant, minorem autem nequaquam: uiciſſim tamen eis utendo, adhibito conuenienti mõderamine, puerulum curaui: Sic, ut, ſi altero duntaxat medicamentorum genere quis curationem attẽtaſſet, nihil ad ſcirrhi ſolutionem profeciſſet. In tendonibus (uoco autem ſic muſculorum aponeuroſis, id eſt eneruationes) ex prædictorum medicamentorum uſu manifeſtiſſima auxilia uideri licet: ſiquis recte utatur curatione ex pyrite lapide. Oportet autem eum, cum igne excãduerit, acerrimo aceto aſpergere, ac deinde ſuper lapidem mouere partem affectam, ut a uapore ſurſum lato ſcirrhus diſſoluatur. H
Multæ enim partes iam plane curuatæ conuolutæq; hoc curationis modo membrũ dimouẽdo, perfecte ſanatæ ſunt, ut fere magicum opus uideretur. At oportet præparare mollificãdo partem ſcirrhoſam medicamentis, de quibus ſupra diximus. Quinetiã in hac ipſa, quæ fit per pyritem lapidẽ, curatione, abunde multum oleum Sabinum calidum prius perfundendum eſt, aut aliquod aliud, quod extenuandi uim habeat. Nec minus proderit anethi comam decoquere, præſertim cum uiride fuerit atq; recens. Quòd ſi piritem habere non poſſis, molari utendum eſt: uocant autem ſic lapidem, ex quo molæ parantur, quæ frumentum molunt. A. ibidem.

De Scirrho Lienis & Iecoris. *Cap.* 5.

SPlenem induratum non ſolum de foris fortibus medicamentis curare conuenit, ſed etiam per fortiſſimas potiones: nam eas ſine moleſtia tolerat. ex quorum numero primas partes ſibi uendicant cortices radicum capparis, & ſcolopendrij, & myricæ tum radix, tum germina, omnibus huiuſcemodi in aceto uel oxymelite coctis. At ſæpenumero, cum tangitur ſplen, renitens uidetur: non tamen ſcirrhoſus, ſed flatuoſus potius eſt tumor: in quo oportet, ubi prius locum abſinthio perfuderis, medicamen emplaſticum miſtas uires continens ſuperponere, quale eſt, quod ex fulfure atque alumine conſtat. A.l.1.f.4.c.5. p.139.b.c. ſunt profecto multa huiuſcemodi in medicamentorum tractatibus deſcripta. non ſimpliciter autẽ miſtorum

A ſtorum medicamentorum uiribus attendendum eſt, ſed & quantum miſceatur. Cum itaque ſplen flatuoſo tumore afficitur, & magis œdemate: ſi multum aluminis adhibueris, nihil nocebis: in ſcirrhoſis autem tumoribus uim diſſolutiuam ſuperare conuenit: parum autem eius, quod ſtringendi uim habet, admiſcendum eſt. Cum igitur de numero ſimplicium & ſponte naſcentium medicamentorum flos ſalis tali ſit natura præditus, ſanat ſplenes induratos, ſi extrinſecus ipſis in ueſica apponatur. Scirrhum autem hepatis ab initio quidem ſanauimus ſæpius: Vbi uero ad plures dies forte foret extenſus, neque ipſe potui ſanare, neque alium uidi, qui poſſet. Omnibus igitur, qui ita affecti ſunt, ex neceſſitate ſubſequitur aqua intercus: pereunt autem quamplurimi in tempore longo: quoſdam uero noui etiam breui pereuntes, quibus aluus multa deijciebat. Liquet igitur, quod his ſufficienter anguſtata erant ora uaſorum, per quæ tranſmittitur cibus ex ſimis hepatis partibus in conuexas, adeo quod, ſiqui ex eis ſanati ſunt ea, quam antea diximus in muſculoſarum partium ſcirrhis, curationis ratio ſaluauit: neque enim perfert hoc membrum fortia medicamenta, ueluti ſplen. Augere autem oportet ea, quæ ratione inflãmationis ipſi apponuntur, miſtura emollientium: erant autem illa ex abſinthij coma, & expreſſione myrobalani, & utraque nardo indicaque ac celtica: adhuc autem & croco, & œnanthe, & maſtiche chia, & unguentis, quæ ex ſpica nardi conficiuntur: adhuc autem & maſtichino, & melino, & œnanthino.
B His igitur ammoniacum thymiama, & bdellium, &, quas diximus, medullæ, & adipes miſti, & quæ incidere poſſunt, factum in hepate ſcirrhum ſanare poterunt, ſi etiam ratio conueniens uictus adhibeatur unà cum medicamentis, quæ in potu ſumuntur ad aperiendum abſtergendumq; eum, qui in uiſcere cõtinetur, humorem. Sunt uero hæc omnia etiam eos, qui in renibus continẽtur lapides cõminuere apta, de quorũ materia multi medici conſcripſerũt. Admiſcere autẽ oportet & ex his, quæ urinã moue re poſſunt aliquid. Plurima uero eſt etiam iſtorum mãteria, quæ a multis quidem ſcripta eſt, atque a nobis comprehenſa in eo, quem de medicamentis ſcripſimus, tractatu. Quare nũc etiam, quæ dicta ſunt, tibi ſufficiant.

De Tumore flatuoſo. *Cap.* 6.

TEmpus enim iam eſt tranſgredi ad alterum genus tumoris, cui materia generationis eſt ſpiritus flatuoſus. Vocatur autem non ſolum flatuoſus, ſed etiam flatus, huiuſcemodi ſpiritus, craſſus ac uaporoſus exiſtens, non ſecundum ſubſtantiam *æthereus neque tenuis. Cogita uero eius naturam ex circumſtante nos aere, in memoriam reuocans, qualis in auſtrinis conſtitutionibus, qualisve in aquilo naribus fiat. ei enim qui in auſtralibus, aſſimilatur flatuoſus: alteri uero, qui in aquilonaribus, is, qui in nobis ſecundum naturam eſt, ſpiritus. Adiuuat autem, ne huiuſcemodi ſpiritus diffluet, etiam denſitas
C corporum: quare huiuſmodi affectus curatio unam communemque habebit intentionem ad elaxanda ea, quæ aſtricta ſunt, corpora, atque ad craſſos ſpiritus extenuandos. Nam ſi ſubtiliori ſubſtantia ſufficienter calefeceris, id quidem, quod denſatum eſt, rarefacies, quod uero craſſius eſt effectum, extenuabis. Patientium autem particularum natura conuenientem auxiliorum materiam indicabit, ac in ipſa maioris minoriſque rationem. Nam ſpiritus iſte craſſus & uaporoſus non nunquam, ſub membranis, quæ integunt, oſſa comprehenditur: non nunquam uero ſub peritonæo: aliquando intra inteſtina uel uentrem: comprehenditur uero aliquando & intra membranas, quæ muſculos cõplectuntur, quemadmodum & a membranoſis tendonibus: comprehenditur etiam ab ijs, quæ ratione cognoſcuntur, ſpatijs in muſculis atque alijs partibus corporis, quorũ locorũ naturam in adminiſtrationibus anatomicis didiciſti. Ita igitur ipſe muſculus inflatur, atque in uentris uel inteſtinorum corpore flatuoſus includitur ſpiritus, & cum ſufficienter frigidus fuerit, tunc maximum dolorem excitat. Communis autẽ curatio omnibus (quemadmodum diximus) per ſubtiliorem ſubſtantiam, quæq, quando paſſioni dolor adiunctus ſit, talem habeat naturam, ut dolorem queat ſedare. Secundum uero patientium partiũ differentiam, & materia curationis commutatur: & augetur, atque obtunditur uis. Cum igitur ex tali ſpiritu dolor interuenerit in uentre inferiore, ſubtile oleum cum medicamentis, quæ in ipſo ebullie-
A.l.4.f.3.t.2. c.20.p.855.b. D rint, per clyſterẽ injiciens, ſtatim dolorem ſedabis. Quæ uero debent ebullire in oleo medicamenta, cum ſubtili ſubſtantia calefacientia, ſint cyminum, & id, quod apud nos eſt, & magis, quàm ipſum, id, quod æthiopicum nominatur, & apij, & petrapij ſemen, & marathri, & ſinonis, aneſique, atque libyſtici, & ſeſeleos, & dauci, & ſpondilij. Et ſi coniectura comprehenderis frigidam eſſe dolentium partiũ diſpoſitionem, rutam, & marathrum, & grana lauri intus decoques, miſcebiſque aſphaltum, ipſumque oleum laurinum, & ſiqua alia ſimilem naturam habent. Quod ſi inflammationem huiuſmodi doloribꝰ adiunctam putaueris, auferes ea, quæ admodum acria ſunt, & quæ uehementius calefacient: ad ea autem, quæ in hoc mediocrem naturam gerunt, quæque uim elaxandi habent, tranſibis. In oleo itaque ad ebulliendum pones anethum & non rutã, etiam admiſcebis adipem anſerinum uel gallinaceum: ſed hæc quidẽ, ubi uehementiores dolores infeſtant. Mediocres uero etiam extrinſeca concalefactione iuuãtur, ea præcipue, quæ ex milijs fit: nã eorũ leuitas dolẽtibus cõmodiſſima ẽ. Si hæc nõ affuerint, uel ex
A.l.1.f.4.c.21 p.151.c. ſale calefacito, uel ex lini ſemine crudo uel quocunq; alio modo. Cucurbita etiã magna cũ multa flamma abſq; cutis ſcarificatione, ſæpius ſtatim dolorẽ amouit: oportet autem eam umbilicum comprehendere. Quòd ſi etiam poſt hæc dolores permanſerint, medicãmentis ex opio uti non dubitabis, quale eſt Philonis Tarſenſis, omnibus medicis notũ: quãuis ſcieris aliquam noxã ex huiuſmodi medicamentis, membris patientibus neceſſario affuturam: ſed certe, ei quod magis urget, obſiſtendo, hominem,

qui

qui ex nimio dolore syncopa corripitur, parua cum noxa saluare eliges. nam & sequentibus deinceps diebus noxam membro ex medicamento contractam emendare licebit. Vocantur igitur huiusmodi medicamenta, Anodyna, id est indolentia, quoniam dolorem sedant: & dolorem quidé sedant, non tamen dispositiones penitus sanant, sed uim sentiendi obtorpescere faciunt. Vti autem oportet Philonis medicamento, omnibusq; ex opio confectis, non statim, sed post tempus compositionis annuum, aut omnino semestre. Maxime uero atq; citissime ex potu horum medicamentorum laborantes dolore liberantur, ubi intestina gracilia patiuntur: Sicuti ex his, quæ sedi imponuntur, crassorum intestinorum passiones præsentaneum habent remedium. Non modica autem fit uirtutis distributio & ex ebibitis, cum inferiora afficiuntur: atque ex his, quæ sedi imponuntur, cum superiora fuerint affecta. Quæ quidem in carnosis fit partibus spiritus flatuosi aggregatio, non nunquam omnino uacat dolore, ac longiori tempore durat, ac tum præcipue, cum fuerint articulationi uicina. Hic enim sunt musculi magis neruosi ac densi, atq; in media sui parte carnosiores ac rariores. Tales uero (ut nosti) passiones sanaui medicamentis ex pice, resina, terebinthina, & adipe leonino atq; taurino. Conuenit autem ipsis & quod ex sorde balnei, & calce fit, & ex sycomoro, & (ut summatim dicam) ea, quæ insigniter subtili constant substantia, quibus ea, quæ molliendi uim habent admiscentur.

De Abscessibus. *Cap. 7.*

ENimuero, cum de his satis dictum, iam tempus est, ut transeamus ad apostematum. i. abscessuum tractationem: sic autem nominant eas dispositiones, in quibus inuicem distant, quæ prius se contingebant, corpora. Spatium igitur uacuum in medio fieri oportet, quod aliquam substantiam spirituosam uel humidam aut mistam ex utrisque comprehendat. Transmutantur autem in abscessum inflammationes quædam, atq; ex inflammationibus erysipelatis participantibus, & ex erysipelatibus inflammationis participantibus non pauca. Sine his uero etiam abscessuum dispositio consistit ex multitudine quorundam humorum, aut spirituum uaporosorum, siue in ipsis patiétibus partibus [in medio] generentur, siue ex alijs confluant, ea ratione, qua fiunt illa, quæ Apostemata ideſt decubitus uocantur. Nominant uero sic huiusmodi dispositiones, cum, qui prius unum membrum infestant humores, eo relicto ad alterum transeunt. Quocunq; uero modo fiat abscessus, id spatium quod abscedentes interiacet partes, humiditatibus, quæ ipsum faciunt, repletur, quæ, ubi aliquando perdurauerint, multiformes habent alterationes. Nam & lapidibus, & arenis, & testis, & lignis, atq; carbonibus, & limo, & sordicie balnei, fæci, & amurcæ, & multis alijs talibus similia in abscessibus corpora contineri sæpe numero inueniuntur. Qui igitur per summa sub cute consistunt, facile dignosci possunt, neq; est eorũ sanatio difficilis: nam ex tactus proprietate facillime discernuntur. Curantur uero ex extrinsecus adhibitis medicamentis, ijs, quæ bibuntur, non indigentes, ueluti qui in profundo atq; in uisceribus præsertim fiunt. In dignotionibus igitur, cum suppurantur, cédunt digitis prementibus non resistentes, quemadmodum membra inflammata: dignotionem igitur præbent manifestam. At proprietas cessionis alia est in tenuibus humoribus, alia in crassis, quemadmodum & in tenacibus atque mucosis humoribus. Sæpius uero nobis subiicitur cum tentione spirituosa pars aliqua abscedens, quæ ubi secta fuerit, inuenitur sanguis concretus, adeo ut, qui bis aut ter huiusmodi uiderit dispositionem, si solers & memor fuerit, comprehensum in huiusmodi tumoribus sanguinem ita concretum agnoscere poterit, cum in memoriam ex collatione reuocauerit tensionis ac cessionis proprietatem. At forsan præstat non proprietatem, sed quantitatem tensionis ac cessionis nominare. Curatio autem earum, quæ in superficie cutis abscedunt, inflammationum fit incipiente quidem adhuc abscessu per ea, quæ dolorem sedant atque elaxant: procedente uero tempore ad ea, quæ concoquendi ac suppurandi uim habere proprie dicuntur, transire oportet. De his autem dictum est, sicuti de pluribus alijs, in quinto de medicamentorum simplicium potestate tractatu. Statim igitur aqua abundanti perfundere atque fouere oportet, & oleo calido partem inflammatam conspergere, atq; ex farina triticea, quæ in aqua atque oleo moderate ebullierit, cataplasma imponere. Nam hoc citius ad suppurationé perducit, quàm id, quod ex pane conficitur. Illud enim maxime dissoluendi uim habet, ut cui adsint sales atq; fermentum, opti meque coctum sit. Hæc uero omnia desunt triticeæ farinæ. Et, cum suppurari incipientem inflammationem curatus, suppurationem prohibere posse sperabis, tunc plurimum panem ebullire permittas, oleo scilicet ac aqua subigens: sit autem aquæ ad oleum multiplex proportio. Plus autem, quàm hoc, suppurationem prohibet hordeacea farina simili modo præparata: quæ uero in tali curatione infunditur aqua, habeat althææ radices intus decoctas. Si uero per summa cutis in parte inflammata tensio ualida fuerit, multis scarificationibus incidere oportet in superficie, ac postmodum ex farina hordeacea elixata, ut diximus, cataplasma apponere. Tentaui autem sæpius plurimas & ualde tenues in superficie scarificationes: contrario autem his modo alias profundiores magnas: & tertias, quæ medium tenebant in longitudine ac profunditate. Quæ igitur in superficie fiebant, debile auxilium afferebant: Quæ uero longæ erant atque profundæ, plurimum quidem sanguinis exhauriebant, adeo ut fere animi defectum afferrent: rursus uero ipsæ propriam curationem, ueluti uulnera, exigebant: Quæ autem earum ambarum medium tenebant, semper inueni ab inconuenientibus dictis esse remotas, atq; ideo eas in usu censui præferendas. In quibus igitur difficulter ad suppurationem peruenit, neque facile discuti tumor potest, ibi humores esse compactos crassiores ac tenaciores est existimandum. In his uero dispositionibus

A.I.4.f.3 t. c.20. p.845. a.b.

A.I.1.f.4.c.25 p.153.c.

A.I.4.f.3.t. c.28.p.847.

A dispositionibus tantum conuenit ea, quæ fit per profundiores scarificationes, curatio. Conuenit etiã id, quod ex caricis constat, in aqua decoctis, cataplasma. Oportet autem non ipsas assumere caricas, sed aquam, in qua ebullientes sunt liquefactæ. Expedit uero & caricas pingues esse & dulces, ut earum humor non dissimilis melli uideatur. &, si eas assumens decoxeris usque ad plurimum temporis, reddetur aqua melli tenui substantia simillima. Huic igitur aliquando hordeaceam farinam injcere oportet, aliquando panem Syncomistum (sic autem nominant eum, qui medius est inter exquisite purum & furfuraceum,) uocant autem non nulli eundem panem Autopyron, quoniam in puro farinam, non qualis natura est, talem ad conficiendum panem assumunt, sed prius purgantes furfur excernunt: contra autem in furfuraceo prius adimunt eam farinæ partem, quæ purissima est. Panis autem, qui autopyros appellatur, qualem habet ex natura farinam triticum, talem etiam seruat. Oportet autem triticum ipsum, ex quo farina sumitur, esse ex his, quæ generosa dicuntur: quædam enim ex ipsis multum furfuris continent, quæ ignobilia nominant: quædam uero siliginem, quæ (ut dixi) generosa uocant. Nequaquam igitur oportet furfuraceum esse frumentum, ex quo utilem ad cataplasma farinam accipimus, sed, quemadmodum dictum est, multam habere siliginem. quòd si ignobilis tritici farinam assumpseris, crassiorem furfuris partem oportet excernere, atq; ita panem medium cõficere: Ex hoc igitur pane partem mediam ac teneram ad cataplasmata commiscebis, quando potentia medium farinæ hordeaceæ & triticeæ uolueris facere cataplasma. Nam farina triticea maxime ad suppurationem ualet, hordeacea uero plurimum resoluit. Hic uero, quem diximus, panis mediam naturam seruat: sicuti & eius farina inter nuper dictas farinas triticeas est media. Ad hoc igitur respiciẽs cum decoctione caricarum misce, quod tibi conuenientius uidetur, siue ex panibus, siue ex farinis. Si uero tumor resoluatur, minus tamen, quàm oporteret, simul coquere oportet cum caricis hyssopum uel origanum. Si quando uehementius tumorem exiccare uolueris, sales decoctioni adijcias, deinde hoc modo infunde farinam hordeaceam. Eximatur autem & hinc, quicquid furfuraceum est: &, postquam plurimum ebullierit, appone cataplasma. In tumoribus quidem, qui difficulter resoluuntur, uerendum est, ne eorum reliquiæ, scirrhodes. i. duræ, relinquantur. Quare in singulis solutionibus attendere oportet, ad quid transmutetur omnis, cuius ratio suscipitur, tumor. Nam ea curatio, quæ fortiter exiccantibus agitur, reliquias duras operatur. Hoc uero in singulis solutionibus animaduertes, si partem patientem tetigeris, &, quod nunc apparet, illi, quod prius uidebatur, contuleris. Si igitur unquam tale suspicatus fueris, decoque in aqua cucumeris agrestis radicem, aut bryoniæ, aut assari, sæpius quidem per se solas, non nunquam caricas pingues adijciens: deinde aquæ farinam admisce, C commiscens & aliquid adipis, anserini præcipue uel gallinacei: quod si hi non affuerint, suillum adiunges. Radices quoq; earum, quas nuper diximus, herbarum, atq; præterea althææ, si post moderatam decoctionem cum pane atque adipe conterantur, huiusmodi tumores resoluunt. Fortior autem hisce omnibus est dracontij radix. et, siquando ea uti uolueris, cum sit his, quas nuper diximus, multo subtilior atq; ad resoluendum potentior, omnino adipem commisce. Nisi enim humectaueris atque mollieris induratos tumores, sed fortibus medicamentis resoluere tantum studueris, in primis quidẽ diebus eos insigniter decrescere facies, sed pariter id, quod relinquitur, indurabis, hoc uero induratum difficulter resoluetur. Melius igitur, sicut diximus, ut fortiter resoluentibus medicamentis commiscea mus mollientia, uerentes, ne tumores in scirrhos (quorum curationem in præcedentibus audiuisti) conuertantur. Rursus igitur ad suppuratos tumores accedamus, quos ubi posse resoluere desperaueris, ex farina triticea utere cataplasmatibus. nam ad celeritatem suppurationis plurimum conferunt. Deinde aperiens, si uideris ea, quæ circa sectionem sunt, libera omnino ab inflammatione, medicamẽtis, quæ emplastica dicuntur, utere. Sit autem eorum uis ad exiccandum habilis, careant etiam morsu, ut neque astringentia medicamenta habeant admista, sed ea potius, quę sine doloris sensu resoluunt, uel parum aliquid astringentis habeant. Ego uero sæpius in huiusmodi usus sũm medicamento, ex fermento & ostreis combustis confecto. Si uero pars aliqua sectioni circunstans inflammata fuerit, eo, D quod ex chalcite constat, usus sum, oleo liquefaciens: &, ubi paulatim refrigeratum fuerat, in mortario temperans & molliens manibus, atq; uinum infundens, ut nosti. Ad multa uero utile est hoc medicamentum, quemadmodum in libris De compositione pharmacorum diximus. Faciemus etiã alios (si Deus uoluerit) de passionibus, quæ singulis partibus accidunt, in quibus omnium medicamentorum, quibus uti consueui, diligenter uires explicare tentabo, atq; eorum usum opportunum exponere. Sed tu iam in hisce medicamentis, de quibus in hoc libro memini, habuisti a me antea & mensuras & præparandi modum. Vbi uero plus opportuno cutis colliquata fuerit in suppurationibus, adeo ut panno lacero similis efficiatur, nõ facile subiectis corporibus agglutinatur, ut necesse sit eum, qui κατὰ πλάτος, id est per latitudinem, nominatur, curationis modum adhibere.

A.I.1.f.4.c.26.c.

De sinu. *Cap. 8.*

CVm uero amplius agglutinandi cutem subiectis corporibus creuerit difficultas, huiusmodi affectum Sinum appellant. Deinceps tibi in memoriam reuocabo huius quoque curationis modum, quem uidisti me sæpius in pluribus adhibere. Vbi talis dispositio consistit, satius est fistulam directe perforatam uel ex ære uel ex cornu factam habere paratam: quòd si hæc non fuerit, unum ex his instrumentis, quæ Pyulca, id est puris attractiua dicuntur, quod foramẽ latissimũ habeat, & eius, quod

A.I.1.f.4.c.28 p.155.b.

a nobis

à nobis compoſitum eſt ex charta combuſta medicamentum,tu ſæpe uidiſti me exiguam portionẽ mul-
to oleo roſaceo permiſcere, ac per id inſtrumentum puris attractiuum in ſinus inijcere, deinde filis
euulſis orificium claudere.Quæcunq; uero emplaſtica medicamenta oleo roſaceo liquefacientes inij-
cimus,hoc inſtrumentum non permeant. In his uero oportet ueſicam ſuillam accipientes, fiſtulam di-
rectum foramen habentem apponere.Eſſe uero acriora medicamenta liquefacta,quàm illa, quæ Em-
mota,ideſt linamentaria,dicuntur,eſt neceſſarium,qualia ſunt apud omnes uſitata, colore uiridi inſi-
gnia.Hæc enim oportet non pauco oleo roſaceo liquefacere,ut in ſinum injici poſſint. Diſſoluitur autẽ
emmotorum uis in huiuſmodi miſtionibus.Igitur emplaſtica omnino medicamenta,quale eſt Machæ
rionis,& Epigoni,& quod Iſis cognominatur,ubi ad emmotorum uſum deducuntur, cerati indigent
admiſtione:hæc.n.ad ſinus utilia ſunt. Qua enim ratione eis ceratum admiſcetur, eadem etiam ſunt ad
ſinus utilia.Miſcentur autem,quoniã uires mordaces habent,ſi per ſe ſola liqueſcerent,non admiſto ip-
ſis cerato:ſed,ubi quidem oleum roſaceum plurimum fuerit,quod uero in ipſo liqueſcit,medicamentũ
paucum, non amplius acritudinem ſeruat. Vbi uero ſinus mediocriter carne oppletus fuerit, tunc ag-
glutinantia medicamenta apponere oportet,ueluti ſi recenti & ſanguinolento uulneri medereris. Mul
ta uero tali ſunt natura prædita: Alia quidem,quæ ex aſphalto conſtant:uocãt autem huiuſmodi, neſcio
quomodo,emplaſtra Barbara: Alia uero,quæ Cirrha,ideſt fulua,uel phæa,ideſt fuſca, à colore dicun-
tur,ex lithargyro & ærugine æris decocta plurimum:ſic enim ærugo fuluum colorem accipit. Si uero
paucum ebulliat,facit emplaſtra,quæ Melina,ideſt lutea,dicuntur.Te uero non latet, quòd omnia me
tallica medicamenta ſubtiliores partes habent,& uim exiccãdi maiorem,ubi multum ebullierint. His
uero medicamentis fuluis,ubi ſtatim reponuntur,quædam extrinſecus ſupereminentia fuſca concre-
ſcit,ſub qua pars medicamenti profundior plus,quàm ab initio fulua uidetur. Atq; idcirco,nõ nulli hu-
iuſmodi emplaſtra uocant Dichroma,ideſt bicolora, quidã uero Diproſopa,ideſt bifacia. Quanto ue-
ro ſubtiliora fuerint ac maiorem exiccandi uim habuerint,tanto plus in ſinum operabuntur: nã ad eius
profundum oportet tranſmitti uim,ſi intentionem propoſitam aſſequi uelimus. Quæ uero recentia &
ſanguinea uulnera agglutinant,quanquam his minus exiccant,labra uulnerum, ſi breuia extiterint ac
minime profunda,agglutinant:atque ob hoc facile ac cito,quod oportet;efficiunt. Si uero in profun-
dum uulnus protendatur,& futuris & fibulis ſolemus in unum cogere.Sinus itaque omnes non ſimpli
ces ſunt diuiſiones,ſed frequenter in ipſis modo una pars,modo alia excoriata eſt, quod neque te opor
tet latere.Cum igitur ad locum ſuperiorem ſinus extenditur,facile per os ichor,ideſt humor uitiatus,
elabitur.Si uero uergit ad ima,cum intus retineatur,partem aliquam continuam erodit.In his quidem
ſinibus,niſi prius ad effluxum feceris ſectionem, nihil proficies, neq; cum carnem generare, neq; cum
agglutinare uolueris:In alijs uero non opus eſt ſectione, ſi modo conuenientem figuram in parte pa-
tiente ſeruaueris:Ex qua figura potes aliquando ſinum ad partem ſuperiorem uergentem, facere ad in
feriorem declinare:ac contra,uergentem ad ima, conuertere ad ſuperiora.Vidiſti me igitur ſinũ in bra-
chio exiſtentem,cuius os erat prope cubitum,figura in ſuperiora tendente ſanaſſe ſine alia facta ex ad
uerſo ſectione:& in coxa ſimiliter figura ſinus ad ima uergente,cum ſinus uerſus genu quidem termi-
naret,altius uero os media coxæ regione ſuperius,ſine ulla ex aduerſo diuiſione uidiſti factam eſſe cu-
rationem, ſubiiciente me popliti ceruical molle,ut inferiorem ſitum haberet inguen, quàm genu.Suf-
fecit autem in hoc ſinu & alijs iſto maioribus ſolum melicratum immiſſum, aptum ad conglutinandũ
omnes eius partes profundiores.Quidam autem lixiuium iniecerunt,ſeipſos coarguentes in his, quæ
prius ad carnem ſinui inducendam medicamenta appoſuerunt: Neque enim caro noua priori adnaſci
poteſt,cum ſordicies circumſedit. Quomodo igitur ſufficienter carne innata ſinui, conglutinatiuũ ad-
hibent medicamentum,ſiquidem ueluti ſatis ſordidum exiſtentem lixiuio abſtergere tentant, cum pu-
ra caro neq; acrius melicratum toleret?In hoc igitur ſatis eſt, ſi hoc tale immittatur, quale quiſpiam
cum uoluptate potaret.Et poſt melicratum ſolitus ſum deinceps,antequã medicamentum conglutina
tiuum imponam,aliqñ uino ſolo,aliqñ uino mulſo ſinum abluere: Nam ad abſtergendum atq; ad expur-
gandũ circunſtantes humores uitiatos melicratũ eſt melius:ſed ad cõglutinandum uinum eſt melius &
efficacius:ſit autem inter dulce & aſtringens medium.Et quidem poſt medicamenti agglutinantis ap-
poſitionem ſpongia noua ex mulſo uel uino circumijciatur quàm molliſſima: atq; alligatio quidem in
cipiat à fundo ſinus, ſiniat autem ad os.Sed & linteorum circumuolutiones fundum ſinus ſine dolore
conſtringant,paulatim uero laxentur uſq; ad os ſinus,& hoc ipſum habeat laxam pharmaci alligatio-
nem, emplaſtro, quod circum apponitur,ita cum forficibus diſciſſo,ut ex ore ſinus humores uitiati, ſi
qui excernantur, poſſint effluere,paruo aliquo alio ipſi impoſito emplaſtro uſq; ad ſolutionem: quam
tertia quaque die faciens, auferes hoc ipſum,quod ueluti ſupra poſitum circumiacet, id,quod per totũ
ſinum circũiectum eſt,medicamentum relinquens. Indicium autem tibi ſit,nunquid pars ſinus profun-
da ſit bene conglutinata,humor emanans ſi multus aut paucus,decoctus aut crudus: adhuc autẽ ſi ne-
que in ipſo ſinu dolor ſentiatur,neq; tumor appareat,ſed totus locus depreſſus ſiccus atq; expers dolo
ris exiſtat.Si autem & pus bene coctum in ore uideris paucum,adhuc magis bona tibi ſit ſpes de ſinus
conglutinatione, imponenſq; rurſus ſpongiam, ac denuo alligans, ut diximus, ſecunda quaq; die uel
tertia ſolue,permutans ſemper, quod ori ſinus ſuperſtat, linteum eodem emplaſtro perunctum, quod
totum os in circuitu comprehendet. Oportet autem non eſſe admodum impreſſum, ſed ita,ut omnis
humor

A humor uitiatus ex ſinu per ipſum poſſit euacuari.In prima igitur & ſecunda die ſi aliquis humor tenuis
à ſinu excernitur,noli omnino de conglutinatione deſperare.Sæpius enim circumiecti membro patiẽ-
ti uis medicamenti uehementer exprimit ex ipſa cute & carne ſubiecta tenuem humiditatem, quando
ita affectum fuerit corpus ægroti,aut ex naturali temperatura, aut ex malo uictu, qua humiditate ex-
preſſa ſpatia mediocriter exiccata conglutinantur. In tertio autem & quarto ab initio die ſi ichor cru-
dus ex ore ſe oſtenderit,tunc ſcito ſinum non eſſe conglutinatum.Sit autem prę omnibus id, quod pa-
tienti membro circumijcitur,medicamentum uehementer quidem exiccans,neq; mordens uero, ne-
que intendens,ueluti eſt noſtrum,quod cirrhum.i.fuluum ſeu giluum uocatur, ſine cera confectum ex
metallicis medicamentis elixatis & oleo cicino & aceto,quod uulnera ſanguinolenta conglutinat, ac
ſine moleſtia ſinus exiccat.Vidiſti uero & ipſo ſanatas fiſtulas aliquando,in quibus anguſto, longoque
exiſtente foramine,cum nondum intus callum haberent ſed ſordiciem ſolum,immiſi primum lixiuium
deinde tandiu intus permanere permiſi,donec ſperaui totam ſordiciem penitus excidiſſe: poſtmodum
medicamentum appoſui. Sic uero & eos,qui ſub cute ſunt ſola ſinus, in quibus nondum carnem ge-
nerari oporteat quiq; inſcite a quibuſdam curati erant, ſimul atq; curandos ſuſcepi, hoc medicamen-
to conglutinaui,cum tamen prius lixiuio abluiſſem.quoniam,qui ulcera curant, nullo ex his, quæ ex-
B purgandi uim habent,utunẽ medicamento.Vbi uero,qui ad abſceſſum peruenerunt,tumores tarde ſecti
fuerint,aut ob medicantium imperitiam,aut eorum,quibus medela adhibetur,timiditatem, qui ſecari
non patiuntur,ſed expectant,ut longiori tempore cutis a pure rodatur:contingit ſæpius uniuerſam cu-
tim a pure circa abſceſſum aggregato ſufficienter extenuari inſtar τῦ ῥάκους.i.laceræ ueſtis,unde & illi no-
men Rhacodes.i.laceroſa, a medicis inditum puto.Eſt itaque huiuſmodi cutis conglutinari contumax,
præcipue ſiquis ſecundum ſubſtantiam ſiccum medicamentum imponat: ex his enim magis fit laceræ
ueſti ſimilis & ſicca cutis,inſtar pellium detritarum.Viſum eſt igitur mihi opportunum, ſi quis ad eius
conglutinationem utatur medicamento,ſubſtantia quidem humido,potentia autem ſicco. Dictum au
tem in libris de medicamentis,quòd potentia ſicca medicamenta dici ſolent a medicis, quæ exiccandi
uim habent. Optimum autem ex omnibus medicamentis,quæ ſubſtantiam quidem humidam habent,
uim autem exiccandi,eſt id, quod à me compoſitum eſt ex lithargyro & adipe ſuillo antiquo & chalci-
te,quibus additum ſit oleum uetuſtiſſimum. Nam uim eius eſſe efficaciorem ſum expertus ad huiuſmo
di diſpoſitiones,cum neq; admodum durum fuerit,neq; exquiſite non inficiens. Sed,& ſi tale conficia
tur,& uulnerum ſanguine manantium conglutinatiuum erit:& omnia etiam ulcera ad cicatricem per-
ducit,ſi & oleo[antiquo] remittatur, & cum uino mediocris ætatis commiſceatur, deinde in circuitu
C eiuſmodi diſpoſitionibus apponatur:quas ſæpius ſine ulla moleſtia conglutinauit. Confert autem, ut
diximus, in laceroſis cutibus non parum & mel,ſi uſque ad emplaſtri conſiſtentiam elixetur. Eius ue-
ro elixationis mediocritas uix recte perficitur,niſi inſpiciatur. oportet enim ipſum neq; adeo eſſe du-
rum,ut difficulter labatur:neque ita humidum,ut circumfluat.nam,quod durum eſt, ad eandem perue-
nit cum duris emplaſtris abſurditatem:humidum uero ueluti ſuperiectum calido corpori,undique cir-
cumfluit,& ſiccum linteum derelinquit,quod non modo nihil iuuat,ſed etiam non nunquam obeſt cu-
ti,quæ debet conglutinari:At,ſi mediocriter elixetur,hoc quidem optimum eſt medicamentum in hu-
iuſmodi ſinibus.Sed,quoniam elixationis eius mediocritas non facile poteſt cõiectura attingi, rectius
mihi uiſum eſt ei myrrham ſubtiliſſime tritam aſpergere,aut aloen,uel thus, aut aliquod ex his,uel om
nia ſimul,tum præcipue,cum linteo inunctum humidius apparet.Oportet autem aſpergere iſta per cri
brum,quod ſublime ſupra mel teneatur:ſufficit autem ſemel aut bis illud agitare, ut mediocriter exci-
dant.Nonnunquam uero &,dum elixatur, adijcio melli aliquid ex antedictis medicamentis, quando
præſertim ſinus maior fuerit atque profundior. Vſus ſum aliquando & tenui centaureo, quod mirum
eſt ad huiuſmodi medicamentum.Poſt ipſum uero & ſymphytum utile eſt, & deinde ireos illyricæ ra-
dix,poſtea farina ex orobis:Neque obſcurum eſt,quin & contundi oporteat,& per cribrũ ſubtile tranſ
D mitti,ac poſtmodum conteri talia omnia: Melli autem commiſceantur eo tẽpore,quãdo debet ab igne
amoueri,tantum nobis ſuper terentibus,donec melli decocto optime uniantur.Melius autem fuerit,
ſi cacabũ ab igne amouentes,hæc omnia admiſceamus,& deinde diligenter agitemus,donec mel adeo
tepidum reddatur,ut corpori, cui curatio adhibeatur,poſſit imponi.

De Gangræna. *Cap. 9.*

COnſequens eſt, ut deinceps dicamus de inflammationibus, quæ gangrænæ fiunt. Nominant au-
tem(ut noſti)Gangrẽas,eas,quæ ex magnitudine inflammationis nondum factę ſunt,ſed adhuc
fiunt,mortificationes.Nam,cum omnino membrum effectum eſt emortuum, ut punctum uel ſectum
A.l.1.f.4.c.28 p.156.d. uel aduſtum non ſentiat,quæ patitur,ſtatim recidere oportet,qua ſanam partem uicinam attingit.Sed,
quod ita affectum eſt,denigratur. Quod uero in medio eſt conſtitutum, ita ut tendat ad mortificatio-
nem,Gangræna nominatur.Curatur autem euacuantibus nobis quàm poſſumus plurimum ſanguinis,
qui in membro patiente compactus eſt,cuius cauſa fiunt mortificationes,ob id, quòd arteriæ ex angu-
A.l.4.f.3.T.1 c.16.p.843.c. ſtia loci nequeunt ſe attollere,reliquo autem tranſpirationes exhibentibus.Aut igitur cutem uniuer-
ſam multis ſectionibus profundis ſecare oportet unà cum ſubiecta ſubſtantia: aut plurimis ſcarificatio
nibus profundis incidere.Sanguinem uero manare permittens,imponere debes ex medicamentis ali
quod ad putreſcentia utilibus: huiuſmodi ſunt,quæ ex oxymelite & farina orobi uel lolij conficiun-
tur.

tur.ſi uero talia non aſſint, fabarum farinam adhibe,atq; ipſum oxymel ſolum:Et,ſi fortius medicamẽ E
apponere uelis,adiice ſal,aut ex trochiſcis aliquem exquiſitiſſime tritum, qualis Andronis,& Polyidę
& Paſionis eſt.Et Muſæ medicamen ad hæc aptiſſimum,quod in Heræ ſectione ſcriptum eſt. Vtaris au
tem & his & alijs,quæ antea diximus,animum aduertens ad corpus ægroti. Nam, ſi ruſticum fuerit & A. ibidem.
durum natura,fortiſſima medicamenta deſiderat:fœmineum uero & molles carnes habens, imbecil-
liora.Sic & uiri,quicunq; & molles carnes habent,& balneas amant,& in ocio degunt, mollia exigunt
medicamenta:Neq; dubium eſt idem in pueris faciendum eſſe.Et, ſi quando etiam putrefactam atque
emortuam partem abſcideris,ut ſecurius agas, nuper dictis utere medicamentis, naturam corporum
ſimul attendens,atque eius inſuper partis,quæ male affecta eſt.Quædam enim ſunt,quę citiſſime ad pu
tredinem ueniunt:& ſatius eſt ob maiorem ſecuritatem,quando abſcindis aut circuncidis id, quod iã
putruit,eam quæ ueluti quædam radix eſt,ſanæ parti adiunctam,adurere,ſicuti ſæpius in pudendis fa-
cere conſueuimus,non nunquam quidem male affectis partibus,quæ adurunt,afferentes, quandoque
uero linamentum ante ſubmittentes.Facta uero aduſtione, ſolemus (ut noſti)uti ſucco porri: qui ubi
non adſit,his,quæ paulo ante diximus.Vbi uero tibi uidebitur his remedijs adhibitis ceſſare putredo,
ut cito cruſta excidat,medicamento,quod nominatur Cephalicum,cum melle utere. Melius uero &
ex hydrelæo panem decoquentes, uel farina hordeacea eodem modo parata, uel etiam cum ipſa mi- F
ſcendo triticeam,facere cataplaſma.Id etiam medicamentum, quod Tetrapharmacum nominatur, ac
præterea Macedonicum,ſunt cruſtarum ſuppurationibus,atque earum excidẽtijs accommodatiſſima.
Similiter autem & quæcunq; uim habent ad ſuppurationem perducendi. Et panis uero tritus cũ apio
uel ocymo optime cruſtas diſrumpit,& a ſanis partibus ſeparat.Ex ſimplicibus autem medicamentis
iris cum melle,uel radix panacis,uel ariſtolochiæ,uel acori.In mollibus uero corporibus ſufficit orobi
farina cum melle uel thure.Aufert autem & cruſtas Macherionis medicamentum, † & iris cum mel- †In græco,
le.Cum uero exciderint cruſtæ,huiuſmodi ulcera poſſunt quibuſcunque medicamentis, quæ carnẽ in- cod. legitur,
ducant,ad ſanitatem perduci. & iſis cũ mel
le.legitur ĩ,
& iſis, emmo
ta.

De Cancro & Elephantiaſi. *Cap.* 10.

CVm de his abunde dictum ſit,reliquum eſt,ut de cancroſis tumoribus diſſeramus,qui in omnibus
quidem partibus corporis fieri conſueuerunt, ſed in mamillis præſertim mulierum, quæ purga-
tionem ſecundum naturam non habent: quæ ubi modum ſeruauerit, tunc mulier integra fruitur ſani-
tate. Hi uero omnes præter naturam tumores ex melancholica ſuperfluitate generantur, de qua di-
ximus in commentarijs, in quibus de potentijs naturalibus egimus: Vbi oſtendimus hunc humo-
rem, dum ſanguis in hepate fit, fæcis uinariæ proportione generari: expurgari autem a ſplene,qui ex G
eo naturaliter habet alimentum. Cum igitur naturalis temperatura hunc humorem paucum gene-
rauerit, & ratio uictus adhibita confert, & ſplen ſatis attrahit ex eo, qui generatur, nulla huiuſmodi
ſuperfluitas in uenis coaceruatur. At, cum contraria eueniunt, tunc in uenis multiplicatur, & eas, de
quibus dicturi ſumus, facit ægritudines. Dico autem his, quæ diximus, contraria, ut ſcilicet hepar
ad generandum huiuſcemodi ſuperfluitatem ſit aptum: ſit etiam ratio uictus per tales adhibita cibos,
qui craſſum & fæculentum humorem procreare natura apti ſunt: ſplen uero ſit natura imbecillior, &,
quicquid de ea ſuperfluitate generatur, ad ſe minime trahere potens. In hoc uero corpore turbidus
fit,ac craſſeſcit is,qui in uenis continetur ſanguis,& non nunquam a uenis habentibus (ſicut & alia o-
mnia)uim excernendi id, quod extraneum eſt, per hæmorrhoidas excernitur. Sæpius autem & ad ua-
rices decumbit: Et quandoque ad cutem uniuerſam expellitur, ſitq; is morbus,quem Elephantem no A.l.4.f.3 t.
minant. Nam & aliquando ad alias corporis partes,quæ ceteris ſunt imbecilliores,humor iſte deferẽ, c.15.p.854.d
atq; euidenter apparent,quæ in illa parte ſunt,uenæ nigro ſanguine ac craſſo plenæ, quantoq; craſſior
fuerit ac nigrior, tanto deterior eſt paſſio. In mãmillis autem ſæpe uidimus tumorem forma ac figura
cancro animali exquiſite conſimilem.Nam,quemadmodum in iſto pedes ex utraque parte ſunt cor-
poris,ita in hoc morbo uenæ diſtenduntur,ac figuram omnino ſimilem cancro repræſentant. Hũc mor H
bum per ſui initia ſæpe ſanauimus.Sed,ubi in molem inſignem ſatis euectus eſt,nemo ſine manus ope-
re potuit curare.Itaque uniuerſæ chirurgiæ tumorem præter naturam excidentis intentio eſt totũ tu-
morem,qua partibus ſanis adhæret,circuncidere:ſed ob uaſorum magnitudinem, cum præſertim fue-
rint arteriæ,profluuij ſanguinis ſtatim periculum imminet: quòd ſi laqueis eas circumprehendas, ſym-
pathiæ, ideſt paſſiones per conſenſum,inſequuntur. Si autem & morbi radices exurere ſtatuas,neque
huic rei maximum periculum deeſt,cum prope principes partes ſit aduſtio. Hunc igitur morbum (ut A. ibidem.
diximus)in principio ſanauimus,& tunc præſertim,cum melancholicus humor non admodum craſſus
uidebatur exiſtere.Nam hic purgantibus medicamentis,ex quibus ſanitas ſequitur,prompte ſuccum-
bit.Neque obſcurum eſt huiuſmodi medicamenta debere eſſe euacuãdæ atræ bili accõmodata. Quod
tandiu faciendum eſt,donec ſanitas priſtina parti ſubſequatur,quando ratio uictus optimos generans
humores interim adhibeatur.In Alexandria quidem elephantis morbo plurimi corripiuntur propter
uictus modum & regionis feruorem.At in Germania & Myſia rariſſima hæc paſſio uidetur. Et apud
Scythas lactis potatores nunquam fere apparuit.In Alexandria uero plurimum generatur ob uictus
rationem.Comedunt enim farinam elixatam,& lentem,& cochleas,& plura ſalita, & non nulli ex ip-
ſis carnes aſininas,& alia quædam,quæ craſſum & melancholicum humorem generant.Nam,cum cir- A. ibidem.
cunſtans

A cunſtans aer calidus ſit,motus humorum agitur uerſus cutem.Huic igitur morbo,quas antea diximus,
conferunt purgationes.Quòd ſi & ætas & uirtus permiſerint,ſanguis prius mittendus eſt.In cãcris ue-
ro non inutile eſt,neque in iſtis,ubi nihil prohibet ſanguinem mittere,demum purgare:& ſi fuerint mu
lieres,menſtrua euocare,ſiquidem nondum quinquageſimum annum attigerint.Patienti autem partí-
culæ ſuccus ſolani imponatur,nam hoc medicamen ad huiuſmodi utile eſt.Quòd ſi nolit ægrotans me
dicamento adeo humido illiniri,cum præſertim domum exire cogatur ad conſueta negocia peragen-
da,medicamen ex pompholyge conſtãs,eſt imponendum, quo me uidiſti uti ad cancros exulceratos,
&,ſi hoc nõ adſit,adhibe alterum medicamentum noſtrũ,quod ex chalcite fit. In uictus uero ratione
ſuccus ptiſſanæ abundanter exhibendus,& ſerum lactis:& ex oleribus malua,atriplex,& bletũ:&,quã
do tempus tulerit cucurbitas, ipſis etiam eſt utẽdum:& piſcibus petroſis, & auibus omnibus,exceptis
paluſtribus.Sed his,qui elephantiam patiuntur,in uiperarum eſu eſt mirabile auxilium.Ita uero eas cõ
dire oportet,quemadmodum uidiſti Marſos,qui feris uenenatis & aſpidibus nutriuntur,Capite quidẽ
primum abſciſſo, & cauda uſque ad digitos quatuor: deinde omnibus interaneis exemptis, cu-
te etiam nimirum adempta:aqua deinde abluto corpore ipſarum. Sed neque aliter,cum theriacã anti-
dotum conficere uolumus,uſque ad hoc præparamus:ſed deinceps concoquimus differenter. In the-
B riaca quidem paululum anethi & pauci ſalis in aqua ponentes:In his autem,qui elephantiaſi laborãt,
in olla anguillarum modo præparantes ex albo iure.Fit autem hoc modo. Aqua abundanter in ollam
funditur & paucum olei,& cum hoc porrum & anethum adijcitur. Liquet autem,quod uiperarum car
nes ſunt decoquendæ,donec exquiſite molles reddantur.Ipſum etiam medicamentũ confectũ ex uipe
ris,quod theriacam appellant,optimum eſt ad potandum ijs,qui huiuſmodi morbo laborant,uel etiã,
ſicui libuerit,ad cutem oblinendam:nam,cum omnia hæc facta fuerint, non nunquam ſolet ſquama a
cute decidere,quale in ſerpentibus quod ſenium appellatur.

Strumarum, Meliceridum & Hydropum curatio. *Cap.* 11.

IN alijs autem tumoribus præter naturam non putaui oportere eam,quæ manu fit, curationem hoc
in loco ſcribendam,cum tu medicamenta probatiſſima a nobis acceperis. In Strumis enim ea, quę
aſtringere,& exiccare & puſ etiam facere poſſunt.In his autem,quæ Melicerides dicuntur,ea,quæ has
diſſoluendi uim habent,& quæ puſ reſoluunt,& aquam in ſcroto & abdomine, medicamenta accepi-
ſti,quibus etiam in aqua intercute laborantibus utaris.In his enim duplex intentio eſt,ſcilicet ut ſane-
tur tumor durus in uiſcere,& coaceruata humiditas diſſoluatur. At prius de induratorum uiſcerum cu
ratione dictum eſt:[ſed differunt cum talem tumorem partes patiuntur,& differentem exigunt curã.]
C Quare curatio hydropum ad has tres reducitur intentiones,ut ſanemus durum tumorem:qui in uiſce-
re eſt,ut ea apponamus,quæ humiditatem diſſoluunt,& medicamenta,quæ urinam mouent,in potu de
mus.Hæc quidem tibi,qui ad longam peregrinationem accingeris,ſatis eſſe arbitror. Si uero(ut inſti-
tui)librum de medicamentis ſecundum *morbos,& loca patientia compoſuero,illum in tuo reditu ha *Al. genera.
bebis.Sed & aliud opus magnum amicis expoſtulantibus exarabitur, in quo tota ars curandi conti-
netur. Quod ſi tibi peregre detineri diutius contigerit,ſingulos,qui a nobis ſcribentur,commentarí-
os ad te mittere non grauabimur.

GALENI DOCVMENTVM DE PVERO EPILEPTICO.

Nicolao Leonico Thomaeo Patauino interprete.

DIGo te Ceciliane exiſtimabã ad ægritudinem filij tui noſtris admonitionibus
haud quaquam indigere. nam qui prius ipſum uidit,& tecum Athenas iterũ
nauigaturus eſt Dionyſius,idoneus eſt & præſens facere ea quæ opus erunt:
& rurſus diſcedens, ad habitudinem ægritudinis condecentia documenta re
linquere. Ego autem qui nunquam puerum hunc uidi,forſan multum decipi
poſſem:cum neque a principio morbi qualis fuerit ipſius natura, neque nunc
qualis ob morbum ſit,cognouerim,ſed a uobis hoc tantum audierim epile-
pſiæ acceſſionibus puerum infeſtari.Verũ,ne forſitan me ſuſpiceris negligẽ-
tem magis quam ueridicum ſcriptionem hanc ſubterfugere :quod nũquam antea feci: laborem hunc
libens ſubibo,ut tibi rem gratam faciam, ſcribendo quædam medicinalia præcepta pueri epileptici.
in quibus neceſſe eſt medicæ artis imperitum decipi & aberrare circa menſuram uel tempus utendi.
Demonſtratum enim a nobis eſt in alijs libris quod non contingit quempiã recte mederi ne minimis
quidem ægritudinibus,nedum adeo magnis ut eſt epilepſia,niſi methodum aliquam curatiuã nouerit.
Atque Dionyſius mihi iam communicauit,& mecum prius conſiderauit de tota pueri curatione, quã
tu mihi impoſueris,ut hæc documenta conſcriberem,Dionyſioque meã tum ipſe ſnam facile manife
ſtaui,cũ intelligeret,oĩa quæ ego dicerẽ nihilq; ille obaudiret,ceu methodi curatiuæ ualde peritus.Te
cum uero neque quomodo ſermonem,inſtituam noui.nam accuratus diſtinctionibus multis indiget,
& obſcurior eſt quam imperito homini conueniat:breuis autem & manifeſtus haudquaquam accura-

tus esse potest. Quapropter subuerebar tibi documenta conscribere: quamuis rem tibi gratam facere E
percuperem: existimans mihi simile quippiam euenturum quale Phidiæ utique accidisset, si postquam
Palladis simulachrum absoluit, quispiam illum coegisset separatim digitum, manum, pedem, nasum, au
res, singulasq; corporis partes effingere. Ego uero methodum curatiuam tanquam quoddam simula-
chrum in pluribus commentarijs a nobis scriptâ fuisse arbitror, quæ nõ modo imperitos homines, sed
ne medicos quidem quoscunque iuuare non potest. Quoniam autem cogis me de parte una artis cura
tiuæ sermonem facere seorsum ab alijs: tuæ cedo uoluntati & pareo: atq; in tuam gratiam documenta
scribo: quæ tibi in hoc sufficient. satis enim est medicæ artis inexperto non magnum aliquid & irreme-
diabile, in medicorum præceptis committere, præcipue cum didiceris legitime uersari in his commen
tarijs. Eruditis igitur illis curatiuæ methodi negocium scriptum est: tibi autem & aliis, qui nonnullarũ
rationalium artium scientes estis, medicinæ autem inexperti, arbitror, fortasse nonnihil utilitatis & in
his commẽtariis, proueniet. Conabor autem quantum fieri poterit manifestissime enarrare quanã utẽs
puer diæta non parum iuuetur: & ab accidentibus quotidie ipsum inopinate inuadentibus minime læ-
datur. Cõuenit igitur in primis quantũ fieri potest hæc obseruare. Namq; puerum necesse est interdũ Cap. 2
occurrere magnis frigoribus, immensis caloribus, uentis ualidis, balneis malis, cibarijs caput tentan
tibus, rotarum obuolutionibus, coruscationibus præterea, & tonitruis, & uigilijs, & cruditatibus, tri- F
stitiæque etiam, & iracundiæ, & lassitudini, atque alijs huiuscemodi rebus, a quibus (ut summatim dicã) A.l.3.f.1.l
corpus uehementer moueri & perturbari solet: atque in reminiscentiam quandam morbi referri, & ad 5.c.9.p.14
generationem paroxysmi deduci. Hæc igitur conuenit, multo ante caueri. etsi quandoque his præcedẽ- A.
tibus paroxysmus succedet, tunc ab omni penitus motu oportet illum remouere, & domi continere,
& uictu ualde tenui illum nutrire, donec a paroxysmi incommodo liberetur. quis autem sit tenuis uic-
tus, quamuis arbitrer te cognoscere, tamen si ea quæ sequũtur perlegeris, aliquid etiam de ipso perci
pies. Tempus itaque est ut huiusce rei documenta tradere aggrediar. Accedente uere (nam ægritudi Cap. 3
nes quæ reuerti solent quodam modo tunc moueri contingit,) puerum purgandum affirmo mediocri
purgatione. huic autem purgationi Dionysius præsens moderabitur, & quæ opus erunt imperabit, ac-
curate cognoscẽs quo nam modo ad purgationem corpus præparare oporteat, & quo uti debeat phar
maco, qua ue quantitate, & in quo tempore: nam de his inter nos sæpe consultum est. Quare Athenis
præsentem habes Dionysium, sed nihilo minus cum ipso mentem simul & consilium habes meum.
Post purgationem autem quando recesserit Dionysius, & puer Athenis remanserit: hanc oportet ipsũ
uictus rationem obseruet. Cum a cubili mane surrexerit, antequam ad præceptorem accedat, mediо- G
cri deambulatione utatur, gressu non admodum frequenti. posthac autem usq; ad palestræ tempus, di-
sciplinis uacet quibus affueuit. quamprimum autem ab illis discesserit, ubi mediocriter rursus deambu
lauerit, ad pædotribam accedat. Hunc autem pædotribam si quempiam alium ex iis qui puero præsunt
multum oportet esse prudentem. sed talem inuenire difficile est: præsertim cum electio fieri debeat ex
hoĩbus ineruditis & ignaris; non minus aĩam quàm corpus hebetẽ & crassam habẽtibus. nõ igitur tan
q̃ paruũ hoc te fugiat: neq; cuiuis è populo pueri curam trãdas, probe cognoscẽs q̃ summa curationis
in hisce duobus uersatur, in usu uidelicet a me tibi dati pharmaci, & in exercitii modo. alia nanq; oĩa ho
rum sunt præparamenta quædam. Pędotribam igitur hunc tecum simul Dionysius eliget. Sit autem ip-
sius scopus in exercendo quo ad quantitatem quidem, ut puerũ anteq̃ defatigẽt cessare faciat, necnon
ut uniuersum corpus calefaciat, & mediocriter euacuet: ambo aũt in eodẽ t̃pe contingent. Quando.n.
quod superfluit sufficienter euacuatur, & quantum satis est corpus incalescit, tunc.si quispiam ab exerci
tio cessauerit, quiescet antequã in defatigationem incurrat. exercitium uero ab hoc tempore ultra, in
solida iam agit membra, & corporis habitum colliquat. aggregat aũt omne id quod colliquat in iunctu
ris maxime & musculis: ad hocq; sequitur uirtutis lassitudo, postea ulcerosus sensus, quando aliquã cor
poris partẽ mouere tentauerint, & hoc est ipsa lassitudo. Non solũ igitur pædotribã prudentẽ esse opor
tet, sed ẽt mediocris exercitij expertũ, ne citius quã par est puerum ab exercitio cessare faciat, secuturã H
timens lassitudinem, ne ue satagens calefacere, & complete quod superflui est euacuare, in lassitudinem
puerum ducat. Mediocrium igitur exercitiorum in quantitate huiuscemodi sunt scopi: In qualitate ue-
ro, ut corroborentur omnes corporis particulæ, maxime caput & uentriculus, & huius præcipue quod
ori circunstat. ut autem quispiam istud assequi possit, nunc dicam. Primo quoniã exercitia uehemẽtia A. ibidem
caput replent ab his abstinere præcipio. secundo si qñ his uti necesse fuerit, capite erecto quæ infra sunt
moueantur, & ex his maxime crura. tertio a paruis & tardis motionibus incipiat pædotriba, & sic ad ue
hementiores & celeriores motus deueniat. nam subito ab intensis exercitijs incipere non solum imbe-
cillibus, sed etiam robustis corporibus summe pernicioſum est. Considerare præterea oportet, quòd
fricationes exercitii loco habẽtur, maxime in corporibus imbecillibus: immo sæpenumero solæ, modo
recte fiant aliarum motionum uicem supplent. opus est autem primum manibus molliter cum sindone
a supernis partibus ad inferna delatis, corpus ad rubedinem deducere initio à brachijs & manibus fa-
cto, atq; ita ad pectus & uentrem deuenire. subinde etiam crura multum fricare conuenit: ut siquid ex
supernis partibus illuc fuerit deriuatũ, commode absumaẽ, postremo ad caput deueniendum est. nã sta-
tim a principio ad ipsum accedere periculoſum. corpore.n. adhuc pleno existentẽ; ad id quod primo
calefit, facile superfluitates attrahuntur. ultimo igitur loco post alias corporis partes, caput confricari
oportet,

A oportet, ut nunc diximus, absq; oleo. quando autem & oleum applicare libuerit, nihil prohibet capitis
fricationem simul cum alijs fieri membris. ut unus caput fricet: duo alij pectus & uentrem: & totidem
alij crura. sic autem & post exercitia: immo uero magis tunc, omnia simul cõfricentur membra: ita enim
celerius ad quietem corpus deducitur, & minus refrigeratur. oportet autem si de quapiam alia re, de
hac ipsa magnam curam habere. Non lauari autem, vt plurimum conuenit: neq; statim post exercitium
palæstram exire. sed postquam plane quieuerit spiritus, & ab exercitijs commotio prorsus cessauerit,
Cap. 4 atq; tunc etiam sindone caput multum fricare cõuenit, & sepænumero pectine uti. Post hæc autem ad
A.l.3.f.1.T. prandium eat, & prius quippiam ex ijs quę uentrem molliunt assumat, uel olus, uel sal samentum, uel
5.c.11.p.388. ptissanam, uel oliuas cum tertia parte panis. reliquas uero duas in cœnæ tempus seponat cum ualentio
D. ribus obsonijs. quæ autem huiusmodi existunt paulo post dicentur, si prius enarrauero ex olerum ge-
nere omnia quæ absq; nocumento sumi possunt. Ex oleribus igitur, nec à lactucis, nec à malua, nec ab
atriplice, nec à blito prorsus illum prohiberi iubeo, non tamen idem semper capiat uolo, uerum aliàs
aliud, moderate. ex eodem etiam est genere beta, & brassica. oportet enim etiam ex ijs quippiam mo-
derate gustare. porrum quin etiam interdum, & apium, & smyrnium degustare conferet: & de horarijs
fructibus quicunq; nõ sunt penitus crudi, aut suapte natura difficulter concoquuntur: ij nanq; & suas ip
B sorum superfluitates, & aliorum etiam esculentorum retinere consueuerunt. ergo & mora & quæ præ-
cocia nominantur, & ficus, & siqui sunt eiusmodi notæ, sine molestia descendunt. Et quæ cucurbita dici
tur, nihil ab oleribus uentrem mollientibus differre uidetur: item pepones cucumerini (nam qui tales
non sunt, praui sunt): maturæ ẽt uuæ aliquantulum quandoque puero concedi potest: mala uero & pira
raro & in parua quantitate degustet: & hæc ipsa non solum ut in arbore sua sint bene cocta, sed etiam
domi seruata ad maturationem recte peruenerint. Scire autem oportet eadem poma quæ recenter à
matre sunt decerpta, & quæ domi deposita reseruantur, permultum inter se differre: nullamque inter se-
se similitudinem habere. possunt autem conseruari poma piraque nec non plurimi etiam alij fructus,
& pruna quæ uocantur damascena, ficus quin etiam quas carycas uocant, ex huiusmodi sunt genere,
& ex arbore palma, dactyli, quorum comestionem penitus illi non interdico, sed opportune & modera
te illis uti permitto: assidue autem & multum illis uti minime uelim. Atque ut semel concludam, qui-
cunque mali succi sunt cibi, uel aluum astringunt, uel inflant, uel difficulter concoquuntur, si assidue
uel plusquam conueniat assumantur, non solum huic morbo, sed omnibus etiam aliis nocere solent, at-
que hucusq; sermo de diætæ modo protractus, alijs etiam quãplurimis ęgritudinibus conueniens erit:
C Huiusce autem morbi peculiaris & proprius est, ut caueamus ab ijs præcipue esculentis quæ pituitam
generant. unde in cibarijs, quæ tametsi in alijs non obsint, uisciosos, aut frigidos, aut crassos humores
generant, haudquaquam esse immorandum censeo. huiusmodi autem sunt atriplex, & blitum, & mal-
ua. quos sane ut gustet non prohibeo, assiduum autem eorum usum uehementer damno: ex hoc sunt ge
nere & cucurbitæ: multoque magis cucumeres, & poma, & pira: & demum quæcunq; humorem pitui
tosum gignunt, aut uiscosum, aut crassum, uel quæcunque sunt in genere pessimorum esculentorũ, qua-
les sunt qui uulgo appellantur fungi: ab ijs enim omnino abstinere consulo, quemadmodum & a rapis,
& a quibuscunque radicibus quæ mandi solent. crassos enim habent succos, & male concoquũtur:
exceptis quibusdam quæ acrimoniam quãdam & caliditatem in se habent, quemadmodum sunt dauci
& raphani: sed ex raphanis haudquaquam illum degustare prohibeo, uerum quodam intercedente spa-
tio: a dauco autem abstinere condiscat magisq; etiam a rapis. in esculentorum autem usu abundent il-
la quæ acria sunt, & uirtutem incidendi habent: dummodo insigniter non sint mali succi, odoremq; ha-
beant qui caput tentet. quorum ex genere sunt quæcunq; per caliditatem replent caput. quemadmo-
dum uinum; & sinapi, & petroselinum, & daucus, & cæpæ, & smyrnium. hæc enim ultra modum inflam
matiua sunt, & malos humores generantia. Sinapi uero licet conueniat ad humores crassos incidẽdos,
tamen ab eo abstinendum est, quoniam caput tentat. in oxymelitis autem usu secure confidat, etiam si
D quotidie sumere uelit. potest autem cappares ex illo comesse, & parua quædam salsamenta oleo modi-
co super infuso, ut cõcinnetur obsoniũ: quod profecto huiuscemodi ægritudinis, ueluti medicamentũ
quoddam reputari potest: præcipue si sit acetum scilla conditum: hoc omnes uulgo iam scilliticũ uocãt.
quod ego si quippiam aliud in hoc casu sane laudo. horum uero alterutrum singulis diebus assumere
contenderim, dico autem uel cappares uel salsamenta oxymelite condita. si uero puer oxymel bibere
uelit, id sit in promptu & ante præparatum, & non ex tempore ex utrisque crudis confectum. quo autẽ
modo ipsum præparare oportet, paulo post recensebimus. ceterum plurima aqua commisceatur. nam
quod sic factum est, suauius redditur. ac hyeme quidem calidum accipiatur: æstate uero non erit malũ
etiã si plerũq; frigidum sumatur, si & uehementes fuerint calores, & ipse uehementer sitiat, potuiq; fri-
gido assueuerit antea. nam inter alia sitim egregie sedat oxymel non ualde dulce, præsertim si aquæ fri-
gidæ misceatur. mihiq; non parum sæpe contingit puerum a comitiali morbo penitus liberasse, nõ im-
mutata uictus ratione, cum post primã purgationem oxymel sumere, eoque uti pharmaco iussissem. Ve
rum quoniam neq; filij tui naturam noui, nescioq; quãtum uirium is sibi ascuerit morbus, et ipse assiste
re nequeo, diuinare haudquaquã possum, quam pauciſſimis indigeat remedijs. Melius itaq; mihi uidet
de omnibus sermonẽ facere. Igitur post exercitium in prandio (ut dictum est) utatur et quibusdã oleri-
bus, et oliuis, et nucibus, et ficubus, cũ siccis, tum recentibus: uerũ non simul quotidie omnibus. unum

enim sit & simplex quod assumat: sed ut uictus ratio uariari possit,de omnibus uerba feci. eodem etiã E
tempore(ut dictum est)si desiderauerit puer,alij etiam fructus concedi illi possunt. cum alioqui ab ip
sis melius sit abstinere,ne dum morbi illius deuitandi causa,sed ad integram etiam totius ualetudinis in
columitatem: quemadmodum uides nos ferme ab omnibus horarijs fructibus abstinere. † [Verũ qñ
philosophis in præsentia salubris uictus præcepta non conscribimus,sane perquam optandũ erit si non
solum ad pueri curam hæc documenta, sed ad uniuersam illius uitam facere poterunt.] Est igitur illi
concedendum ut palam & tempestiue eos comedat fructus, quicunq; magni nõ fuerint nocumenti,ne
clam & intempestiue illos comedens, magis lædatur. qui enim palam ab aliqua re, quam ualde appe-
tunt,prohibentur,ij cum data est facultas,plus nimio ingurgitare se consueuerunt. quamobrem pueris
ego plura esculenta concedere soleo ex ijs quæ non ualde nocent, ut tempestiue & palam illis mode-
rate utantur potius quàm,ut diximus,propter uehemens desiderium furtim ex his & uoraciter assume-
re festinent. Atque hæc de cibi ratione sufficienter sint dicta. Post cibum autem ubi paululum tempo-
ris intermiserit, priusquam ad studia disciplinarum accedat leuiter deambulet censeo. & rursum ut id
ipsum a studijs rediens ante cœnam faciat sane consulo, quo tempore duas reliquas panis portiones
quas reseruauerat assumat, item aliorum unumquodq; sic (ut dictum est) carnes quidẽ ex omni fere
auium genere,præter palustres: ab omnium autem quadrupedum esu præcipue abstineat. Quòd si qñ F
illis uti necessitas fuerit, domestici quidem suis extremitatibus & stomacho uescatur, syluestris uero
carnibus uniuersis bene uti potest. hœdorum quinetiam carnes degustet, & nonnunquam leporum
etiam. carnes autem omnes sint uel simpliciter conditæ,uel sine nidore assæ: simpliciter condiuntur si
aqua incoquantur & anetho,porro,sale,& oleo concinnentur. quonam autem modo sine nidore recte
assetur caro,clibanum quod apud me uidisti, exemplo tibi esse potest. ex marino autem genere crusta
intecta quidem omnia nocua, & incommoda: ex piscibus uero optimi sunt ij qui in saxosis degunt lo-
cis. sumere etiam poterit ex ijs qui in alto degunt, quos pelagicos uocant. ex chartilagineo autẽ tor-
pedo fere sola conueniens est & commoda. ceterũ de leguminibus ptissana quidem præcipua est:hanc
sequitur lens,alica,& pisum: alia autem fere omnia mala. & ut uniuersaliter dicatur, quæcunq; uisco-
sum,& crassum generant succũ,uentosaq; sunt,& multarum superfluitatũ, necnon difficilis concoctio-
nis,sicut ante dicebamus,maxime sunt cauenda. ostrea quinetiam omnia,& chartilaginea ea quæ στεά-
χια uocantur,& squammis carent: præterea bulbi, & cochleæ, & caseus,& fungi,bouinæq; carnes: &
oua in aqua durata,cum difficilis sunt concoctionis, tum crassos generant succos. alica uero & carnes
suillæ bonum quidem generant sanguinem, sed uiscosum. palustria autem omnia superfluitates gene-
rant plurimas. legumina uero omnia uentosa sunt,& præcipue faba,& ciceres,ptissanaq; non diligẽter G
cocta,uentosa est. quamobrem bene coquere illam oportet, uel ea non uti. lens quoq; bene decocta
omnẽ ponit uentositatẽ: uerum illa non assidue crebrove uti oportet,quoniam humores generat cras-
sos. Ceterum ad uictus quotidiani rõnem hæc abunde sufficere possunt. Medicamẽto aũt ex scilla, qđ CAP. 6.
tibi tradidimus purgatione præmissa,quodq; primo uere fieri iussimus,singulis diebus secure filius tuus
utatur,prius quàm ad palæstram accedat. nam nisi ualde magna fuerit ægritudo,& occalluerit,sperã-
dum sane est in quadraginta dierum spatio hoc medicamento illam perfecte cessaturam. quoniã iam
innumeros pueros nulla ellebori opera sic curaui. uerũ post purgationem prius,quàm hoc uratur phar
maco,semel aut bis absinthium sumere oportet: De oxymelite autem ut dicamus,id certe acidissimũ CAP. 7.
esse censetur,quod ad mellis proportionẽ quartam aceti habet partẽ: dulcissimũ uero,quod octauam:
aliæ aũt intermediæ mensuræ quanto ad extremorũ alterutrũ appropinquant,tanto aciditatis aut dul-
cedinis participare uidentur. oportet autem ipsum penitus decoquere. ita .n. quæ miscentur, accura-
te in unum ambo deueniunt: & aciditatis uehementia,quæ in aceto est,retunditur:& quod in melle in
flatiuum est,castigatur: spumam .n. illius, qui recte decoquit, auferre debet. nec me præterea latet in
Græcia, & in plerisque locis insularum oxymel etiam ex fauis confici solere,quo etiam tibi secure uti
licet, puero præsertim æstiuo tempore Athenis degente. minime autem ad me in præsentia pertinet H
declarare, quando dulcius id, aut acidius, uel dilutius, aut meracius exhibere oportet: neque in alijs
particularibus immorari meum est, sed illius qui & præsens fuerit, & curandum corpus quotidie in-
spexerit, & de humorum habitu recte conjectari poterit. in crasis enim & uiscosis humoribus aci-
diori & meraciori oxymelite utendum est: in his autem qui huiusmodi non fuerint, dulciori & diluto
magis. eodem etiam modo reliqua quæ dicta sunt omnia, pro quotidianis corporum constitutioni-
bus commutare & uariare conuenit, quemadmodum et in omnibus alijs ægritudinibus facere con-
tingit. Quapropter siquis methodi curatiuæ ignaro & inexperto innumera etiam perscripserit docu- A. ibidem.
menta, haudquaquam illum sufficientem efficiet medicum non modo non maximarum ægritudinum,
sed ne minimarum quidem. Istud enim sæpenumero palam ostendi cum inueterata ulcera malasque
oculorum dispositiones ad sanitatem redegissem ijsdem sane medicamentis, quibus pleriq; ante me
usi nihil profecerant. Et profecto temporis opportunitas in usu uniuscuiusq; ut Hippocrati placuit,
post quantitatẽ ad uires diligenter accommodatã,reliquum utilitatis apportat. nam pharmaca potius
sunt iuuantium materia quàm iuuamenta,quemadmodum ẽt ab excellentibus asseueratur medicis. Et
meus quidem unde exordiũ sumpsit, finẽ accipiat sermo, haudquaquã fieri posse ut minimum quippiã
quod ad artẽ pertinet pertractare recte ualeat is, qui artis penitus sit ignarus & expers, sed illi semper CAP. 8.
assistentis

† At sane p
losophis sa
bris uictus
cumenta n
conscribim
quod ce
maximope
optarem,
solum ad h
ius affec
curationẽ s
ad uniuers
pueri tui
tam.
CAP. 5.

A.l.3.f.1.T
c.11.D

A assistentis periti opus esse. Verum quoniam plerique scillæ succum non recte conficiunt, quando id ti
bi etiam cognoscere cordi est,huic ego sermoni adiungam,quonam modo illum conficere sin solitus.
Vas quodpiam accipio a quo extractum fuerit mel. meliterium id Græci uocant:in quod scillam cõ
ijcio manibus prius illam in exiguas discerpens particulas. postea bene apto operculo illud obturans,
extrinsecusque pelle circundans, & diligenter colligans in loco quopiam meridiem spectante collo-
co,qui a borealibus omnino nõ perfletur uentis. id autem facere soleo ea anni parte,in qua caniculam
exoriri omnes asseuerant Græci:quadraginta autem huiuscemodi sunt dies:uiginti quidem ante, toti
demque post exortum. paulatimque in ijs diebus uas illud ad solem conuertere soleo, ut ex omni-
bus similiter partibus incalescat. transacto postmodum præstituto temporis spatio, uas illud ape-
riens, in illo reperire soleo scillæ partes elixis similes, succumque ex illis in uasis fundo quendam de
fluxum,quem colligẽs,quàm optimo melle cõcinno. Huius singulis diebus,cui dare uoluero, cochlea
ris pleni mensuram præbeo,pueris quidem minoris,adultis uero maioris. Quinetiam scillæ ipsius car
nes accurate contundens,illasque cum melle dissoluens,& conterens:ex illis cochleare unum ut dictũ
est,præbere consueui:quod sane quo ad uires & efficaciam secundum a prædicto locum obtinet. Ce-
terum quicunque scillam elixantes,illam postea conterunt, illius proculdubio uires resoluũt quemad
B modum,qui istud ipsum ex aceto faciunt,pharmacum quidem ualidum admodum conficiunt, uerum
neruis non innoxium.

GALENI QVOS PVRGARE CONVENIAT, QVIBVS PVRGATIONIBVS, ET QVO TEMPORE.

Io. Baptista Rasario interprete.

C SAna corpora difficiliter purgantur. nam & uertigine uexantur,& torquentur, & fit molesta purgatio:& celerius præterea exoluuntur. hæc autẽ omnia fiũt, quod purgans medicamentum proprium educere humorem cupiens, ipsum que non comperiẽs,sanguinem & carnes colliquat,ut ex eis quod suũ est,eli-
ciat. at qui sani adhuc sunt illi quidem, sed tamen nisi euacuentur, in morbos casuri sunt,præueniendi sunt,& ineunte uere uacuandi, uel misso sanguine, si ex multitudine, uel purgatione, si ex humorum corruptela capi morbis sole-
ant. Ac nos quidem & podagram,& articulorum dolores in principio,cũ non dum circum articulos tophum excitassent,huiusmodi euacuatione complures annos inhibuimus: eo demque modo plerosque attonitos,comitiales,melancholicos, & alijs eiusmodi diuturnis affectioni bus uexatos,prædicta euacuatione sanauimus. alijs itaque pituitam,alijs amaram bilim,alijs atrã,alijs serosa excrementa,ad essentiam eorum morborum, quibus capi consueuerunt,euacuari conducit. ac protinus melancholia quispiam,nisi purgatus fuerit,singulis annis capietur. hunc ego non solum uere, sed autumno etiam purgo. itemque fœminam,quæ in mamma cancrum habuit, quotannis ineũte ue-
re similiter purgandam curo:quam quidẽ ad sanitatẽ perduxi uehementer euacuando,usus medicamẽ to nigrã bilim expurgante. siq; assumpta purgatio non fuerit,sentit mammã altius dolore uexari. Quin etiam incipientem elephantiasin misso primum sanguine, & purgatione data,in alio curaui. deinde ei quoque unica singulis annis purgatio sufficit:eaque intermissa,morbũ statim reuocat. atq; hæ quidem
D ægritudines nigros humores purgari postulant:comitiales autem,attoniti,& asthmatici,pituito sos:ue lut dolores articulorũ,si cũ multo calore infestẽt,amarã bilẽ:si cum tumoribus frigidis,pituitã euacua ri postulant. Alius quidam æstiuo tẽpore tertiana semper corripiebatur:qui multos ab hinc annos in fe brim nõ incidit,sub finẽ ueris pallidã bilẽ nostro cõsilio ante purgãdo. hoc.n. tempore eiusmodi homi nes euacuare est melius:quemadmodum comitiales, arthriticos, & melancholicos, & quicunque ex humorum crassitie in morbos cadunt,ineunte uere præstat euacuare. Antequã autem medicamentum purgans exhibeamus,crassos humores attenuare,tenacesq; dissecare,ac meatus,per quos traduci,tra-
hiq; debent,aperire oportet,si purgatio sit optime successura,idq; cum in reliquis omnibus, tũ uel ma xime in ijs,qui elleborum sumunt. nã medicamenti uis,quæ diuellit,cũ excutit humores,qui altius af-
fectis partibus inhærent,& ob eã cãm diuturnis morbis prodest, facilius id facit humoribus prius atte nuatis. qui hoc negligunt,ijs molestæ purgationes succedunt,& cum torminibus, & interdũ cũ uertigine quadam,multaq; nausea,malo pulsu,exolutione,ac difficultate. eius autem,qui elleborũ sumptu-
rus est,prius experiri naturam debemus,quomodo ea ad supernas purgationes, hoc est, quæ uomiti-
bus fiunt, affecta sit. experiemur autem dandis ijs, quæ uomitum mediocriter prouocant. nam si ita non facile purgetur,non erit ad elleborum agendus,si non ante præparetur. præparatur autem uomitu ipso sæpius excito. cum ergo is,qui sumpturus elleborum sit, promptius uomere assueuerit,melius ẽt

fiet,si ante corpus humectabimus.humidum uero sit corpus,tum multo cibo, tum quiete. ac quietem E
quidem id facere,perspicuum est:quando,ut exercitatio membra exsiccare potest, ita,quies, cum ua-
catio quædam,& exercitationis uacuitas sit,humiditates conseruet.at cibus copiosior nō absolute hu
mectare aptus est,sed is denique qui uehementis qualitatis expers sit,hoc est,qui neque acerbus,neq;
acer,neque salsus,neque amarus sit.nos uero oxymeli quandoque potui dedimus, in quo ellebori al-
bi ramusculos per diem ac noctem raphanis infixos demiseramus, essetque hæc ellebori imbecilla
purgatio.Ceterum qui angustum thoracem,& iccirco pulmonem compressum habent,sunt ad uomē-
dum ineptissimi,cum alijs,quæ uomitum cient, tum præcipue elleboro albo. uasculum enim aliquod
ex ijs,quæ in instrumentis respirationis sunt,dissumpent.Præterea amaram bilem per superiora,pitui-
tam potius per inferiora purgare conuenit.quanquam interdum contra est faciendum, si pituita in uē
triculo, amara uero bilis in intestinis aceruata fuerit. at melancholicum succum per inferiora semper
educimus.Ac de anni quidem temporibus scriptum in aphorismis reliquit Hippocrates, æstate supe-
riores,hyeme inferiores partes medicamento purgandas esse.atque ad temporum anni proportionē,
regionum habenda est ratio:ut calore,frigoreque distinguantur.idemque de ætatibus esse sentiendū.
iam uero consuetudo quoque non parum facit ad indicandum euacuationem. nam qui uomere sunt
assueti,purgationem per superiora minus molestе ferunt:qui assueti non sunt,non sine periculo,& præ F
sertim elleboro,purgantur.sed par est etiam,ut genus morbi consideretur.nam cum corpus albidum,
& pituitosum totum appareat,quam hydropem leucophlegmatiam uocant, opus est medicamento,
quod pituitam educat:ac primum quidem per inferiora,postea per uomitus,postremo per ea,quæ per
nares & palatum pituitam trahunt. cum enim redundans humor in toto corpore sit diffusus, omnes
euacuationes admouebimus. si uero ascites sit hydrops, medicamentum, quod aquæ educendæ sit,
dabimus: quemadmodum in arquatis aliquid dandum est,quod bilem educat. nam & his bilem mul-
tis modis euocare oportet sursum, deorsum, per urinas,per palatū,per nares.ita etiā si melancholicus
succus redundarit, ut in melancholia, cancro, & elephantiasi, medicamentum, quo nigra bilis edu-
catur, exhibemus. nam in comitialibus utimur medicamentis pituitam extrahentibus. ex quibus est
perspicuum,a morbi conditione nobis ostendi & humorem euacuandum, & locum, per quem eundē
educere debeamus, ijs enim, quorum iecur inflammatione uexatur, simul atque concocta inflamma-
tio sit, purgationem adhibemus: ac per inferiora quidem, cum ea in simis iecoris partibus sit: per
urinas uero, cum in gibbis. ita quoque in reliquis spectabimus & humorem exuberantem, & affe-
ctum locum, ex quo tanquam causa quadam, morbus consurgit. hæc enim, & quis humor euacuan-
dus sit, & quomodo, & qua parte sit educendus, indicabunt: & ad hæc omnia, tempus etiam ac- G
commodatum commonstrabunt. nam inter initia, tenues & serosos humores uacuabis: concoctio-
nem uero expectabis, ubi crassi, & glutinosi fuerint, quales suapte natura sunt pituita, atque atra bi-
lis, accessiones quoque tibi euacuationis modum indicabunt: ut dum urget accessio, a superioribus
educas: ubi cesset, quæ remissio dicitur, ab inferioribus. nam sic etiam iuuant quæ per se in morbis
eueniunt: cum in accessionibus uomitus plerisque excitetur, & sanguis e naribus erumpat; in remis-
sionibus uero, lotium & aluus fluat. Tempora autem accessionum, & criticorum dierum maxime
obseruanda sunt, siquando purgationem per inferiora moliaris. nam si humores ad superiora pro-
pensi ferantur, uis medicamenti per inferiora purgantis impeditur. In ijs autem, qui iam ægro-
tant, si morbus diuturnus futurus est, expectanda semper erit concoctio: in acutis uero morbis,
cum turgeat materia, inter initia medicamento purgante uti licet: atque id ipsum cum magna ani-
maduersione, diligentique consideratione faciendum est. nam in acutis periculum non mediocre
est, ne purgatio male succedat, eo quod omnia medicamenta purgantia calidæ sint facultatis: & fe-
bris in eo quod febris est, & sui ratione, non sicca, nec calida, sed his maxime contraria, humida
frigidaque expostulet. non ergo febrilis caloris causa purgans medicamentum propinamus, quod
nos quoque quantum in ipso est, nocere scimus; uerum, ut humores febrem concitantes educamus. H
debet igitur maior utilitas prouenire infestis humoribus detractis, quàm sit noxa, quæ a medica-
mento expurgante corpori infligitur, necessario. prouenit autem utilitas, si & sine molestia, & om-
nis infestus humor euacuetur, quod ut fiat, considerandum prius est, utrum is, qui morbo laborat,
ad eam purgationem sit idoneus. etenim qui plerisque cruditatibus laborarint, crassisque ac tenaci-
bus edulijs uesci consueuerint, itemque quibus tensa hypochondria, inflataque sint, aut satis, su-
perque calida, atque feruentia, aut in eisdem locis inflammatio quædam sit, ij omnes ad purgatio-
nes sunt inepti: quamobrem dimittendi sunt. & ægrotantis humores, quoad eius fieri maxime po-
test, ad fluendum paratos esse oportet: hoc est tenues,& minime tenacitatis ullius participes:& mea-
tus, per quos est transitura purgatio, apertos esse. hæc enim nos ante paramus, cum aliquem sumus
purgaturi: at in acutis morbis, si statim inter initia, uel primo die, uel non ulterius secundo, purga-
tione usuri simus, turgente materia,nihil huic præparationi relinquitur loci: nisi quis forte occasio-
nem nactus sit mulsam potui dandi, in qua parum hyssopi, aut origani, aut tragorigani, aut thymi,
aut pulegij, aut aliquid eiusmodi attenuans sit incoctum. quocirca consentaneum est, ut in acutis
morbis raro purgante medicamento utamur: quod in principio non sæpe turgeant humores affli-
gentes, neque, si turgeant, ægrotus sit ad purgationem aptus: neque etiam nobis tempus sui paran

di

A di accommodatum præstet. Turgere autem dicuntur humores, cum motu uehementiore agitantur,
& ab uno loco in alium confluentes, in principio morbi, uexant hominem, doloresque ac titillatio-
nes afferendo,eum quiescere non sinunt.hos ergo humores euacuare conuenit, eos dico, qui in mo-
tu,latione,& fluxu sunt.qui uero in aliqua parte corporis iam consederunt,neque ullo alio auxilio,ne-
que medicamento purgante mouendi sunt prius,quàm concocti fuerint.tunc enim naturam etiā eua-
cuationi habebimus adiutricem.hæc enim simul atque humores concocti sunt,eosdem dimouere,idq;
quod superuacaneum est expellere conspicitur: quo sane tempore crises etiam fiunt. Verum cum na-
tura perfecte excernit,nullo præterea medicamento opus est.cum uero ipsa mediocriter, atque imbe-
cilius facit, quod deest supplere medici debent. Illud autem sciendū est, raro euenire, ut humores ab
uno membro ad aliud confluant,ac sæpius in uno aliquo membro quiescere,ibique manere,donec cō-
coquantur,toto morbi tempore,usque ad morbi solutionem. Cum igitur non solum morbus acutus
fuerit, sed etiam, cum uehementissima febri coniunctus, cauendum est, ne purgationem offeramus,
præcipue cum ægrotantis natura nobis sit ignota. nonnulli enim suapte natura difficulter purgantur,
nonnulli uero modica potione medicamenti epota,copiose purgantur. Cum igitur febris non sit ue-
hemens,tuque ægroti naturam noscas,medicamentum dabis.quam ad rem utitor elleboro nigro, aut
B alio quopiam simili,e quorum numero etiam est, quod ex colocynthide conficitur, quod usitato no-
mine hieram uocant.hæc autem eum uarie cōficiatur, ea quæ elleborum assumpsit, nec scammoneam
habet,præstantissimum medicamentum est in ijs,qui medicamentum subducens sumere omnino pos-
sunt.post assumptam uero purgationem,utile est ptissanam sorbere, quemadmodum ait Hippocrates,
ipsum enim purgans medicamentum,ut exiguum fuerit, in fundum uentriculi descendit: in descensu
uero cum gula,tum pars omnis sublimis uentriculi, non solum medicamenti purgantis qualitate, sed
substantia quoque in descensu appulsa inficitur, & magnopere læditur, ex quo fit, ut ptissanæ succus
utiliter absorbeatur,quippe qui abstergere,& inferius trahere possit:id, quod transeundo meatibus se
implicuit:& temperare,atque immutare medicamenti qualitatem,quæ membris insedit. quas ob res
iubet Hippocrates,ut post purgationis potionem ægroti ptissanam absorbeant:cum uero purgatio in-
cipit procedere ptissanam dari uetat,ueritus ne purgantis medicamenti actio dissoluatur.

Quot modis aluus non excernat,cum datum purgans medicamentum fuerit. *Cap.* 24.

C NOn excernit autem quandoque aluus, medicamento purgante exhibito; uel ob ægrotantis ho-
minis naturæ proprietatem,uel ob medicamenti dati exiguitatem.quandoque etiam stercus dē
satum,atque in aliquo intestino exsiccatum,cum clysteri educendum esset,antequam medicamentum
daretur,euacuationem impedit.potest quoque natura ad urinam uergente,purgans medicamentū ni-
hil facere,interdum etiam,cum euacuatio frustratur,præterquam quod corpori nihil noxæ affert,in ali
mentum etiam transit.interdum uero in perniciem mutatur,atque uenenum.

Quæ medicamentis purgantibus indantur. *Cap.* 25.

CVm omnia purgantia medicamenta uentriculum lædant, & eius os præcipue, quod ex neruis
quamplurimis constat, & acerrimum sensum habet, excogitatum est, ut medicamentis bene
olentia misceantur,ne sola,& sincera ipsorum uis uentriculi os attingat, talia autem esse debent semi-
na,quæ induntur,quæ & medicamenti malitiam retundant,& eius actionem impedire nō possint:q uæ
que attenuandi,& incidendi uim habeāt,ut & crassos humores secare,& uias, per quas educendi sunt,
aperire,ac patefacere queant. oportet etiam,ut commista medicamenta sibi inuicem consentiant, &
in nulla parte discrepent.dissentiunt autem non cum hoc bilem,illud pituitam forte euacuet, (utraq;
D enim pari modo euacuare possunt)sed cum hoc celeriter,illud tardius ab assumptione purgationē mo
uet.ita enim euacuatio inæqualiter fit,quamuis simul fuerint accepta.dico autem inæqualiter fieri pur
gationem,ut,cum ipsa desinere uideatur,alterius euacuationis initium exoritur.

GALENI DE VENÆ SECTIONE ADVERSVS ERASISTRATVM LIBER

DENVO AD GRÆCORVM EXEMPLARIVM FIDEM RECOGNITVS.

Iosepho Tectandro interprete.

ARGVMENTVM LIBRI.

Increpat Erasistratum, qui posthabito uenæ sectionis auxilio, neque efficacibus, neque tutis remedijs uteretur.

Aduersus Erasistratum, qui cum in minimis plerisque curiosus esset, semel tantum idque obiter, de venæ sectione mentionem fecit. Cap. 1.

MIHI equidem illud inquisitione quàm diligentissima dignum uidetur, cur nã Erasistratus, cum cetera quæ ad artem spectant, abunde satis pertractaret, ac circa minima quæque tantopere curiosus esset, ut & quorundam holerum cataplasmatumq; decoquendi rationem conscripserit (quorũ facultates usumque si unquam aliquis alius declarasset, non iniuria eorundem conficiendi rationem omittere potuisset, quandoquidem id nullius pretij sit, taleq; quod a quouis ex uulgaribus inueniri possit) de venæ sectione interim, tam potenti ac magno auxilio, quodq; uel ueterum sententia non minus efficacissimis remedijs extolleretur, ipse nullam mentionem fecerit. In illius enim operibus ferme ne nomen quidem unquam uenæ sectionis, præterquàm semel, reperiri potest, vbi ipsemet, quemadmodum unicuique considerare facile est, obiter potius præterquam instituto, quam studio insigni de sanguinis reiectione agens, illius meminit, id quod ex suis scriptis intelliges, quæ sic habent: Deligaturæ uero, quæ circa alas & inguina fiunt, non sunt faciendæ more quorundam, qui vulgatam curandi rationem imitantes, nihil aliud consequuntur, quàm quòd sanguinem uinculis abunde exprimant. Quod enim in deligatis corporis partibus sanguis plurimus recipiatur, ex uenarum tensione, earumq; sectione cõiectandum est: ex incisa siquidem corporis parte, cum ea deligata fuerit copiosior is effluit. Dum uero sanguinis reiectio contingit ex deligatura in tibiis ac brachiis facta, plurimum eius ibidem recipietur. Postquam etenim qui circa thoracis partes adest, diminutus fuerit sanguis, tum ipsa quoq; reiectio multo minor pauciorq; fiet. Hoc autem ipsum imitari conantur hi, qui sanguinis reiectione laborantibus, uenam secant. Sed in hac re Chrysippus multo consultius agit, quippe qui non solum præsentia inspiciat, sed etiam imminentis periculi curã gerat. Huic enim periculo quod in reiectione accidit, aliud ex inflammatione adhæret, in quo quidem offerre aliquid perquam difficile est: rursum autẽ ei qui a uenæ sectione famem longo tempore tolerare debeat, ne dissoluatur uerendum est. Ceterum Chrysippus simulatq; nutrimentum in corpore iam elaboratum in loca solutu difficilia transtulerit, & eo tempore quo dissolutionis periculum imminet, hoc pacto cibum differre possit, in promptu est. Et hac quidem ille medendi ratione usus nunquam offerre coactus est, ob idq; summa quæque ingenio superauit, ac quòd sibiipsi undequaq; constet, frequentissimas meruit laudes. Quòd autem nullius momenti hæc sint, & indigna omnibus modis, quæ uel ad Erasistrati solertiam, quam ille sibi in hac arte uendicat, uel ad auxilij uires referantur, cuilibet constat. Quandoquidem si neque apud Hippocratem [neq; apud Dioclem,] neq; apud Euryphontem, neq; penitus apud quenquam alium qui ætatem Erasistrati præcesserunt, tale genus auxilij in scriptis reperiretur, forte suspicari quis posset illum, tanquam de eo cuius usus nondum fuisset inuentus, aut apud celebres medicos approbatus, iure optimo uerba non fecisse. Verum cum permulti alij fuerint, quibus non in uno tantum eodemq; leui affectu, sed etiam in plurimis acutissimisq; frequens huius auxilij usus iam constiterat, ac eo pacto tum Hippocrates omnium bonorum artis medicæ auctor, tum uetustissimi quiq; illo usi esse animaduertuntur, qua quæso re Erasistratus commotus id adeo sprenit, ut ne rationem quidem ullam illius in enarrando habuerit? Etenim & quod illud non improbauerit ad certos affectus, reliquorum præsidiorum more, ipsum referendo indicare, & causam ob quam id probauerit præscribere eum oportebat. Atqui hic in huius præsidij uiribus enarrandis tantopere inops fuit, ut neq; significauerit recipiendus ne sit, an posthabendus usus illius, neq; unquam quid de illo sentiret proferre ausus fuerit, nisi in uno tantum, ut superius dictum est, affectu: quanquam uel ex iis quæ ipse reticet, opinionis suæ summam manifestam facere uidetur. Nequaquam enim, si usum illius probasset, silentio præteriisset. Neq; etiam cum minima quæuis quæ ad leuandos affectus accommoda erant, describenda putaret, hæc utpote tam magna, aliquem etiamsi ab eo non didicisset, propria opera consequi posse persuasum habebat.

Quibus

Quibus rationibus Erasistrati sectatores dogma de non secanda uena tuerentur. Cap. 2.

CAusa uero, ob quam uenæ sectione ipse non sit usus, fortassis diuinatione opus habere cuiquam uidebitur. Qui enim quis rescire possit quòd ea ipsa Erasistratus cognita habuerit, quorum nullã diffusa oratione ille mentionem fecerit? Nihilominus fuere nonnulli qui in explicanda illius sententia quæuis uaticinari conati sunt: uerum hi dum inter seipsos discrepant, in maximis erroribus uersari, manifeste sunt deprehensi. Nam nemini ex illis eadem stat sententia: & quod multo grauissimum est, neque ab ipsis Erasistrati commilitonibus, discipulisq; Chrysippi Cnidij, quo primum auctore de explodendo uenæ sectionis usu dogma suscitatum est, de illius sententia quicquam certi constitutũ est. Hæc autem quæ Apœmantes Stratoq; protulerunt plane ridicula sunt: uterq; enim dicit per difficile esse uenam secare, uel ob internotionem uasis, uel ob arteriæ incisionem: nocumentum quippe illico ingens imminere, si quando loco uenæ arteria diuidatur. His addunt quòd quandoq; aliquis præ timore mortuus sit, & alter etiam ante uasis sectionem, alter uero eo iam secto referri nunquam potuerit, tũ quòd quidam irreparabili sanguinis fluxu defecerit. Sed prætereo illa quoque, quæ à reliquis dicuntur, nam alij quidem eorum asserunt uacuationis mensuram coniectura assequi multo esse difficillimum, ideoq; necesse esse, ut aut diminute euacuanti nihil plus contingat: aut mediocritatem excedenti maxima impendeat noxa: (quid enim, aiunt illi, uenæ sectio modum exuperans, a cæde differt?) Alij uero dicunt, quòd cum transsultus spirituum (græce paremptosis) ex arterijs in uenas fiat, necessario inanitionem sanguinis per osculorum reserationem ipse spiritus sequatur. Sunt & alij qui affirmant uenarum euacuationem inflammationis affectu in arterijs iam constituto, plane superuacaneam esse. Atqui uniuersa talia quanquam credibilia alicui appareant, sunt tamen re uera falsa, indignaq; quibus adhiberi fides debeat: quæ his omnibus longe facilius habenda fuisset, si hæc in medium protulissent, quæ dicta fuerant a ceteris quibusdam, qui ex succorum natura disputandi initium deprompserunt. Et quanquam uel aduersus hos longiore sermone alicui conueniret instare, huius tamen rei impræsentiarum ea propter nulla est occasio, quia orationem sic in immensam prolixitatem excrescere oporteret: præterea nihil obstat quo minus ea quæ tum ab Erasistrato, tum a quouis alio ex Chrysippi discipulis dicta sunt, reprehendere aggrediamur.

Quæ fuerit Erasistrati opinio de ortu febris & inflammationis, ac de ipsarum medela. Cap. 3.

COmmodissime igitur sermonem mihi instruxisse uidebor, si prætermissis aliis ab ipsius Erasistrati placitis initium fecero, orationemq; ipsam quantum eius fieri potest breuissime absoluero. Ceterum ille arteriam spiritus, uenam autem sanguinis receptaculum esse asserit. Deinde uero ubi grandiora receptacula diuisa fuerint, magnitudine quidem illa diminui, numero autem effici plura: ac cum nullus locus detur ubi circa terminum unius, uas aliud non existat, illa undequaq; per corpus delata in tam minutos fines desinere, ut contentus in illis sanguis præ extremorum osculorum conniuentia intus retineatur: ob idq;, & si oscula uenarum arteriarumq; inter se uicina sint, sanguinem tamen proprijs terminis circunseptum, ac nullibi in uasa spiritalia insilientem permanere: & eousq; sane animal legibus naturæ dirigi. Simulatq; uero causa quædam uiolenta irruerit, tum sanguinem ipsum in arterias transferri, & animal iam necessario ægrotare. Causas item huius rei aliquas, præcipuamq; illarum sanguinis multitudinem esse, a quo & uenæ tunicam distendi referariq; fines, qui prius clausi fuerant, transfundi etiam in arterias sanguinem, qui postea spiritum a corde delatum perturbans, eiq; motum suum alteranti resistens, siquidem e directo atq; prope principem partem constiterit, iam id febrim esse, si autem ab ipso *retro repellatur, ac in finibus arteriarum condensetur, inflammationem tũ existere. Et talibus ille rationibus inflammationem ex plenitudine adstruit. Verum quæ ex uulneribus contingit, eam quo que sanguinis ex uenis in arterias transsultu causari ait, cuius rursum transsultus causam illam quæ ad euacuationem fit, successionem esse putat. Cum enim scissis arteriis, post inflictum uulnus spiritus uniuersus ex læsa parte effusus fuerit, & periculum instet ne uacuus fiat locus, sanguinem, illo tempore, D spiritus euacuati, quiq; locum illum prius replebat, gressum per osculorum reserationes consequi solere. Si ergo spiritus foras emissus fuerit, hunc quoq; effundi: occluso autem illo atq; obserato, etiam hunc ui spiritus a corde demandati impulsum, in locis uulneri uicinis cunctum coaceruari, & ea ratione inflammationem efficere. Sed concedamus age ipsi quæcunq; hoc tempore de febribus & inflammationibus dixit, uera omnia esse: nam alibi demonstrauimus ea nihil in se ueri continere. Doceat igitur ipse nos iam medicaminum seriem. Ait enim cum in multis alijs locis, tum in primis in tertio de febribus tractatu sic uerbatim: Circa ægritudinum igitur initia ac inflammationum generationes omnẽ sorbitionum oblationem auferre oportet: inflammationes enim, quæ febres faciunt, ut plurimũ ex repletione fiunt. Si itaq; hoc ipso tempore adiectiones concessæ fuerint, & concoctione distributioneq; suas actiones perficientibus, uasa alimento repleta fuerint, inflammationes multo uehementiores per sæpe fieri contingit. Hæc quidem ille de inflammationibus protulit, quæ citra uulnus ex plenitudine eueniunt. De illis uero, quæ ex uulnere suboriuntur, in primo de febribus libro denuo in hanc sententiam recenset: Istis aũt subsequunẽ medendi rationes, quo uulnera omnia ab inflammatione libera efficiant. Medicamenta. n. cum sanis partibus illinuntur, claudendo atq; obturando prohibent, ne sanguis desuper fusus in loca dissecta irruat: quandoquidem in illa, quæ affectu carent: eo quòd multæ arteriæ illic uenæque recludantur, sanguis, qui in arterias transilierat, facile in uenas quoque transumetur.

ἀπόστω. i. ante

Quamobrem

Quamobrem conſequens rurſus eſt,ut uulneratis nihil prorſus inflammationis tempore offeratur:ue- E
næ nanque,cum alimento uacuæ exiſtunt,longe facilius ſanguinem in arterias ingeſtum aſſumēt,quo ſane ita peracto inflammationes minus contingent.Proinde,quod multitudo euacuanda ſit, quodque uenæ diſtentæ ac repletæ,in ſeipſas iterato quicquam recipere non poſſint,aſſentire ipſi Eraſiſtrato nos fatemur:uerum,quonam pacto hæ euacuandæ ſint,in dubium à nobis uocatur.

Præſtantiorem ex venæ ſectione,quàm ex inedia fore vacuationem,quodq; Eraſiſtratus negligens fuerit in imitanda natura,ac ſcriptis Hippocratis legendis. Cap. 4.

POſtquam itaque euacuationem eſſe confeſſum iam ſemel ſit, ego eam omnium facillimam atque expeditiſſimam,uenæ ſectione perfici arbitror, utpote per quam ipſas etiam inflammationes ſolas celerrime euacuare poſſimus:cum e diuerſo inediæ,præterquam quòd longum tempus requirant, etiã uniuerſum habitum æqualiter euacuant. Atqui iſtud nequaquam conuenit: cur enim quis id euacuet quod euacuatione opus non habet? Aut cur eliquet carnes, cum ſanguinem ſubtrahere liceat? Vt interim noxas reticeam, quæ ex longis inedijs neceſſario euenire ſolent, ac uirtutem defatigatam, & ſuccos bilioſiores amarulentioreſq; redditos,frequentes item cordis morſus atq; inquietudinem, tũ deiectionum alui retentionem,& omnia denique excrementa acriora maligniorăq; effecta. Quorum Eraſiſtratus nihil animaduertens,cæcorum more, qui amplam compendioſamq; & planam uiã in pro- F
pinquo habentes,ſæpenumero anguſtam ac aſperam prolixamq; errabundi ineunt, & ipſe tam propinquam ſatiſq; expeditam & amœnam ſemitam ſpernens,ad impeditam illam ac longam ſeſe contulit: quippe qui hoc tantum conſiderauerit,num quo ipſe contendit,uiā eo uergat, non autem an compendioſe,& ſine periculo ducat.Nam,quòd uel inedia ad plenitudinis euacuationem conferat,ego quoq; conſentio,uerum longo tempore,magnoq; cum nocumento eam efficere id dico. Attamen ſapientem Eraſiſtratum,qui quorundam iudicio Hippocrati par eſſe uidetur,non puduit, quòd neglecto tam inſigni præſidio,nihil credibile aut rationi conſentaneum attulerit,quin potius, uelut de re abiectiſſima penituſq; nullius præcii,uerba fecerit. At Hippocrates ille medicus te, ò Eraſiſtrate nulla ex parte inferior,non ſic de uenæ ſectione pronunciauit,ſed,quæ tu uerbis ſaltem admiraris,ea ille opere palam eſt executus.Admiraris tu ſiquidem naturam ipſam, ut artificioſam ſimulq; prouidam animalis gubernatricem,nullibi tamen eam imitaris.Aut,cum illam plurimis morbis ſanguinis euacuatione medentem frequenter animaduerteris,cur ne in uno quidem unquam hoc idem tu ipſe feciſti?Cur etiam naturæ, quam laudas,opera ſilentio ſupprimis?Cur præterea,quando apud Hippocratem reperiſti multa hu- "
iuſmodi ſcripta:Mulieri ſanguinem uomēti menſtruis erumpentibus ſolutio. &, Ab atra bile habitis ſi- "
milem effectum hæmorrhoides præſtant.Sanguinis item fluxus copioſi,per nares ſoluuntur.apud te ni G "
hil tale,ſed unico ſolum uerbo laudata natura,opus autem illius nullibi ſcriptum reperitur. Porrò mihi ſufficiebat,ut opera illius antea ad perfectum addiſcerem,a quibus poſtea initio ſumpto ad inueſtigandum reperiendumq; id,quod æquum putabam,idoneus euaſi. Liceat ergo mihi uenia eorum, qui te admirantur,dicere,quod in conſpicuo eſt,quòd ſcilicet mihi aut modis omnibus demens, aut in naturæ operibus quam minime uerſatus eſſe uidearis. Alteri enim ex his duobus, uel quia illa nunquam cognouiſti,uel quia cognita iamdudum non ſis imitatus, obnoxius exiſti. Aut fortaſſis in cubiculo aliquo perpetuo deliteſcens,neq; aliquando ægrotum aliquem contemplatus, hæc ſcribebas: hincque adeo non iniuria naturæ opera ignoras,quæ alioqui pro extrema dementia tua ſemper es præpoſtere admiratus & imitatus: necnon,poſtquam ſcribendi prouinciam inijſti, legem ſcribendo es tranſgreſſus.Oportebat enim primum te opera naturæ mihi deſcribere,deinde declarare: & quæ illa integre ac perfecte proprijs conatibus incitata,& quæ morboſis cauſis præpedita diminute agat: nam huiuſmodi ratio uiam ad inuenienda medicamenta nobis ſuppeditat.Cum etenim didicero, quæ probe ab illa perficiuntur,ſuperaddito eo,in quo illa deficit,facile ei adiumento eſſe potero: rurſum,ſi ipſa nihil penitus mouet,id quod quandoq; morboſarum cauſarum uehementia ſuperata patitur, tũ ego illud omne ſuggerere enitar.Tu uero nihil horum indicans,domiq; te continens,ut qui forte ægrotorum uiſitationẽ, H
ut fertur,paruipendas,quod tibi uidebatur, ſcripſiſti. Ceterum ſi tu ipſe non perſpexeras,Hippocratis monumenta relegenti tibi addiſcere integrum erat,& quæ perfecte integreq;, ac ut ille loqui conſueuit,abſolute natura mouente iudicentur,& qua ratione illam quis iudicium non aggrediētem, pulcherrime imitari poſſit:quo etiam pacto aggredientem quidem eam,uerum debiliter mouentem a diuuare oporteat.Si enim in his exercitatus fuiſſes,talia te conſulente audirem,qualia apud Hippocratem quoque inaudio:Quæ iudicantur & iudicata ſunt integre, neq; mouere, neque nouare ſiue medicamentis, "
ſiue alijs irritationibus,ſed ſinere.Iſtud quidem habes proprium naturæ integræ mouentis præceptum: "
quod uero huic ſuccedit,naturæ & ipſum,uerum diminute ad iudicium mouenti congruit,eamq; ob rē "
illi auxilio eſſe iubens,dicit. Quæ ducere oportet,hæc,quo maxime natura uergit, per loca conferen- "
tia ducenda.Natura ſiquidem tunc temporis expellere conatur id, quod eam infeſtat: cum autem præ "
imbecillitate finem operi imponere non poſſit,noſtra auxilia implorat.Propterea etiam lateris inflam- "
matione laborantes curans,iuxta humorum uergentiam inanire eos conſueuit. Quid enim ait? Cum "
ergo dolor ad iugulum extenditur,aut grauitas in brachio,uel circa mammã, aut ſupra præcordia exi- "
ſtit, interna cubiti uena ſecanda eſt. Neque dubites copioſum detrahere ſanguinem, donec rubicun- "
dior multo,aut pro puro rubidoq; liuidus effluxerit,utrunq; enim contingit.At,ſi dolor ſub ſepto tran- "
ſuerſo

A ſuerſo fuerit, neq; ad iugulum aſcenderit,tum aluus uel nigro ueratro, uel peplio ſubducenda eſt. Rurſus uero in quopiam renalium affectionum concurſu præfatus: Et in rene dolor grauis per ilia uſq; ad coxas tendens e directo infert poplitem ſecare, hoc eſt, uenam,quæ in poplite eſt,incidere.

De uſu ſectionis venæ in frigidis, ac reliquis ex multitudine affectibus medicorum rationalium, Empiricorum, ipſiusque naturæ teſtimonio. Cap. 5.

" ILlud uero quo modo dictum eſt?Ex Margei famula ne ſanguis quidem prodijt,nam,ut filiolam hæc
" peperit,ilico os ad uertebras coxarum detortum eſt. Porrò dolor ex uena prope talum ſecta ceſſa-
" uit,quamuis tremores corpus iam occupaſſent. Atqui nunc ad occaſionem ipſam eiuſq; fomitē tranſeundum eſt. Hippocrates ſiquidem te & occaſionem morbi & generationem occaſionis perpendere iubet,id quod tu mea quidem ſententia multitudine ſanguinis præſertim moleſtiam inferente, non de alio quoquam,præterquam de uenæ ſectione dictum affirmare poſſis. Ergo præfatæ mulieri, licet iam tremore correpta eſſet, ille ſecare uenam non diſtulit, cum e diuerſo nemo alter in tremoribus æque, atq; hydropiſi,aliove frigido affectu ullo, ſanguinem detrahere unquam auſus fuit. In talibus enim ex calidi ſucci euacuatione adhuc multo magis corpus neceſſario refrigeratur, & innatus calor, qui per affectum antea quoq; frigefactus fuerat,extinguitur. Hippocrates uero,ut ipſemet fatetur,multi-
B tudinem ſanguinis ante ipſum affectum accumulatam conſiderauit: muliercula enim a purgamentis, quas ſecundas uocant,non fuerat expurgata. Fomes autem ſeu nutrimentum occaſionis, hoc eſt generatio,primaq; cauſa, ob quam non ſit probe expurgata, eſt ipſa contorſio uteri, qui ad coxas cõtortus fuerat. Proinde, cum retentio euacuationem, ſitus uero uteri locum,per quem euacuatio inſtituenda eſt, illi indicaret,uenam talo proximam incidit: talemq; Hippocrates ſeſe in cunctis præſtitit. Sed ne laudibus uirum hunc extollentes Eraſiſtratæos triſtitia afficiamus, ut qui ipſi, ante eosq; Eraſiſtratus, aduerſus illum inimico animo eſſe mihi uiſi ſint, miſſa faciamus nunc Hippocratis monumenta:alio enim tempore totam illius de euacuatione artem declarare conſtituimus: quin potius trãsferamus nos ad illos, quorum aliqui empiricam rationalemq; ſectam unà ſunt amplexi, quandoquidem ex his a uenæ ſectione abſtinere inuenio neminem. Nam inter dogmaticos, Dioclem ac Pliſtonicũ Dieuchenq; & Praxagoram,unà cum Philotimo atque Herophilo & Aſclepiade,uenę ſectione uſos fuiſſe compertum habeo: quanquam Aſclepiadeș contentionis adeo ſtudioſus fuit,ut omnia ferme priora dogmata laceſſiuerit, neq; alicui prioris ſeculi homini, immo ne Hippocrati quidem pepercerit, hincq; adeo ueterum medendi rationem, mortis meditationem nominare non ſit ueritus. Atqui neq; hic eo impudentiæ uenerat, ut uenæ ſectionem e medicinalium auxiliorum numero explodere auderet. Quinetiã
C neque inter recentiores aut uetuſtiores aliquis,non Athenæus,non Archigenes, neq; Agathinus,tum deniq; neque ex empiricorum cœtu quiſquam:hi enim cum nihil eorum obſeruent, quæ rationi cõſentanea ſunt,omniaq; experientia ſola decernant,tamen ex his neminem mihi proferre poteris. Quando autem iſti in omnibus aliis rebus fere diſſentientes, in hac ſola conueniant, mihi plane concordia ſuſpicione uacante nihil magis fide dignum eſſe uidetur. Sed,ne præ teſtiũ multitudine opera naturæ, quam tu.ſ.laudas,obſcuriora reddamus,mittamus hos,ſi lubet. Non ne ipſa mulieres cunctas ſingulo menſe euacuat,ſanguine ſuperfluo foras effuſo?Muliebre.n. genus, ut quod domi ageret,neque uehementibus laboribus exerceretur,aut ſub claro ſole uiueret,ac ob utraq; hæc multitudinem humorum coaceruaret,ipſam euacuationem plenitudinis,tanquam remedium naturale,obtinere opus habebat. Et unum quidem iſtud naturæ opus eſt: Alterum uero purgatio poſt partum contingens exiſtit: licet & fœtura ipſa,ſpecies ſit euacuationis. Nam ex ſanguine uteri conceptus nutriri ſolet. Tũ uero,poſtquam editus eſt fœtus,generatio lactis in mammillis,uacuatio hæc quoque eſt† [quantitate ſua] non parua:una ſiquidem & lactis & menſtruorum ſubſtantia eſt,amborumq;, ut quiſquam dixerit, riuorũ fontes communes,uenæ ſunt.Quamobrem,quibuſcunq; per ætatem menſes fluere ceſſarunt, his neque in mammilis lac amplius colligitur:quæcunq; etiam purgandi tempora adhuc habent, ac interea
D lactant,hę non purgantur.Præterea cum mulieri lactanti ſanguis per locos eruperit, illico lac huic euaneſcit.Ad hæc quæcunque animantia utero non gerunt, his neque lac unquam adeſt: rurſus quibus id ſuppetit,illa etiam ad concipiendum a natura idonea ſunt.At ſi iam addidiciſti quot commoda ex huiuſmodi euacuatione muliebre genus maneant,quotq; nocumenta ijſdem ſuppreſſis ſequantur, haud uideo qui ſufferas, quo minus ſanguinem ſuperabundantem modis omnibus euacuare acceleres.Mulier enim,Hippocrate teſte,podagra non laborat,niſi menſtrua defecerint. Sed cur ego contra hominem Hippocrati inimicum,uerbis Hippocratis utor?Velim itaque audias iam ueritatem ipſam me precone tibi denunciantem,quòd mulier ſi probe expurgetur,neque podagris,neq; articulorum doloribus,neq; lateris inflammationibus,neq; peripneumonijs capiatur: ſed neq; epilepſiæ,neq; apoplexiæ obnoxia ſit,aut ſpirationis uel uocis ablatione rite purgata ullo tempore infeſtetur. Num uero menſtruis fluentibus,aut phrenitide,aut lethargis,aut conuulſionibus,uel tremoribus,rigoribus ue mulier aliquando correpta eſt?Num etiam uel melancholia laborantem,aut mania uexatam,aut quæ ex thorace ſpueret,uel uomeret ex uentre ſanguinem,aut capite laborantem, aut ſynanche præfocatam, aut aliquibus id genus magnis & uehementibus affectibus impetitam, cui menſes recte excernerentur, quandoque conſpexiſti?Verum his retentis eam cuilibet malo implicari facile eſt, huicq; rurſum euacuationes medentur. Sed poſthabitis mulieribus te ad mares iam confer,ut diſcas.ſ.quod quibuſcunque

† τῷ πλήθει.

que pro consuetudine, superflua per hæmorrhoides euacuantur, hi omnes uitam morbis minime impeditam agunt: quibus item inanitiones supprimuntur, hi in pernicioſiſſima quæque labuntur. Vtrum igitur neq; horum ubi uel ſynanchen uel peripneumoniam incurrerint, ſanguinem euacuabis, aut potius ne deſciſcere uidearis ab ijs quæ perperam didiciſti, tot hominum interitum paruipendes? Tu fortaſſis hoc facies: ego autem non hæc ſolum, ſed etiam ſpaſmum hydropemq; ſanguinis euacuatione ſæpius ſum medicatus. In hunc.n. modum eruditus me tum longa experientia, tum ratio ipſa, quæ mihi ſuggeſſit ut occaſionem ipſam, eiuſq; momentum ſic inueſtigarem. Quòd autem experientia quoque iſtud me docuerit, ſi empiricorum commentaria legeris, ſcire poteris.

Communi hominum naturæ, ac brutorum quoq; animalium conſenſui, Eraſiſtratum, ac omnes, qui uenæ ſectionem paruipendunt, aduerſari. Cap. 6

NE igitur in poſterum cum Hippocrate ſolo (quòd euacuationem ſanguinis laudauerit, cum uel in tremorem, uel in hydropem, uel in alium quemuis frigidum affectum, mas quidem ob hæmorrhoidum, mulier uero ob menſium retentionem inciderit) tibi controuerſiam futuram rere, ſed & cũ uniuerſis medicis qui experientiam ſectantur, uel potius cum uniuerſa hominum uita. Videris enim tu communem omnium ſubuertere ſententiam, præſertimq; ſi neges quod a natura cuiq; inſitum ſit, ut conſiderare poſſit ſanguinem ob nimiam multitudinem euacuandum eſſe. Quis .n. contraria contrariorum eſſe remedia ignorat, ut quòd ſententia hæc non Hippocratis tantum, ſed omnium hominum communis ſit? Tu uero præ odio quod aduerſus Hippocratem concepiſti, mea quidem ſententia etiã alijs mũlto es dementior, idq; cum habeas naturam te ad hæc ipſa quotidie manu ducentem: nã hæc inediam adiectione, ac repletiones euacuationibus, & frigus calefactionibus, caloreſq; refrigerationibus curat. Quid enim aliud eſt offerre cibum, quàm plenitudinem ſuppeditare? quid rurſum excernere fæces, quàm inteſtina repleta exinanire? quid item meiere, quàm repletioni ueſicæ mederi? Pleraq; enim animantia frigore laceſsita, latebras ac calidos ſpecus in penetralibus terræ ſibi inueſtigant. Aliqua etiam æſtatis tempore calore anhela, ſeſe in aquã frigidã conijciunt, & in umbroſis locis uentoq; peruijs immorantur. Ego præterea frequenter uidi canẽ uomitũ ſibimet ſtudioſe prouocantem: auẽ quoque ægyptiam clyſtere imitatam: quæ omnia ab hominibus, ut qui ratione compotes ſint, multo faciliore conatu perficiuntur. Accerſe ergo hominem quempiam rei medicæ expertem, ad ægrotum qui bona ſit habitudine, iuuenis, multo abundans ſanguine, quiq; præ ſynanche aut peripneumonia ſuffocetur, poſtea hominem interroga ſiquid cognoſcat quod huic affectui ſuccurrere poſſit. Quis adeo demens eſt, ut ſanguinis euacuationem non pronunciet? Ceterum Eraſiſtratus ob contentionem quam aduerſus Hippocratem præ ſe fert, ne id quidem, quod communi omnium hominum ſuffragio receptum eſt, probare uidetur: & ea propter reperitur uel gruibus ipſis inſipientior: has ſiquidem æque atque aquilas, præ longo uſque ad ultimos terrarum terminos uolatu, partim frigus, partimq; æſtum euitantes, quo contraria contrariis ſemper propulſent, uidere licet. Atqui, ut & antea dictum eſt, perſpectum habere quòd ijs euacuandus ſit ſanguis, quibus ex eius multitudine periculum imminet, id præſtantiam artis Hippocraticæ nondum æquat: ego enim tum qua ratione, tum quo tempore, qua ve quantitate euacuatio inſtituenda ſit, mihi declarari mallem. Scire nanq; quando uel uenam quæ in fronte eſt, uel illas quæ in hirquis oculorum, ſeu ſub lingua exiſtunt, uel quæ humeraria uocatur, uel ſubalarem, uel quæ per poplitem penetrat, quæve prope talum adeſt, incidere oporteat (prout de his omnibus Hippocrates docuit) hoc ipſum ego ratiocinationem medicorum arbitror eſſe. Verum quod contraria contrarijs medicanda ſint, quodq; euacuatio repletioni opponatur, tantum abeſt ut admirer, ut etiam huiuſmodi cogitatione bruta animantia participare dicam. Si autem auribus apertis, aut animo potius, ac depoſita erga Hippocratem ſimultate, ueram rationem amplecti uolueris, aliquid iam quod illius arte dignum eſſet, dicere tibi poſſem. Eouſque enim Diocles Pliſtonicusque ac Herophilus, & Praxagoras atque Philotimus, necnon alij medici permulti inter ſe conſentiunt, quòd ipſi quidem non per ſeſe, uerum diuinum Hippocratem ſecuti repererint, quo tẽpore quæ libet uenæ, quas ſupra commemoraui, incidendæ eſſent. Ceterum quòd ab atra bile habitis ſimiliter hæmorrhoides conferant, etiamſi iſtud Hippocrates perſpicue docuerit, non tamen omnes ſciunt, ſed quicunq; ſyncere in illius ſcriptis uerſati ſunt: hi ſoli enim quomodo hæmorrhoides, dyſenteria ac uarices fiant ab ipſo perdidicerunt. Item quòd non ſemper horum unumquodq; ſi exiſtat, prohibendum eſt: ſed q; quandoque coadiuuandum: uel natura quieſcente (quando ſic confert) ei totum committẽdum, adeo ignorant illi qui dyſenteriam uaricesque & hæmorrhoides immature præpropereq; medicari diſcunt, ut & ea moliantur quæ facere nequaquam debebant. Porrò ego quoque uidi non paucos ob huiuſmodi euacuationes, quæ medicorum imperitia cohibitæ fuerant, aut atra bile, aut inſania uexatos: quorum aliqui quoque tum intercoſtali inflammatione, tum renali dolore correpti ſunt: nonnulli uero ex aluo ſanguinem uomebant, aut eundem tuſſiendo ex thorace ſpuebant, aut attonito morbo aquave intercutanea interibant. Hæc illa ſunt, quæ mea quidem ſententia medicus unà cum præclara euacuationis arte cognoſcere debet.

Sanguinis

Sanguinis miſſionem non modo non prohiberi, quia uacuandi ſanguinis quantitas ignoretur, ſed ceteris uacuationibus omnibus certiorem menſuram, ac tutius auxilium præbere. Cap. 7.

QVantum autem de ſanguine exuperante euacuandum, idq; cum non ſit magni momenti, cur Eraſiſtratus tanquam ex magnis quoddam contempſit? Aut cur homines illi aduerſus omnes obſtrepere paratiſſimi nugantur, cum illum incuſent, dicantq; euacuationis perinde atq; aliorum auxiliorum rationem ignoraſſe? Aut cuiuſnam, per deos immortales, illum adeo exquiſite tenere menſuram arbitrantur, ut neq; excedat in quantitate, neq; deficiat unquam? num clyſteris, aut purgantium medicamentorum alicuius, aut urinam cientium, uel cibi ullius potusve? Tempus itaq; eſſet ipſis, utpote omnia ſuſpicione infeſta reddentibus quieſcere omnino. Aut cur ergo Eraſiſtratus purgãtibus medicamentis utitur, ac uinum aqua frigida dilutum, tum alijs quibuſdam, tum maxime choleri cis exhibet, Chryſippumq; præceptorem ſuum, ut qui inuenerit præſidium nulli ueterum cognitum, quodq; & ſolum cholericos iam morti proximos reſtituere poſſit, his uerbis ſatis inuidioſe laudat?

« Non etenim quouis tempore id præbet, ſed uſum auxilii huius ad occaſionem uehemẽter præcipitem
« traduxit. Ego uero hac in re ipſum non accuſo, præſertim cum tam abſolute omnia quæ ad occaſionẽ ſpectant, diſquirat. Illud tamen in eo quis demirari poſſit, quod ſi quando Chryſippicum quicquam
B doceat, tum, ut ex uerbis eius colligere licet, uehementer ſit audax, nihilq; ipſum prorſus neq; momẽtum occaſionis, neq; menſuræ difficilis coniectura, neq; affectus periculum perterrefacit, ſed putet adeo exquiſite ſimul clareq; illum & menſuræ & occaſionis rationem docuiſſe, ut decreta ſua non modicis ſolum, uerum & popularibus uſui futura arbitretur. At rurſum cum ex ueteribus medicis aliquẽ ob rerum inuenta laudare opus habeat, illic undequaq; tergiuerſetur. Age ergo declaremus illis, quòd menſura in uenæ ſectione multo facilius deprehendatur quàm in ceteris quibuſuis auxilijs. Nã & coloris mutationem ſæpenumero diſpicere licet, hocq; duobus modis fieri poteſt, interdum quidem ſanguinem ipſum fluentem, interdum autem ægrotum conſiderando. Ad hæc animi quoq; defectio in plurimis affectibus uacuationis terminum obtinet, ſanguinis item fluentis uigor labeſcens, & pulſus mutati. Adde quòd & medicus huius ſolius euacuationis liberam habeat facultatem ſiſtendi quandocunque illi placuerit, aliorum autem nullius. Nam ubi dandum ſit aliquod medicamentũ, ſiue deiectoriũ, ſeu uomitoriũ, ſeu urinarum euacuatiuum, aut thoracis uel capitis purgatorium, horum ſcilicet omniũ prima exhibitio in tua poteſtate ſita eſt, cetera autem fortuna adminiſtratrice obtingunt. Ingens præterea in propinationibus pharmacorum periculum eſt, cum uel non commouetur purgatio, uel quod in aluum attractum eſt, non facile excernitur, uel cum dolore, morſibus, torminibus, refrigeratione,
C pulſuum euaneſcentia ac animi defectu exprimitur, uel cũ corpus uehementer perturbatur, interimq; paululum admodum euacuatur, aut euacuatio modum excedit: hoc enim ipſum tanquã omnium malorum extremũ in hac parte frequenter contingere ſolet. Neq; .n. ut uenæ inciſæ fluxum, quẽ ſuperimpoſito digito mox ſiſtes, ſic profluuium alui tibi ſiſtere licebit. Veruntamen nemo ex medicis ſuperuenientium ſymptomatum metu perculſus a propinatione pharmacorũ abſtinet, ſed poſtquam errorem commiſerit, tum demum cauendum ſibi ab illorum uſu proponit. Sed quid ego purgatoria refero, ac in enarratione fortium medicamentorũ tempus tero, cum & cibi cuiuſq; in menſura erratum maxima afferat nocumenta, quorum magnitudinem in extenuatis & imbecillibus hominibus, quiq; celeri nutritione egent conſiderare facile poſſumus. In his .n. ſiquid minus æquo nutriat, uirtutem tabidã reddet: contra ubi quid modum exuperans naturæ oneri potius quàm nutrimento fuerit, illam penitus ſuffocabit, extinguetq;. An igitur a cibi exhibitione abſtinebis, eo quod menſuram illius non ſine negocio aſſequi poſſis? Atqui ea quoq; ratione a medendi prouincia penitus abſtinebis, nihil .n. in medica arte reperias, quod niſi certa menſura uſurpatũ prodeſſe poterit. Ceterum in ſola uenæ ſectione ne hoc quidem culpare queas. Proinde errata, quæ utrinq; circa mediocritatem contingunt, non paruæ noxæ ſequuntur, maximeq; quia exceſſus pernicioſiſſimos eſſe nemo neget: verum in quo minus periculũ eſt,
D in eo excedere modum non fuerit neceſſe. Sit enim ſi ita ſors ferat, mediocris detractio trium heminarum, ubi ſi quatuor detraxeris, noxam maximam inferes: duas rurſum ſi euacuaueris, commodabit quidem id ſatis, læſionis uero nihil afferet: licebit nãq; tibi unam illam heminã uel clyſteribus, uel inedia, uel frictionibus, uel ſudoribus exhaurire, præterq; q & denuo detrahere ſi uoles, nõ uetaberis. Sed qua ratione ego tam multa in mediũ affero, contendere cupiens cũ hoĩbus inſulſis, qui ad hoc q nihil rationi conſonũ loquantur, ét ea ipſa non agnoſcunt, quæ ipſimet laudibus efferre ſolẽt? Admirãtur. n. dicta Eraſiſtrati, ac nomen ſibi ab illo uendicant, Eraſiſtratæos ſeſe appellantes: uerũ documentorum illius adeo ignari ſunt, ut quiduis potius q̃ ſniam illorũ enodare ualeant. De uenæ ergo ſectione tam prolixa tamq; abſurda nuganẽ, ut iure optimo quis non ſolũ imperitiã illorum, uerumetiã impudentiã deteſtari poſſit: quippe cum Eraſiſtratus in libro de ſanguinis reiectione, in quo ſolo uenæ ſectionis meminit, aperte dixerit, q Chryſippus ob id non utaẽ detractione ſanguinis, quo æger qui p p inflãmationes neceſſario in inedijs continetur, perdurare poſſit. Ipſi tñ nihil minus q̃ hoc dñt. Aut uĩs ne ea gratia ut homines hos Eraſiſtrato obtrectantes in poſterum quoq; audiamus, idq; cum uerba Eraſiſtrati in promptu nobis adſint? atqui hoc nequaquam æquum eſt. Audiamus ergo dicta ipſius, ubi ait: Multo conſultius agebat Chryſippus, non ſolum quod præſens erat inſpiciens, ſed & impendentis periculi curam
« agens. Hæret enim illi quod in reiectione contingit ex inflammatione periculum, in quo offerre non

facile

facile eſt. Ei uero qui poſt uenæ inciſionem longo tempore ſine cibo permanſerit, periculum eſt ne E »
diſſoluatur. Aperte enim illum a periculo, quod ex inedia accidit, cauere dicit, illudque neceſſario ſe-
cuturum putat, quia æger ob inflammationem fame longo tempore ſit excruciatus.

Perperam Eraſiſtratum in euacuatione, ac reuulſione, quæ inflammationibus medentur, inediam uenæ ſectioni prætuliſſe. *Cap.* 8.

HIc quoque nihil moror Eraſiſtratæos blatterantes cur ille hominibus inflammatione laborantibus nihil offerre iuſſerit, uerum ipſum Eraſiſtratum per uerba, quorum antea mentionem feci, ſe met interpretantem habeo: ex tertio nimirum de febribus, ubi de inflammationibus quæ ex plenitudine fiunt, diſſerit, & ex primo de uulneribus. In utriſque. n. commentarijs non ſemel, ſed ſæpe uenas quæ »
inedijs exinanitæ ſunt, ut ſanguinem affluentem denuo recipiant, aptiores fieri dicit. Quid enim ait? »
His uero conſequens eſt, ut uulneratis inflammationis tempore nihil offeramus: uenæ enim cum a nutrimento exinanitæ fuerint, ſanguinem qui in arterias tranſilijt, facilius ſuſcipient. Inedia ergo tanquã euacuatorium auxilium quoddam inflammationes diſcutit, eamque neque alia de cauſa inflammatione laborantibus iniungi dicit, quàm quod uenæ euacuatæ ſanguinem in arterias inſilientem ſic. facilius ſuſcipiant. Deinceps uero cum uenas euacuare uelit, poſſitque id, (ita me Dij ament,) ſine moleſtia ulla celeriterque perficere, longos ille inſumit labores. Verum ego non uideo quo pacto ſeipſum F
quis implicando magis prodere poſſit: Non ſecabo, inquit, uenam, ut æger ad ſuſtinendas inedias ſuffi
ciat. Porrò cuius rei gratia inflammatione correptos fame excrucias? ut, inquit, uenas exinaniam. Cur
ergo eas a principio non euacuaſti? Proinde pudet me iam hominis qui in tam grauia errata inciderit,
qui præter hæc, quibus tum perſpicuis ipſius artis decretis, tum ſuis proprijs rationibus repugnat,
etiam hoc ipſum ignorare deprehenſus ſit, qua de cauſa inediæ ſuſcipiantur: quanquam de uſu illarum
multo antea Praxagoras ſatis copioſe clareque ſcripſerit, tum Hippocrates & Diocles, quantum ad
hoc ſpectat, nihil prætermiſerint. Hic uero ita rudis eſt, ut inedias ſolas ad uenarum euacuationẽ aſſu-
mendas, eaque ſola ratione laborantibus ſuccurrendum putet: deinde, per Iouem, euacuatorio re-
medio opus habens, neglectis efficacibus illis, quæue quocunque quis uelit, celerrime ducere poſſint,
ad omnium leuiſſimum tranſeat. Verum age concedatur tibi & hoc, quod inflammationes ex uul-
neribus medicari eodem modo poſſint, quo & illæ quæ ex multitudine pendent, quid tandem facie-
mus cum multitudine ipſa quæ in uenis etiamnum manens eas extendit? aut etiam cum eadem in ar
terijs impacta fuerit, quonam pacto illi ſuccurrendum ſit? Ego ſane in huiuſmodi omnibus uenæ ina-
nitionem ſumme idoneam eſſe arbitror. Incumbat ergo in thoracem tanta multitudo, ut periculum
ſit ne aliquod uas in eo rumpatur, num uel ſic uenam non incidemus, aut membra potius laneis uin- G
culis excipiemus? Illi quidem iſtud medius fidius ſuffecerit, quandoquidem cum his loco reuulſiui
præſidij utendum cenſeret, non intellexit uenæ ſectionẽ in reuellendo multo eſſe efficaciorem: pluri-
mis enim irreſtringibili ſanguinis profluuio laborantibus, uena ſecta fluxum ſiſtimus. At Eraſiſtratum
hoc quoque ignoraſſe exiſtimo, nam non cuiuſuis hominis eſt ſcire quæ uenæ, cum ex aliqua corporis
parte ſanguis profluit, incidendæ ſint. Poſtquam igitur uenæ ſectio efficere quàm maxime ea omnia po
teſt, quibus hoc tempore indigemus, illum ſane euacuationem unà cum reuulſione prætermiſiſſe cer-
tum eſt. Quid ergo tu amplius ceſſas, tempuſque inaniter inſumis, & hominem conficis, cum poſſis illũ
uindicare, & a uaſorum ruptura, & quæ illam inſequitur inflammatione, & a famis cruciatibus, qui in-
ter remedia inflammationis a te inſtituuntur? Si enim multitudo rupturam efficit, tu illa euacuata id
quod futurum erat prohibebis, quod quidem ſi feceris, etiam ex ruptura inflammationem de medio
tolles: hac rurſum ſublata non amplius inediarum uſus nobis erit amplexandus. Tu autem eo quod ine
diam cuique conſulere cupis uideris mihi ipſemet affectuum qui inedia opus habeant auctor exiſte-
re. At fortaſſis graue tibi uidebatur, re quæ lædebat exinanita, nihil negocij deinceps præſtolari.

Inter remedia quæ multitudinem emendant, nihil uenæ ſectione præſtantius, qua omiſſa Eraſiſtratum neque inedia neque reliquis euacuatorijs præſidijs uti potuiſſe. *Cap.* 9. H

SEd fruſtra ego forte tantum laboris inſumo, quo præſentem hunc ſermonem tibi in memoriam re
digam. Sane enim tu ipſe nos docuiſti in primo de ſalutaribus libro, ubi de multitudinis generatio
ne quæ in uenis conſiſtit præfatus, illius quoque remedia ordine ſcribis, euacuationem ſcopum quidẽ
omnium ipſorum ſtatuens: aliud uero illius genus, alij affectui conferre inquiens. Præterea quæ exina
niant repletionem hoc eſt plethoran, (ſic enim alimenti multitudinem in uenis congeſtam appellandã
cenſes) tum exercitia, tum lauacra copioſa, tum ipſam tenuem uictus rationem eſſe iubes. Neq; idem
euacuatorium auxilium cunctis conferre dicis, ut quod neq; omnes omnium illorum uſui ſimul aſſue-
facti ſint: ſed alijs lauacra, alijs rurſum exercitia, nonnullis item uomitiones a cibo magis arrideant.
Ad hæc quod non ijſdem morbis omnes obnoxij ſint, uerum hic epilepſia, ille ſanguinis ſputo, alter ẽt
uel hepatis, uel lienis affectibus facile corripi poſſit. Nullo igitur pacto epilepticum quenquam balne
is euacuare attentabimus, id quod tu quoque cauendum recte putas. Etiam uero neque ſicui de uaſis
in thorace ruptura timor inſtet, huic exercitia iniungemus: periculum enim eſt ne illorum uehemen-
tia, etiamſi non adſit multitudo, ob uirium tamen imbecillitatem ipſius exercentis uena aliqua circa
thoracem rumpatur. Qua ergo ratione illi ſuccurrere debeamus, quæſo nos edoce: ſiquidem quod eua
cuandum ſit uel tuipſe fateris, hincque adeo euacuatoria illa præſidia, hoc eſt exercitia, lauacraque fre
quentia,

A quentia, & tenuem uictus rationem abs te habemus. Ceterum exercitijs ne tuipſe quidem uti putaue-
ris. Quod autem ad lauacra attinet, utendumne his in rebus ſic affectis, an nequaquam utendum ſit, tu
plane nihil pronunciaſti. Ego uero illud quod euidenter apparet experientia corroboratum, aperte di
cam: rum ſi de te quoque uaticinari mihi licuerit, quod tibi forte uiſum fuit, aperiam: Tu enim ipſe in
tractatu de ſanguinis reiectione, deligationibus, inedijſque uteris, tanquam quibus ſolis plenitudinẽ
reuellere, non autem balneis euacuare oporteat. Arbitror nanque te ubi uena iam rupta ſit, lauacra in-
hibiturum, cum interim reticueris ſi ubi futuræ rupturæ ſuſpitio adſit, uti illo uelis. Porrò ut tu aliter
ſentias, mihi nihilominus euidens illud ſatisfacit, quod uniuerſis ſanguinis fluxionibus ex balneo ma-
xima noxa contingat, & cauſa huius perſpicua eſt: Sanguis ſiquidem calido lauacro in uapores reſolui
tur, ac in ſpiritus redigitur, propterea aque ad motum incitatur & in tumorem attollitur: ad hæc corpo-
ra calidis lotionibus, mollia debiliaque efficiuntur. Qui igitur fieri poſſit, ut cum ipſa iam molliora ef-
fecta ſint, iſque qui ea rupit, motum ſimul tumoremque nactus ſit, non facile afficerentur? Proinde
haudquaquam per balnea illos euacuare conabimur, quibus ne propter multitudinem ſanguinis ue-
næ rumpantur, periculum impendet. Reliquum itaque eſt, ut ad tertium euacuatiuorum auxiliorum ge
nus, puta tenuem diætam, confugiamus. Age ſane poſtquam hanc quoque tribus modis operatus fue
B ris, nempe tenues paucoſue, aut nihil nutrientes cibos offerens, uel nequaquam offerens, uel a cœna
uomitum iniungens uideamus in primis quomodo tenuiter cibabimus: nunquid ſumpta cœna uomi-
tum prouocantes? Atqui ſi modo quadantenus ipſis uomitionibus intrepide uti uolemus, ſic exerci-
tiorum uehementiam nos euitare oportebit: hoc enim neque plebeium quenquã latet. Supereſt ergo
ut uel inediam præcipiamus, aut pauca nutritionisque expertia alimenta exhibeamus. Verum hæc
quamuis non inſigniter, nutriunt tñ & ipſa: nos uero non addere aliquid ſed auferre potius cupimus.
Vltimo igitur laborioſam illam ac re uera perniciоſam, æque atque ſacram aliquam ancoram, quæq;
oĩbus affectibus opitulari poſſit, famem accerſemus, ac deinceps & Apollonium & Dexippum ea gra
tia maledictis inceſſemus? At hic te recordari percuperem illorum quæ ipſe de hac re docueris: nam
tuipſe de inedia ſic uideris ſentire, tanquam ea ex numero euacuatiuorũ auxiliorũ nequaquã eſſe poſ-
ſit. Verum ſimulac prius quod uolo demonſtrauero, tum & teſtimoniorũ quæ adducis, faciã mentionẽ.
Nã inedia inter res exiſtentes nullũ obtinet locũ, nihiloq; magis ſubſiſtit quàm uel cæcitas uel ſurdi-
tas, quæ oĩa rerũ exiſtentiũ priuationes ſunt. Ipſa. n. ciborũ adiectio ex rebus conſiſtẽtibus eſt, unde &
hanc opuſque eius, corporis nutritionẽ eſſe inuenies: rurſum ſubtractio eorundem, non eadẽ cũ rebus
exiſtentibus eſt. Neq; ẽt proferre poteris aliquod opus illius, qualis. ſilla eſt quæ in ſudoribus uenæq;
C ſectione ac clyſteribus cõtingit euacuatio, necnõ in edulijs nutritio. Media igitur amborũ, hoc eſt eua
cuationis & nutritionis, inedia eſt, ut quæ neq; nutriat, neq; euacuet. Quamobrẽ ergo ille multos ob
inopiã ciborũ famis tẽpore interiiſſe dixit? Nõ mehercule ob inopiã ciborũ reſpõdebimus, nã eadem
quoq; rõne animãtia in latebris degẽtia ſine ciborũ copia pdurare nequaquã poſſent. Perdurant uero
hæc, idq; ipſomet Eraſiſtrato aſſerẽte, qui & cãm huius rei affert. Vniuerſa nãque aĩalia p exteriorẽ cu
tis ſuperficiẽ, ſecundũ quod magis uel minus de raritate participãt, trãſpirare ait. Quod autẽ uel ma-
gis uel minus rara ſuperficies contingat, tũ multas alias cãs eſſe, tum illas non minimas, quæ ſecundũ
caliditatẽ & frigiditatẽ, ac quietẽ motumq; corporũ permutationes fiunt. Si. n. qui nos ambit aer cali-
dus exiſtit, & animans exercitijs uacauerit, plurimũ tũc ex eo defluere cõtingit. At in contrario rerum
ſtatu, ubi uidelicet ambiens nos frigidus, inſuperque animal ſine motu degat, dẽſari illico exteriorẽ ſu
perficiẽ, defluereq; nihil prorſus aut undequaq; parũ: & ob id feræ quæcunq; latibula incolunt, alimen
tis opus nõ habẽt. Cum. n. hæ ſub hybernum frigus, quo tempore in cauernis commorantur, toto cor-
pore frigidæ ſegneſq; ac dẽſæ ob quietẽ redditæ ſint, & exterior ſuperficies iam adſtricta fuerit, nihil
tũc defluere par eſt, neq; etiã quod euacuatũ eſt, repletione indigere, alioqui nutrimento opus haberẽt
ad quod inueſtigandũ eapropter incitantur, quo defectui, quem ex inanitione perceperunt, opem fe
D rant. Pater ergo hinc quod & euacuatio, quæ in tota ſuperficie contingit, defectus ſit cauſa: & indigen-
tia ciborum ideo incumbat, quia quod inanitum eſt, repleri denuo deſideret. Atqui poſtea quam cauſa
defecerit, ob quam ſolam animalia cibis indigebant, neceſſarium omnino eſt, ut & indigentia ipſa unà
deficiat: atque ea de cauſa animalia latebras incolentia ſine cibis degere poſſunt, ſiquidem neque adie
ctione indigent. Manifeſte itaq; didicimus, quod nõ inedia, ſed potius raritas cutis euacuet, quam ſi
frigore atq; quiete denſaueris, quid cõmodi amplius ex fame expectabis? Præterea cui de ſanguinis
ſputo periculũ imminet, neceſſario tum exercitia, tum oẽs ſupercalfactiones euitandę erunt: ex uehe-
mentia etenim horum uenæ rumpi plerumque poſſunt. Supercalfactiones item hiſdem modis quibus
& lauacra obſunt. Corpus ergo citra ullam calfactionem euacuabis: ſi. n. id uel lauacris, uel exercitijs
calfeceris, ipſas uenas ad ruptionem dudum inclinatas maiorem in modum lędes. Quæ ergo ſic affe-
ctis conſulendi ratio nobis ſupereſt? Inediæ nanque niſi hominem exercitari, aut quouis modo cal-
fieri contigerit, euacuare non poſſunt, uenæ uero ſectionẽ ueluti & alia fortiter purgantia medicamen
ta, quem admodum manifeſte apparet, ſumme arbitror fugimus. Hæc eſt illa admirabilis ſanè euacuã-
tium præſidiorum opulentia, qua abundant hi qui ad inediã confugerunt, quaq; ſola ſi utemur, iã no-
bis nihil reliqui fecimus, ut quod ſola euacuare nullo modo poſsit, rurſum quibus adiuncta euacuat, ea
ipſa maiores longe noxas quàm commoda ex euacuatione portendunt.

GALENI

GALENI DE VENÆ SECTIONE ADVERSVS ERASISTRATAEOS QVI ROMAE DEGEBANT LIBER,

Iosepho Tectandro interprete.

DENVO AD GRAECORVM EXEMPLARIVM FIDEM RECOGNITVS.

ARGVMENTVM LIBRI.

Ostendit nunquam vsum fuisse Erasistratum venæ sectione, & quod cum id non intellexissent eius sectatores, tum inuicem sunt aduersati, tum in grauissimos errores inciderunt.

Quibus de causis Galenus Erasistratæos Romæ coactus est redarguere. Cap. I.

VM Romam initio uenissem, incidi in medicos quosdam, qui a uenæ sectione tantopere abhorrebant, ut cum aliquando æger quispiam propter plenitudinem iam præfocaretur, ne tum quidem hoc auxilio uti uellent. Præterea mulierculam quandam, quæ uiginti uniusq; annorum ætatem agebat, ac ex menstruæ purgationis retentione faciem rubicundam obtinebat, tussiebatq; paululum, & difficulter spirabat, illi curare adorti, primum quidem membra illius laneis uinculis leniter excipiebant, & in inedia exigere iubebãt, uenam autem secare nolebant, nosq; id facere uolentes prohibebant. Quia uero domesticis ipsius mulieris familiariter utebantur, & ætate me erant multo superiores, facile ipsis est habita fides. Ego quidem illis uenæ sectionem tum temporis suadere non constitueram, interrogaui tamẽ num mihi per eos liceret sanguinem ad uias uteri, remedijs quæ hoc efficere possent, prouocare: quod cum illi concederent, illico adij familiarem ipsius ægrotæ obstetricem, quã & exhortatus sum, ut usum illorum experiretur. Verum illa remedijs huiusmodi, tempore quo factum id oportebat, usam fuisse se G affirmabat, quando scilicet menstrua purgatio futura in expectatione erat: recitabatque remedia ordine, quæ mulieri obtulisset: & hæc quidem commoda alioqui erant, eamq; ob rem quo minus efficacia fuissent, nequaquam illorum imbecillitate factum esse uidebatur. Postquam igitur ego ista percepissem, simulq; a retentione sanguinis quartum iam mensem præterijsse animaduerterem, denuo cum me dicis illis congressus, ut ad uenæ sectionem sese conuerterent persuadere eis conabar. Cum autem id facere noluissent, illorum animum demirabar, maximeq; quia eniterentur, ut omni conatu apertis circa uterum uenis quamplurimis sanguinem superfluum illinc euacuarent: si uero alia quæpiam uena secaretur, noxiam ex eo euacuationem euenturam arbitrarentur. At his respondentibus, quòd uel absq; tali auxilij præsentia sanguis exuperans sola inedia euacuari possit, taciturnus discedebam, nihil bonæ spei de muliere propter tussim ac spirandi difficultatem concipiens. Aut enim rupto uase ipsam ex thorace pulmone ne sanguinem spuro electuram, aut synanche, uel laterali inflãmatione, uel peripneumonia correptam iri præmeditabar: optabamq; uotis omnibus, ueluti in delectu malorum fieri contingit, ut mulier laterali saltem inflammatione laboraret. Incutiebat quippe mihi terrorem tum uehementia periculi, quòd ex synanche peripneumoniaq; subitura esset, tum ex ruptione uasis in pulmone letale nocumentum, id quod postea re ipsa est subsecutum. Dum enim illa uehementius tussiret, sanguis H etiam unà extrorsum ferebatur. Atqui iam uel uulgo non pauci medicos obiurgabant, quòd illi mulier culæ uenam incidere uetuissent, sperabantq; omnino futurum, ut etiamsi id prius non fecerint, hoc tamen tempore uerecundia ducti, usum præfati auxilij concederent. Ceterum cum hi neque tum quicquam commouerentur, sed potius uincula membrorum fortius adstringerent: iuberentq; uterum remedijs irritare, ac mulierem inedias sustinere, ego & ob ætatem & celebre nomen uirorum, nihil me amplius profecturum credens, illinc discessi. Mulier quoq; ipsa non ita multo tempore interiecto, insanabili spirationis difficultate coercita interijt. Synanchici præterea nonnulli ubi eis a uenæ sectione interdictum esset, illorum opera perierunt quam celerrime. Fuit & alter quispiam, qui ueris tempore, cũ per totam hyemem magnopere repletus sine exercitijs degeret, ac totam faciem una cum ipsis oculis adeo rubicundã haberet, quemadmodum si quis pronus capite in terram defixo, cruribusq; in altum protensis sub huiusmodi figura perseueret, quinto tandem die præ anhelitus difficultate suffocatus est. Hos etiam insecuta est mulier, numero quarta, qua illi uenæ sectionis hostes, retentione menstruæ purgationis non pauco tempore grauatam, eodem pacto ad interitum fere pertraxerant. Nam primis tribus diebus ipsam in inedia conseruabant, febri enim continua laborabat. Quarta uero luce pauxillum quid sorbitionis exhibentes, quintam sine cibis transigere iusserunt, in qua illa grauissime exacerbata

delipiens

A desipiens prosiliebat, & clamore iam extra fores ab illa sublato, uix tandem ab his qui eo confluxerãt retineri potuit. Verum hanc natura copioso sanguine ex naribus effuso seruauit: & dabatur occasio qua non sine admiratione discere poteramus, quantam habeat facultatem ad huiusmodi affectuũ medelam ipsa sanguinis subtractio: mox enim post sanguinis e naribus proruptionem mulier ab omnibus symptomatis libera euasit. Ego uero, quanquam antea sermonem cum medicis instituere ueritus fueram, quòd ea considerarem quæ illi pro non admittendo uenæ sectionis usu dicturi fuissent: cum tamẽ omnes animaduerterent mulierem manifeste ex sanguinis euacuatione seruatam esse, saltem mortuos illos ad memoriam eis reuocandos duxi, quibus siquis uenam secuisset, forte fuissent & ipsi seruati, afferebantq; ad hæc rationes quasdam. Hi uero uerba ultro citroq; inuoluentes seipsos implicabant, nihilq; prorsus certi statuebant, ac postremo ad Erasistratum confugiebant, quem utpote primo de resectione sanguinis libro dicebant declarasse, quòd uincire ipsa membra, quàm uenã secare longe præstaret. Aiebant præterea illum in opere quod de febribus inscripsit, uenæ sectionis neque a principio meminisse, cum alioqui ea omnia recensuerit quæ de sanguinis reiectione indicauerat. Ridendus enim modis omnibus esset, si uenæ sectione in eo affectu qui ea maxime indigere uidebatur omissa, de alijs, uerba facere non destitisset. Asserebant quoq; quòd Erasistratus ipse non solum in opere de febribus, B uerum & in reliquis tractatibus omnibus, uenæ sectionem reticuerit: neq; etenim uel in quo de affectibus alui tractat, uel in quo de resolutionibus, uel ubi de podagricis morbis differit, aut cum de salutaribus agit, uenæ sectionis auxilio usus est unquam, idq; cũ ille in de salutaribus tractatu sanguinis multitudinem præcipuam morborum causam esse arbitratus sit. Porrò ego ea quæ dicebant iterum demiratus, illos de hac saltem re interrogabam, num prorsus uenæ sectione non utendum censerent, uel cũ quis pulmonis ulceratione laboraret, uel synanches more præfocaretur, uel ubi menstrua purgatione, hæmorrhoidibusve suppressis sanguis redundans ad partes thoracis propelleretur. Illi autem ad hæc respondebant, ægrotos qui ab Erasistrato in commentarijs de diuisionibus descripti fuerant nobis in medium adducentes: inter quos in primis Critonem quendam, ac puellam ex Chio oriundam proferebant. Et quòd illum quidem a principio synanchicis cruciatibus correptum, atq; uehementer repletum, hanc uero menstruis retentis, sanguinisq; multitudine uersus pulmonem impetu delato, Erasistratus (quemadmodum ipsemet in scriptis testatur) per uenæ sectionem nũquam curasset. Ceterum cum illi hęc adhuc loquerentur, superueniens Teuthras quispiam ciuis & commilito meus, ut erat moribus plane ingenuis, Non flectes istos unquam, inquit, ut qui eousq; stoliditatis processerint, ut & illos in memoriam reuocent, qui Erasistrati opera interiere. Quid enim inquit, aliud in causa esse potuit, quòd C illi, quos nobis isti proponunt, tam propere perierint, nisi quòd in eis prætermissum sit uenæ sectionis auxilium? Cur item alij permulti interierunt, qui per tempus euacuari ab his prohibiti sunt? Et eos deinceps omnes unà cum ipsis affectibus, quos perpessi fuerant, quorumq; ego non multo antea memini, nominatim ordineq; recensuit: ibiq; in cachinnum effusus manu me comprehendit, attrahensq; inuitum a medicis abduxit. Quin etiam in sequenti die Erasistrati de diuisionibus commentaria in publicum producta coram uniuerso philosophorum cœtu relegebat, partim ut indicaret Erasistrati culpa & Critonem & puellulam illam Chiensem perijsse, partim uero ut medicos natu grandiores ad colloquium prouocaret: uerum illi quia decertare cum adolescente infra dignitatem illorum putabant, tum non comparuerunt: mos enim illo tempore erat, ut aliquis quotidie palàm ad publicas quæstiones responsa daret. Quæsitum ergo a quopiam fuerat, num Erasistratus recte fecerit quod uenæ sectio ne nunquam sit usus. Hoc problema quando ita uisum erat ijs qui eo audiendi causa conuenerant, ego explicaui: propterea q; Teuthras hortabatur me, vt ea quæ illic locutus fuissem, puero quem se ad me missurum receperat, dictare non grauarer. quia uero breui in Ioniam abnauigaturus erat, ardentioreque animo uelle se ea prorsus habere dicebat. Ego itaque amici consilijs acquiescens, sermonem illũ scriptis mandaui. Porrò accipit ut liber per illum passim diuulgatus per multorum manus præter sen- D tentiam meam uagaretur. Atqui oratio familiari doctrinæ magis quàm publico cuiquam operi quadrans contexta erat: amicus enim ille, ut præfatus sum, eam dictari tantum cupiebat. Quanquam autẽ liber tam humili stylo conscriptus esset, multisq; defectibus respectu perfectæ orationis scateret, tũ coipso ille multo maiora effecisse uidebatur, quàm sperare quis potuisset. Oẽs etenim hi, qui sese hoc tempore Erasistratæos uocant, contrariam priori rationem incuntes, iam inde uenã secare consulunt, non solũ cunctis his quos paulo antea commemoraui, uerũetiam quauis febre correptis. Quapropter iuxta Stesichori dictũ arbitror me apud illos palinodiam aliquã emeruisse, in qua eos cum primis admonendos censeo, ut in sermonẽ cõmercio quantumcunq; uelint contentioſe se gerant, deposita tũ in utranq; partẽ propensionis temeritate ægrotis parcere discant. Neq; n. uenæ sectio inhibenda est per omnia, neque rursus illos, quibus Erasistratus inediam iniungit, omnes (id quod huius temporis Erasistratæi uniuersi asserunt) uenæ sectione egere arbitrandum est. Huc accedit quòd non facile cognitu sit quibus omnibus huius auxilij usus conferat: tum uel mensura, uel uena quæ secari debet, uel sectionis tempus non sine negocio reperiatur: propterea que illam in quouis morbo Erasistratum puto adeo neglexisse, ut & in his qui eam magnopere requirere uidebantur, ille ipsa uti uetuerit. Et hinc sane per inflammationis tempus in inedia, ut aiunt, ægrotos degere iubens, hæc ad uerbũ scribit: Venæ enim posteaquã euacuatę fuerint, sanguinẽ qui in arterias insilijt facile suscipient: quod ubi cõtigerit,

inflammationes minus accident:Si ergo inediam,inquiunt illi,uelut euacuatorium auxilium præcipit, E
multo sane commodius ad uenæ sectionem sese contulisset:& quod quidem ipse, ubi celeriter euacua re cupit, multo commodius ad uenæ sectionem transijsset,probe illi dicunt,nihilominus tamen hoc lo co scopos qui illius usum aliquando impediunt,prætermiserunt:sed hos ego processu sermonis recen sere conabor.

Quam dissentiant Erasistratæi in ipsa Erasistrati de uenæ sectione sententia percipienda. Cap. 2.

QVæritur uero nunquid absolute factu præstantius sit, uerũ an Erasistratus præsidium hoc aliqñ usurpasse reperiatur.Hoc autẽ cum ego Romam primum appulissem, omnes qui ex Erasistrati discipulis erant, antea negabant, nunc uero probatissimi quos ego noui, ab his tanquam in re minima discrepare manifeste animaduertuntur.Vt enim ceteros prætereã, Stratonẽ ipsum tibi in memoriam redigam,qui Erasistrato erat summa necessitudine iunctus, ac eam ob rem cum in patriã scriberet & seruiuisse se illi hactenus diceret,inter alia hæc subiungit: Erasistratus iure optimo laudibus extollendus est,præcipueque quod ea omnia quæ ueteres per uenæ sectionem curare conati sunt, ille citra illius usum medicatus est. Quanquam uel Strato ipse, curandi rationes se absque uenæ sectione instituisse in commentarijs suis aperte fatetur. Neque uero mirum est quod Erasistratus Chrysippum Cnidium in omnibus sequatur,quippe qui statuerit se uenæ sectione(id quod & ille fecit)non usurum. F
Idem quoque & Aristogenes & Medius ceterique omnes,qui Chrysippi sententiæ subscribunt, fecisse uidentur.Quantũ ergo ad ægrotantium salutem attinet multo melius est si credamus quod Erasistratus usus sit uenę sectione, quantum autem ad huius seculi Erasistratęos,id non credere longe prętiterit.Extremæ enim dementiæ esset,siquis Erasistratũ ea propter in affectibus paulo ante enumeratis uenæ sectionem silentio præterijsse putaret,quia ille alioqui uenas euacuandas palam censeat, huncque totius curationis scopum statuisse alicui uideatur,eo quod illum in quibusdam affectibus famẽ consulere animaduerterit, nanq; aperte constat istud euenire his qui uenæ sectionis auxiliũ, parem ipsis inedijs facultatem obtinere dicunt.Quòd si tantundem non ualeat,& quasdam distinctiones necessario postulet (quas inuestigare poterit is qui exacte perdidicerit, quando ipsam euacuationem uel per uenæ sectionem,uel per inediam solam,uel per utraque commodius facere liceat) iam euidenter rõ eos conuincit.Scripsisset etenim Erasistratus distinctiones has,si mõ, ut isti uolunt, uenæ sectioni tribuẽdũ quicquã putasset:eoque pacto oratio istorum in utranq; partem inclinando seipsam prodit. Si nanque hæc eadem facultate pollet,Erasistratus & in tractatu de febribus, & in aliis plerisque, quorum superius commemini, de uenæ sectione aliquid scribere non temere posthabuit. Si uero uenæ sectionis præsidium eandem cum inedia dignitatem nõ obtinet,non recte illi sentiunt, qui nos ex his quæ de in G
edia scripta sunt,de uenæ sectiõe quoq; coniecturã facere debere aiũt.Quanquã & in hac parte sermo ipsorum inediam inutilem esse indicans,seipsum denuo implicat. Nã si ob id inedias probamus,quod uenis per eas euacuatis affectus minui contingat,multo hercle commodius fuerit, ut euacuatione semel adhibita ab inedijs abstineamus,ut quæ & ægrotos ingenti molestia afficere soleant,& uigilias ac inquietudinem,orificijque,uentris afflictionem,tum succorum corruptionem,necnon alui atq; interdum urinæ suppressionem inferant.

Neque in puellæ Chiensis,neque in Critonis historia uenæ sectionis ab Erasistrato habitam fuisse mentionem, sed utrosque quod ea omissa sit interijsse. Cap. 3.

QVod autem Erasistratus re ipsa uenæ sectione nunquam sit usus, ex ægrotis quos in commentarijs de diuisione recensuit,manifeste colligere licet:in his enim cum omnia ea explicet quæ inter medicandum unquam gessisset,uenæ sectionis nullibi reperitur commemorasse. Ceterum cum prolixum sit omnes per illum recitatos ægrotos nunc proferre, sufficit eorum tantum recordari, qui uel a grandioribus natu medicis,ut antea declaratum est,adhuc in memoria habentur,præcipueq; cum unus ex illis in priore,alter item in posteriore diuisionũ libro descriptus sit. Præterea cõmoda occasio est,ut impræsentiarum uerba ipsa adscribamus,quibus Erasistratus cũcta,quæ circa ægrotos acta H
sunt ordine enumerat,in hunc modum in libro priore scribẽs:Puellulæ Chiẽsi ea acciderũt: primũ qui » dẽ illi purgationes longo tempore suppressæ fuerant:deinde subsecutæ sunt tussiculæ, unà cũ reiectione pituitæ.Processu uero temporis & sanguinis uomitus superuenit. Tũ quod ad circuitum purgationum attinet,interdum illæ in quatuor,interdum duobus mensibus redibant. Etiam ijsdem ferme diebus quibus purgationes fiebant,ipsa reiectio accidere solebat,diebusque tribus aut quatuor perdurabat.Quapropter inde perspicuum erat illam id genus excretiones loco purgationum sortitam fuisse, nam & febricula ijs ipsis diebus insecuta fuerat:quæ posthac emendabatur.Hæc Erasistratus præfatus deinceps de remedijs,hoc pacto scribit: Primis autem temporibus ipsa potionibus ceterisque calfactorijs,deinde etiam per extrorsum applicata, reliquamque adeo quæ ad hoc quadrabat uictus rationem medicari occepta est.Erat enim circa uteri os non intensa durities. Verum cum remedia nihil omnino promouerent,ac uno perpetuo circuitu grauitas in lumbos incumberet, humiditasque nulla cõpareret,illico febres continuæ, intensioresq; prioribus exortæ sunt,quas & tusses uehementes, postq̃ » corpus iam mollius factũ esset,insecutæ sunt. Altera igitur die periculosum arbitrati durãtibus adhuc » febribus purgationes facere,a medicamẽtis penitus abstinuimus:reliquis uero remedijs usi sum⁹: quẽ » admodum & in huiusmodi & in alijs affectibus consueuimus.Præterea ad medẽdi rationem ipso purgationum

« AGationum circuitu obseruato, cibaria subtrahebamus, eaque ratione reiectio sanguinis non amplius « quàm semel eademque pauxilla superuenit.His ille nihil aliud superaddidit,nisi: Quinetiam purulentæ reiectiones profluebant.Atqui hic de uenæ sectione mentio nulla est,cum tamen,prout omnes operum ipsius artis periti norunt,principium auxiliorum ab illa fecisse oportebat. Sed fortasse quis ex illorum numero,qui ad omnia non grauantur prompte respõdere, defensurus Erasistratum dicet, quod remedia huiuscemodi per illum administrata non sint,uerum potius ab eo ea gratia nunc prodita esse, « quo nos nihil eorum latere possit,quæ acta essent. At opinionem istorum redarguit id quod infertur, « dum hæc ait: Altera igitur die periculosum arbitrati durantibus adhuc febribus purgationes facere,a « medicamentis penitus abstinuimus:reliquis uero remedijs usi sumus,quemadmodum & in huiusmodi & in alijs affectibus consueuimus.Præterea ad medendi rationem ipso purgationum circuitu obseruato,cibaria subtrahebamus. In his enim Erasistratus aperte indicat se non aliorum medendi rationẽ recitare,sed suam ipsius enumerare,atque omnia quæ circa ægrotam fecisset perscribere. Nam &,abstinuimus,&,arbitrati,necnon,usi sumus,ac,obseruato,&,subtrahebamus cibaria, alterum ex duobus manifeste declarat,aut quod Erasistratus propria remedia recitauerit, aut ea quibus alij usi sunt, ipse fuerit amplexus.Porrò si ea amplexus est,quorum alij auctores fuerunt, iam nobis euidenti coniectu-
B ra colligere licebit,quid ille de uenæ sectione senserit. Per ipsam enim ciborum subtractionem rursus nobis alterum duorum insinuatur,aut quod illa in totum subtrahi,aut diminui debeat, id quod Erasistratus se in muliercula hac ægrota,quo tempore purgationis circuitus aduentabat,fecisse fatetur. Cõueniunt ergo hæc in hac re cum omnibus scriptis illius, quod ille solam inediam ægrotis seruandam consuluerit,uenæque sectione nullo in loco sit usus. Nisi rursum hic aliqui dicant,mulieri illi uenã quidem sectam fuisse,uerum id auxilium in enarratione omissum esse, eo quod nos ipsi id adhibitum esse autumare possimus,quamuis per illum nõ sit declaratum. Cur ergo de inedia quoque non reticuit,cũ de illa uel eadem ratione nobis suspicari licebat? Eadem autem ratio est, tum de potionibus, tum de supercalfactione, deque ijs quæ foris applicata sunt. Si enim neque de his penitus Erasistratus quicquam scripsisset, tamen omnino quod ea a medicis peracta fuissent, cogitare poteramus: quippe qui animo conceperimus uniuersis auxilijs illud commune esse, quod illa administrata fuerint, quamuis de eis nihil præscribatur. At Erasistratus exquisitæ perspicuitatis gratia omnia simul enarrare constituit, ne scilicet nacta inde occasione aliquis, hæc quidem tanquam ægrotæ adhibita fuissent, adijcere posset:illa uero ueluti iam prætermissa,subtraheret. Præterea quoque hæc Erasistrati enarratio, opinioni istorum euidenter repugnat. Si enim muliercula uenæ sectionem subijt, inedia frustra est usur-
C pata:quin potius si ueritas fatenda est, non frustra solum, uerumetiam non sine noxa. Sed istud paulo post indicabimus:nunc uero illam frustra accersitam esse, ut explicemus, oratio ipsa postulat. Post quam enim per tempus purgationis, quæ circuitu quodam fieri solebat, sanguine ad superna perlato periculum immineret, ne mulier quandoque sanguinem expueret, Erasistratus plenitudinem minuere cupiens, ad inediam se contulit: atqui hæc superuacanea plane est, si modo uenæ sectio qua momento temporis sanguinem superfluum euacuare facillimum fuerat, accersatur. Proinde illi qui Romæ mulieres medebantur, rei quæ contigerat experientia maxime commoti, tempore quo eruptio menstruorum futura expectabatur, uenæ sectionem usurpabant. Neque uero quietem illis imperabant, neque ieiunium, sed melicratum offerebant,uictuque humectante ac lauacris affatim uti concedebant. Ab his.n.si uel mediocri quantitate sanguis fuerit subtractus, purgationes confestim exoriri solent,præsertimq; si infra poplitem aut prope talum uenæ sectio fiat. Sed e diuerso siquis uena secta inediam sustinere imperauerit, non solum menses prius fluentes cohibebit, uerumetiam purgationes quæ iam inculpate euacuabantur,reprimet.Sanguis nãque ciborũ inopia arefit, & densior seipso reddi tur,eamq; ob rem ad fluendum ineptus euadit.Quæ igitur tum lotæ fuerint,melicratumq; & cibos ido neos assumpserint, ac uinum neque austerum neq; crassum biberint,his purgationes proculdubio con
D tingent, ob idque ego inedias post uenæ sectionem non frustra tantum, uerumetiam non sine noxa assumi dicebam. Ceterum uenæ sectionem puellæ illi Chiensi non adhibitam fuisse etiam ex his quæ superuenerant, patet. Sanguinis enim aliquantum expuebat, quem nequaquam expuisset si euacuationem experta fuisset:demum cum præ spirandi difficultate mortua sit,ne hoc quidẽ sic perpessa fuisset. Maximum præterea experimentum Romæ nostra tempestate a uenæ sectione est sumptum.Contigit enim cum uulgo mulieres aquam frigidissimam ex niue potarent, ut aut nullo pacto, aut prorsus diminute purgarentur, has tñ medici uenę sectione adeo incolumes cõseruarũt,ut neq; sanguinẽ spuerent, neque laterali inflammatione aut pulmonis, aut synanche caperentur. Non ergo puellam illam Chiensem ab Erasistrato per uenæ sectionem curatã fuisse suspicentur: neq; enim ipse cũ alia quæuis enarraret, auxiliũ uenæ sectionis, tanquã rem parui momenti prætermisisset. Neq; etiã ob inediã ille, hæc aũt multitudine sanguinis præfocata interijsset.Sed de hac impræsentiarũ ista dixisse sufficiat.Trãslato uero ad Critonẽ sermone,orationi huic uerba Erasistrati adscribemus, quæ de illius affectibus se
« cit:sic enim habent:Critoni quidem repletio,initium ægritudinis fuit. Accessit ad hæc quod in plenitu
« dinẽ synanchicam iam inciderat,quæ sane nihil aliud est q̃ paristhmiorũ ligulæq; inflammatio.Plerun-
« que ergo cõtingit,ut qui in eã inciderint,suffocentur,ac nisi celerrime illis succurratur,breui intereãt.
« Cũ autẽ Crito quoq; in horum numero esset, prima quidem die illum more consueto spongijs calfa-

cientes medicati sumus, eoq; tempore cataplasmata illi applicata reliquimus, ut in curatione perpetuo essent. Exhibita etiam ei sunt cataporia ex castoreo ad aluum ciendam, quæ his commode subducta est. Neminem non animaduertere arbitror diligentiam narrationis omnium eorum quæ circa Critonem acta sunt. Nam & calfactionem per spongias factam, & usum cataplasmatum & catapotiorum retulit, adeoque quod per spongias calfactus sit, manifeste declarauit, ac reliqua ut ordine gesta erant studiose enumerauit: de uenæ autem sectione ex composito siluit, nempe quod auxilium istud ceteris uilius putauerit. At tenuia illa quæ in his enarrationibus continetur, commemorare mihi nunc integrum non est: quanquam Erasistratus ipse rursum paulo post ait, Apparebat itaq; nobis quod affectus ipsi ad pulmonem heparque permutari incepissent, & synanchis iam illuc deflueret, eoque febres augerentur. Hoc loco affectuum permutationem sine hypochondriorum tensione factam esse arbitratus est: ubi quàm diligentissime animaduertendum censeo, considerandumque quale illud sit, quod tibi in dictione hac occurrat, qua affectus permutari incepisse ait: num scilicet id ad partes quæ inflammantur permutatas pertineat, an ad sanguinis qui inflammationem concitauit transfluxum. Mihi siquidem primum ex prædictis ne cogitari quidem posse uidetur, alterum autem illorum uerum esse cõstat: nam & ego multitudinem in aliquam partem decumbentem sæpius cohibui, quam illa propria uirtute deinceps in aliam quamuis repellendo transponit. Istud ergo Critoni contigisse apparet, uerumtamen neque tum temporis Erasistratus uenæ sectionis unquam meminit. Sed cur se totum thoracem unà cum hypochondrijs ipsis, cataplasmatis fouisse ait? Quemadmodum enim ex partibus quæ circa ligulam & tonsillas sunt, sanguinis exuperantis permutatio ad loca inferiora fiebat, ita quoque illo ex inferioribus ad caput sursum perlato, contingebat partim febres excitari, partim aggenerari symptoma, quo principium neruorum affectum esse indicabatur. Audi itaque & hanc Erasistrati sententiam: Cum autem ab ægritudinis principio iam decimus dies adesset, ac ab instantia sextus: quo tũ febris uehementi insultu redijt, tum obuersio ceruicis accidit, & una hora transacta tanta insensibilitas hominem inuasit, ut & lotium per lectum emitteret: non multo quoque postea instantia febris aderat. Deinceps inferens ait: Videbatur itaque nobis quod affectus rursum uersus caput permutari incepissent, ac circa hanc permutationem febris redijsset, quæ postea cum iam partes capiti uicinę afficerentur, intensa permanebat. Atqui uel nos aduersus hominem sequenti sermone insurgamus. Rectissime tu quidem Erasistrate dicis, affectuum permutationem ad caput factam esse inquiens: multo uero melius fuerat si non quorumuis affectuum, uerum eorum qui a plenitudine causabantur, dixisses: ut.n. corporis affectas partes permutari incepisse nemo dicere possit, ita neque ipsos affectus. Arbitror.n. quod multo consultius diceret, quieuisse quidem priores affectus, alios uero causa permutata exortos esse, quæ in principio totius narrationis eadem ratione qua & repletio ipsa, aderat: quã si ipse euacuasset, neque unquam morbus earum rerum quæ circa ligulam impactæ erant, permutationem ad infernas partes molitus fuisset, neque e diuerso illæ deinceps uersus caput ferri potuissent. Quapropter Critonem hunc eodem pacto, quo & ancillula Chiensis interierat, quia illi uena secta non fuisset, mortuum esse constat. Sed istud quoque Erasistratus ipse persensisse animaduertitur: neque enim aliam ob causam ait, quod huic interitus causa fuerint ea quæ ad pulmonem delabebantur, & quanquam statim ab initio hominem plethorico affectu implicitum esse cognouisset, tamen maximo ductus errore hæc euacuare non præuenit. Si igitur adstruere quispiam uelit, Erasistratum, quod & peritissimus medicus esset, & affectus illos tum Critoni ex repletione, tum puellæ Chiensi ob menstruorum retentionem contigisse compertum haberet, subtractionem sanguinis nequaquam prætermisisse, quin potius utriusque sanguinem subduxisse, uerum id in enarratione consulto præterijsse: quid uetat & me dicere, qualecunque illud ex euacuatorijs remedijs sit, applicatum quidem ægrotis id esse, in enarratione nihilominus non esse recitatum? Ecquis enim sanæ mentis medicus ferre me non posset, si dicerem symptomata illa, quæ usque ad mortem apparebant, propter plenitudinem illis accidisse, interitũ autem ipsum non alia de causa insecutum, nisi quod plenitudo euacuata non fuisset? Quis etiam ferret istos qui dicunt, quod ex his quæ Erasistratus egisset, minuta tantum perscripserit: at de uenæ sectione, eaque quæ per elleborum, scammoniamue fit purgatione, quia hæc auxilia per se clara sint, nullam mẽtionem fecerit? Atqui si quis sola communi sententia, qua repletionem euacuandam esse indicatur, uenæ sectionem significari asserat, ut quæ etiam inter euacuatoria remedia annumeretur, quid inhibet eadem lege, alia cuncta euacuatoria præsidia intelligi? Ne ergo amplius ab Erasistrato solam uenæ sectionem ægrotis adhibitam esse dicant, uerum reliqua quoque cuncta, puta clysteres, uomitiones, purgationes, lauacra, exercitia, frictiones, gestationes, inunctiones, calefactoria cataplasmata, ceteraque id genus, quibus omnibus ille aliquando uti potuerat. Si uero non hoc solum sufficit, quod euacuandus æger sit, neq; istorũ auxiliorum is finis existit, sed in primis modũ euacuationis adijcere, posteaq; quibus rebus hæc adamussim indagetur declarare, ac his occasionem & mensuram & utendi rationẽ addere opus sit: sequitur sane quod qui saltem de scopo auxiliorum communi uerba fecerit, is nondum ulla ex parte particularium meminisse potuit. Si enim commune quid protulisse suffecerit, frustra ille cataplasmatum, inediæ, calfactionisque per spongias factæ mentionem habuit. Siquidem neq; cataplasmata, neq; inediam, nisi ab eo didicerimus, nostra opera inuenire possumus, uenæ autem sectio, Erasistrato quoq; tacente, unicuique manifesta est?

Ex

Ex ijs quæ in sanguinis detractione considerari solent, cum ab Erasistrato in minimis alioquin curioso omissa sint, conuinci illum ab ea prorsus abstinuisse. Cap. 4.

SEd quamuis illis istud quis concesserit, absurdum cum sit, tamen ei qui auxilio hoc commode usus est, multæ etiamnum, eædemq; pergrandes considerationes supererunt. Inter has autem prima est, an, quẽadmodum aliqui sentiunt, quamlibet uenam semper secare nihil differat, aut propriæ uenæ in singulis affectis partibus cõtineantur, quæ ipsarum plenitudinem quàm celerrime euacuare possint. Secunda uero, utrum semel aut sæpius subtrahere conueniat. Tertia item, qua ratione in his intentiones inuestigandæ sint, quas ubi quis exquisite considerauerit, mensuram euacuationis coniectura assequi possit. Quarta, in qua de occasione, ad quam in primis uenæ sectio fienda est, num .s. ea eligibilis sit, per demonstrationem docetur. Qui igitur a uenæ sectione prorsus abstinet, apud hunc harum rerum omnium consideratio perit, e medio q; tollitur: eam autem adhibenti, ut omnia ista sequantur necesse est. Quanquam & in reliquis omnibus præsidijs eadem est ratio, ueluti ueratri, scammonij, uini, lauacrorum, cibiq;. Si enim in ęgrotis curandis aliquo dictorum nobis uti nequaquam conceditur, tum neq; occasio amplius, neq; quantitas, neq; utendi modus, neq; quicquam aliud ad inuestigandum reliquum fiet. At ille qui usum istorum probat, hæc omnia discutere necesse habet, idq; non solum in effi-
B cacibus auxilijs, in quibus si uel parui momenti quid prætermittatur, confestim maxima noxa ægrotis imminet, uerumetiam in minimis quibusq;: saneq; ita quotidie euenire uidemus. Proinde siquis medicus homini ægroto gratificaturus auxilium aliquod describit, is neq; omittit occasionem qua nutrire ipsum iubet, neq; cibum facultatesq; ipsius non determinat: neq; uel quantitatem, uel parandi modum, uel utendi ordinem reticet, quin potius unumquodq; horum illis qui tum ibi adsunt, quo pacto id fieri debeat, singulatim explicat. Quin etiam pleriq; in libris passim describunt, qua ope quibusve auxilijs omnia hæc administrari soleant: quorum nonnulli quibus alioqui prolixitas sermonum cordi non est, in huiusmodi enarratione orationem protrahunt, idq; genus disciplinæ non multiloquium, uerum diligentem solertiam esse putant. Hippocrates etiam cum in plurimis suis operibus breuitati summopere studeret, tamen quod ad uenæ sectionem attinet, non est grauatus scribere, tum partem corporis in qua uas secari oporteat, tum euacuationis mensuram, unà cum occasione ipsa. Erasistratus autem, quem asseclæ sui uenæ sectione usum fuisse prædicant, multiloquus fuerit licet, tamen, ut ego paulo post indicauero, principio uenæ sectionis nomen alijs præsidijs ne adscribere quidem dignatus est: deinde etiam omnia quæ iam recitata sunt, utpote tempus, mensuram, uasis situm, utendiq; rationem prætermisit. E contra uero qua ratione & offa inspersa, & cataplasmata ægroto offerenda sint,
C perscribere non est ueritus: immo neq; olerum decoquendi modum silentio prætereundum putauit.
" Audi itaq; quæ ille in opere de alui curatione scribat: Prima quidem adiectione farina crassiuscula, tosta ac probe quassata offerenda est. Cum autem illam offerre uolueris, in uasculo aliquo frigido infusam, ac aquę commistam exhibeto, non una uice uniuersum id quod daturus es, uerum bis aut ter
" commiscens, ne offa arida effecta ac solutioni inepta, multum humiditatis suscipiat: nullum enim horum confert. Ad edendum uero danda sunt affatim cichoria in aceto non acri infusa, ac inter cibos
" consumenda, solidaq; ea decoquenda, duas ollas præparando, & in prima quidẽ iniecta illa decoquere
" oportet. Postquam autem probe admodum cocta fuerint, ac in altera olla aqua iam bullierit, transponere ipsa in eam conuenit: uerum cichoria reuincta sint, ut facile quouis transferri possint. At ubi ad
" perfectum cocta erunt, tum aqua effusa, sale oleoq; condienda sunt, exhibendaq; ut offerantur. Num ergo putas quicquam adhuc scribi posset curiosius, ab hoc præsertim qui adeo tenuia considerauit, ut & admonere operæpretium duxerit, quòd cichoria, quo facilius hinc inde transferri possint, uincire oporteat? Patet .n. cuiq; ꝙ ea quæ resolura sunt, non facile transferri quouis possint, ob idq; non solum nos qui medicã artem profitemur, uerũ & coquos olera elixantes curæ habens, ipsos quo pacto illa liganda sint, edocuit. Eodemq; animo est præditus sicubi uel cataplasmatis alicuius conficiendi modũ
D tradit, uel tot stadia inambulare, uel toties perfricari, aut aliud aliquid huiusmodi iubet. Ob quæ oĩa pleriq; illius superfluã curiositatẽ non solum non laudant, uerũ & uituperijs incessunt, tanquã qui modum terminosq; constituerit, quantitate in infinitum sese extendentes. Quis ergo credat hunc, qui tantopere alioqui curiosus sit, ut alijs auxilijs, sic & uenæ sectione usum fuisse, cum de illa non alibi, nisi semel, ubi de sanguinis reiectione agit, mentionem fecerit? Atqui ille neq; tum ea usus est, sed econtra Chrysippum, eo ꝙ uenæ sectionẽ neutiquã usurpauerit, summopere laudauit, insuperq; demonstrationes quasdã attulit, quibus Chrysippi de uenæ sectione dogma modis oĩbus asserere conatur ✲ .Nam hic illã magis sanguinẽ spuentibus, quàm his quibus aliqua corporis pars inflammationi obnoxia est, quadrare dicit. Ceterũ de hac quoq; re alio loco dicetur: Nũc uero quod antea eloqui exorsus eram, repetendũ est, ꝙ Erasistratus .s. quasi alioqui uniuersos suos sermones in immensum extrahere nõ consueuisset, & bis terq; interdũ in diuersis operibus eandẽ sententiã replicasset, illis tñ uel semel quinque syllabas adscribere contempsit, quibus interpositũ ceteris auxilijs phlebotomiæ .i. uenæ sectionis nomen enuntiare sibi integrũ erat. Taceo hic, ꝙ & quantitatẽ illius, ut in alijs fecit, & tempus, reliquaque eiusmodi, prout superius significatum est, indicare omnino debuerit. Proinde nõnulli medici fuere, qui quantitatẽ euacuationis, signis quibusdam definierunt, ueluti si uel color, uel tenor, uel sanguinis fluxio mutetur, aut pulsus tempore subtractionis ex debilitate collabantur, ac sudores prorumpant, aut

ea quæ aliqui labores uocant, aut deniq; uomitus uehementiores exuperantesve alui deiectiones ap- E pareant. Alij etiam uſq; ad animi defectionem, euacuationem producendam putant, præſertimq; ſi quid in illa pro euacuationis portione contingat. Nam & ob id bilem pituitamve, cum ea in os uentris influxerint, perſæpe animi defectionem manifeſte fieri uidemus. Aliqui item tum coloris in toto corpore permutatione, tum pulſuum alteratione commoderatam ſubtractionem coniectantur: eamq; ob rem modis omnibus illos improbant, qui arbitrantur multo conſultius eſſe, ut conſiderata ex certis indicijs noxij humoris natura, denuo redeatur ad illius euacuationem, quàm ſi eadem ſemel copioſa fiat. Nec defuerunt quidam, qui etiam conſtitutam quandam menſuram illius proponere auderent, perinde quaſi duabus heminis atticis, aut paulo plus minusve moderata ſubtractio circunſcriberetur: quippe cum ex commoderata proportione, adhibitis ad id & ætate hominum & natura, & tempore anni & regione, nos ipſi maius minusve cuiq; quadrans inuenire poſſimus. Quare & Eraſiſtratus certum nobis numerum frictionis tradit: quo etiam ſi ab exquiſita illa mediocritate aberrauerimus, nullam tamen notabilem noxam incurramus. Menſuram autem de uenæ ſectione nullam plane protulit. Nam, ſat ſcio, de uenis quæ incidi ſolent, non pauca ſcripſiſſet, maximeq; cum & Hippocrates tum eius, quæ infra poplitem propeq; talos eſt, tum illius, quæ uel in fronte recta eſt, uel earum, quæ ſub lingua exiſtunt, frequenter meminerit. Præterea hoc loco referre non eſt opus, quantum ad uenas F circa cubitum attinet, quod neque Eraſiſtratus reticuiſſet, num illæ omnes in omnibus morbis ſecandæ ſint, an quemadmodum Hippocrati placet, aliæ in alijs. Eius enim, qui tam diligenter omnia ſcriberet, proprium officium fuerat, ſiquid in hoc præſidio a germana menſura diſcreparet, ad certos terminos redigere, ac quam ſententiam in uenis explicandis haberet, id quod & alij medici factitarunt, adſcribere. Quidam enim nihil intereſſe dicebant quancunq; uenam quis incidere uellet, ut quòd ex unaquaq; æqualis totius euacuatio fieret. Rurſum alij ingentem uel in hac re diuerſitatem contingere cenſebant: nam aliquas ipſarum celerius, aliquas autem longa temporis mora affectam partem euacuare aſſerebant. Cum igitur ille nihil tale ſcripſerit, nec uenæ ſectionis ſcopos declarauerit, clare unicuique patet eum uniuerſas has rationes ideo intermiſiſſe, quia præſidio hoc nunquam ſit uſus. Perinde enim ut qui nunquam in ægroto aliquo cataplaſmata expertus eſt, is & differentias ipſorum & conficiendi modum, & occaſionem rationemq; utendi deſcribere nequaquã poteſt (ſolum enim his, qui illa quandoque more Eraſiſtrati adminiſtrauerunt, neceſſario incumbit de horum ſingulis diſſerere) eodem pacto quicunq; uenæ ſectione penitus non ſunt uſi, occaſionem illius, modumq; utendi & menſuræ ſcopos tradere nequeunt. Verum qui illa utuntur, eos in primis & de his omnibus, & multo magis de uenarum differentia diſtinctim tractare operæpretium eſt, ac ad illa ut ſi nihil aliud, hoc G tamen commonefacere, quod nihil differat ſi hæc uel illa ſecetur, quia cunctæ inflammatas partes ex æquo euacuare poſſint.

Eraſiſtratum hac etiam ratione a uenæ ſectione abſtinuiſſe, quòd in febrium, ac inflammationum curatione, in quibus conuenit maxime, mentionem de ipſa non fecerit. *Cap.* 5.

VErum eiuſmodi rerũ nihil ſcribere, ac uſum oẽm auxilij de medio tollere, in eo præſertim affectu, qui, illud oſium conſenſu præcipue requirebat, quis id manifeſto argumẽto eſſe non diceret, quòd Eraſiſtratus auxilio ipſo nunquã ſit uſus? Quid .n. difficultatis fuerat cũ in tractatu de febribus hæc uerba faceret: (Igitur circa ægritudinũ principia ac inflammationum generationes oĩs ſorbitionũ ciborumq; adiectio prorſus ſubtrahenda eſt) ſi illic adſcripſiſſet (utendũ uero uenæ ſectione) quo totius orationis ſeries talis eſſet: Circa initia ægritudinũ ac inflammationũ generationes, oĩs ſorbitionum ciborumq; adiectio prorſus ſubtrahẽda eſt, utendũ uero uenæ ſectione. Inflammationes .n. quæ febres faciunt, ut plurimũ ex repletione fiunt. Si ergo in huiuſmodi tẽporibus adiectiones offerantur, easq; cõcoctio ac diſtributio pro ſuarum actionum facultate uiciſſim reddant, & uaſa nutrimento impleantur, adhuc multo maiores ac uehemẽtiores inflãmationes fieri tunc continget. Commodius itaq; fuerit cibaria nõ exhibere, illicoq; uenæ ſectione uti. Et talis quidẽ dictio eſſet, ſi ille ut inedijs, ita & uenæ ſe- H ctione uti uoluiſſet. Verũ cũ id nõ adſcripſerit, quomodo quis uirũ crediderit eius remedij uſum laudaſſe? Cũ uero neq; in alio quopiã opere medicinali hoc feciſſet illum cõſtet, aliquid ẽt multo firmius de illius ſententia pronunciare audebit. Quis .n. arbitrari poſſet, q; Eraſiſtratus cũ alioqui loquacitate quàm prolixiſſima guadeat, grauatus fuerit uel ſemel ſuis cõmẽtarijs quæ cõſcripſit, quatuor aut quinque ſyllabas addere? Ego itaq; ẽt ſi nulla Eraſiſtrati monumẽta iã ſupereſſent, oĩaq; perijſſent, id quod & Chryſippi libris fere imminet, tamen diſcipulis illius ſententiam ſui magiſtri profitentibus credere magis adducerer, q̃ qui Eraſiſtratũ neq; aliqñ uiderũt, neq; ullos illius diſcipulos, aliusve qui ad illos diſcendi gratia proficiſcebantur, aut qui his rurſum familiariter uterentur, conſpicati ſunt: ſed potius ea temere poſt totannorũ ſecula aſſerunt, quæ neq; ipſi cognouerunt, neq; ab aliquo qui id cognouerit, audiuerunt, neq; Eraſiſtratum quatuor ſaltẽ uel quinq; ſyllabas de hac re ſcripſiſſe animaduerterunt. Nam τὸ μνεῖν φλέβα, hoc eſt uenã ſecare, quatuor ſyllabis exprimitur: φλεβοτομία uero quinq; ſyllabas uſurpat. Proinde id quod ſuperius uerbis Eraſiſtrati per me adſcriptũ eſt, puta, utendũ uero uenæ ſectione, nouem ſyllabis græce effertur. Quieſcãt ergo illi iam, qui tum ſtudioſis, tum ægrotis ipſis artis commoda eripere conantur, dicentes Eraſiſtratũ quidem uſum uenæ ſectione eſſe, uerũ eius mentionem ob id non feciſſe, quia illa, quàm cataplaſmatum olerumq; decoquendi ratio, multo euidentior eſſet.

Si enim

A Si enim artis ſtudioſi eam ob rem uenas ſecare in animum inducent, quia quemadmodum uenæ per inedias euacuatæ inflammationes diſcutiant, ita & uenæ ſectio: omnes ſane deinceps illos quos Eraſiſtratus inediam ſuſtinere iubet, uenæ ſectione curabunt. Atqui uel hoc uile etiamnũ, abiectumq; eſt.

Errare etiam quàm maxime Eraſiſtratæos, ac ipſi Eraſiſtrato aduerſari cum uenæ ſectionem ſuſcipiunt. *Cap.* 6.

CEterum ſi adoleſcentes qui neq; de uenæ ſectionis menſura, neq; de uenarum ſecandarum ratione quicquam audiuerint, ad præſidium hoc ſeſe accingant, id ſtatim, ut dictum antea eſt, ab ipſo quoq; initio maximum afferret nocumentum. Præſtiterit igitur illos neq; penitus uenæ ſectionem aggredi, quàm citra reſpectum dictorum, auxilio manus admouere. Plures enim hac ratione perierunt, quàm quibus non fuerat uena ſecta. Nam medici natu grandiores uenas tunc temporis nunquam ſecantes, alijs euacuatorijs auxilijs utebantur, quæ idem quod & uenæ ſectio, uerum longiore tempore efficere poterant: niſi ſi ob affectæ partis dominium uel plenitudinis exceſſum, mors ægrotum præoccuparet. Sed qui noſtra tempeſtate febres cunctas in principio uenæ ſectione indigere putant, non mediocri hercle noxa ægrotos afficiunt. Sic enim ſibimet de huiuſmodi auxilio perſuaſerunt, tanquã
B ſi ab Eraſiſtrato ita ſcriptum eſſet, ut ego non multo antea additis ipſi orationi nouem ſyllabis ſignificaui, quo ſententia talis fieret (nam eius denuo meminiſſe conſultius fuerit:) Igitur circa ægritudinum principia & inflammationum generationes ab omni prorſus ſorbitionum ciborumq; adiectione
" abſtinendum eſt: utendum uero uenæ ſectione. Talem enim Eraſiſtrati ſententiam noſtri temporis
" medici ægrotis minime conſulentes eſſe uolunt, cum alia quidem tempora ſcopiq; ipſius inediæ, alia item uenæ ſectionis habeantur, quæ ego omnia in præſenti commentario ordine idoneo explicabo. Nunc ſiquidem ueluti cum illi a ſenioribus perſuaſi nouam auſpicabantur palinodiam, ſic mihi quoque propoſitum meum omnino immutandum eſt, eaque ratione inhibendum cenſeo illis, qui hactenus uenas temere ſecarunt, ne eas in poſterum penitus ſecent. Vt enim Plato ait: Minus aberrare eos conſentaneum eſt, qui ea non aggrediuntur quæ non norunt, quàm qui illa tractant quæ nunquam didicerunt: nam hoc idem & iſti faciunt, ſibijpſis perſuadentes, quòd & quibus uenam ſecare expedit, & cetera id genus quæ a me recitata ſunt, inuẽtu facilia exiſtant: hincq; adeo in cuiuſq; morbi initio inediam unà cum uenæ ſectione ex æquo uſurpant, ac hoc ipſo, ſi uera fateri licet, Eraſiſtrati ſentẽtiam modis omnibus inuertunt. Nam & uenas ſecant, & extemplo a uenæ ſectione nutriunt, cum ille contra uenas ſecare inhibeat, ſineq; nutrimento degere ſtudioſe conſulat. Quia uero iſti ueritatem
C multo magis quàm Eraſiſtratum in honore habent, oſtendere eis operæpretium eſt, quòd ſermo ille quem de ſanguinis reiectione conſcripſit, non proprie ad illum ſolum affectum pertinet, ut qui unicuique phlegmoni ſit communis. Verba autem ſic habent: Adhæret enim his tempore reiectionis ex inflammatione periculum, in quo offerre non facile eſt. A uenæ uero ſectione inediam longo tempore toleranti, ne uirtus eius exoluatur, periculum imminet. Sic ille de ijs qui ſanguinem uomunt, uerba facit, & ea de cauſa eis uenam ſecare prohibet. Ceterum quòd ipſe inflammationem ſubſequi ſuſpicatus ſit dum ait: (Offerre non facile eſt, hoc eſt, dare cibaria: &, a uenæ ſectione inediam longo tempore toleranti, ne uirtus eius exoluatur, periculum imminet) unicuique in conſpicuo eſt. Neque enim illic ad ſanguinis reiectionem quicquam proprie ſpectat, quo quis a uenæ ſectione abſterreri poſſit: uerum utraq; hæc, hoc eſt, neque propter inflammationes cibos dare, atque id tempore uenæ ſectionis factitantibus, periculum de reſolutione uirium imminere, cum febribus quoque communia ſunt. Porrò ſi diligentius animum aduerteris, reperies Eraſiſtrati ſermonem hunc uenæ ſectionem in febricitantibus multo magis quàm ſanguinem ſpuentibus detrectare: a principio enim dum ſanguis reijcitur haud quaquam uas ruptum inflammatione corripitur: at febrium initia uel Eraſiſtrato teſte, neceſſario inflammationis principio ſubſunt. Proinde ſi ad corroborandam rerum in-
D certarum fidem ijs quæ manifeſte apparent utendum eſt, uidi ego plurima uulnera, quæ priuſquam ægris uena ſecaretur, coaleſcebant. Fieri ergo nihilo ſecius poteſt, quòd uas ruptum nullo pacto inflammetur, dummodo nos cetera rite adminiſtrauerimus, ſanguinisq; quantum nobis uiſum fuerit in tempore euacuauerimus. Præterea ſi Eraſiſtratus dicit, quòd neceſſarium ſit tempore quo affectæ partes inflammatione corripiuntur, inedias ſuſtinere, ideoque uirtutem uenæ ſectione antea diſſoluere uereatur: multo magis ab ipſa in febricitantibus, quàm in ſanguinem ſpuentibus, nobis cauendum eſt. His etenim ſi euacuati fuerint, uenam ruptam priusquàm inflammetur coaleſcere poſſibile eſt: febricitantibus autem partem aliquam iam inflammari neceſſe eſt. Ceterum quod poſſibile ſit uas quodcunque ſine inflammatione conglutinari, id alicui etiam ex reliquis uulneribus credibile apparebit. Frequenter enim uidimus, cum quibuſdam ſingulari certamine pugnantibus, integrum crus brachiumve abſciſſum eſſet, coaluiſſe tamen uulnus antequam inflammatio oboriretur: quod quidem multo magis continget, ſi, ut Hippocrates ait, ſanguis copioſus illico fluxerit. Sæpius etiam foramen in cauas thoracis partes illatum, in tribus diebus conglutinatum conſpeximus. Quin etiam nuper in palæſtra aliquis inſigni plaga accepta, extemplo uehementer tuſſiendo, duas ferme ſanguinis cotylas reiecit: ſed ille, quia ei ſtatim uena ſecta eſſet, aliaq; quibus opus habebat, facta fuiſſent, neque omnino deinceps tuſſiuit, & nunc quoque ſanus incolumisque degit. Ex his itaq; diſpicere li-

cet, quòd siquis uel adhuc Erasistrato obtẽperare uelit, abstinere magis a uenæ sectione in his debeat E quæ iam inflammari inceperint, quàm quæ nondum inflammatione sunt correpta.

Ex eisdem Erasistrati verbis, quæ ab eius sectatoribus adducuntur, conuinci quòd ipse uenæ sectione non sit usus. *Cap.* 7.

PRæterea ne illud quidem minus clarum est, quòd Erasistratus uenæ sectionem neq; cum inedijs, neq; ante ipsas inedias, unquam usurpauit. Veruntamen nonnulli eo contentionis dementiæque peruenerunt, ut cum sermones hos audiuerint, discutiendorum eorum nullam sane rationẽ inueniãt, tanquam uero nihil illis obiectum esset, propriam sermonum farraginem auspicantur, unam illam sententiam in ore habentes, quam Erasistratus his uerbis asserit: Consequens etiam est quòd circa inflam ,,
mationis tempora vulneratis nihil sit offerendum: venæ enim euacuatæ, sanguinem qui in arterias in- ,,
silierit, facilius susципient: quod ubi contigerit, inflammationes minus euenient. Et sic illi persuasi q ,,
ipse uenæ sectione usus sit, hinc aperte colligi posse aiunt. Quo enim loco ipsam inediam ueluti eua-
cuatorium præsidium ille accersit, multo sane magis, inquiunt, ad uenæ sectionem se accinget. Adver
sus quos siquis dicat, quòd per ea quæ allegant, Erasistratum quidem uenæ sectione ante inediã usum
esse non demonstrent, sed potius consequens esse ostendant, quòd ipse postea illam usurpauerit: isti
hunc ridentes, tu tandem, aiunt, quid consequens sit cognoscis, Erasistratus autem nõ cognouit? quasi F
uero ille ingenio exercitato non fuerit præditus, tuq; illo multo sis prõptior, ac rationibus magis pol-
leas? Si itaq; uolueris, illi ut te discendi causa frequentet, consulemus, quo scilicet quid ad quanque
rem uel consequens, uel pugnans sit, cognoscere assuescat. Atq; his uerbis habitis illinc discedunt: in
posterum uero, ut collocutoribus aliquam contumeliam inurant, adiungunt sibi hominum perfrictæ
frontis cateruam adeo copiosam, ut præ illorum clamoribus nemo loqui quicquam possit, eiusmodiq;
finem congressuum statuunt. Sed nos impræsentiarum eum non quærimus qui conuicia spargenti ui-
ces referat, uerum in primis quidem num Erasistratus uenæ sectione aliquando sit usus: secundo autẽ,
quasnam hoc auxilium uires habeat, indagamus. Atqui horum utriusq; propriæ habentur demonstra
tiones. Quod enim Erasistratus uenæ sectione non sit usus, testantur & monimenta illius, & discipuli
fide dignissimi, Chrysippiq; uniuersum auditorium. Ceterum de auxilij huius facultatibus non eadem
est ratio: nam de his enunciata quædã quàm uerissima, necnon & conclusiones selectæ afferuntur. Præ-
terea siquis istis quoq; posthabitis, solum rerum ordinem sequi uoluerit, uel sic scripta Erasistrati, quia
nihil tale in his proditum sit, modis omnibus periclitabuntur. Reputa igitur hæc in animo, præsertim
exordio illinc sumpto, ubi ille in de reiectione sanguinis Chrysippum laudibus extollens, quòd loco
uenæ sectionis membra uinculis excipere consueuisset, hæc ad uerbum scripsit: Hoc ipsum autem face G ,,
re conantur ij qui sanguinem spuentis uenas secant. At Chrysippus multo consultius agit, ut qui non ,,
solum id quod instat præ oculis habeat, uerum & impendentis periculi curam gerat: adhæret enim his ,,
tempore reiectionis ex inflammatione periculum, in quo offerre non facile est: a uenæ autem sectio- ,,
ne inediam longo tempore toleranti, ne uirtus illius exoluatur periculum imminet. Atqui hic cau-
sam non adiecit ob quam tempore inflammationis inediam iniungat, utpote quæ ab illo declarata est,
cum in hanc sententiam scriberet: Consequens est quòd vulneratis circa inflammationis tempora ,,
nihil sit offerendum: venæ enim euacuatæ sanguinem qui in arterias insilierit, facilius susципiẽt, quod ,,
ubi contigerit, inflammationes minus contingent. Quapropter ille inedias tempore inflammatio- ,,
nis ea causa laudat, quia illæ uenas euacuent: verum si ambas has sententias in unum redegeris, ser-
mo integer talis erit: Chrysippus sane recte fecit, qui non secuerit uenam ijs qui sanguinem excerne-
bant, eo quòd illi paulo post euacuatorio auxilio, puta inedia, indigebant. Præterea idem iste ser-
mo si compendiosius quoque dicatur, eiusmodi erit: Sanguinem reijcientes nequaquam sunt euacuan
di, quia paulo post inflammatione ingruente euacuatione opus habebunt. Etiam uero clarius is hoc
pacto explicaretur: Ante inflammationis tempus uenas euacuare non licet, ipsis quippe euacuatis
inflammationes cessant. At sermo iste euidenter sibiipsi repugnat, nisi siquis suppetias illi laturus, duo H
hæc temere adijciat, quòd uidelicet satius sit ut corpus per inflammationis tempus euacuetur, non an-
te, quodque inedia sit magis quàm ipsa uenæ sectio usurpanda. Sed si hæc dicat, nos hunc neq; quod
propositum fuerat demonstrasse, neque sibimet consentanea dixisse respondebimus: in hocque has
partes discrepare dicemus, quòd ordinem sermonum non obseruent. Omnibus enim hominibus,
qui præsertim tantum mentis possident, ut consideratione etiam pauxillum quid consequi possint,
perspicuum est, quòd huic qui sanguinem in arterias transilientem per euacuationem uenarum ad pro
prium locum reducere uelit, id primo quoque tempore sit faciendum. Manifestum etiam est, quòd
euacuatorio auxilio quàm celerrime utendum sit, ut quo & breuissimo temporis spatio, & sine ulla
corporis perturbatione, euacuationem quamuis perficere possimus. Quantum enim inediæ persæ-
pe lædant, superius demonstratum est. Proinde in hunc modum alicui dicere integrum erit: Arbi-
tror equidem ridendos esse eos qui Erasistratum quandoque sanguinem reijcientibus uenam secuis-
se putant, quandoquidem ubi inediam tanquam euacuatorium præsidium laudat, multo hercle ma-
gis ipsam uenæ sectionem laudaturus fuerit: ubi quoque inflammationis tempore euacuatione opus
esse arbitratur, sub illius initium magis quàm cum futura est, ipsam laudaturum fuisse in confesso est.
Neque etenim Erasistratus rerum adeo imperitus erat, ut non multo citius sanguinem ex arterijs in

uenas

A uenas reduci putaret, cum neq; circa insultus initium ille uehementer esset densatus, neque a calore febrili tantopere eliquatus, vt ob id crassiusculus efficeretur. Nam qui hoc ipsum assereret, semet potius deridendum quàm illos quos accusat exhibebit: quandoquidem cum Erasistratus ipse scribat uenæ sectionis usum ea causa non esse usurpandum, quia inflammationis tempore longe melius sit ut assumptionem euitemus.

Desiderantur hoc loco non pauca.

Aduersus quendam Erasistratæum, quòd cum Erasistratus multis locis repletionem curarit, de uenæ tamen sectione non fecerit mentionem. *Cap.* 8.

COntinere immedicabile, aut profecto non facile sanabile, qualia ipsis quoque hæmorrhoidibus accidunt. Porrò cum nos membrorum deligaturas diceremus multitudinem absq; uenæ sectione attrahere ad se posse, ille hoc ait impossibile in plethoris esse, ob quas Erasistratus brachia manusque ac tibias aduri dixit, fieriq; id, quia uasa propter sanguinis multitudinem intenderentur. Qua ratio ne ergo in illa id quod in profundo est delabi amplius poterit, cum & sine illo ne ipsa rumpantur periclitari iam uidentur? Atqui iam declarauimus quòd Erasistratus Chrysippum laudauerit non apposita, ut ego nunc scribendo faciam, aliqua sermonis distinctione, uerum absolute sententiam suã pro-
B dens. Oratio nanque sic habet: Deligationes uero laneis uinculis circa alas ipsas ac inguina faciendę. Deligationes enim inquit, faciendæ, neq; interim utrum hoc auxilium plethoricis solis nihil commodi afferat, alijsq; e diuerso emolumento sit futurum, sermoni addidit, sed simpliciter pronũciauit, quo de omnibus dictum istud intelligamus. Atqui (aiebat ille) si de omnibus id intelligendum esset, ipsemet istud declarasset in hunc modum scribens: Deligationes in omnibus faciendæ: uerum simpliciter protulit, deligationes laneis uinculis circa alas inguinaq; faciendę, eo quòd nosipsi suspicari possemus orationem hanc de illis tantum habitam esse, in quibus ad membra sanguinem transferri possibile est: nam in quibus id fieri nequit, ne uincula quidem eorum membris sunt adijciẽda. Cur ergo, aiebamus nos, hoc quod nunc dicis, Erasistratus non scripsit? an quia ijs qui adeo repleti sunt, ut eis brachia, tibiæq;, ac cubiti *adurantur, sanguinem subtrahere necessarium sit, ceteris uero sola membrorum deligatio sufficiat? Quoniam, inquit, non hominibus vulgaribus scripsit, uerum ijs qui ea quæ res ipsas ne cessario consequuntur, cognoscere atq; operari possint, impossibiliaq; nequaquam aggredi in animũ inducant. Nonne ergo, inquiebamus, si aliquando plethorica dispositio corpus occupauerit, etiamsi Erasistratus istud non scripserit, uenæ sectione opus esse dices? In confesso enim est, quod hoc omnibus cognitum sit, ideoq; ab Erasistrato non est descriptum: ceteros nanq; affectus quicunq; sine reple
C tione fiunt, Erasistratus seorsim mederi iussit. Verum cum ille ad hæc obstreperet, primum quidẽ hortatus eum sum, vt sententiam ex tertio de febribus descriptam audiret: deinde uero & eã quæ in priore de salutaribus commentario habetur. Nam quæ in tertio de febribus reperitur, hæc est: Igitur circa ægritudinum principia, ac inflammationum generationes omnis ciborum sorbitionumq; oblatio sub
" trahenda est, plerunq; enim inflammationes quæ febres suscitant, ex repletione fiunt. Si ergo in huiusmodi temporibus oblationes dentur, & eas concoctio distributioq; pro suarum actionum facultate uicissim distribuant, uenæq; alimento impleantur, adhuc longe maiores ac uehementiores inflammationes sæpenumero fieri accidit. His uerbis Erasistratus nomen repletionis aperte descripsit, modumque illius curandi tradens inediæ commeminit, uenæ uero sectionem silẽtio plane præterijt. Quapropter ad Erasistratæum illum me conuertens, quater, inquam, ò amicissime mentitus es, quandoquidem Erasistratum repletionis medicandæ rationem separatim scripsisse patet. Idem nanque uel in priore saluta
" rium libro, ipsaq; illius præfatione recitat, quo cuiq; cognitum esse possit, illum cum repletionis remedia ordine scriberet, quiduis potius quàm uenæ sectionis meminisse. Dictio autem sic habet: Summã
" in quibusdam sanitatis curam rationemq; habere oportet, ideoq; qua uia quis eum qui in repletione
" fieri consueuit affectum cognoscere atq; obseruare possit, in primis colligendum est. Incipiente enim
"D ea, a discutientibus abstinendum quàm maxime est. Si autem illa nondum adsit, antequam ægritudinis initium fiat, illis utitor. Atqui plures modi extant, quibus huiusmodi affectus discuti potest, neque ijdem cunctis quadrant. Sed de his iam ordine dicere constituimus. Qui ergo corpus laboribus exercere consueuerunt, his multo præstantissimum fuerit, ut illos paulo plures quàm pro consue
" tudine ineant, ipsisque affectum hunc discutere tentent. Ab exercitijs uero sudores in balneo proritent. Porrò siquid supercalefactione exiccatum est, tum pluribus lauacris uti, hisque omnibus peractis in multa quiete longo tempore nullas oblationes assumentem degere consuetum est. Illo enim
" tempore repletio summopere attenuatur, præsertimque si post exercitia & lauacra quis longo tem-
" poris spatio nulla oblatione utatur, quiescatque postea aliquandiu. Prandium uero subtrahendum
" est, sed & cœna minor solito assumenda. Tum qui offeruntur cibi nutrimento fere careant, ueluti sunt olera pleraque, tam cruda quàm cocta, cucurbitæque ac cucumeres, peponesque teneri, & fi-
" cus recentes: legumina item cum oleribus cocta. Panis quoque omni uitio careat. Nam sic uniuersa
" talia partim aluum lubricam reddent, partim nutrimenta quæ ex illis fiunt, neque copiosa neq; fortia
" efficient. Verum a carnibus piscibusq;, ac omnibus rebus cum lacte chondrove aut amylo elixatis, &
" ceteris id genus alimentis dicto tempore abstinendum, uel prorsus paucis utendum. Huic autẽ uictus
" rationi diligenter ob id insistendum, quo repletio iam consistens, secure sustollatur. Ceterum qui cor-

pus

*παραλυτορεα. hãc dictionem & hoc in loco & infra hic interpres uertit aduri. Interpretes uero libri de curandi ratione per sanguinis missionẽ. ca. 4 uertũt implesi.

pus laboribus exercere non ſunt aſſueti, his plura exercitia iniungere commodum non eſt: quanquam E
hæc alioqui, prout plurima alia, euacuationes tutas faciant. Præterea uero quicunq; ad uomẽdum pro
penſi ſunt, ut a cœna uomitiones inſtituant, omnibus communiter utile eſt. Ne autem ad aliquid aliud
minus idonei fiant, uomitus ab oblatione non multum temporis intercedat: ſic enim cibi adhuc in ſu-
perioribus partibus exiſtentes facilius euomentur: proindeq; alimenta quæ ex ipſis cibis generantur,
non multo ante uomitionem diſtributa ſint. Ad hæc poſtero die lauacra, ſudoreſq; prouocare oportet.
Quinetiam euacuato iam corpore, atq; repletione reſtaurationẽ nacta, paulo poſt ad conſueta redeun
dum. His ergo uerbis Eraſiſtratus clare per omnia indicauit, quod ad repletionis affectum medicandũ
alijs omnibus auxilijs uſus ſit, uenæ autem ſectionem nunquam adhibuerit: iſtudq; & in ſequente ope
ris parte innuit, dum in hunc modum loquitur: Hæc uero animo reuoluẽda ſunt, quod non omnes ho
mines ad quoſuis affectus æqualiter propenſi ſunt, ſed ubi aliquando idem ſymptoma, ueluti repletio
eſt, intra plurimos contingat, in omnibus ad quæ conſueuit loca, impetu fertur, & in alijs quidem ad
hepar, alijs rurſum ad aluum. Nec deſunt quibus illa uel epilepticos affectus, uel articulorũ dolores cõ
ciliet. Opus eſt ergo, ut unuſquiſq; ea quæ illi contingere conſueuerunt cõſiderans, curã affectibus pro
uenientibus idoneam inſtituat. Non.n. eadem ratione ad epilepſiam inclinato, qua ſanguinẽ ſpuenti cu
ratio exequenda. Verum illi perpetuo labore defatigari, huic autem a laborioſis exercitijs cauere ope F
ræpretium eſt: uerendum nanq; eſt ne ex defatigatione initium ruptionis ſuboriatur. Sed qui epilepti-
cis affectibus obnoxius eſt, in labore cõtinuo ac inedia & cibi paucitate ſe cõtineat, frequentiaq; laua
cra quæue uehementem permutationem afferunt, modis omnibus euitet. Præterea quos renales affe-
ctus plerunq; infeſtant, his cibi concoctu faciles offerendi, ac lauacra affatim iniungenda: potus autẽ
conſtringendi facultate careat, ne lotium acrius redditum loca per quæ excretio ipſa fertur, arrodat.
Ad hæc exercitijs diu inſiſtere, huiuſmodi hominibus noxium eſt. Quibus autem uel ad ſplenem uel ie
cur fluxio ex conſuetudine fertur, his a laboribus nimijs frigidaq; ablutione abſtinendum, inedijſq; &
paucitate potationum, ac lauacris curatio in uniuerſum procuranda.

Eraſiſtratum perperam docuiſſe repletionis curationem, ac de noxa quæ ex inedia euenire ſolet. *Cap. 9.*

IN his rurſum Eraſiſtratus ſuam ſententiam clare oſtendit. Nam eos, quibus ex repletione uel ſan-
guinis ſputum, uel epilepticus morbus imminet, neque fortiter purgantibus medicamentis euacua
re unquam, neq; frictione uti uoluit: quæ ipſa etſi debilior ſit, quàm quę huiuſmodi morbis ad amuſſim
opitulari poſſit, præſtantior tamen non paulo una inedia exiſtit. Frequenti.n. frictione non paucos iſto
rum euacuauimus, cum alias præ animi ignauia, neq; purgans medicamentum aſſumere auderẽt, neq; G
uenæ ſectionem ſufferrent. Præterea ſi auxilium hoc in omnibus ſufficeret, forte quis ipſo uenæ ſectio
nis loco ſemper uti poſſet. Conſtat autem quòd interdũ multo minus debiliuſq; reperiatur, quàm qua
le corporis repletio exigat, maximeq; quia illi qui frictionibus non aſſueuerunt, ſi plus æquo perfricti
fuerint, doloroſis affectionibus illico corripiantur. Nonnulli e contra denſam duramq; cutim cum ha-
beant, etiamſi plurimam ſubierint frictionem, nihilominus quàm pauciſſimam euacuationem experiũ
tur. At, ſiquis medicus in artis operibus diligenter uerſabitur, ipſa experientia edoctus, quantopere ſto
machi inanitio ad accerſendum paroxyſmum epilepticum faciat, ſine negocio cognoſcet. Diſpiciet ẽt
illos qui ob ſolam ſtomachi læſam actionem epilepſijs corripiantur, ex inedia uehementer lædi, uelut
& Diodoro grammatico uſu uenit. Is enim ſiquando in quodam ludo literario exiſtens famem diutius
ſuſtineret, illico epilepſia correptus conuellebatur. Huic itaq; præſentaneo remedio ſuccurrebamus,
iubentes ut circa tertiam aut quartam diei horam, panem ex uino temperato aſſumeret: hocque præſi
dio uſus annis permultis ſanus degebat, quippe qui huius ſolius rei curam gerebat, ut cibos in cœna
aſſumptos quàm optime concoqueret. Aliquando autem cum propter ciuilia quædam negocia in fo-
ro ad meridiem uſque ſine cibo perdurare cogeretur, humi proſtratus denuo conuulſus eſt. Iſte igitur,
ueluti indicaui, propter ſtomachi uitium epilepſia uexabatur. Manifeſtum etiam eſt, quod ſtomachus H
læſus, ſi modo ad hoc idoneus fuerit, alias partes nõ paucas unà ſecum exacerbet, ac ad conſenſum tra
hat. Hoc loco autem aduertendum eſt, quod in huiuſmodi affectibus, os uentris, ſtomachus a medicis
appelletur. Ceterum uel multi ante nos fuerunt qui hos affectus iam pernouerant, ideoq; de his ple-
nius tractare alibi præſtiterit: impræſentiarum uero hucuſq; dictum de ipſis ſit, quo obiter declaremus
multos epilepticos ex ſolo ſtomacho longioribus inedijs perturbato, in exacerbationem incidere. Pro
ponatur ergo homo aliquis, qui adeo repletus ſit, ut brachia, coxas, tibiaſque ſibi* exuri ſentiat, tempus
uero anni uer ſecum afferat. (neq; enim hoc ipſum exemplum perraro contingit, immo nos per id tem
poris homines ſæpiſſime hoc pacto affici conſpeximus.) Huic accedat, quòd is exercitiorum ac frictio
num ſit penitus expers, facileque ab inedijs lædatur: nobis porrò inueſtigãdum fuerit, qua ratione hũc
euacuare debeamus. Nunquid ergo euacuationem inſtituemus lauacris frequẽtibus, aut exercitijs, aut
inedijs, uomitionibuſue a cœna factis? nam præter hæc apud Eraſiſtratum nulla alia repletionis reme-
dia reperiuntur. Atqui ipſe exercitijs uti ijs qui id non conſueuerunt, nequaquam concedit: a lauacris
etiam illos, quia epilepticis affectibus obnoxij ſunt, arcet: arcebit item, mea quidem ſententia, eoſdem
a uomitionibus, ut quæ caput euidenter replere ſoleãt. Ceterum inedia inter ea quæ caput replẽt adeo
eminet, ut ex illa tenſio uehemens circa brachia, manuſque oriatur: neque tamen ea quoq; ad euacuan-
dum

A dum ſatis uirium obtinet, quin potius ſiqui ſtomachum affici aptum habuerint, ijs inſignem læſionem
infert. Quomodo igitur ipſam euacuationem adornabimus? num frictionibus ſolis? uerum earũ Eraſi
ſtratus prorſus non meminit. Præterea fieri non poteſt, ut illæ in inſuetis tot tantæq; fiant, duæ ſufficiẽ
ter euacuent. Aut poſtremo illum laneis uinculis excipiemus? At Eraſiſtratus huius rei nullam hoc lo-
co mentionem fecit, id remedium ad ſolam ſanguinis reiectionem cohibendam referens. Concipia-
tur autem in animo, quod etiam de hoc ipſo conſideratio ſatis luculenta ſit facta: ueruntamen illis qui
eo repletionis uenerunt, ut & membra exteriora ſibi* aduri putent, auxilium hoc quàm moleſtiſſimũ
ac nullius momenti eſſe antea dictum eſt. Neque etiam credibile illud eſt, ab Eraſiſtrato in libro de
ſanguinis reiectione recitatum, quod ſcilicet reiectionis tempore ex inflammatione periculum immi
neat, in quo ille ea propter ægros ſine cibis degere iubet, quoniam eorum quos curandos ſuſcepimus
uirtutem uenæ ſectione prius diſſoluere non liceat. Haud quaquam.n. neceſſe eſt ut inflammatio reple
tionem inſequatur, dum illam euacuare præoccupauerimus. Et quanquam id quoq;, ſi quis eminus
conſideret, in rebus ſalubribus perſuaſibile magis quàm uerum uideatur, Eraſiſtratus tamẽ plenitudi-
nem, quæ aut epilepſiam, aut reiectionem ſanguinis effectura eſt, euacuare per uenæ ſectionẽ nunquã
eſt auſus. Sic eten im in obſeruãdis Chryſippi placitis pertinax eſt, ut neq; uenæ ſectione, neq; fortiter
B purgantibus medicamentis unquam uti in animum induxerit. Atqui tum uenæ ſectione, tum purgatio
ne aliqua plenitudinem commodiſſime euacuare poterat. Tamen ille de his nihil ſcripſit ibidem, quẽ-
admodum neque cum de paralyſi, uel de podagra ageret: illic enim etiam in repletionem cauſam reij
cit, ac deinceps neq; uenæ ſectione, neq; aliquo efficacium illorum & purgantium medicamentorum
utitur. Præterea opinionem ſuam in libro de ſanguinis reiectione longe clarius prodidit, idque in illa
operis parte, ubi homines quoſdam ex conſuetæ excretionis retentione, ſanguinis reiectionis pericu
lo ſubeſſe aſſerit. Cum nanq; inter alia retentionum genera, hæmorrhoidum quoq; cohibitionẽ annu
meraret, non ſimpliciter has euacuatione indigere ait: uerum prout in ceteris operibus conſueuit, ſic
& ibi omnes quas ipſe compertas habuerat, medelarum ſpecies, ſola uenæ ſectione excepta recẽſuit.
« Dictio autem ſic habet: Præſentibus igitur his quibus ſanguinis exuperantia frequenter fieri conſue
« uit, ſudorum & lotij excretiones quadrarent. Conueniret etiam ſubtractio eorum quæ offeruntur, ac
« deambulationes in locis planis, non celeriter peractæ. Verum in his rurſum plenitudinem, & ſudori-
« bus, & lotio, & inedijs, inambulationibuſq; euacuandam cenſens, uſum uenæ ſectionis non adhibuit.
Præterea ſi neq; prius quàm inflammatio fieret, neq; cum facta iam eſſet, neq; cum futuram ſuſpica
remur, uenæ ſectionem uſurpandam in hoc libro indicauit, ſuperuacaneum ſane fuerat illum in alijs
C operibus de eadem mentionem facere, præcipueq; poſtquam curationem inflammationis aut iam fa-
ctæ, ueluti primo de febribus, aut futuræ, aut de qua ſuſpicio eſſet, aut incipientis, ut ex alijs patet, lon
ge antea deſcripſerit. Veruntamen hoc quidam ex Eraſiſtratæis non animaduertentes, dicere conten-
dunt illum euacuatorio auxilio, puta uenæ ſectione, uſum fuiſſe, cum tamen ipſemet Eraſiſtratus mani
feſte contrarium afferat. Nam ſimulatque circa inflammationis tempus offerre cibos perdifficile eſſe
dixiſſet, ea de cauſa futura iam inflammatione uenæ ſectionis uſum exploſiſſe ſe indicauit. Iſta ergo ora
tione palam declaratur, quod quibus inediam conſulturi ſumus, eiſdem a uenæ ſectione modis oĩbus
interdicere debeamus. Non ergo conſentaneum eſt, ut quis circa unum eundemq; ægrotum, utraq; au
xilia, nempe inediam & uenæ ſectionem uſurpet. Hinc quoq; perſpicue patet Eraſiſtratum, ſiquando is
inediam ægrotis iniungit, eo tempore uenæ ſectione non eſſe uſum, ac propterea illius in alijs operi-
bus, ut & ſuperius ſignificatum eſt, nullam mentionem feciſſe. In omnibus enim his, ueluti declarauĩ-
mus, inediam ſuadens, uenæ ſectionem (perperam quidem iſtud ille faciẽs) e medio ſane tollit, ut a no-
bis alio quoq; prius in opere demonſtratum eſt: minus tamen peccat quàm illi, qui omnes illos qui ine
dia utuntur, ſtatim & uenę ſectione opus habere exiſtimant. Ego enim ſequenti commentario oſten-
dere aperte conabor, quod non ſolum omnes illi uenæ ſectione non indigeant, uerũ ne plethorici qui
D dem ipſi, niſi prius qualem illa plenitudo naturam obtineat, diſcernatur: huicque acceſſerit de habitu-
dine ætateque ægrotantis, ac de tempore, & regione, atq; conſtitutione conſideratio: tum quæcunque
anteceſſerunt, queue ipſum ægrotum etiamnum moleſtant ſymptomata. Ob ſingula enim hæc permul-
tos uenæ ſectionem nonnunquam citra noxam experiri non poſſe oſtendam. Præterea & alios plero-
que tibi ob oculos ponam, qui abſque repletione cum ſint, uenę ſectione nihilominus opus habent.
Poſteaquam autem de his ſingillatim diſſeruero, tum & occaſionem & menſuram uenę ſectionis ordi
ne explicabo: addam etiam iſtis eam quæ in ſecundis uenis differentia eſt. Declarabitur quoque, ſemel
ne an pluries ſit ſubtrahendum. Ad hæc uero non minore opera diſquiretur, quibuſnam, cum adhuc cõ
moda ualetudine fruuntur, ueris tempore, uel purgationem, uel uenæ ſectionem uſurpare conferat.

GALENI DE CVRANDI RATIONE PER SANGVINIS MISSIONEM LIBER,

Theodorico Gaudano interprete.

Denuo ad græcorum exemplarium fidem diligentius recognitus.

ARGVMENTVM LIBRI.

Explicatur vniuersa methodus secandarum venarum, affectus scilicet, scopi, mensura, locus, tempus, & reliqua quæ ad venas & arterias cum ratione secandas intelligere necesse est.

De quæstionibus, quibus omne uenarum probe secandarum negocium continctur. Cap. 1.

QVI de sanguinis emissione speculantur, unum sibi primumq; proponũt, nempe, vt quæ corporis affectiones euacuatione indigeant, considerent: ac deinde alterum, quænam ea quæ sanguinis fit detractione. Nam multi sunt affectus, qui alia quapiam euacuatione quidem indigeant, sed non sanguinis missione. Tertio post hæc ut dijudicent qui innoxie hanc ferre euacuationem possint: quippe cum sæpe fiat ut affectio uenæ sectionem desideret, cetera laborans eam ferre nequeat, siue propter ætatem, siue propter anni tempus, siue propter regionis naturam, siue ob os uentriculi uitiatum, quod persæpe per abusum stomachum appellitant. Ac nos sane etiam, compendij nimirum causa, hac appellatione toto hoc utemur libro. Sed & sunt qui tametsi uel maxime, quod ad morbum pertineat, sectione uenæ indigeant, ob totius tamen corporis habitum ferre nequeant. Quæ siquis etiam definire aggrediatur,* particularis excipiet contemplatio, sicuti in alio quouis auxilio. Mox autem de uenis quæ ueniunt secandæ: Nam de istis quæsitum est multum, nihil ne referat quam quis secare uenam uolet (omnes enim omnibus æque affectibus prodesse) an, sicuti Hippocrati, ac prope medicorum clarissimo cuiq; uisum est, multum interfit, hanc an illam incideris. Porrò hac quoq; speculatione absoluta, succedit de scopis siue intentionibus oratio, quibus uidelicet quis animum attendens, uacuationis mensuram coniectura queat assequi. Ad hæc omnia, in quibus semel auferre præstet, in quibus uero repetitam facere ablationem, quàm ἐπαναίρεσιν nominant, expediat. Tum in quibus inanire ad animi conueniat deliquium, in quibus autem id tanquam summum malum uitandum. Hæc igitur prospiciat necesse est, qui probe hoc uti remedio uolet.

F Quæ ad hanc tractationem pertinent in vniuersũ, sunt ab Auic. comprehensa. lib. 1. f. 4. c. 20. p. 145.

† ita etiã uertit ant. interpres: licet ex græc. cod. impressis ita vertendum esset, deinde sola secũda ratione utitur, assumit uero ad ipsius demonstrationem & id quod ex prima probatum fuit.

*in impressis græcis περὶ μέρους legitur, hocẽ de parte. in antiquis tamen cod. legitur περὶ καιροῦ. i. de occasione.

Quibus libris Chrysippo, Erasistratoque, ac horum sectatoribus occurratur, qui uenæ secandæ usum, uel sustulerunt prorsus, uel perperam intellexerunt. Cap. 2.

SAne de omnibus istis in medendi methodo tractauimus, sicut & seorsum ad Erasistratũ, quod perperam ab hoc abstinuit remedio. Deinde alium etiam librum conscripsimus ad eos Erasistratæos qui usum esse hoc auxilio uirum asserunt. Itaq; odio sane dignissima est sceleſtorum sophistarum tum uersutia, qui cum mentiri se sciant, astu tamen contraria præ nouarum rerum studio adstruant: tum sapientiæ uanæ aucupium, qui rerum utilissimarum ignari, contraria tamen uerbis asseuerant. Horum alterum Chrysippo Cnedio accidit, qui uenæ incisionem ex omni medicinalium præsidiorum numero tollendam censuit. Secuti hunc sunt sui discipuli, & ipsi apud Græcos clari, Medius, & Aristogenes. His etiam magis Erasistratus ad summos euectus honores, Chrysippi seruauit sententiam. Post quẽ ipsius H discipuli, principio quidem præceptoris decreto insistebant, sed temporis successu eorum ex numero quidam ab his defecerunt, pudore affecti impudentissimo. Nam quid aliud in illos dicam, qui asserere sustinent phlebotomiæ auxilium recipere Erasistratum? tametsi nusquam in cõmentarijs ullo in morbo hoc consulere conspiciatur. Immo consentaneum est, inquiunt, qui inediam tanquam euacuatorij auxilium adhibeat, multo magis phlebotomiam admittere. At qui hæc afferunt, omnes ad ea tundendam esse uenam aiunt: ad quæ Erasistratus cibo abstinendum præcepit. Cum ergo ille in opere de febribus scribat adhibendam morborum principijs inediam, sequitur utiq; omnibus detrahendum esse sanguinem, id quod sane isti etiam arbitrantur, illo utique in tempore. Verum maximum id malum fuerit, si ita faciendum adolescentibus artem discentibus persuadeatur, multoq; etiam perniciosius, si nõ alia quoq;, quæ discernere conuenit, respiciant. Quocirca alio libro ea exponere necesse habui, quo uidelicet adolescentibus commonstrarem & Erasistratum uenæ sectione haudquaquam usum (id enim præstat eos credere, quàm omnibus uno ordine uenam incidere, quibus ille ciborum usu interdicit) & maximum laborantibus inde prouenire commodum, siquis recte utatur. Itaq; aliud mihi denuo, mea quidem sententia, de phlebotomia scribendum non fuit, cum nimirum remedij huius usus quidem in medendi sit methodo expositus, simulq; in opere de tuenda ualetudine: in duobus autem libellis, quorum alter

A alter ad ipsum Erasistratum inscribitur, alter ad Romæ agentes Erasistratæos, prauas illius opiniones indicarim. Cum tamen precibus me suis obtundere non cessarent complures amicorum, quos piget, ut mihi uidetur, curandi librum perlegere: coactus tandem sum ad hæc scribenda descendere, ne scilicet inuidere illis uidear: mox uero serie conuenienti omnia quæ de hoc auxilio proferri possint, enarrare. Atq; adeo iam tempus est orationem ordiri.

Quid affectus, affectiove, & quibus ex libris petenda principia, quæ ad secandæ venæ viam ac rationem maxime faciunt. Cap. 3.

AFfectionis uocabulum, velut alibi diximus, ab afficiendo dictum, æque atq; illud, de multis effertur rebus. Sed nunc recessus in statum præter naturam, qualescunq; ij fuerint affectiones siue affectus, toto hoc libro nominabimus. Quæremus autem omnium primum, quot, qualesq; hæ sint uacuationem poscentes: deinde quænam ex ijs uenam incidi postulent. Quoniam autem omnia quæ in quæstionem ueniunt, duo inuentionis organa obtinent, nempe rationem, & experientiam, idque cum in artibus omnibus, tum per omnem prope uitam: necesse esse arbitror, & nunc quoq; me aut ratione sola, aut sola experientia, aut iunctis ambobus, quæ proposita sunt scrutari. Porrò quoniam ratio ipsa partim ex communibus tantum notionibus progrediens inuenit & demonstrat, partim uero
B etiam quæ ex istis inuenta sunt, ad demonstrationem adhibet, utraq; ratione omnes uti artes demonstrauimus: ac nos quoque in præsentia, utra earum utilis reperietur, eam rebus nostris accommodabimus. Sane priori ratione omnes per totam uitam homines uti assolent, altera uero non omnes: nam proprie ad artifices attinet. Etenim geometra primum artis suæ theorema per solam priorem rationem demonstrat, † [deinde in secundo non sola ea utitur, sed ad eius demonstrationem quod ex prima probatum est, una adhibet.] Quantum uero deinceps a primo recedit theoremate, tantum etiam a prima ratione abscedit. Denique uero & pauciſſimis utitur, per ea quæ demonstrata sunt, alia demõstrans, & per illa rursum alia, & iterum per illa, alia, ut tandem demonstratio ad ea quæ plebi incredibilia sunt, procedat, nempe ad solis, lunæ, & terræ, non solum magnitudinum, sed & distantiarum cognitionem, Ex quibus tandem inuentis horologia construunt & clepsydras, qui hac uidelicet uia incedunt, lunæq; ac solis deliquia prædicunt. Sic nostra quoq; arte procedens oratio, multis utetur quæ in alijs operibus sunt demonstrata, puta quòd complures sunt facultates quæ animalia gubernãt, quarum alias naturales, alias animales appellamus. Generationis autem principia in rebus omnibus pro materia quatuor habent elementa, quæ per seſe mutuo tota misceri, inque inuicem agere sunt nata. Quapropter nulla hoc libro Asclepiadis fiet mentio, ut cuius elementa falsa ostendimus & in decimo
C tertio de demonstratione commentario, & in opere de Asclepiadis placitis, in quo quintus & sextus elementorum eius confutationem continent. Demonstratum est etiam & in commentario de elementis ex Hippocratis sententia conscripto, de qualitatibus effectricibus, quarum nomina sunt, caliditas, frigiditas, humiditas, & siccitas, & de humorum tum differentia, tum generatione. Porrò de medicamentis humorem unumquemq; purgantibus paucula quædam in libro de Elementis, sed separatim in alio libro tractauimus. Vtilis quoq; in rem præsentem tractatio de temperamentis est, elementorũ sequens tractationem: verum omnium maxime liber de plenitudine, in quo ostensa est & ut ad uires plenitudo, & ut ad capacitatem in qua continetur. Atq; hæc plenitudo a medicis κατὰ τὸ ἔγχυμα nuncupatur. Optimum ergo fuerit, ut qui scienter uolet expendere quæ hoc uolumine dicenda ueniunt; De plenitudine librum prius perlegat. Quæ uero & ille ante perlecta requiret, ipse indicabit. Nec uero mirum cuiquam uideri debet, si tantis sit opus ut probe de uena secanda contemplari liceat. Non enim ad huius modi auxilij inuentionem, sed & aliorum omnium, necessaria est eorum, quæ modo recitauimus, cognitio. Nam si citra illorum notitiam recte curare possemus, haud esset cur ea tanti faceremus. Sed hæc præfari necesse fuit. Tempus autem nunc est orationem ordiri, considerando quot sint affectiones uacuatione indigentes. Ergo siquis eas experientia collectas exponat, sola opus est
D ad explicationem memoria. At si uia rationali, commune & generale inueniat necesse est. Ex illius deinde in species differentias que sectione usque ad species ultimas, affectuum numerus uacuationem indicantium, inuestigandus est. Sic enim constare uniuersa, quæ per rationalem uiam inuentionem sortiuntur, monstrabimus.

Quæ corporum affectiones uacuatione indigeant. Cap. 4.

IGitur cum artis medicæ officium sit, omnes partium corporis functiones, ubi corrumpuntur quidem, recuperare: tueri autem, ubi saluæ fuerint: hæq; ad constitutionem sequantur naturalem, necesse est hanc, dum præsens est, seruare, intereuntem uero recuperare. Cum ergo primarias actiones a similaribus corporibus perfici ostensum sit, ab instrumentarijs uero secundarias, uidendum est tibi, qui in corpore continentur humores, quam aut utilitatem aut noxam partibus eius afferant. Posteaquam igitur in libro de plenitudine demonstratum est bifariam & fieri & dici plenitudinem, nempe uno significato ut ad uires, altero ut ad continentium humores uasorum laxitatem, quod quidam uocant κατὰ τὸ ἔγχυμα, utrique uacuatione est opus, siue in homine ualetudinario, siue ualente euenerit; Sane quemadmodum qui onus gestat, non protinus ubi grauatur ac fatigatur, iam cecidit & uictus abest: ad eundem modum ubi uirtus a plenitudine grauatur, fieri potest ut nondum homo ægrotet. Siquidem nonnulli qui cõsueta etiamnũ munia obeũt, sentire seſe graues, pigros, segnes. atq; ægre mobiles referunt,

referunt,atq; ea eſt ut ad uirtutem plenitudo: uelut ubi poſt exercitia tendi uideantur, quemadmodũ Erasiſtratus dixit: *Implentur brachia & cubitus:non exigua eſt ea alterius plenitudinis nota, quàm κατὰ τὸ ἔγκυμα uocari a quibuſdam propoſui, quandoquidem κατὰ τοὺς ἐγκεχυμένους,id eſt infuſis per uaſa humoribus,conſiſtit,& intelligitur. Dictum autem eſt in libris de ſanitate tuenda, ubi in toto corpore ſenſus prouenit ulceroſus,ac potiſſimum dum mouemur,talem affectum mali ſucci eſſe ſobolem. Attamen id non paucis conſuetas etiamdum res agentibus uſu uenire conſpicitur. Quandoq; autem & in partibus quibuſdam corporis,non in tota mole, indicia exiſtunt affectionum illis in partibus conſiſtentium ſimilium ijs quas in toto corpore conſiſtere dictum nunc eſt.Nam caput aliquando ſolum grauari ſentimus,aut ulceroſam quandam affectionem habere,aut muſculos temporis,quos κροταφίτας nuncupant,intendi,idq; aut ſimpliciter,aut cum maiore quadam caliditate. Sic & in iecinore, liene, uentre, coſtis,ſepto tranſuerſo,grauitatem ſæpenumero percipimus.Similiter in ore uentriculi aut grauitatẽ, aut morſum,aut nauſeam,aut ciborum faſtidium, aut abſurdum appetitum quandoq; ſentiſcimus. Ad hæc autem fixi in parte quapiam dolores, idq; aut ob humorum copiam confertim ingruentium, aut propter ſpiritum flatuoſum,uacuationem indicant, ſicut qui ab acri humore partem exedente rodenteq; proueniunt.Sunt autem qui ab intemperie naſcantur, atq; inter eos ipſos quidam ab ea ſola citra humores,alij uero cum humoribus. In omnibus itaq; iſtis modo propoſitis, infeſtantium tum humorum,tum uaporum euacuationes a pathematis,id eſt paſſionibus, hominem liberant. Non tamen uena ſecta prorſum eſt opus,ſed ſufficit purgatio,frictio, balneum,& inunctio cum digerente medicamine.Ergo qui uena inciſa iuuentur affectus,deinceps dicamus.

*παραπλησίως.

A.l.3.f.1.t.1. c.5.p.349.b.

Quo pacto Cor,& reliquæ corporis partes ab humoribus alterentur. Cap. 5.

NOn ſolum nutrimentum animantis partibus ex ſanguine eſt, ſed calor quoq; naturalis perſeuerantiam ex ſanguine obtinet: quemadmodum ex lignis comburi idoneis qui in foco eſt ignis, a quo ædes totas caleſcere conſpicimus.Itaq; quemadmodum ignis hic offenditur, interim quidem congeſtis in eum confertim lignis,interim uero tametſi non multis,tamen admodum madentibus, nonnũquam aũt oĩno non impoſitis,aut ualde exiguis:ſic qui in corde eſt,calor, interdum ſeipſo minor efficitur aut ℔ ſanguinis copiam,aut ℔ ingentẽ inopiã,aut propter qualitatem frigidam:interim uero maior aut propter calidam ſanguinis qualitatem,aut ℔ pauculam inopiam. Quicquid autẽ cor in caliditate frigiditateque perpetitur, eius protinus & aliæ corporis partes participes fiunt. Euenit autem & una in parte perſæpe præter naturam tum caliditas,tum frigiditas, ſicuti ſæpenumero in alijs commentarijs demõſtrauimus.Idq; duplici ratione prouenit,interim ob humores calidos,aut frigidos, interim uero ob ſolam intemperiem. Ceterum quæ membratim accidunt caliditates aut frigiditates, eas quæ parti quidem affectæ uicinæ ſunt,una alterant, at in totum extendi corpus priuſquam cor mutent, nequeunt.Eundem in modum & cordis corpus duplici modo alterari oſtenſum eſt,aut per intemperiem, aut propter humores calidos uel frigidos,aut ob alicuius horum inopiam. Porrò humores calidos frigidosq; fieri demonſtrauimus pro cibi potusq; modo,& ob pleniorem corporis animiq; tum motum, tum quietem. Ceterum quemadmodum in uentre frequenter prauæ fiunt coctiones, ijs quæ aſſumpta ſunt,in pituitam aut bilem conuerſis, aliamve præter naturam corruptionem perpeſſis, aut crudis, & alterationis expertibus plurimo tempore manentibus,& in flatum uerſis: ita ubi ſanguinis fraudamur generatione, humorum in arterijs ueniſq; affectiones proportione reſpondebunt ijs quæ a fruſtrata in uentre concoctione proueniebant.Quoniam autem calida ſimul humidaq; omnia celerrime putreſcere apparent, & præcipue ſi in locis calidis ſint, conſequitur neceſſario, quod ex uentre diſtribuitur nutrimentum,quando a natura non ſuperatur, inq; ſanguinis boni generationem non conuertitur, alias aliam perpeti putredinem.Atqui cum quæ ex materia calida putreſcunt, calidiora etiam euadant, calidior quoq; erit proinde ſanguis putreſcens. Hic autem ubi calidior fuerit, calidior quoq; ſenſibiliter pars in qua putreſcit,euadet.Porrò autem quoniam a notabiliter calidis, una quæ uicina ſunt, incaleſcunt,una quoq; cum ſic affectis partibus,quæ circunquaq; ulterius ſunt, incaleſcent, idq; calore acri ac mordaci.Eiuſmodi.n.eſt qui a putredine proficiſcitur. Ergo ſi pars quæ hoc pacto incaluit, inſignis ſit,& calorem ſuum in cor protendere ualeat,ſiue quòd uicina ſit,ſiue quòd ex principalibus,ſiue quòd calida, una & ipſum accendet,ut quod natura calidiſſimum ſit.Quod ſi ſemel illud accenſum fuerit, facile totum ipſius iam corpus ſimul excalfiet,quemadmodum ab ingenti in foco flamma quæ illam cõtinet domus.Vocant autem id pathema Græci quidem πυρετὸν,[Latini uero febrem.] Sed & nonnunquam priuſquam putreſcat ingens ſanguinis uis in partem impetu decumbens, aut prorſum eam extinxit,ut actio interiret,aut certe non contemnendam noxam inflixit. Nam hoc pacto apoplexiæ proueniunt, multo nimirum ſanguine in principium animantis confertim incumbente.Nam ubi in aliam partem præceps ruit,tumorem inibi præter naturam efficit. Ex hoc genere eſt phlegmone.At ubi craſſior eſt,melancholiæ quæ magis naturam refert qui decubuit ſanguis, ſcirrhoſus tumor efficitur, ſicut ſi pituitoſior ſit fluxio,laxus:ſin bilioſa, eryſipelas exiſtit.Diſcriminata hæc ad unguem habes in ijs quæ modo recenſuimus operibus.Nunc autem ut dixi,quæ ſunt demonſtrata, hypotheſium loco,hoc in libro aſſumens, conſentaneam illis ſecandæ uenæ rationem demonſtro. Igitur cum plenitudo duplex ſit(optimum enim fuerit hinc auſpicari)& ea quæ ad uires refertur,facile in putredinem perueniat, atque etiam interdum in partes quaſdam ingruens, inibi tumores præter naturam excitet:& altera quoque

A que,quæ κατὰ τὸ ἔγκυμα appellatur,ſæpe in partes decumbat,ac tumores creet,immo & apoplexias moliatur,uenarumq; ruptiones: eam celeriter euacuare tentandum, priuſquàm magnum aliquod malum in homine admittat.Porrò fuſiſſime expoſitum eſt in tuendæ ualetudinis uolumine, quo pacto utranq; affectionem & agnoſcere & ſanare oporteat,ſicut ubi febris aut ſanguinis reiectio præ plenitudine inuaſit,aut apoplecticarum infirmitatum aliqua,quomodo & illas curare oporteat,in curandi methodo diximus.Quare de his plura conſcribere ſuperuacaneum cenſeo. Nam ſi perinde ut in illis tractatibus ſcripſi,ita & hic ſcribam,bis eadem de re uerba facere cogar, ac propterea in longum etiam ſermonẽ extendere.Sin in compendium librum hunc contraham,duorum alterum ſubibo periculum, aut ut ob breuitatem obſcurus fiam,aut diſtinctionem aliquam utilem præteream. Verum quoniã haud mea uoluntate hunc aggreſſus ſum librum, ſiquod dictorum peccatum eueniat, ipſi culpam ferent, quorum auctoritate hoc coactus ſum onus ſuſcipere: ſicut ſi recte atq; ex ſententia accidat,utiliſq; appareat,laudem illis omnem cedo.

Qui ſcopi in mente habendi,quibusve indicijs diſcernendi.vt ſanguinem mittamus. Cap. 6.

RVrſus ergo orationi ſumatur principium. Qui res conſuetas adhuc factitãt,ſed princeps illis pars aliqua aut totum corpus grauatur tenditurve,ijs neceſſaria eſt euacuatio.Porrò ſi ætate nec puerili ſint,nec ſenili, de ſecanda uena conſilium inito,præ oculis habens principales hoſce ſcopos, nempe plenitudinis tum quantitatem, tũ qualitatem & uirium robur atq; infirmitatem:deinde naturalem totius corporis habitum,tempusq; & regionem,uitamq; anteactam,tum an cibi potuſq; copia,& præcipue affatim nutrientium,qui ſic affectus eſt,ſit uſus:adhæc conſuetudinem, & res præter conſuetudinem actas,quoſq; motus exercuerit,quas excretiones habuerit, aut præter ſolitum compeſcuerit: ad omnia autem hæc num gracilior aut craſſior euaſerit. Sane utriuſque plenitudinis quantitas ex propriorum ſignorum magnitudine definietur.Quanto enim grauior ſibi homo uidetur, tantum & plenitudinem,quo ad uires creuiſſe conſtat.Ad eundem modum quantum auctus fuerit ſenſionis ſenſus,tãtum & alteram inauctam plenitudinem,quam à quibuſdam κατὰ τὸ ἔγκυμα, uocari diximus. At utriuſq; plenitudinis qualitatem partim ex coloribus agnoſces,(memor colorem humorum eſſe,ſiquidem modice a calore frigoreque externo affectum totum corpus fuerit:) partim ex ijs quæ humorum naturæ coniuncta ſunt. Etenim calidiores,calidior totiũs corporis ſenſus ſequitur, frigidiores uero frigidior: tum eos qui in uenis quidem aceruantur humores,tumor,uaſorumq; diſtenſio: qui uero in carne,ſenſus in ea aut grauitatis,aut tenſionis,ſicut certe & caliditatis.Porrò diſpenſantium nos facultatum infirmitatem ac robur proprijs indicari functionibus oſtendimus: arbitrarijs quidem, ea quæ in neruis,& horum principio cerebro:pulſatiuis autem,ea quæ in arterijs & corde:at a functione quæ in bona editur nutritione,aut nutritione abolita,tum colore bono aut malo,tertia facultas, nempe nutrix,quam a iecore proficiſci demonſtrauimus, agnitionem ſortita eſt. Vbi ergo extantibus plenitudinis ſignis ualentes facultates fuerint,uenam incides uidelicet, ſi tenſiua quidem ſit affectio, nullo diſcrimine,magiſq; etiam in phlegmonode.Sin infeſta ſit degrauans plenitudo,haud ſemper ſanguinis molienda detractio eſt.Fieri enim poteſt, ut crudus per corpus collectus ſit ſuccus. In quo aduertendum diligenter eſt,quatenus ualeat robuſtaq; ſit uirtus,†[& quatenus humor ipſe ſit frigidus.] Nam exoluta ab id genus affectibus uirtũs,adhibita ſanguinis miſſione,in extremum malum recidere ſolet, ut nequaquã poſtea reſtitui poſſit. Quod ubi euenit, periculum non leue conſequitur, potiſſimum ſi febris accedat ſtatu æſtiuo,ſtomachoq; male affecto,aut toto adeo corpore natura molli,& tẽperie humido. Eiuſmodi enim hominibus multa accidit per halitum digeſtio,repentinaq; ſyncopa, etiam ſi febris haud magna inuadat.Si uero horum nihil ſit, ceterum hyems fuerit, regiove natura frigida, tum natura quoq; hominis frigidior,ijs per ſanguinis miſſionem & totum corpus grauiter refrigeratur, & accidunt non nulla quæ ad grauem ſequuntur refrigerationem,ſymptomata. Quo circa qui ſic affecti ſunt, eos ſanguinis miſſione uacuare non conuenit, ſed frictionibus, mediocriterque excalfacientibus unctionibus,tum potionibus humorum craſſitudinem incidentibus,ac modice calfacientibus. Nam quæ ualenter calfaciunt,nimis ſubito uires deijciunt,ut in reliquam curationem non ſufficiant,ſepe etiam febrẽ auxere:itaq; & inde uiribus noxa obuenit. Quapropter humorum incidentes craſſitudinem tum cibi, tum potus mediocris ſunto in excalfaciendo facultatis.

A.l.1.f.4.c.10.p.146.e.

† Gr. μέχρι δὲ πόσου αὐτὸς ὁ χυμὸς ἦν.i. & quantum humoris ipſius genitũ ſit. Antiqui tamen codices habẽt ξυκτὰ ut hic & antiquus iterpres tranſtulit.

Quibus morbis præcauendis veris tempore uel uenæ ſectio uel purgatio conueniat. Cap. 7.

POrrò qui ſanguine ex pectore reiecto in præſens quidem curati, ceterum eam ſortiti ſunt corporis ſtructuram in thoracis, pulmoniſq; partibus, ut uel pauculo plus collecto ſanguine protinus aut uaſis alicuius oſculum referetur, aut ipſum rumpatur:ijs etiamſi nullum in corpore etiandum ſymptoma extiterit,ineunte tamen uere ſanguinem mittere oportet: ſimiliter qui prompte morbum comitialem,aut apoplexiam incurrunt. Ad eundem modum,ſi aliorum morborum cuipiam obnoxium eſſe hominem cognorimus,puta peripneumoniæ,pleuritidi,anginæ,committendum non eſt, ut expectemus dum aliquod euidẽs plenitudinis ſymptoma appareat, ſed anteuertere ſanguinis detractione præſtat. Eodem modo quibus,hæmorrhoides retentę ſunt,potiſſimum ſi natura ſint atrabilaria, quiq; quotannis æſtate plethoricis morbis corripi aſſolent, & hos quoque ueris initio uacuare expedit. Eadem ratione & qui ipſo etiam uere illiuſmodi malis uexantur. Sunt autem quidam oculis imbecillioribus, aut

A.l.1.f.4.c.20.d.

A.l.1.f.3.d.5.e.1.p.128.e.f.

aut ſcotomaticis quas uocant,hoc eſt uertiginoſis obnoxij paſſionibus, qui & ipſi principio ueris inani E
ri poſcunt.Sed illud prius uidendum quid ſit quod in illis aceruetur.Siquidem nonnullis amaræ bilis
ſuccus plus ceteris colligitur, quibuſdam bilis atræ, aut pituitæ, alijs ex æquo omnes, in quibus ſan-
guis abundare dicitur.Hos ergo omnes uacuabis,ſicuti etiam podagricos & arthriticos ueris princi-
pio,exhibito uidelicet aut medicamento purgante,aut ſanguinis diminutione. Equidem complures
ipſe ſanaui,qui tribus quatuorve annis per interualla pedum laboraſſent doloribus,exundante humo-
re ueris initio expurgato, aut ſanguine diminuto.Ceterum id neminem latere puto,illos in omni dein
ceps uictus uitæq; ratione agere moderatos.Nam intemperantes,uinoſoſq;, ac uentri gulæq; deditos
neq; purgatione,neq; ſanguinis miſſione magnopere adiuueris. Nam per uitæ intemperantiam, cru-
dorum humorum copiam ocyſſime colligunt.uerum his ne manum quidem admouere tentandum eſt.
Eis uero qui præceptis ſalutaribus obſequentur,ſummopere profueris, ſi principio ueris primum qui-
dem euacuaris:deinde autem ad exercitia,uictusq; rationem ſalubrem deinceps perduxeris. Quæ de
iſtis dixi, hęc tibi dicta putato, & de omnibus qui quibuſuis capi morbis ſunt apti ex ijs quos modo
enumerabam, nempe aut comitiali, aut apoplexia, aut uertigine, aut ſanguinis reiectione, aut
melancholicis.

A.l.1.f.4.c.11 p.145.d.

Nonnunquam abſq; plenitudinis indicijs ſanguinem mitti oportere,ac de ortu eorum affectuum qui Rheumatici uocantur. *Cap.* 8 F

PORrò non ſolum ubi adeſt plenitudo,ſiue ea ut ad uires ſit,ſiue ut κατὰ τὸ ἔγχυμα,mirifice prodeſt ue
næ ſectio:uerum etiam citra plenitudinem initio phlegmones,quæ aut propter ictum, aut propter
dolorem,aut partium debilitatem prouenit:quippe cum dolor ſanguinem ad ſe trahat, & ſępe partium
debilitas phlegmonem,abſq; ut in corpore plenitudo ſit,procreet.Oſtenſum eſt enim in uirtutum natu
ralium commentarijs,infirmam natura partem prompte grauari,ſi uel paulo modo plus aceruetur in ea
excrementi:quinetiam quòd pars quælibet uim poſſideat ſicut familiarium attractricem, ita quoq; alie
norum excretricem:tum quod duplex ſit alienum,alterum quantitate, alterum qualitate.Itaq; partem
quamuis,quæ licet ab humoribus in ſe contentis non grauetur, tamen excrementa quædam habeat in
qualitate præter naturam, ad eorum excretionem per uenas inibi ſitas tanquam per canales inſurge-
re.Porrò ſi quod propellitur prauus ſit ſanguis,ſiue alius quiuis ſuccus, ad propinquam primū ueniat
partem neceſſe eſt.Vbi rurſum duorum alterum eueniet:aut enim concoctus corruptusve in aliam ter-
tiam haud transfluet,aut ſi neutrum aſſequatur, denuo ex parte ſecunda in aliam labetur, atq; iterū ex
illa in aliam:neque ceſſabit quoad in talem quampiam illabatur,quæ amplius ex ſe propellere quod in
ipſa redundat,nequeat.Accidit autem id illis partibus, quæ uim excretricem uicinis omnibus imbecil G
liorem obtinent.Siquidem haud etiam in illas quæ præ uirium robore non admittant, repellere quod
moleſtum eſt ualent. Nam & hoc quoque nobis in illis monſtratum eſt commentarijs, quòd non ſolū
pars quælibet recrementum in uicinam protrudat,uerum quòd & recipiat quidem, ſed contra ſæpe re
mittat,& contra repellat,in ſeſe haud admittēs: quo in certamine uictoria potitur ualidior. Quapro-
pter partes infirmiores omnium primæ excrementitijs morbis corripiuntur. Huiuſmodi quapiam ra-
tione rheumaticos uocatos affectus prouenire ſcito,toto uidelicet corpore infirmo (quæ una eſt mali
habitus ſpecies)principibus uero illius partibus,paulum,licet inſit ipſis ſanguinis, grauari tamen ſoli-
tis,eumq; ad carnoſas cutis partes protrudentibus,potiſſimumq; ad adenas excipiēdis recremētis ido-
neos,tum ob ſubſtantiæ laxitatem,tum quia omnium partium minime robuſtas habeant naturales uir
tutes,ſicut & pinguedo.Nam cum quatuor eæ ſint,ut oſtenſum eſt,prima attractrix, ſecunda retentrix,
tertia excretrix,& quarta alteratrix,alias quidem tres imbecillimas, adenes carneſq; obtinent:at unā
alteratricem haud ita multo ceteris partibus minorem. Poſt adenes ſequitur pulmo,fluxioni recipien-
dæ promptiſſimus.Nam & hic tres facultates infirmas poſſidet, & corpus ipſum laxum.Deinde eſt liē.
Porrò cerebrum aut perinde ut illi,aut etiam plus excipiendo fluxui eſt habile. Ceterum hoc illis po-
tius eſt, quòd conſtructionem habeat eijciendis ijs quæ accepit promptiſſimam. habet enim ingentes H
uentriculos,qui pronis meatibus euacuantur.Quibus ergo carnoſo genere pulmo,lien, ac cerebrum,
natura robuſtiora ſunt, in ijs ad adenas & carnes fluxiones perueniunt, ubi totus nimirùm habitus in-
firmus fuerit,uelut in rheumaticis affectibus accidere ſolet. Merito ergo his curandis ſcopus eſt, non
euacuatio, ſed corporis totius roboratio, quanquam tamen curationis initium illis à miſſo oriatur ſan-
guine,ac ſi excrementa prauam etiam qualitatem habuerint,una adhibeatur purgatio. In quibus maxi
me corporibus neutrius proprium expectandum plenitudinis ſymptoma eſt, puta grauitas quidē eius,
quæ ut ad uires eſt, tenſio uero eius quæ ut κατὰ τὸ ἔγχυμα. Eadem ratione in ijs quibus pars quæpiam
grauiter icta eſt,aut utcunq; aliter incipientem habet phlegmonem: eam ſi magnam fore ſuſpicamur,
curationem ab inanitione auſpicamur,aut purgatorio medicamine exhibito,aut uena inciſa,prout ni-
mirum alterum altero magis conuenire iudicamus.

Inter ſcopos ſanguinis detrahendi quinam ipſam detractionem,qui ipſius quantitatem dicantur indicare. *Cap.* 9.

† REcte ergo admonemur in ijs, qui exempli cauſa in libro de ratione uictus acutorum proponun-
tur,ſanguinē mittere,ſi magnus ſit morbus,& æger florenti ſit ætate,roburq; adſit. Perperamq;
Menodotus in ſola ſyndrome plethorica ſeruari uenæ ſectionem inquit. Contra enim prorſum ſangui
nis

†Ego ita ue terem. Re ergo admō mur ī iis q

adiecta ſunt libro de uictus rōne acutorū ſanguinē &c. & ita ēt ter in ſerius in hoc capite.legerē enim græce ἐν τοῖς προσκειμένοις τῷ περὶ διαίτης ὀξέων, ut ſemel ēt in ſerius uiſus ē legiſſe Nicolaus Calaber. Dicebat. ēm Galenus i eo dem quarto libro de uictus rōne in morbis acutis eū librum ēt Eraſiſtrati temporibus germano Hippocratis libro adiūctum fuiſſe. A.l.1. f. 4.c. 10.p.145.d A. ibidem.

A nis mittendi ſcopi, primum in ſe plenitudinem non comprehendunt,ſed fientis,[ut ſic dicam,] paſſio-
nis ſuſpicionem.Nam ſi eam magnam fore apparet,omnino ſanguinem mittemus, etiāſi nulla exiſtat
plenitudinis nota, tantum inſpecta ætate,uiribus,& regione,quæ ſola in *propoſitis de ratione uictus
recenſeri conſpiciuntur.Vigentes enim ætate,propter pueros & ſenes in diſtinctionem aſſumpſit. Ce-
terum primi principeſq; mittendi ſanguinis ſcopi ſunt,morbi magnitudo,& laborantis robur, & hanc
eſſe primam dicendum eſt ſyndromen,non plethoricam,in qua ſeruata ſit ſanguinis miſſio. in illa.n.&
hæc comprehenditur,ut quæ morbi magnitudinem adaugeat. Quippe non ſolū ubi iam adſit morbus
grauis,ſanguinis detrahendi tempus eſt, ſed ubi futurum uerisimile eſt. Anteuertit enim Hippocratis
doctrina,qua nos docet quæcunq; morbis præſentibus recte peraguntur,aut incipientibus, aut immi-
nentibus præuertenda.Quare & propoſitos ſcopos ad ſanos transferre liceat. Siquidem & his ſangui-
nem mittere expedit, ubi nimirū magni alicuius morbi metus imminet,ratione habita & ætatis,& ui-
rium. Nam ſiquis ut magnum incurrat morbum ſit habilis, licet nullum etiam in corpore ſymptoma
acciderit:uenam tamen ſecandam cenſemus.Satis eſt enim ætatē & uires inſpexiſſe. Itaq; tria ſunt quæ
agnitionem continent,morbi magnitudo aut præſens,aut imminens: ætas florens,& uiriū robur. For-
te uero negligentius in *propoſitis in libro de uictus ratione acutorum, expoſita uideri poſſit una æta-
B tis particula.Nec enim florentem duntaxat dixiſſe recte habet, ſed addenda eſt & quæ illam præcedit,
& quæ ſequitur,uti uidelicet duæ tantum diſtinctioni eximantur,nempe puerorum, & ſenum. Verum
ſenum ætas in uirium uerbo comprehendi poteſt: nulli enim qui ea ætate eſt, robur ineſt. Quibuſdam
uero medicis ne pueris quidem robur ineſſe uiſum eſt,ſed perperam rem intelligētibus,ſicut alibi nos
oſtendimus. Itaq; ſi magnum fore morbum expectamus, aut iam præſens eſt, aut incipit, uenam tun-
demus,uirium habita ratione,tantumq; ex oratione exemptis pueris: dicemuſq; minus perfecte poſi-
tam ætatis dignotionem ab eo qui *propoſitos conſcripſit in libro de uictus ratione acutorum. Satis
enim ſunt ad incidendam uenam hi duntaxat ſcopi. Neq; enim ubi tanta crudorum humorum copia
accumulata eſt,ut ſecandam uenam prohibeat,ratio redarguitur.nam iſtis uirium robur non adeſt.Eſt-
que hoc indicium eos haud poſſe ſanguinis miſſionem perferre, quando unà cum colore corporis to-
tius,qui exciderit ab indicando ſanguinem abundare,pulſus adeſt in uehementia & magnitudine inæ-
qualis,exuperantibus per ipſius inæqualitatem,imbecillibus & paruis. Definitis itaq; tribus mittendi
ſanguinis ſcopis,nempe morbi magnitudine aut præſente,aut imminente,aut incipiente: ætate floren-
te,uirium robore,extra puerorum ætatem,ad alia antedicta mittendi ſanguinis indicia; quæ non pauci
adijcienda medici cenſuerunt, nunc accedamus. Coindicant autem hæc detractionis quantita-
C tem,non ipſam ſanguinis detractionem.Itaq; ex morbo, ætate, & uiribus minuendus eſſe ſanguis co-
gnoſcitur.At uacuationis quantitas non ex iſtis modo,ſed ex alijs deprehenditur. Ea ſunt, plethorica
uocata ſyndrome,aeris nos ambientis temperies,in tempus & locum diuiſa, eaq; quæ in anteacta acci
derunt uita circa comeſorum tum quantitatem,tum qualitatem excretioneſq; ac motiones,aut factas,
aut non factas.Sed quæ nam ſit in his diuerſitas, paulo pòſt uiderimus.

De ratione uacuandi eos,qui cum plenitudinis indicijs ſanas obeunt actiones. *Cap.* 10.

IN præſenti autem de utriuſq; plenitudinis notis contemplabimur,an ubi eæ in homine ſolita nego-
cia obeunte apparuerint, mittendus illi omnino ſanguis ſit:an id neceſſarium non ſit, ubi nulla ma-
gni affuerit morbi expectatio. Porrò quid hac de re ſentiam,neminem ueſtrum ambigere arbitror, ut
qui ſępe affueritis ſanguinis miſſionem:ſuadenti,tum podagricis, tum arthriticis, tum epilepticis, ad
hæc melancholicis,quiq; ſanguinem antea expuiſſent,aut in thorace ſtructuram ſortiti eſſent ad id ma
lum idoneam,præterea uertiginoſis,quiq; aſſidue corripi ſolent angina,peripneumonia,pleuritidibus,
hepatidibus,ophthalmijs uehementibus,aut,ut in ſumma dicam,magno quopiam morbo.Nam in illi-
uſmodi omnibus neceſſarium eſſe remedium ſanguinis minutionem arbitror: confeſtim adhibitā poſt
habitam uirium atq; ætatis rationem.Hæc enim ſi forte aliquando non dicantur, ſubintelligere opor-
D tet,At qui nihil eiuſmodi unquam antea perpeſſi fuerint,omniumq; corporis partium inculpatam ſor
titi conſtructionem,geminam me uacuationis uiam proponere noſtis: per uenæ ſectionem quidem, ſi
in uictu ſint intemperantes:citra hanc,ſi temperantes.Licet.n.frictionibus multis,balneiſq;, & ambu-
lationibus,alijſq; motionibus, ad hæc unctionibus digerentibus celeriter plenitudinem exhaurire, ſi
utique uidebitur non eſſe craſſi ſanguinis abundantia. talis eſt ut plurimum maxime melancholica,ra-
ro uero crudorum quos uocant humorum. Ceterum in redundantia humoris melancholici ſanguinē
mittere præſtat,aut certe omnino medicamento uti atram bilem expurgante. At ubi crudi ſucci exupe
rant,antequam morbus inuaſerit,caute uacuabis:ſed ubi iam febris corripuerit,uti ante monui,nequa-
quam.Habebis uero eorum indicium tum colorem plumbeum, aut ex pallido album,omniaq; potius
quàm rubrum,tum pulſuum inæqualitatem. Si uero etiam admodum creuerit talis plenitudo, tum &
corporis illis grauitas ineſt,atq; ad motus pigritia, tum mentis tarditas,& ſenſus hebetudo.Contra ue
ro ſi quibus ex compreſſis hæmorrhoidibus cumulatus in corpore ſanguis extiterit,audacter uenam in
cides,etiamſi antea grauem experti morbum non fuerint. Fieri enim poteſt, ut apti quidem ad eiuſ-
modi aliquem fuerint, ceterum ob inanitionem quæ ex hæmorrhoidibus ſit nondum perpeſſi. Por-
rò ſi quæ illis partes prauam ſortitæ ſtructuram appareant, ac potiſſimum in thorace omnino eis ocyſ-
ſime ſanguinem detrahes.

A. ibidem.

De ratione euacuandarum mulierum,quibus menſtrua ſuppreſſa ſunt,ac quòd ſanguinis miſsio reuellendi gratia inanitis etiam corporibus adhibetur. E Cap. 11.

IDem me ſentire nouiſtis & de mulieribus, quibus menſtrua reſtitit purgatio. Neque enim profecto proroganda in his euacuatio eſt, non tamen neceſſe eſt illis uenā ſcindere: quippe cum malleolorū ſcarificationes ſuperfluitati quandoque euacuādæ ſatis eſſe queant:†quāquam nec deſit & aliud quippiam,quod menſium motum ciere poſſit, ſicut in malleolis ac poplitibus inciſæ uenæ. Nam plenitudines a ſuppreſſis menſibus ortas,omnino per crura euacuabis,ſiue uenam ſecare oporteat,ſiue ſcarificare. Sectæ enim in cubito uenæ mulierum reuellere purgationem aſſolent. Porrò quæ ex mulieribus albidiores ſunt,ſanguinem aceruare tenuem ſolent. Quocirca adhibitis malleolorum ſcarificationib⁹ maxime iuuantur. At quæ nigriores ſunt,ſecta uena curato. Craſſiorem enim ſanguinem,ac magis melancholicum colligunt,magis uero etiamſi magnas habere uenas appareant,quod illis accidit quę graciliores ſunt ac nigriores. Carnoſis uero & candidis paruæ inſunt uenæ,quibus malleolos ſcarificare, quàm uenam ſecare præſtiterit:quippe cum hæ paruas in cruribus uenas habeant. Itaque etiam ſi probe ſecentur,quod iuſtum tamen ſit,non profluat. Ceterum non contemnenda uenæ ſectio eſt, tanquā non ſit auxilium reuulſorium, cum me ſæpenumero conſpexeritis in ualida ſanguinis e naribus eruptione eo uſum repente fluxionem ſedaſſe. Expedit autem,uti uidiſtis, non eo uſq; ſanguinem educere,dum ad extremum uires ducantur,ſed quoad quod ſymmetrū, moderatumque ſit, eductum uideatur,prorumpentiſque ſanguinis impetus nondum flacceſcat, ſed ualidus permaneat: ſecare in cubito uenam,ſi ex dextra nare prorumpat ſanguis in brachio dextro:ſin ex altera,in ſiniſtro. Simul autē cum hoc agis,artubus uincula inijcito aut ex lana,aut ex canabe, tum hypochondrio directe ſuppoſito cucurbitam admittito. Nam hæc nos faciendo,ut ſcitis,ſemper erumpentem ex naribus ſanguinē compeſcuimus,cum antea experiundo quæ ſcribunt in nares inſerenda medicamenta, atque in frontem illinenda,infirma omnia compererim. Itaque ad ea quæ ſupra de ſanguinis miſſione dicta ſunt,& hoc quoque Menodoti opinionem conuincit: qui putarit plethoricam uocatam ſyndromen remedij nos admonere. Nam quæ dicta eſt affectio,plethoricæ plane contraria eſt. Adhibemus autem ad eam ſanguinis miſſionem,non ut euacuatorium,ſed ut reuulſorium remedium. F

†Alias ex antiquis clari... quæ & alia... qui hoc e... habent, qui... menſium u... cuationē c... re poſſunt, ſi... cuti etiam i... malleolis &... A.l.1.f.4.c... p.151.b A.l.1.f.4.c. p.137.a.

Quod melius ſuccedat partita ſanguinis detractio,quando ſemel confeſtim,uel ad animi deliquium uſque uacuandum. Cap. 12.

NIhil æque artem medicam in agendo coniecturalem efficit,uti cuiuſque remedij quantitas. Et G enim cum frequenter compertum habeamus tempus inſtare exhibendi aut cibi,aut potus,eiuſque aut calidi,aut frigidi:quantū tamen dandum ſit,certo haud nouimus. Idem uſuuenit in purgantibus medicinis. Nam quod laboranti præbendum ſit medicamen,aut bilem, tum flauā, tum atram, aut pituitam,aut ſeroſum excrementum euacuans,exacte nouimus:ceterum quantum præberi debeat,neſcimus. Atqui talis exhibitio corrigi poſtea nequit. Nam quod ſemel in uentrem deuoratū eſt medicamentum,quo minus omne deuoratum ſit,fieri nō pōt,neq; poſſibile eſt,ubi plus quàm conueniat,iam purgetur homo,partem oblati auferre. At in ſanguinis miſſiōe ſummū id bonum eſt,euacuationē dum uoles poſſe ſiſtere,ac rurſum quo uideatur,tempore, fluere ſinere,quoaduſque recte habere appareat. Quapropter præſtat,niſi quid urgeat,priori miſſione detrahere, iterumque eam repetere, immo ſi lubet,& tertio. Vbi ergo multa euacuatione eſt opus, uerum uires ſunt imbecilliores, in his euacuationem partiri expedit,uti nimirum & me feciſſe uidiſtis in ijs,quibus crudorum inerat humorum copia. Nam pauculo ſanguine detracto,protinus melicratum exhibeo probe coctum non incidentium medicaminū quopiā,uelut hyſſopo,origano & interim etiam nepita,aut pulegio,aut certe cū melicrato oxymele,aut oxyglycy, ac ſic rurſum ſanguinem minuo, uel ipſo eodem nonnunquam die: interdum die poſtero, in quo rurſum exhibito propoſitorum medicamentorum quopiam, iterum de ſanguine quid H aufero,ac rurſum tertio die ſimiliter bis. Ceterum ubi ferueſcentis ineſt ſanguinis plenitudo, acutiſſimam accendens febrem,ſubito ac ſimul euacuare expedit, eamque inanire tentandum, uel ad animi deliquium uſq;,uirium modo inſpecto robore. Itaq; memini quibuſdam ſex detractas protinus cotylas aut poſtridie, aut tertio quartoue: quibuſdam primo etiam die, cum febris principio noctis cœpiſſet,aut medio, ac quæ pridie comederant,probe fuiſſent concocta. Nonnullis autem pridie inæqualitatem,aut*ſudorem,aut capitis alteriusue alicuius partis dolorem ſe ſentire quęrentibus,ac proinde parce eſitantibus,ubi febris præcedente inuaſiſſet nocte,primo etiam die me ſanguinem detraxiſſe memini. Nam in quibus tibi ſanguinis feruentis copia apparet,quàm ocyſſime eum uacuare conator,pri⁹ quàm in principem aliquam partem ingruat. Quamobrem nec per noctem ſanguinem aliquando mittere uerearis. Siquidem ridiculū eſt,quod quidam factitant a ſecunda diei hora ad quintam aut ſextam ſolummodo ſanguinem mittentes haud alio quouis tempore: quos ſi non clyſteres, cibū, aliaque exhibere remedia quocunque tempore noctis uidiſſem,grauiter profecto in illos inueherer. Quoniā uero omnia agunt haud præfinito uno horarum numero omnibus morbis cōi,ſed ut affectus moneat, in ſola autem miſſione ſanguinis dictum modo tempus ſemper obſeruant,tolerabilis eſt illorū error. Sic itaq; affectis ægrotis,ut diximus,expedit ad uſq; animi defectū ſanguinem educere. Noui enim ex ijs quoſdam

A.l.1.f.4.c. p.145.c

Alias, ſed... grauitatem... ita legat,... grauitatē,... dolorem c... tis alteriu...

A quoſdam neceſſario ex animi deliquio refrigeratos, ac toto corpore affluentibus madoribus & aluo rupta,celerrime morbo liberatos. Vtile eſt autem pulſuum diminutionibus animum aduertere,tangendo eos ſanguine etiamnum fluente,ſicut in alijs omnibus dum ſanguis mittitur,facere conſueui, ne uidelicet nobis nec opinantibus pro animi deliquio mors occupet, quod ſane tribus eueniſſe medicis noui. Venam ſecabat eorum unus mulieri febricitanti,aliorum uterq; uiro,ſed ad tantum animi duxere deliquium,ut uires recuperari non poſſent. Proinde ſatius eſt tam copioſa uacuatione abſtinere,niſi magna incumbat neceſſitas. Quin & reuulſionem,nō leue & ipſam auxilium,quodq; ſæpe ſecta adhibetur uena,quanto maiorem in numerum particulares auxeris detractiones,tanto efficaciorem effeceris. Hæc itaq; prænouiſſe præſtabat.

Quæ præuidenda ante uenæ ſectionem,ut tuto ſanguinem mittamus. Cap. 13.

RVrſum autem a principio ad propoſitam reuerſi ſpeculationem, exponamus quæ ſumme neceſſaria eſſe compertum habemus ijs,qui innoxie uenæ ſectiones obire ſemper uolent. Primum omnium ſcire conuenit,dum propoſiti ſcopi huius præſidij augentur,maiorem indicari euacuationem: dū uero exoluuntur, tantum detrahendum de ſanguinis miſſione, quanto illi minores euaſerint. Morbi itaq; magnitudo cum uirium robore,primi erāt mittendi ſanguinis ſcopi. ille quidem quæ faciēda ſunt B indicans, hic tanquam illum haud prohibens, id quod contra indicare iuniorum medicorum quidam appellant. Nonnunquam enim affectio mittendum ſanguinem commonet,ceterum uirium contra robur prohibet. Quibus ambobus ſcopis præſentibus,conſtat,ut ante diximus,nullam eſſe crudorum humorū tantā talemq; plenitudinē,quæ hoc inhibere auxiliū poſſit. Deinde conſiderādum q̄ ſit naturalis hominis tēperies. Nā quib⁹ amplæ ſunt uenæ,quiq; modice graciles ſunt,nec cādidi,neq; tenera carne præditi,copioſi⁹ euacuabis:cōtrarios aūt parcius:quippe qui exiguū hn̄t ſanguinis,carnēque facile trāſpirabilem. Hac ratione nec pueris uenam tundes uſque ad quartumdecimum ætatis annum, poſt quē ſi multus congeſtus ſanguis appareat, tempuſque anni uernum fuerit, regioque natura temperata, & pueri natura bene ſanguinea, ſanguinem minues, multoque magis ſi aut peripneumoniæ,aut anginæ, aut pleuritidis,aut alterius acuti,grauiſque morbi periculum incumbat. Detrahes autem primum,ut ſummum ad cotylā uſq;. Quod ſi poſtea perpendenti uires,permanere ualidæ uideantur, dimidium, eius adijcies,reiterata miſſione. Didiciſti autem uehementi pulſui cum æquabilitate,tanquam minime fallaci uirium robuſtarum ſigno fidem habere, ex abundanti autem & magno. Itaq; & ſeptuagenarijs, modo dicti adſint pulſus,ſi affectus iubeat,uenam ſecabis. Sunt enim quidam & in hac ætate multi ſanguinis uireſque habent robuſtas,ſicut alij ſicci,& pauci ſanguinis,& facile*areſcentes quauis percuſſa C parte. Itaq; non numero annorum ſolummodo animum aduertes, quod quidam faciunt, ſed & corporis habitui. Nam ſunt qui ſexageſimo ætatis anno uenæ ſectionem non ferant, cum quidam qui ſeptuaginta nati ſunt annos,perferant. Verumtamen minus his utiq; detrahes,etiam ſi eandē habere affectionem,quàm florens corpus,appareant.

A.l.1.f.4.c.20 p.146.F.

*al.nigreſcentes.

Quibus indicijs uacuandi ſanguinis menſuram diſcernamus. Cap. 14.

OPtimum autem fuerit,priuſquam aperiatur uena,hæc oīa conſiderare,& maxime de hæmorrhoidibus ſuppreſſis,aut muliebri purgatione. Vbi uero inciſa uena ſanguis effluit,mutationi eius, & maxime cum adeſt iam phlegmone,labaſcentique fluxionis robori,potiſſimum autem pulſuum mutationi,tanquā indicio haudquaquā mēdaci,animus diligēter attendēdus eſt, continuoq; quieſcendum pulſu alteraſcente aut in magnitudine,aut in quauis inæquabilitate. Nam de mutatione in imbecillitatem,quid attinet dicere? Didiciſti enim in hac qualitate certam fieri diſcretionē firmarū,infirmarumque uiriū. In quibus aūt iuxta ſectam uenam phlegmone eſt ingens,optimū eſt ſanguinis & in colore, & in conſiſtentia mutationem expectare,ſicut indicauit Hippocrates in libro de acutorum uictu,quan D do de pleuritide uerba facit. Alius enim eſt qui in phlegmone eſt ſanguis,ab eo qui ſecundum naturā, utpote plus excalfactus. Nam ſi antea crudior erat,rubrior modo & flauior efficitur:ſin eiuſmodi prius fuerat,ad atredinem uergit aduſtione. Proinde Hippocrates de pleuriticis hunc in modum ſcripſit: Secanda uero in cubito uena interna,nec uerearis multum detrahere,donec rubrior flauiorq; multo fiuat aut pro puro,& rubro liuidus,utrunq;.n.euenit. Siquidē ſignū cōſtituit aſſumpti in ſectā uenā ex phlegmone ſanguinis,mutationem in eo apparere. Non tamen omni ex parte expectanda eſt, ſed eſt quando antequam fiat mutatio,ceſſare cōueniat,idq; duplici nomine,ob infirmas uidelicet uires,aut phlegmones malignitatem. Interdum.n.nihil ab ea emittitur,ſed inibi fortiter cōſtrictus eſt. Si tamen uires exolui euacuatione nondum uideantur (id quod ex pulſu ſcies, & ſi cui ſanguis mittitur, ætate ſit florenti) expectanda eſt,mutatio potiſſimum ſi ambiens ſit tēperatus. Duo.n.hæc ſunt,ob quæ maxime cōiecturalis efficitur euacuationis in hoc auxilio quantitas, laborantis natura qualis ſit, quam utique ad amuſſim nouiſſe non liceat,& ambientis temperies qualis ſit a miſſo ſanguine futura. Nam cum febrilis calor multum ſanguinis digerit,atq; abſtinenter laborans uictitat, neceſſario breui illum nutrimentum ex ſanguine deſtituit, interimq; uirtus exoluitur. Abſumitur autem ob laborantis quidem temperiem ſi calida humidaq; ſit, cuiuſmodi eſt puerorum,ob ambiētem uero ſi regio ſit calida,& tēpus ęſtiuum. Proinde minus detrahimus,quàm plenitudo commonet:quod ad ætates quidē attinet,in pueris:

A.ibidem.c. 148.c.

quod ad corporis habitus, in candidis, & quibus mollis teneraque est caro, quales Galli sunt: quod ad E
tempus, sub Cane. similiter etiam in regionibus & constitutionibus. Alia uero ratione, ut & ante pro
positum est, in contrarijs, hoc est in frigidis tum temporibus, tum locis, largam euacuationē fugimus,
propter insequentem nimirum refrigerationem. Quapropter unum definire in quoque dictorum ua- Aui. ibid. tq
cuationis modū scripto nó licet. Memini enim quibusdam ad sex usq; libras sanguinē detractū fuisse,
ita ut febris protinus extingueretur, nec ulla sequeretur uiriū afflictio: quibusdā uero sesquilibrā haud
citra leue saltē uiriū detrimentū, quibus siquis duas uacuasset, extreme læsisset. Quapropter utiliter q-
busdā unā quoq; detraxi aliquādo, immo uero nonnunquā hac quoq; minus, idq; ex uena aut cubiti,
aut poplitis, aut tali. Nā ex venis quæ ad magnos oculorū angulos cōspiciuntur, aut sub lingua, quod
certe mentione dignum sit, efflaere nō solet: sicut nec siquis summa in manu aut pede uenā secet, quē-
admodum putant, qui lienem curari aiunt a uenæ ad secundum paruum digitum sitæ sectione, de qua
fusius deinceps differetur.

Quòd natura euacuatione e directo soleat affectus omnes persanare. *Cap.* 15.

QVæcunque igitur de hoc scemmate, siue speculatione, a medicis dicta sunt, ea si scribere aggre- F
diar, opus erit libro ijs singillatim dicato, eoque ingenti. Ceterum quemadmodum in alijs, quæ
hactenus definita sunt, effeci, ut scilicet & mentem meam uobis exponerem, qui eam a rebus
ipsis probari uidistis. idem nunc quoque faciam, sumpto initio ab ijs quæ quotidie in laborantibus ui-
dentur: quæ quidem Hippocrates diligenter obseruata, memoriæ prodidit. Est uero eorum unum pri-
marium que caput, hoc scilicet: Quibuscunque κατ' ἴξιν eruptio sanguinis accidit, summum id commo
dum laborantibus affert. (Hoc autem κατ' ἴξιν quod in rectum intelligatur, omnibus confessum est, cū
clarissime sæpenumero hac uoce κατ' ἴξιν in hoc utatur significato.) Quibus uero contra euenit, nihil iu A.l.1.f.4.c.
uat, aut etiam interdum nocet, quod uires scilicet citra morbi leuamen deijciat atque exoluat. Non p.137.a.
enim in liene turgente ex dextra nare erumpēs sanguis, nec in iecore ex sinistra ullam fert utilitatem,
sed reuulsio quibus in directum adhibetur, euidentem utilitatem celeriter ostendit: quibus contra,
haud etiam. Dextra igitur nare sanguis erumpens, ad dextrum hypochondrium fixa cucurbitula,
clare celeriterq; sistitur: sicut ad sinistrum, ex sinistra erumpens. Porrò reuulsionis causa, si uenā seces,
in directe quidem oppositis sanguinis eruptionibus, citissime conspicuam uidebis utilitatem. At si con
tra seces, nihil profuerit.

Venæ sectionem e directo patientis partis fieri oportere, ac de uenis quæ in cubito
secantur. *Cap.* 16.

SIc affecto liene[haud] æque adiuuerit circa annularem digitum sinistræ manus incisa uena, atque G græci codi-
si internam cubiti secueris. Multum enim iuuat afflictum lienem sanguinis ex sinistro brachio de- gunt affini-
tractio. Præstat autem non semel quantum conueniat extraxisse, sed in duos dies id partiri satius est. ue.
Inuenire tamen nequeo, quamobrem medici lienosis sanguinem detrahere neglexerint. Siquidē ego A.l.1.f.4.c.
ingentem perpetuo utilitatem prouenire conspexi, si uel libra duntaxat una detracta foret. Vacuatio- p.148.c.
nis tamen mensura ex dictis scopis coniicienda est. Quin & pleuriticis, quæ e directo laborantis late-
ris adhibita fuit sanguinis missio, clarissimam sæpe utilitatem attulit: quæ uero ex brachio opposito, aut
omnino obscuram, aut certe post temporis interuallum. Ad hæc, oculorum persæpe dolores grauissi- A.l.1.f.4.c.
mos e directo uenæ, quam humeralem nominant, sectio intra horæ unius spatium compescuit. Conari p.148.E.
autem in omnibus affectibus præstat, post medicam sanguinis missionem iterato mittere: interim eodē
die, si ita expedire uideatur: interim postridie, nisi qū, ut ante dictum est, ad animi deliquium euacuatio
nem ducere conueniat. Itaque dolentibus oculis humeralis uocata uena, quæq; ex ea deriuata est, in
cubito incisæ, luculentum celeriter commodum afferunt. Affecto uero latere, aut pulmone, aut septo
trāsuerso, aut liene, aut iecore, aut uentriculo, ea quæ per alas ad cubiti iunctura pertingit. Hoc autem
casu maxime interior secanda uenit: quod si non, certe ea quæ ab ipsa diducta in iunctura apparet flexu
ra. Nouistis sane paulo ante ab humerali uena prædictam diduci, ipsam connectentem. Nam hi tres H
sunt loci mittendi ex cubito sanguinis, interior, exterior medius. Igitur interior utilis est in ijs quibus
inferiores collo partes patiuntur. Exterior uero in ijs quibus quæ his superiores sunt, ut facies, aut ca
put. Medius locus interdum utrasq; habet diductas uenas in ulteriorem brachij partem tendentes, ac
deinde hic coeūtes: interim uero celeriter in unū mutuo cōgredientes, in ipso uidelicet iuncturæ flexu,
ac nonnunquā obscuram earū alterā, clarā uero alterā. Itaq; ubi uena quæ parti affectæ propria est, ob-
scurior fuerit, & ad mediorū aliquā accedas, conare, quæ a propria diducitur, potius incidere. Est uero
ubi & quæ inferiores sunt cubiti iunctura, eas quæ in ulna existunt scilicet, nihil secare prohibeat, ubi
nimirum quæ in cubito sunt, non appareant, sed eas certe quæ in rectum sunt affectis. Porrò tā perspi-
cuum sæpe celereq; remedium, quæ e directo affectis partibus uenæ secantur afferunt, ut & qui patiun
tur, & familiares ipsorum sæpenumero obstupescant.

Historia œconomi Romani diuitis, qui fuit ab oculorum inflammatione, ac cæcitatis periculo per sanguinis
missionem e directo liberatus. *Cap.* 17.

ITaq; ego olim rogatus sum a diuite quopiam in suburbijs Romanæ urbis, ut rerum suarum œcono
mum inuiserem, cui cæcitatis imminebat periculum: nam ita ille dicebat, certe magno dolore uexa-
batur, idq; diebus iam uiginti. Diuitis autē illius familiæ præfect⁹ erat medic⁹ sectæ Erasistrateæ, anxie
semper

A semper uenæ sectionem refugiēs. Vbi ergo laborante inspecto, iuuenem eum multi sanguinis cogno-
uissem, ac oculos quidem nondum ulceratos habere: ceterum phlegmonen maximam fluxionemque,
tum in ambabus palpebris densitatem, atque in altera quasdam etiam asperitates, a quibus oborta ca
ligine ægrotus magis magisque dolebat, ac phlegmone fluxioque acerbabantur: his inquam conspe-
ctis, cognitaque omni ratione curationis, qua medicus ille usus fuerat, me quidem assidue in suburbiū
uenire posse negabam, ceterum ex usu esse ut triduum ut minimum hominem paruis temporum inter-
uallis inspicerem. Permitte igitur illum inquam mihi, si uidetur, tres hosce dies. Immo uero, inquit, ut
facias obsecro, gratiamque habebo, quin iam hominem tecum ad ædes tuas abduc. Venit autem circi
ter horam quintā, ac prima protinus detractione tres sanguinis libras exhausi, deinde hora nona aliā.
A quibus mirifice refectus: inunctus est postero die mollium collyriorum quopiam, cui admistum erat
quod uinum habet, sicuti in eiusmodi facere consueuimus, illitu sub palpebris facto, specilli cuspide in
summo medicamē impositum ferente, id primum quidem mane faciebam, deinde ad horam tertiam,
postea ad nonam: post quas inunctiones sub occasum solis in balneum ductus est. Postero deinde die,
palpebris extra uersis bis inunctus est, maiore copia collyrij illius uinum recipientis, molli illi colly-
B rio admista. dein ad uesperam lotus est. Postridie uero mane obuius diuiti illi egressus, eo loci, ubi ex
uehiculis descendere solent, salutauit illum oculis apertis, phlegmoneque ac fluxione plane liberis,
qui ante biduum illos ne aperire quidem præ fluxione atq; dolore potuerat. Itaq; res incantationi si-
milis uisa est, adeo ut & ipse ille curationis celeritatem admiratus, exclamaret, unàq; qui cum eo erāt
omnes in clamorem prorumperent: cum nos interim haud magnum quippiam fecissemus, nisi tantum
ex medici illius comparatione, qui summum malum attulerat uenæ sectionis metu. Porrò ex palpe-
bris restabant extergendæ laboranti tum densitates illæ, tum asperitates, ceterum id fieri non poterat
citra medicamentum mordax. Atqui ferre illud neutiquam potuisset, nisi prius uacuatus foret. Dictū
enim sæpe a nobis demonstratumq; est, acria omnia medicamenta parti cuiuis admota, nisi uacuū cor
pus omne fuerit, atq; ad amussim excremēti expers, fluxionem attrahere, phlegmonenq; efficere. Per-
contatus itaq; tunc dies quænam ea fuisset incantatio, req; omni intellecta, exinde Erasistrateum illū
medicum αἱμορρόθου, quasi dicas sanguifugū, nominabat. Hæc itaq; narratio utriusq; indicationem con
tinet, tum quod in affectionibus ciusmodi uenam secare oporteat, quod in præsenti oratione propo-
situm nobis haud erat, tum quod e directo laborantium partium: præterea humerales uenas secandas,
ubi superiores pectore partes laborant.

Quæ uenæ quibus affectibus secandæ, ac de ratione euocandorum menstruorum. *Cap.* 18.

CPOrrò quemadmodum prædictæ omnes partes in cubito secta uena iuuantur, uti dictum est: sic quę
his inferiores sunt, illis quæ per poplites & malleolos decurrunt. Sunt autem dictis inferiores co
xendix, uterus, uesica. At renes cui parti adscribi debeant, ambigunt. Siquidem inferiores sunt ijs, quas
prius recensuimus: superiores uero quàm eæ quas secundo loco. Itaque misso ex cubito sanguini in-
terdum auscultant, ubi uidelicet recens fuerit phlegmone, copiaque sanguinis affuerit. Quibus uero
affectio inest, quam proprie nephritin nominant, eam quæ in poplite est secare expedit, aut certe quæ
in malleolis sunt. Porrò uteri inflammationes magis etiam quàm renum a uenis in crure sectis iuuan-
tur. Nam quæ ex cubito fiunt euacuationes, aliud etiam habent adiunctum malum: nempe quod pur-
gationes menstruas comprimant, sanguinemq; ad superiores corporis partes retrahant. † Quæ uero
fiunt ex cruribus, tantum abest ut retrahant, ut etiam menses promoueant: ac ubi id facere uoluerit, tē
pus consueti mulieri circuitus tribus quatuorue diebus anteuertas, aut uena incisa, aut scarificatis mal
leolis cruris unius pauculum euacuato: deinde postero die similiter facito in crure altero, ut tamen ēt
istis diebus in quibus uacuas, & ante eos quatuor aut quinque extenuantem uictum procures. Con-
scriptus est autem a nobis seorsum liber De uictu extenuante. Sed mulieribus sine huiusmodi uictus
ratione menses abunde prouocant & nepita, & pulegium. Exhibebis ea in melicrato cocta, sed antea
D contusa, arida; cribroque subtili discreta, ac rursum trita usque dum pollinem tenuitate referant, ita de
nique melicrato inspergе. Porrò conuenientissimum potui tēpus est a balneo inuolutis adhuc linteo.
Atque hæc quidem medicamenta mitia sunt. Valentiora sunt, sauina, & dictamnum: ceterum usus ante
dictis similis. Datur autem & hoc tempore medicamentum, quod proprie Amarum appellatur, ce n
tum habens drachmas aloes mistis aliorum medicaminum cuiusque sex. Optimum est, ubi cinnamo
mum acceperit. Sed hæc obiter sint dicta, quanquam non a re ipsa aliena, quandoquidem sanguinis
ex utero fluxui auxiliantur, cum euacuatione ex cruribus, quæ fiat aut malleolis scarificatis, aut inci-
sa in talo, aut poplite uena. Memini me ischiadas, siue coxendices uno die facta ex crure euacuatio-
ne curasse, nimirum ubi non ex frigore, sed impletis sanguine quæ in coxa sunt uenis, prouenissent.
Quare secta in poplite uena commodior ita affectis est, quàm in malleolo. Scarificatio autem nihil per
spicuo illis prodest.

De ratione uacuandi per sectionem uenarum in initijs ac finibus fluxionum, ac eo quoq; tempore cum præser-
uare ab imminentibus morbis uoluerimus. *Cap.* 19.

POrrò, ut summatim dicam, incipientes phlegmonas reuulsu euacuare oportet: quæ uero inuete-
ratæ iam sunt, ex ipsis, si fieri potest, affectis partibus: quod si nequeat, saltem ex uicinis. Et-
enim in incipientibus, auertere quod influit expedit, in inueteratis autem, ipsum tantum quod affectæ

† Quanquam græce legatur παῦσαι ἀπὸ τῶν σκελῶν οὐ μόνον ἀντισπᾶσαι, ἀλλὰ καὶ πρότερον ὑπάρχοντα τὰ καταμήνια. i. quę uero fiunt ex cruribus; non solū retrahere, sed etiam prouocare menses posſūt. Interpres tamē Nicolaū Calabrum sequutus est ita uertēté. Eis uero quę a cruribus non solū non antiſpare sed & prouocare inest mē ſtrua. Vide libro ſecūdo ad Glauc. cap. 2. 102. f.

parti infixum est,euacuare. Euacuabitur porrò id optime per uenas coniunctas cum ijs quæ in parti- E
bus ipsis sunt sitæ.Huic rationi experientia quoque subscribit.Quocirca quæ in gutture & arteria, gra
ui torquentur inflammatione, in principio quidem secta in cubito uena, post principium autē * in ipsa
lingua magnifice prodest, incisis uidelicet uenis quæ * in ea sunt ambabus. Sic induratæ phlegmonarū
in oculis reliquiæ,secta quæ ad magnum decurrit angulum uena,mirifice iuuantur:sicut capitis grauita
tes,& inueteratos in eo ex plenitudine dolores leuare manifeste solet tusa in fronte uena: at incipien-
tes,aut etiam uigentes,per cucurbitam in ceruice procurata retractio,interim quidem solam, interim
cum scarificatione.Ceterum præuacuatum esse corpus uniuersum oportet. Eadem ratione incipien-
tes in occipitio dolores.aut etiam uigentes,incisa frontis uena iuuat. Quippe reuulsiones cum euacua
tione adhiberi magis debent in fluxionibus incipientibus. Quæ uero fiunt ex ipsis partibus affectis,
aut illis uicinis,in phlegmonis quæ uelut scirrhi naturam referunt. In quibus autem corporibus nulla
dum particula affecta est,ceterum uacuationem uere ineunte anteuertimus:in ijs siquidem talis sit ho-
mo,qui quotannis æstiuo tempore febrilibus morbis obnoxius esse assolet,atque eorum suppeditatio
nem euacuare studemus,æque pars quæuis in sanguinis detractionem accommoda est, sicut sane etiā
si arthriticus sit,omnibus articulis laborans. Quibus autem eximie pars quæpiam, ubi prius euacuati
non fuerint,infestetur,haud æque liceat ex quauis parte euacuationem moliri,uerum sicut in ijs qui pa F
ti iam occipiunt. Quamobrem podagricos ex cubito euacuato, comitialibus uero morbis uertigini-
busque obnoxios potius ex cruribus. Ceterum si retentæ hæmorrhoides mittendi sanguinis occasio
sint:siquidem cohibere eas uoles,quæ in brachio sunt:sin prouocare,quæ in cruribus sunt, uenas secā-
re conuenit.At in ijs quibus repressi sunt menses,semper in cruribus. Nō enim ut in hæmorrhoidibus
quidam eiusmodi liberari euacuatione uolunt,quidam habere etiam gaudent,ita quoque se res habet
in mensium purgatione. Quippe cum hæmorrhoidum euacuationem uereamur, ne in tantam euadat
immoderationem,ut hominem uel protinus interimat,uel aquæ inter cutem obnoxium,aut cachecti-
cum,hoc est habitus mali,reddat.At uteri purgationibus,ut quæ secundum naturā sunt,tale nihil eue-
nit.Accidit tamen aliquando,ut ex utero per erosionem sanguinis erumpat,in quibus non idem est cu
rationis scopus.Siquidem haud effluere sanguinem uolumus uti ex mensibus,sed plane sistere consiliū
est. Communis ergo in his omnibus,ijs qui uere ineunte ad sanguinis missionem accedunt, hæc ratio
est:si quidem insigniter infirmam partem aliquam habeant, in quam quæ colligitur plenitudo decum-
bat,per reuulsionem euacuare. At si tale nihil sit, qua cuiq; magis placebit, excepta tamen aut hæmor-
rhoidis,aut mensium retentione,ut paulo ante definiuimus.

Aduersus eos qui primis tantum morbi diebus sanguinem mittebant. *Cap.* 20. G

DE hoc sane potestate & supra dictum est.Verumtamen satius fuerit & hic quoque omnia percur- A.I.1.f.4.c.11
rere,omnibus quæ ante dicta sunt,in unum collectis,& siqua minus exacte distincta sunt, unà di p.146.d.
scretis.Igitur uniuersim hoc sciendum, in sanguinis missione dierum numero primum haud esse atten-
dendum,sicut quidam scripsere:ac nonnulli, admodum ridicule, post tertiæ diei paroxysmum, quan-
do uidelicet,ut aiunt,dignotio quædam habetur,qualis sit in forma & moribus, atq; adeo tota natura
sua morbus.Alij extremum terminum mittendi sanguinis definiunt diem quartum,intra quem missio-
nem sanguinis concedunt in paroxysmorum interuallis adhibendam,electo quo libeat die.Alij detra-
here festinant,quibus sanguinis detractionem ex usu esse statuerint,transfluente etiamnum eo, ac ubi
necdum firmiter in parte aliqua superfluitatem recipiente,inhæserit unum modo considerantes, num
corruptio aliqua cibi in uentre concoquendi sit facta, aut tarda concoctio, aut etiam cibi in eo conti-
neantur.Ergo quod maturandum sit in quibus uacuatio ex usu est,nisi prius concoqui aut cibos,aut in
primis uenis contentos semicoctos succos oporteat,rectissime præcipiunt,habendaq; fides.Verū quo
niam quintum sæpe diem,aut sextum ab initio expectant priusquam nos ad curandum accersant,expe A. ibidem.f.
diet nihilosecius quoq; sanguinem detrahere,etiam si huius auxilij primū tempus sit omissum. Quocū
que enim die mittendi sanguinis scopos in laborante inueneris,in eo auxilium illud adhibeto,etiamsi H
uel uigesimus is ab initio extiterit. At quinam fuerint hi scopi?Morbus ingens,roburq; uirium, excep-
ta ætate puerili,& aere nos ambiēte ualde calido.Porrò autē quoniam prius exoluitur tēporis tractu
in plerisque morbis uirtus.idcirco & mittendi sanguinis occasio dierum numero deperditur,non tan-
quam primatio id dies efficiant.Sed re aliqua intercedente,nempe uirium dissolutione. Itaq; siquādo
uel secundo a principio die uires exolui uideantur,a uena secanda abstinebimus.

De horā in detractione sanguinis eligenda. *Cap.* 21.

SEd enim quod in ipso rursum die in quo sanguinem mittimus,obseruanda sit febris declinatio,cla
rere satis arbitror:quanquam quibusdam id non satis sit notum,qui mane tantum tundendam esse
uenam,aut ad summum in horam usq; quintam aut sextam existimant. Verum si quis memoria teneat
quæ toto supra libro sunt dicta,nihil tale committet sanguinem mittens, quauis diei noctisque horā,
modo respiciat in febrientibus quidam particularium paroxysmorum declinationem: In quibus autē
aut ob oculorum lippitudinem,aut aliud simile citra febrem,hoc opus est auxilio,non declinationem
omnino,cum omnino febris non adsit, sed magnitudinem aut doloris, aut phlegmones, aut totius af
fectus in quo secta opus est uena,inspicere cōuenit.Cum aūt nihil eiusmodi aut urgeat,aut prohibeat,
præstat mane uenam incidere,haud protinus ex somno excitis,uerum circiter horam unam iam anteā
uigi-

In græcis codi.antiquis legitur in primo loco ἀπ' ἀυτῆς. i. abipsa in secundo ὑπ' ἀυτῆ. i.sub ipsa. & ita uertus interpres. A.l.3.f.9.c.11 p.470.d.e.

A uigilantibus.Dictum est autem,quòd & balneo uti quibusdam expedit:quod si uerum est,& præeunte
quoque ambulatione nonnullis.Ceterum in quibus uere ineunte uenam incidere aggredimur,aut pro
pter febris metum,aut alterius cuiuspiam affectus, scio me sanguinem misisse quibusdā etiā posteaquā
rerum solitarum quippiam obijssent,siue in ludo literario, siue in officinis, siue in foro, siue in ædibus.
Iteratæ tamen detractionis tempus, in quibus simpliciter quidem uacuare conamur, eodem die esto:
At in quibus reuellere,si uel duobus deinceps diebus fiat,melius fuerit.Porrò intēto semper animo in
omnibus id genus in laborantis uires esto,manu iugiter arterijs illius admota.Sunt enim quidam tam
ad patiendum apti,ut confertam inanitionem non ferant:Quo casu,refecto primo die ægroto, iterare
secundo detractionem expedit.

De affectibus,qui arterijs in capite dissectis iuuantur. *Cap.* 22.

QVòd autem arterias antiqui uenas appellāt,& a nobis alibi demonstratum est, & ante nos alijs
confessum extitit.Ob idipsum ergo,ac præterea disciplinarum affinitatem,compendij gratia sa
tius mihi uisum est,haud alium conscribere librum de arteria secanda, sed orationi de secanda
B uena annectere, atque idipsum in hac parte in qua considerabimus quas uenas ob quas partes affectas
secare oporteat.Sicut enim alias uenas ob alias affectas partes ostendimus secandas,sic quoq; & quæ
in temporibus sunt arterias,& quæ post aures,incidere medicis mos est. In temporibus quidem,infe-
stantibus oculos fluxionibus tum calidis,tum spirituosis. Post aures uero,in uertiginosis maxime, &
quæ diuturnis doloribus capitis calidis ac spirituosis affliguntur.Iam uero & ob alios quoque affectus
in capite consistentes diutinos,sunt qui arteriarū post aures utuntur sectione,nō tamen in ulla alia par
ticula patiēte eam adhibuerūt,tametsi multæ sint,quibus hoc potius auxilio,q̄ uenæ sectione sit opus.
Vbi enim calidus spirituosusque infestus est sanguis in arterijs aceruatus, illic communibus parti af-
fectæ sectis arterijs est opus. Verum propter difficilem eruptionis sanguinis compressionem,arterias
A.l.1.f.4.c.10 medici incidere metuunt: quippe cum siquis in secanda forte uena arteriam uulnerat, ægre statim
p.147.b. sanguinis eruptionem compescat, ac ubi res optime cadat ad cicatricē perducta diuisione,tamē aneu-
risma fiat.

De periculo impendente ijs,quibus non rectè dissectæ sunt arteriæ,& quo pacto Galenus somnij monitu eas ausus est dissecare. *Cap.* 23.

†All.leg. non- C
nullos quidē protinus ob uinculum circūpositū (uolentibus medicis sistere sanguinis eruptionem) in gangrænā incidentes.
A.l.1.f.4.c.10 p.148.E.

QVin & interijsse quosdam noui ab arteria interiori in cubito uenæ subiecta,†[nonnullos autem
protinus ob uinculum imperite a medicis iniectum,adeo ut sanguinis eruptio in gangrænā eua
derer,] alios postea in aneurismate manu curando defunctos. Necesse enim hic est laqueo ua-
sculum constringere.Itaque maiusculas proinde arterias medici refugiunt,paruas autem tanquā haud
ita multum profuturas. Quanquam & ipse quoque nonnunquam haud paruum attulisse commodum
uisæ sunt,cum hoc quòd citra aneurisma cicatrice claudantur. Quin & si maior sit arteria,& ipsa quo-
que citra aneurisma, cicatrice includi potest, tota nimirum dissecta, idque ipsum sæpenumero immi-
nens ex sanguinis profluuio discrimen sustulit. Clare enim apparet,cum tota transuersim per se totam
discinditur,reuulsis utrinq; partibus ambabus,unam sursum,alteram deorsum concedere.Atq; id qui-
dem & uenis usuuenit,sed arterijs semper plus quàm uenis.Sane uero quæ mihi occasio exiterit secā-
dæ arteriæ,nunc iam edisseram.Monitus per quædam insomnia,quorum duo perspicuo mihi uisa sunt,
accessi ad dextræ manus arteriam, inter indicem & pollicem sitam, siuiq; fluere donec sponte sanguis
resisteret,nam ita somnium præceperat.Effluxit autem non tota libra.Subito atq; diuturnus extinctus
dolor est in illa maxime parte fixus,qua iecur septo transuerso committitur. Mihi quidem hoc ætate
D iuuenili euenit.At minister Dei Pergami,diutino lateris cruciatu laborans,liberatus est arteria in sum
ma manu incisa, aggressus & ipse illud insomnij monitu. Porrò alteri cui ex uulnere in malleolo insti-
cto dissecta arteria fuerat, sanguinis quidem cursus haud quieuit, donec ego uocatus totam dissecui,
ac medicamento ex aloe & manna,& uorum albumine, pilis leporum molliusculis impositō fuissem
usus,citraq; aneurisma curatum est uulnus,obducta uidelicet arteriæ osculo carne.Vir autē ille quartū
iam annum haud exiguis tēporum interuallis coxæ dolore uexatus,exinde prorsum sanus extitit.Hæc
itaq; mihi persuaserunt,ut subinde in summis artubus,immo & in capite arterias secarem in omnibus
doloribus,qui a calida spirituosaq; substantia nasci uidebantur,& maxime in membranis:quarū dolor
Al. μορίου .i. punctioni similis est,ac sensim expāditur,pungente quidem sensu una in parte,tanquam in affecti loci
particula. centro infixo,tensionis uero sensum præcipiente omni circuncirca ad centrum musculo*.

GALENI LIBER DE MARCORE,

Io. Baptiſta Raſario interprete.

ARGVMENTVM LIBRI.

Quot ſint marcoris genera, quæ curari non poſſint, & qualis curatio adhibenda ſit ijs, quæ ſanari poſſe uideantur.

Quid marcor ſit, quot modis dicatur, & quænam eius præcipua cauſa ſit. Cap. 1.

MArcor eſt uiuentis corporis præ ſiccitate corruptela. cum autem duobus modis corruptela dicatur, tum de ea, quæ fit, tum de ea, quæ facta eſt, hoc nomen eſt in priore ſignificatione capiendum. ſic etiam marcor dicetur, & qui iam marcuit, & qui marceſcit, quem nos hoc ſermone inueſtigamus: ſiquidē marcorem eſſe uiuentis corporis corruptelam affirmauimus. uiuentium au- F tem ſunt tria genera, animalia, ſtirpes, ſemina, & horum cauſa, etiam fructus, marcorem eſſe horum affectum aſſerunt, qui proprie loquuntur: ac per tranſlationem quoq; omnes alias corruptelas, quæ ex ſiccitate proueniunt, marcoris nomine appellant: vt etiam ad ignem, ac multo etiam longius, ad ea omnia, quæ ſenſim corrumpuntur, hoc nomen traducant. nobis uero de nullo alio, quod non proprie marceſcere dicatur, ſed de ſolo marcore, quem definitione explicauimus, eſt inſtituta tractatio: præcipue autem cum in corpus animantis cadit: quanquam neceſſe erit, ut hæc ipſa diſputatio communione quadam ſtirpes attingat. itaq; cum primi, ſimplicesq; modi, quibus uiuentia corrumpuntur, quatuor ſint, quod etiam elementa eorum eſſentiæ quatuor ſunt; certe quæ ex ſiccitate corrumpūtur, ea nos marceſcere dicemus. quæ ſi hoc ſolum habeant, ut exiccentur, altera uero elementorum repugnantia, quæ in calore, frigoreque uerſatur, ſuis in terminis maneat, is marcor ſimplex erit. cui ſi calor, aut refrigeratio nimia acceſſerit, iam is corruptelæ modus compoſitus, duplexq; fuerit. ac ſimplex quidem marcor ex inedia proficiſci uidetur, uel cum ſponte homines abſtinent: vel cum inopia ciborum fame conficiuntur. qui cum frigore iunctus eſt, is tum ſeneſcentes obſidet, tum uero etiam eos, qui ex affectu aliquo in affectionem ſenectuti ſimilem incidunt. qui uero cum calore eſt, in febribus [quibuſdam] hecticis exoritur. cete- G rum in ſtirpibus & corpus totum, & particula quæuis marceſcere dicitur, cū e ſiccitate corruptela proficiſcitur: at in animalibus totum corpus marceſcere illud quidem dicimus, ſed tamen hoc nomen ad ſingulas partes traducere non ſolemus. neq; nobis nunc eſt propoſitum, ut de particulis propter aliquod ſymptoma ſicceſcentibus, ſed cum totum corpus ita affectum ſit, diſſeramus. itaque perſpicuum iam eſt, ſi marcor totius corporis affectus ſit, ipſum, niſi etiam animalis principio patiente, fieri poſſe. immo uero fieri non poteſt, ut alius in toto animali affectus ſit, alius uero principium occuparit. ita fit, ut marceſcentibus neceſſe ſit cordis corpus exiccari. quam ob rem ſi omnes cauſas, a quibus exiccari cor ſolet, inuenerimus, etiam utrum qui marceſcunt, omnes inſanabiles, an curari quidam eorū poſſint, intelligemus.

A.I.4.f.14. c.9.p.805.

Senectutem uitari non poſſe: & de cuiuſdam ſophiſtæ ſtultitia, qui ſe immortales homines eſſe redditurum pollicebatur. Cap. 2.

PRæſtiterit fortaſſis hoc loco diſputationem ad principium quoddam redigere. atq; optimum quidem erit principium, ſi cauſam ſenectutis perueſtigabimus: quando hic unus e marcoribus maxime ineuitabilis, & item ſecundum naturam eſſe uideatur. omnia autem naturæ opera ſunt ineuitabilia: quippe quæ ſui ortus ordinem neceſſarium habeant. ſed hanc rem unum illud antecedit, ut quid, H ſecundum naturam, ſignificet, cognoſcamus. neq; enim eodem modo dicimus, ſenectutem eſſe ſecundum naturam, uti nutriri, atq; augeri: ſunt enim hæc naturæ opera, cum interim ſenectus non naturæ opus, ſed affectus ſit, neceſſario conſequens. nam nullum unquam animal uiſum eſt, quod genitum ſit, quin idem ſenectuti fuerit obnoxium. proinde quidam fuere, qui ſenium ſecundum naturam eſſe dixerint, quod ipſum omnia ea, quorum eſt natura gubernatrix, neceſſario conſequatur. ſi igitur in hac ſignificatione ſenectutem eſſe ſecundum naturam dictum ſit, nihil iam erit, cur alias huius dictionis ſignificationes, de quibus male quidam ſenſerunt, ut nos alibi docuimus, adhuc conſideremus: neque alicui dubitationi locus præterea relinquetur. etenim ſi ita, ut modo dictum eſt, accipiant, ſenectutem ſecundum naturam eſſe, eamq; euitari non poſſe, uere dixeris, ſiquidem opera naturæ neceſſario comitetur. et tamen noſtris his temporibus philoſophus quidam librum cōſcripſit, in quo docebat, quomodo quis ſenectutis expers perpetuo uiueret. edidit autem librum, cum annum adhuc quadrageſimum ageret, & uſq; ad octogeſimum peruenit. quo quidem tempore tanta in eo gracilitas, ſiccitasq; erat, ut quod eſt in præſagijs ab Hippocrate ſcriptum, præclare in eum conueniret, nares acutæ, oculi concaui, collapſa tempora, frigidæ, contractæque aures, & imis partibus leuiter uerſæ; cutis circa frontem dura, intenta, & arida. cum autem irrideretur, quod ipſe talis eſſet redditus, quando alios, qua ratione ſenio

A ne ſenio uacantes uiuerent, docere conabatur: ſecundam editionem fecit: ac librum de admirabili ſenectutis uacuitate (ſic enim illam appellabat) in apertum protulit, in quo oſtendebat, non iam omnes homines poſſe ſine ſenectute permanere: ſed hanc ad rem natura apta, & accommodata opus eſſe: atque in primis ut prima educatione huiuſmodi ſint iacta fundamenta. hoc etiam pollicebatur, ſi ipſe ab initio ſtatim eos infantes qui ad hanc rem idonei erant, educaſſet, ſe illorum corpora immortalia redditurum. neq; hæc eius profeſſio redargui poterat: propterea quod prius quam pueri quos educandos ſuſcepiſſet, in uiros euaſiſſent, uita ipſe erat exceſſurus. quam ob rem ſummam eius ſtultitiam ceteri omnes contempſerunt: ego uero non item: quippe qui probe noſſem, pleroſq; uiros ex ijs, qui rationibus niterentur, multa quoq; alia decreta pronunciaſſe, quæ cum ijs pugnant, quæ ipſa experientia nos docuit, deceptos nimirum probabilitate rationum. itaq; ne id quidem mirum uideri debet, ſi rationem ſpectes. nam hæc ſententia, omne, quod genitum eſt, omnino corrumpetur, neq; neceſſariam habet conſecutionem, nec quæ ſcientiam efficiat: ſed quæ, ut in lib. de demonſtratione oſtendimus, uſq; ad probabilitatem progredi uideatur. & tamen omnes fere hac ratione utuntur, qui neceſſe eſſe, ut conſeneſcant animantia, demonſtrant. hanc enim eſſe ad interitum uiam contendunt, qui omnia, quæ genita ſunt, ſequitur neceſſario. adhuc igitur a ſola experientia habemus ſenectutem eſſe ne- B ceſſariam, & ſecundum naturam, ſicut etiam mors eſt: de qua nulla demonſtratio facta ab ijs eſt, qui prō pti enunciant, &, quicquid genitum ſit, ſtatim neceſſario corruptum iri, confirmant. ſed eſt hoc in more poſitum ſophiſtarum, ut experientiam oppugnent: quod illi quoq; arbitror contigiſſe, qui omne animal & mori, & ſeneſcere ignoratione eorum, qui præeſſent, aſſerebat.

Falſam eorum eſſe ſententiam, qui a natiuo calore corpora, ut ab igni ligna, conſumi dicebant. Cap. 3.

ERit autem fortaſſe melius, ut nos cauſam perueſtigemus, cur & animalia, & ſtirpes omnes conſeneſcant. uidentur enim exiccari, & ſenectus quidam eſt affectus huiuſmodi: quāuis aliter alij exiſtiment, quibus frigidos, humidoſq; eſſe ſenes placeat: quorum errati cauſam in libris de temperamentis demonſtrauimus. num igitur ob hanc cauſam ſicceſcunt, ut nonnullorum fert opinio, quod innatus animantibus calor, ueluti quidam ignis, incrementum ſumit a materia, ex qua accenditur? huic enim infixus eſt, ab hac ſeparari non poteſt, ex hac denique habet omnia. animantia igitur omnia nuper genita, ut etiam ſtirpes, humida ſunt. ideoq; calor tanquam humoris copia ſuffocatus, ſe ſe uix attollit, eſtq; caliginoſus, tarduſq;, & ægre mouetur. tractu uero temporis, cum humoris illam uim ſuperat, tū uero cuiuſq; materiæ dominus euadit. itaq; nec caliginoſus, nec turbidus, nec fumeus eſt: ſed purus, æthereuſq; effectus, omnes ſuas motiones ſine ullo impedimento obit: &, ut uno uerbo complectar, ut C flammæ, cum in humida ligna inciderunt, principio quidem fere obruuntur, & quaſi extinguuntur, quippe quæ & exiguæ, & imbecillæ admodum ſint; progreſſu uero temporis paulatim emicant, & creſcunt: paulatimq; materiam ſuperant, tandem uero, cum uniuerſam materiem ſuperarint, in magnitudinem ingentem attolluntur: qui ipſarum uigor, roburq; eſt: tum uero alimento mox deficiente marceſcunt, & extinguuntur: eodem etiam modo, inquiunt, noſter calor, animalis corpori, ceu materiæ cuidam inditus, principio quidem humidus, imbecilluſq; eſt: & uſq; ad florentem ætatem auctus emicat, & augetur, & ad ſummam euehitur magnitudinem, igniſq; flammam imitatur: hincq; alimenti inopia ſenſim marceſcit; eſtq; id ſenium: mox penitus extinguitur, idq; mors eſt. hæc ratio omnibus fere recentioribus & medicis, & philoſophis probatur: quæ tamen, meo iudicio, uera non eſt, utpote qua flamma ignis animalium calori comparetur. ac ne illud quidem ſentiam, qui ea utuntur, flammis ortum eſſe ex corruptela eius materię, ex qua accenduntur: animalia uero non ita natiuum calorem ab eo, qui ipſa effinxit, nacta eſſe; ſed, ut ab eo augerentur, & gubernarentur. neq; ullum eſt tempus, in quo innatus nobis calor per uniuerſam hanc materiam non diffundatur, ijs nō modo uiribus præditus, quibus animal effingit, ſed alijs etiam permultis. nam & alimentum ad ſe trahit, & materiam diſpenſat, & apponit, & agglutinat, & aſſimilat, & ut ſummatim dicam, omnia ſecus, quàm flamma, in materia ſibi innata effi- D cit. ecquæ nam unquam flamma materiam, cui indita eſt, adauget? ecquæ materiæ potius alimentum aſſimilat, quàm ſibi ipſi materiam? ecquæ tot machinationes conſeruandæ materiæ cauſa adinuenit? nā partes quaſdam circumueſtiuit, ac clauſit, ne quid exterius exuperet: quaſdam perforauit, ac dilatauit, canaleſq; induxit, quibus modo alimentum, modo refrigerationem, ſpiritumq; traherent. ſimul etiam excrementa per alios craſſa, per alios tenuia extrudit. omnem profecto de uſu partium tractationem huc imprudens transferam, ſi omnia naturæ opera deinceps recenſuero. quanquam huius opinionis principes idem eſſe natiuum calorem, & naturam dicunt. ſed non recte ipſum flammæ aſſimilant, & cōparant, & corpora ab ipſo corrumpi arbitrantur. cur igitur, inquiunt, hæc ſunt ab Hippocrate conſcripta uerba, calor, qui corpora produxit, nos interficit? in primis, ò præſtantiſſimi uiri, eū librum, in quo hæc habentur, non eſſe uerum Hippocratis dicemus: deinde ſi fuit ea Hippocratis ſententia, quomodo enunciata ſit, explicandum fuit, & aliqua afferenda demonſtratio. ſi uero adhibendam ſibi fidem cēſent eo, quod demonſtrationes non ſuppetant, profecto non recte ſentiunt. eſt illud quidem uerū, propter innatum calorem ſeneſcere corpora, atq; corrumpi denique: falſus tamen eſt modus, quem iſti afferunt. neq; enim ab innato calore corpora, ut ligna a flamma conſumuntur: atque hoc fortaſſe exemplum eſt ijs, qui a febri corrumpuntur, accommodatum: & quod prædictis uerbis perſecutus eſt Hippocrates, indicare tale quidpiam uidetur. eſt tamen ueriſſimum, corpora naturali quadam conſecutione exiccari,

exiccari,idq; propter natiuum calorem effici:quemadmodum in primo de ualetudine tuenda libro de- E monstratum est. nec minus tamen est necessarium, ut idem hoc etiam loco repetamus.

De senectutis necessitate,deq; eius principio. *Cap.* 4.

NAtura,quæ stirpes,animantiaq; procreat, corporeum aliquod principium ad illorum ortum omnino capit:quippe cum nulla res sit,quæ sui ortus initium ab eo, quod penitus non est, possit sumere.inde uero exorsa ad eum scopum,quem sibi in fabricatione proposuit,semper ordinate procedit: quod in eo positum est,ut quod facit,perfectum reddatur,siue stirps,siue animal sit. illudq; perfectum est,in quo nulla propriarum actionum desideratur.multæ autem actiones sunt,ad quas duris opus est in strumentis.quod in causa est, ut multæ in animantibus duræ particulæ fiant. cum uero necesse sit, ut principium ortus ipsarum contra,quàm perfecti animalis postulat ratio,molle sit,ut apte componi, cõformariq; possit,suoq; opifici ad omnia prẽsto sit;ideo quantumq; semen durum sit,mollis tamen stirps editur,cum illud prius moderato humore quodam irrigetur,ut natura fiat pro semine.quo circa si oportet,ut ortus animalis e molli essentia ducat initium,quæ ut absoluitur, sic redditur dura,certe in prima elementorum,e quibus animal constituitur,temperatione,tum humidum, tum siccum dominetur,necesse est.atque humidum quidem aqueum est:siccum uero est duplicis naturæ,ut uel terreum,uel igneũ sit. non poterat autem ab initio maior terrei copia admisceri, cum animantis principium esse humidũ F oporteat.reliquum igitur modo est igneum,quod in primo ortu, primaq; compactione necessario exuperat.si igitur natura,cum animal,aut stirpem ad uigorem usq; produxisset, aliam rursus elementorum dispositionem quæ & proportione responderet, & æqualis uiribus esset, inducere potuisset; hoc utiq; solum modo eius fabrica uacans senio, & incorrupta permansisset,cum præfectum quempiam sapientem nacta esset.neq; enim mala uictus ratione utens,sic incorrupta simpliciter perdurasset.ac tum quidem Aegyptius ille suam nobis artem in re, quæ fieri posset, ostendisset. nunc uero cum prima ortus animalium, stirpiumq; elementa nec transferri, nec commutari queant, etiam post uigorem exiccari corpus necesse est:quamuis non iam opus sit,hoc ut patiatur; cum iam usus, qui siccitatem postulabat, pertransierit.sed declinatio,quæ exiguam siccitatem habet, multos fallit quasi non dum marcor quidã sit:at senectus,quæ ab illa non differt genere,sed sola magnitudine,deprehendi facile potest.hæc nimirum causa est,quæ euidenter ostendit,siccitatẽ progressu tẽporis esse uniuersis animantibus necessariã, nisi quis omnino amens sit:& senectutem nec uitari posse,nec sanari.nam quod primum ortum animãtis necessario consequitur,quo modo prohibebit quispiam,ne fiat,aut cum iam factum sit,abolebit?sed iam esse oportunum uidetur,ut & quod nam sit initium senectutis,& quando corpora senescere primũ incipiãt,perpendamus.quicunq; temperaturam eorum,quorum ætas inclinat,siccam, frigidamq; senũ G humidam,& frigidam esse arbitrantur:ij in huius mutatione principium senectutis statuunt. nos uero, qui in libris de temperamentis omnia corpora post uigorem usq; ad finem exiccari demonstrauimus, iure de principio senectutis dubitauimus:cum tota ætas,quæ uigorem excipit,sicca, frigidaq; existat. neque enim quia declinantium alter altero magis aut minus siccus sit, & frigidus, senectutis statuere principium possumus;cum ad plurimam siccitatem corpus deuenerit:quia illud,ad plurimam, eam dubitationem,quæ ab aceruo σωριτικὸς nominatur; incidit. poterit tamen quispiam hanc dubitationem cõtemnere,sicut etiam sæpe necesse est:uerum cum finibus manifestis definire rem ualeamus,præstat has non necessarias dubitationes declinare. manifesti autem termini declinantis,senilisq; ætatis, est humidorum excrementorum exuperantia:a quibus excrementis in errorem inducti quidam,senectutem,ut monuimus,esse humidam pronunciarunt.statim quoq; actiones omnes in hac ipsa debilitari perspicue intueri licet:& item uia ad mortem,quæ in declinantibus latebat,tunc euidenter perspicitur.hinc argumenta quæstionum sophistis existunt,alijs senectutem esse morbum:alijs esse sanitatem in habitu, alijs neutrum quid esse,alijs esse eam secundum naturam, alijs deniq; præter naturam proponentibus.alijs etiam hoc ipso in loco medium quid inter utrunq;, & neutrum esse senectutem placuit: ut neq; secundum naturam, neque præter naturam eam appellent, ut subinde tertium loquendi genus inuenerint, H ut ipsam non natura esse dicant. sed hasce controuersias explicare,non est huius instituti.

Quomodo senectutis celeritas cohiberi possit,& quot marcorum sint genera. *Cap.* 5.

SEnectutis marcor dissolui nullo modo potest:afferri tamen id auxilij potest,ut ipsum quàm plurimũ remoremur:quod munus eius medicinæ partis est,quam,quia senum curam gerit, γηροκομικὴν nominant:cui hoc propositum est,ut rei natura indicat;ut,quo ad eius fieri potest, obsistat,prohibeatq;, ne cordis corpus usq; adeo exiccetur,ut tandem ab actione uacet: nam uacuitas actionis cordis est uitæ finis:& quousq; cor sua actione mouetur,mori animal non potest: quam ob rem si corpus cordis, aut certe iecoris reddi humidius potest,etiam cohiberi senectus poterit: si uero nemo queat iecur, & cor se ipsis humidiora efficere, sed necesse est, ut procedente tempore se ipsis sicciora euadant idque non uiscera solum,sed & arteriæ,& uenæ patiantur,certe ut senectutis celeritatem retineas,ipsam tamẽ prohibere nullo pacto poteris.quare uidetur Homerus,si quid aliud,hoc etiam præcipue uaticinans,de se nibus ceciniſſe.

Vt lauit, sumpsitq; cibum, dat membra sopori.
Mollibus in stratis,ut par feciſſe senectam.

nam & balneum in ijs est,quæ humectant,& molle cubile,& somnus,in primisq;, ac præcipue alimentum:

A tum: siquidem hoc solum pars efficitur eorum corporum, quæ nutriuntur, eorumq; substantiæ assimiletur: cetera uero omnia uel quod uetent, ne particulæ similes inter se uehementius exiccentur: uel quod humorem, qui in spatijs intermedijs continetur, irrigent, & augeant: humectandi uim,& appellationem sibi uindicarunt. ita igitur, vt nuper diximus,usu quandoq; uenit, ut iecur, & cor humectentur, adaucto nimirum eo humore,qui in ipsis dispersus est: quem etiam in corporibus iuuenilibus extenuatis consumi, ac sæpe quidem in toto corpore, manifeste:interdum uero etiam in iecore, cordeq; contingit. horum autem uiscerum alterum esse arteriarum,pulsuumq; principium,alterum uenarum, & nutritionis,est a nobis alio in opere demonstratum, quod de Hippocratis, Platonisq; decretis inscripsimus. hæc igitur uiscera moderato alimento non carent prius,quàm ualida sanguinis penuria uniuersum animantis corpus occuparit:ac iecur, quia sanguis uniuersus, inde ortum ducit: cor uero, ob uim attrahendi,qua plurimum ualet. trahunt autem omnes animalis particulæ ad se proprium alimẽtum,non omnes tamen pari ui trahendi utuntur: eaq; causa est, cur in sanguinis indigentia non æque
A.l.4.f.1.t.c. 10.p.805.c. omnes alimento destitutæ sint. sed cor, in quo uehementissima attrahendi inest actio, destitui alimen to nunquam posset prius,quàm omnes animalis particulæ ad extremam essent redactæ penuriam. quã ob rem non est existimandum,cum corpus diuturno morbo uexatum sit gracile redditum, cor & ie-
B cur ad proportionem omnium reliquarum partium esse extenuata. id quod, si libeat, in alijs etiam intueri animantibus poteris. quoties enim cunq; aliquod horum fame confectum incidere uolueris, alias eius partes extenuatas, siccasq; omnes; iecur uero,& cor prope ad naturalem statum accedere cõperies. nam qui post inedias iugulantur, non tam ob inopiam alimenti corporum solidorum, quã ob spiritus defectionem. ideo partes omnes humidæ, mollesq; sunt,vt in uiuentibus:quando contentus in eis humor, a quo primum ipsæ aluntur,totus conseruatur. qui uero fame pereunt, ij propius ad uerum marcorem accedunt:proinde,cum nulla occasio sit,quæ proprie loqui nos cogat,eos marcuisse dicimus:re uera tamen non marcuerunt:uel certe,non omnes corporis partes. at vbi uerus marcor, est, tum omnes pariter marcescunt:quia etiam principia in eandem affectionẽ cadunt. hicq; marcor in ætatibus,est senectus:in rebus uero præter naturã,febris marcida.estq; alia affectio,quæ senectuti prõ portione respondet:quam non erit fortasse alienum,senectutem ex morbo nominare:non quidem,ut Phi lippus,qui marcidam febrim appellat:siquidem ea affectio febris non sit,in qua cor frigidius,quàm secundum naturam esset,redditum fuerit.ipsum autem tali esse temperatura, non minimo inditio est pulsus,qui paruus,rarusque factus est:ut ipse quoque Philippus scriptum reliquit.talem autem pulsum ex frigore effici, in libris de pulsibus ostendimus. sed & respiratio pulsui est in ijs, qui sic affecti sunt,persi
C milis,parua,raraq;, & per longa interualla: quæ uim frigoris earum partium indicat, quæ ad cor pertinent:quod etiam in commentarijs de difficultate spirandi docuimus. sed neque calidum hi expirant, quod inseparabile signum est, ut principium esse refrigeratum intelligas: sicut contrarium esse calfactum indicat. vnde igitur sumas, eos febricitare,cum neq; thorax eorum calidus sit, nec partes pectoris, neq; aliæ; nec partes,quæ sub alis sunt, nec ubi costæ curuantur, nec quæ ad spinã usq; pertinent? at hæc etiam Philippus fatetur. ceterum ait, eorum pulsus habere febris inditium; nempe duritiam, quam Archigenes signum inseparabile febrium omnium statuit. at si eum,qui re uera durus est, intelligit; is quidem marcescentibus inest omnibus, propter arteriarum siccitatem, non tamen est febrium signum. si uero eum,quem Archigenes durum uocauit, nomen solum pronuncians, cum rem nullam possit afferre, de qua nomen dicatur: contra hanc sententiam multa quoq; a nobis in commentarijs de pulsibus, dicta sunt. senium uero ex morbo cum frigus cum siccitate iunctum sit, febris non est. aliud autem marcoris genus, quem torridum Philippus uocat,re uera marcor est: sicut etiam est is,quẽ [quia animi defectionem sequitur] συγκοπάδη nominat: in quibus pulsus frequens, paruusq; est. particulatim uero ijs, quos torridus marcor occupauit, hoc euenit,ut dum oscitant,calidum adeo spiritum efflent,ut assimilare illum ardori iure possis. oritur autem torridus hic marcor, ut diximus,ex calore,se
D bribusq; ardentissimis,præcipue autem ubi corporis habitus sit siccior: qui uero συγκοπάδης appellatur, gignitur,cum ijs,qui correpti ab animi defectione sint, periculiq; uehementiã tunc effugerint, aliquid ex illo ipso affectu adhuc remanet. frigidus autem marcor, qui affectionem senectuti similem habet, fit febribus in ipsum transeuntibus, cum non ita,ut oportet,aut aquæ gelidæ potu, aut ijs remedijs refrigerantibus, quæ præcordijs, thoraciq; imponuntur, refrigeratæ sint. illud autem, non ita, ut oportet,duobus contingere modis potest: vel quod usus refrigerantium sit immoderatior,uel quod nõ adhibeatur in tempore:quamuis possit etiam affectus ipse ex ambabus hisce causis suboriri.

Quibus marcoribus adhibere remedium queas, & de usu balnei, aduersus Philippum. *Cap.* 6.

NOn posse autem eum, qui uere marcor sit, sanari, supra quoq; dictum est, cum de senectute agremus: ac nunc itidem iterabimus. qui sanari marcorem putant posse, ijs tale quid usu uenit, quale illis, qui uertebrarum,quæ in spina sunt, in priorem partem dimotionem sanari posse arbitrantur. vnde enim utriq; in affectibus dignoscendis lapsi sunt,inde se rectissime quid effecisse existimarũt.
† Hoc abest a græcis libris. quosdam enim extenuatos curarunt, [†ex ijs uero, qui marcuerunt, neminem] cum uero eorum, qui ita extenuati sunt,sit duplex affectio,de utraque separatim loquamur. altera igitur extenuatorum affectio existit,ubi humor solidarum partium,quem esse proprium illarum alimentum asseruimus, perijt:

ac

ac tenerę carnes ſunt colliquatæ.altera uero ipſa etiam ſolidiora corpora attingit, quæ & prima, & e E
ſimilibus inter ſe particulis conflata appellamus.hæcq; eſt, quæ,ut etiam ſenectus, curari non poteſt.
altera,ut periculoſa ſit,non omnino tamen eſt inſanabilis:habetq; hoc cum ceteris affectibus commu
ne,ut contraria morbo remedia expoſcat non æque tamen,ut alij complures,ſecurus eſt.has autē tres
affectiones humectare oportet, hocq; earum omnium commune eſt,quod communis etiā ſiccitas ſit:
cum interim una earum,quam ſenectuti comparauimus,calfieri debeat:alia uero refrigerari,quam tor
ridi marcoris nomine appellamus:mixtam uero quodam modo curationem expoſcit is marcor,quem
συγκοπώδη nuncupamus,non qui factus iam ſit(hoc autem perpetuo in memoria habendum eſt) ſed qui
adhuc fiat, cum humor ſolidis mēbris innatus abſumatur.hæc ſunt,quæ tibi in curatione proponas. ut
autem materias remediorum inuenias,& quomodo eis utaris,deinceps agendum eſt. melius igitur fe
ciſſet Philippus,ſi non modo ea,quæ in primo libro de marcore,nempe de eius origine, deq; differen-
tijs dignoſcendis,ac de tranſitu,ſed etiam ſi aliquid de curandi ratione conſcripſiſſet. nunc uero de ea
re nihil monimentis literarum uidetur conſignaſſe. ego cum multos iam annos ſecundum eius de mar-
core librum perquiſierim,neq; ipſe inueni,neq; in quenquam incidi, qui ſe illum legiſſe unquam affir-
marit.in primo autem libro,quem nonnulli ne primum quidem uocant, ſed ſolum de marcore inſcri-
bunt,cum ſecundus non extet;de uſu balnei mentionem fecit:eorum tamen ſententiam nō probat,qui F
eo utuntur remedij loco, quod marceſcentes a lauacris lædi opinetur. uerum quia obiter hoc attige-
rat,ideo de eo nec copioſe egit,nec diligenter,ut ſolet,hoc remedij genus perpendit. & tamen euiden
ter conſpicitur exiccatos humectare, ut facile in ijs, qui ſub ſole æſtiuo iter fecerint, aut alio quouis
modo ſe ſe exercuerint,aut exuſti ſint,licet intueri.nam & hos omnes,& præterea,quotquot ſiti confli-
ctantur,& humidos reddit,& a ſiti liberat. immo uero & alios,qui quomodocunque aut a uigilijs, aut
curis,aut rebus uenereis,aut edulijs,aut exiccante medicamento,aut ira exiccati ſint, omnes madefa-
cere,reficereq; uidetur.ſed arbitror,Philippum in ijs,qui iam in uerum marcorem inciderunt,balneum
contempſiſſe,quippe quos nullum etiam aliud remedium ſanet.quo fit, ut hac in re ab eo duplici ratio
ne diſſentiam,& quod nonnullos,qui iam re uera marcore obſidentur,ſanari poſſe putet; & quod bal-
neum deſpiciat.poteſt enim euidens de eius facultate periculum fieri in ijs, qui nondum in marcorem
illum,qui curari nequit,inciderunt:qui ne marcor quidem fortaſſe appellabitur ab eo, qui accurate lo
qui uelit: nos uero nullam alioqui uerborum curam gerimus,dummodo res ipſas clarius exponamus.

Qui marcores uſu balnei,& aquæ potu curentur: & quomodo oriantur,eaque in re Philippi reiecta ſententia. Cap. 7.

CVm tres ſint primæ,& generaliſſimæ febrium differentiæ, nunc diarias miſſas faciamus, ac de ijs G
loquamur,quæ ex humoribus oriuntur,deque hecticis. itaque febribus, quæ ex putreſcentibus
humoribus accenduntur,balneum remedio eſt,ſi poſt humorum concoctionem eo utaris: in hecticis
uero quæ ſolæ ſint,nec ullam aliam febrim iunctam habeant, omne tempus eſt balneo accommodatū.
ſi annexam febrim ex humoribus ortam habeant,tum,cum illi concocti erunt. eadem autem eſſe pro-
pemodum frigidæ potui dandæ tempora exiſtimandum eſt: ſed ſi in ea erraris, magno cum detrimen-
to id feceris balnei uſus in febribus ante dictis periculo uacat: niſi forte uires eſſe infirmas ſuſpiceris.
ac nos quidem multos,quibus marcor imminebat,his auxilijs curauimus. in primo autem de febrium
differentijs libro dictum eſt,diarias quaſdam cum hecticarum genere communionem habere: quas pri
mo die accurate cognoſcere non poſſumus,ſed uel ſecundo, uel ſummum tertio: ac cum primum qui-
ſpiam eas norit,aquam frigidam eſſe potui dandam:quod eo tempore ſine ullo prorſus periculo propi-
netur,cum & uires ualentes ſint, & copioſus adhuc ſanguis contineatur in corpore. cum uero diutius
immoratæ ſint,uires imbecillæ redduntur,ſanguiſque fit exiguus. unde duplex ſubinde incommodum
affertur:alterum eſt,quod aliqua particula in frigida bibenda percutitur,ac refrigeratur: alterum uero,
quod ij,qui aquam præbent,niſi menſuram ſint debitam aſſecuti, non modo aliam particulam quam-
piam,ſed ipſam quoq;, in qua originis febris initium ſitum eſt,refrigerabunt. ubi uero cor plus, quàm H
par eſt,refrigeratur,ſi natiuum adhuc madorem ſuum ſeruet,uires concidunt: ſin ſiccius ſit, ab eo affe-
ctu,qui ſenectuti ſimilis eſt,corripitur.ſed eodem ipſo tempore, quo prima febrium hecticarum ſigna
manifeſta erunt,etiam utile erit refrigerantia medicamenta foris imponere,eaq; ipſi ut ita dicam, fe-
bris foco,de quo paulo poſt accurate diſſeram admouere. nunc ad balneum redeo, quod omnibus fe-
bribus ſqualidis utile eſt,niſi ſi quid aliud eis annexum id prohibeat. interdum uero utilius eſt, quàm
medicamenta refrigerantia,cum ſqualor in toto animante,aut certe in foco exuperet.focum autem fe
bris uoco eam animalis partem,quæ prima ſuis ſolidis partibus immodice excalfacta ſit. cor igitur pri
mum calidius,quàm par ſit,effectum,hecticam febrim affert:deinde iecur,non tamen per ſe,ut cor:ſed
quod illud in conſenſum ſecum trahit, nimirum cum ipſe affectus cordis rationem cauſę obtinet:ſed
qui ſunt corporum cordi uicinorum.tum uentriculus: & poſt hunc, quæcunque alia concalefacere cor
poſſunt.quare ſi uicinitatem attendas,oporteret pulmonem maxime omnium aliorum ſimul concale-
facto corde febrim hecticam,& ſiccam importare,ex qua marcor conſequitur: id tamen fieri non uide
tur,tum quod uiſcus ipſum humidum eſt,tum quod reſpiratione refrigeratum, non facile† in ſimilem
unquam affectionem incurret.quare hectica febris plerunque ex alijs uiſceribus ſolet excitari cum bi-
lioſo humore,qui in uentriculum hominis male affecti ſit infuſus.quam ob rem Philippus in multis fe-
bribus

A.l.4.f..t.1.. 11.p.80..

† lib.5.habe.. διάθεσιν ὁμ.. αν κτήσηται.. ſimilē affect..

nē ſuſcipiet impreſsi uero, ut apparet, corrupti ſunt.videntur enim innuere hunc ſenſum: affectio cauſæ ſimilis hoc uiſcus non facile unquam occupabit.

A bribus marceſcentibus putat affectionem eryſipelatis naturam referentem in uentriculo exoriri. ſiq;
in uentriculo,profecto etiam eandem affectionem in iecore conſtitui ſuſpicandum neceſſario eſt:a qui
bus ſolis uiſceribus male affectis fieri marcorem exiſtimare Philippus uidetur.ego tamen non raro ui-
di,qui his partibus illæſis, in corde marceſcerent: cuius cordis cur oblitus Philippus ſit, certe neſcio;
cum neq; ex iecore & uentriculo ſolis affectis,quomodo marceſcens febris oriatur, niſi affectus cor-
di communicetur,oſtendere nullo modo poſſit.uerum non ſolum in hoc labi mihi uidetur,ſed in eo ēt,
quod marcidam febrim ab alijs oriri partibus non arbitratur. ſiue enim affectio eryſipelatis ſpeciem re
ferens,ſola in uentriculo exorta talem febrem inducat,ſiue etiam ſine ea ſit, quando illius corpus ſo-
lum ſine bilioſo humore accenſum ſit:poterit certe ſimilis affectio in aliqua alia parte naſci: ſi uero ea
pars talis ſit,ut cor cum ea concalefiat,neceſſe omnino erit,ut eius affectio in febrim tranſeat: quæ ſi-
ne dubio progreſſu temporis in hecticam euadat: ac niſi diſſoluatur,marcorem inducat. ſed,ut etiam
ante monui,uerborum nō eſt habenda ratio: cum adhibendum ſtudium ſit;ut omnes affectiones,a qui
bus corpus exiccatur,dignoſcamus, ac ſimul recte curemus.in quibus una eſt, quæ febrilem calorem
adiunctum habet:quam ſi ſola per ſe ſit,balneum perpetuo iuuat.quandoq; enim,ut dictum eſt,hecti-
ca febris,& marcida cum affectione,quæ eryſipelatis naturam imitatur,hominem corripit: quæ refri-
B geranda prius eſt edulijs,potionibus,& ijs quæ foris imponuntur.ſed hæc ipſa febris per ſe, nec alteri
ulli morbo iuncta balneum requirit,ut aliæ quoq; ſiccitates uniuerſæ; ſiue calidæ,ſiue etiā frigidæ fue-
rint.eſtq; hoc admirabile,in balneis hanc eſſe uim,ut calidas,& frigidas ſiccitates iuuent: ſicut etiā, ut
non ſitientibus,ſitim afferant:ac ſitientibus,ſitim adimant.hæc autem a balneis effici, uel nulla allata ra
tione,euidenter conſpicitur:quod eos,ut ante dixi,qui uel ex ſole,uel itinere calfacti exiccati ſunt, cū
lauerint,humectari,refrigerariq; mirum in modum intueamur: nec minus, celerrime calefieri eos, qui
magnam uim frigoris paſſi excalfactionem poſtulant;uideamus. præterea uero qui ex itinere, aut ſolis
æſtu ſitim contraxerunt:ſitim uſu balnei ſedāt:ac qui ſiti carent,cum lauerint,ſitiunt.ceterum hos perſæ
pe,illos ſemel modo lauare conuenit.atq; hæc quidem ita fieri planum eſt:eorum uero cauſas nos ali-
bi attulimus.

Curatio marcoris,cui affectio, eryſipelatis naturam imitans, coniuncta ſit. Cap. 8.

NVnc ad propoſitum reuertamur.balneum omnibus hecticis febribus,cum hoc ſolum habent, ut
hecticæ ſint,auxiliatur.at ſi eryſipelas, aut inflammatio adiuncta ſit, aut putreſcentes humores,
& item incocti contineantur in corpore, tum ægroti,qui balneis utentur,non ob febrim, hecticam,ſed
C ob hęc ipſa lædentur.ipſa enim in eo,quod febris ſit perpetuo,tum a frigida potione reſtinguitur, tum
a balneis iuuatur:offenduntur autem ægri propter ei adiunctas affectiones.atque hæc quidem ſunt ef-
ficaciſſima remedia,quorum uſu,ne fiat marcor,prohibeas.ſuntq; hæc in hecticis febribus audacter ad
modum adhibenda. at ſi affectio,eryſipelatis ſpeciem referens,adſit, a balneo eſt omnino abſtinendū:
& aqua frigida in ſtatu morbi †ſumma concertatione utendum.ſic enim dicere ſolemus, cum aquam
& affatim,& frigidiſſimam potui damus.in principio uti ea non debemus, niſi æger, qui frigidæ potio-
ni aſſuetus,ferre ſitim non queat,nos cogat:ſed tunc imponenda ſunt extrinſecus refrigerantia. quæ ſi
nihil proderunt,eos etiam ut ipſa intra corpus ſumant,cogere oportebit.ijs autem maxime conueniūt
humidæ,nouæq; lactucæ,in aqua pura frigida demerſæ,atque ita præſertim ſumptæ.ſi uero æger petat,
ut illarum ita oblatarum inſuauitas deliniatur, acetum aqua frigida temperabis, & in eo illas ut intin-
gat,permittes. quo in caſu acetum omnis uinoſæ qualitatis expers eſto. foris quoque accommodate
admouebitur tum lactucæ ipſius,tum ſemperuiui, intybiq; ſuccus,& cetera omnia refrigerantia.præſtā
tiſſimum autem eſt,quo utimur eo tempore,cum uuæ acerbæ habentur. expreſſum enim ab eis humo-
rem unà cum portulacis in pilam conijcimus,tum contundimus,atq; in uas exprimimus: uasq; illud in
frigidam aquam immergimus: eaq; erit præſtantior,ſi niuis quidpiam contineat. cum uti eo uolumus,
D modicum *albæ farinæ admiſcemus,tum in duplicatum linteum infundimus. mox præcordijs præten-
dimus:nec ibi diu morari permittimus:ſed cum tepeſcere incipit, auferimus,alterumq; ſimili modo im
ponimus,idq; ſubinde facimus, uſquedum æger intimas partes refrigerari ſitimq; miteſcere perſenti-
ſcat.interdum uero oleum quoq; immaturum,aut roſaceum admiſcemus,præſertim uero cum aliquid,
quod inflammationem ſapiat,præcordia obſideat. itaq; affectiones eryſipelatis naturam præ ſe feren-
tes ſic refrigerandæ ſunt.in quo illud intelligendum eſt,ubi quædam huiuſmodi affectio ſit, ibi hecticā
febrim exquiſitam eſſe non poſſe.eſt autem exquiſita hectica febris, quæ neque principium, neque in-
crementum,neque ſtatum, neque declinationem ſingularum acceſſionum habet. ceterum in libris de
febrium differentijs,cum alia multa,tum uero hoc etiam monuimus, febres hecticas ſolum poſt aſſum
ptum cibum, ut calcem inſperſa aqua, efferueſcere: hoc autem incremento ſublato, æquales ſemper
permanere.Si quando tamen aliquod breuiſſimum incrementum, aut inuaſio incidit, ſpectandum eſt,
an ulla ſit humorum corruptela,an uero quiſpiam alius locus prior,ſeorſum a corde,ſit affectus, quem
nec ſimplex,nec hectica affectio;ſed uel inflammationis,uel eryſipelatis naturam referens obſideat: ut
ita accommodata affectionibus poſſit adhiberi curatio.

† ἀγωνιστικῶς.]

Qua

Galeni de marcore.

Qua victus ratione in omni marcoris genere sit utendum. *Cap.* 9. E

CVm igitur torridus marcor ab ardentibus febribus ortum ducat. ei obsistes medicamentis refrigerantibus, quæ tum foris loco affecto superdentur, tum intra corpus assumantur. si uero senectus ex morbo effecta sit, si ea iam plane talis euaserit, curari nullo modo poterit: quæ uero nondũ absoluta sit, sed inibi iam sit, ut talis fiat, unum solum habet propositum, in quo eius curatio uersatur: estq; ea, quam refectionem, renutritionemque nominamus: quæ e multis, iisque singularibus actionibus constat, quæ & multis rebus, & magna cautione egent. quibus de rebus si loqui nunc uelim, prolixa admodum mihi instituenda esset oratio. ac de eis in methodo curandi abunde disseruimus. in præsenti satis sit monere, solida corpora exiccata alimento curari. in commentarijs uero de facultatibus naturalibus ostensum a nobis est, alimentum non per se ipsum ad omnes corporis partes comportari, sed ab ijs trahi, quæ alimenti indigent. sed eæ in marcoribus inualidæ, & propter siccitatem ad trahendum infirmæ sunt. ac si frigus etiam accedit, parum absunt a mortuis. quocirca alimenta esse eiusmodi debent, ut trahi facile possint: vt imbecillitatem attrahentium uirium suppleat materiæ facilitas. est autem attractu facile alimentum, quod tenuium partium est, ac natura calidum: sed hoc fere non nutrit. ostensum enim est, alimentum esse crassum, & glutinosum oportere, ut stabile sit, difficulter diffluri possit, & nutriendis corporibus prompte assimiletur. cum autem ita inter se hæc pro- F A.l.4.f.1.t.3, c.11.p.80.(
posita repugnent, certe alimentum, quod hæc ambo accurate in se habeat, inuenire non poteris. conandum tamen erit, ut comperias, quod utrunq; præstare mediocriter queat. ac mihi quidem ad hæc efficienda nihil uidetur esse lacte præstantius: præsertim uero, si quis sustinere uelit, ut ore apprehensa muliebri mamma, lac sugat: ut Eurypho, & Herodicus in tabidis esse faciundum censent. sin minus, asininum saltem lac bibant, dum adhuc calet, & breuissimo tempore aeri fuerit expositum. porrò hæc alimentorum intentio non modo illis confert, qui affectione senectuti simili detinentur, aut quos marcor ex animi defectione obsidet, sed etiam ijs, quos Philippus torridos appellabat. verum in ijs non sunt calidæ alimentorum adhibendæ materiæ, ut in senecta, sed frigidæ: inter quas mediæ sunt, quæ marcidis ex animi defectione offerantur. itaque lac, ptissana, & alica his tribus affectionibus conueniunt. sed alica non secus, quàm ptissana, ex aceto confecta sit, ut facilius distribuatur. mel est ad affectiones frigidas accommodatissimum: calidis, maxime noxium. quare eandem quoque rationem obtinebit in ijs, quibus imminet periculum, ne in prædictos marcores incidant. torridis autem inimicissimum est: vtilissimum ijs, qui, ne in senum affectionem cadant, periclitantur. in ijs uero, qui ex ani- A. ibidem.
mi defectione marcore correpti sunt, nisi uentriculus obstet, poterit coctum uel solum, uel admixtum ceteris edulijs dari. iam uero oportunus balnei usus cum ad omnia, quæ prædicta sunt, tum ad alimen G
ti distributionem est auxilium præstantissimum. sed adhibeatur cibo iam concocto, non tamen post longiorem inediam. nam si is, qui recens comedit, lauet, corpus crudis, incoctisque humoribus implebitur. si uero post longiorem inediam, uires minuentur. in alijs omnibus corporis statibus, præcipue in eo, de quo modo facta mentio est, dare operam debemus, ut absoluta iam concoctione, homo lauet. vini quoque usus ut summopere in frigido marcore prodest, sic est in torrido fugiendus in eo uero, qui ex animi defectione oritur, ut media quædam, mixtaque affectio est, utpote quæ aliquid frigoris habeat, & aliquid febris adhuc seruet, ita mediam rationem retinet. ceterum cum hæc affectio per partes in contraria commutetur, & interdum refrigerationem, pulsusq; priuationem, &, ut uno uerbo complectar, ea, quæ animi defectionis propria sunt, inuehat: interdum uero calorem, & pulsus marcoris torridi pulsibus similes: immutanda curatio est, prout eorum, quæ in ipsa exuperant, natura postulat: ut in eo marcore, qui ex defectione animi exortus est, uinum, temperataque alimenta demus, corpusque uniuersum densemus, & constipemus. in torrido, contraria admoueamus. qui autem se in libris de curandi methodo exercuerit, in omnium horum usum oportunum singillatim comperiet. hunc enim librum non quibusuis hominibus, sed ijs, qui iam aliquem habitum hac in arte comparauerunt, scribendum esse existimauimus. H

GALENI

A

GALENI DE HIRVDINIBVS, REVVLSIONE, CVCVRBITVLA, CVTIS CONCISIONE, SIVE SCARIFICATIONE.

Ferdinando Balamio Siculo interprete.

De Hirudinibus. *Cap.* 1.

B NONNVLLI captas hirudines includunt, easq; ad multiplicem usum accommodant. Vbi enim mitescunt, carni facile admouentur. Quæ uero modo captæ fuerint, per diem adseruandæ, exiguoque sanguine alendæ sunt, atq; ita fit, ut quicquid uirulentum in se continent, exprimatur. Quando autem ijs uti opus est, ea pars, cui hirudines admouendæ sunt, nitro prius fricanda, inungendaque, vnguibusve ipsis scalpenda est. hoc enim pacto auidius adhærescunt. Oportet etiam eas ipsas in tepidam aquam, quæ uase lato & mundo contineatur, infundere, mox spongia comprehensas mucore & sordibus manu purgare, atque ita admouere. Vbi uero admotæ fuerint, ne ea pars, cui inhæserint, frigescat, oleum tepidum superinfundes. Si autem manibus aut pedibus affigendæ sunt, in aquam, in quam hirudines iniectæ sint, manus aut pedes immergantur. Si uero non firmiter hæserint, earum caudæ forcipe incidendæ sunt. Nanque ita, ubi sanguis effluxerit, ab attrahendo non desistunt, donec cinere aut sale os earum aspergatur. Postquam autem exciderint, quod relinqui abeis uenenosum solet, cucurbitula exhauriendum est, uel si id minime fiet, fotu per spongiam adhibito utendum est. Quòd si inde cruentæ lachrymulæ adhuc effluxerint, farinam, cyminumque admoueto, lanamque subinde modico madentem oleo alligato. Cæterum si manare sanguis non desinat, linteolum aceto madefactum, gallamve combustam, uel spongiam in liquidam antea picem immissam, mox crematam imponito. Illud quoq; compertum habere oportet, hirudines ipsas sanguinem illum attrahere, qui carni adiunctus est, non qui in imo corpore continetur. Earum uero usus pro cucurbitulis esse solet. Præterea remo uendæ tunc sunt, cum dimidiam sanguinis partem extraxerint. Quin etiam prohibendum, nec permittendum est, ut sanguis eousque effluat, quousq; sit satis. Siquidem pars ipsa frigescit, tum ob ipsas hiru
C dines, quæ natura frigidæ sunt, tum etiam ob aerem ambientem.

De Reuulsione. *Cap.* 2.

VEhementes humorum fluxiones reuulsione cohibendæ sunt, ne nimium confertæ alioquin prorumpant. Sunt autem remedia, quæ per reuulsionem adhibentur, eiusmodi. In pectus uidelicet, aut uentrem, siquid defluxerit; ad manus retrahendum est, uomitus uero ad partes inferiores, uelutiquæ ex acribus clysteribus fluxiones proueniunt, uomitus contra præsidio auertuntur. His uero ambabus fluxionibus, cum superior atque unà inferior uenter urgetur, eas ad urinam sudoremq; reuocabimus: vrinæ autem fluxum ad sudorem aluique deiectiones. Est quoque auxilium quod ex diuersis contrarijsq; partibus reuellit cucurbitula, si mammis proxima apponatur. Item adiumento est, si ubi nimium sanguinis fluit e naribus, aut per loca muliebria immodici effluxus labuntur, præcordijs (hypochondria Græci dicunt) affigatur: acria quoque medicamenta sinibus admota, eas fluxiones retrahunt, quibus caput aut uiscera uexantur. Atque ut summa rem complectar, ita reuulsio efficitur. In humoribus uidelicet partes superiores petentibus ad inferiores: & contra, si inferiores petant partes, ad superiores: & contra, ad dexteram similiter partem aut læuam, item in anteriorem aut posteriorem siquid defluxerit, ad oppositas partes reuulsio facienda est.

D *De Cucurbitula.* *Cap.* 3.

A.l.1.f.4.c.21 p.151. CVcurbitulæ purgatis prius corporibus utiles quidem, sed in repletis (quæ plethorica Græci uocant) prætermittendæ sunt. Idemque initio phlegmones si uel cerebrum ea, uel cerebri membranulas, uel alias corporis partes occupauerit, seruandum est, eisq; abstinendum: sed cum nihil amplius adfluxerit, totumq; exinanierimus corpus, & usus rei inflammantis uel mouendæ uel amoliendæ, uel extrorsum abstrahendæ tulerit; illas adhibebimus. In his quoque affectionibus dum gignuntur, non quidem membris ipsis quæ cœperint laborare, sed eis quæ laborantibus coniuncta fuerint, reuulsionis gratia cucurbitulæ sunt imponendæ. Initio uero quæ repercutiendi uim habeant, sunt adhibenda. Cucurbitula exhaurire materiam, dolores soluere, phlegmonem minuere, inflationes discutere, appetentiam cibi excitare, imbecillo uentriculo uires restituere, animi deliquia leuare, si quæ profundas partes fluxiones infestent, eas transferre & siccare, sanguinis eruptiones prohibere, & quicquid mẽstruæ uitiauerit, attrahere, ijsq; alleuationem præstare potest.

De Scarificatione, seu cutis concisione. *Cap.* 4.

COrporis partes scarificandæ sunt, quę phlegmone uel duritie urgentur, quę uel tensę fuerint, uel dolore aliquo affliguntur, quæque fluxionibus uexantur: vbi eæ ipsæ fluxiones desierint, aut cum acrem materiam subesse uiderimus, seu uis aliqua uenenosa extrinsecus illata fuerit, præterea si ab

altera

altera ad alteram partem deducere materiam uolumus, ſicuti ſcarificatis cruribus, affecto capiti medemur. Sique exuberans materia in corpore minuenda eſt, atque ob id potiſſimum exuperantia illa oriatur,quòd materia ipſa quæ emitti ſolet,ſupprimatur,ſcarificatione utimur, quemadmodum ſanguinis profuſionibus ſuppreſſis (quas hæmorrhoidas Græci appellant) crura ipſa lota quidem prius, uel ſpongia calido fomento adhibito,ſcarificantur.Eodem nanque anno uenam frequenter incidere, minime quidem rationi conſentaneum arbitramur:quandoquidem cum larga ſanguinis copia uitalis quoque ſpiritus emittitur:quo ſane abſumpto, crebrius quidem moles uniuerſa frigeſcet, tum † animales functiones omnes deteriores redduntur. Quamobrem ab ignobilioribus membris utpote a cruribus ſanguis educendus eſt.Vtilis quoq; oculis ſcarificatio eſt,quos diutinæ fluxiones infeſtant,tum capitis uitijs : itē particulis quæ pectori dorſove adiunctæ ſunt.Prodeſt præterea cōpactæ materiæ, anginæq;. E

† Orib. l. ... Eunap. ca. ... & Aet. l. 3. c. 21. legūt φ... σικὰς. i. naturales.

ORIBASII DE CVCVRBITVLIS, SCARIFICATIONE, HIRVDINIBVS, DERIVATIONE, ET REVVLSIONE TRACTATIO: F

Quæ apud eum habetur lib. ſeptimo, & octauo collectorum ad imperatorem Iulianum.

Io. Baptiſta Raſario interprete.

De cucurbitula, ex Galeno. Cap. 15.

Ex lib. vij.

CVCVRBITVLAE corporibus prius euacuatis utiles ſunt:cum enim plethorica ſunt corpora,cucurbitulas non adhibemus. eadem quoque ratione in cerebri, membranarumq; inflammationibus non utimur cucurbitulis in principio affectionum,quemadmodum ne in ulla quidem alia parte, quam obſideat inflammatio : ſed tum,cum nihil præterea influat, totumq; corpus ante ſit euacuatum,atque uſus poſtulet, ut aliquid eorum quæ in parte inflammata ſunt, moueamus,& amoliamur,uel ad exteriora attrahamus. Cū uero affectiones G adhuc fiunt,tum non ijs membris,quæ laborare incipiunt,ſed eis quæ his continuata ſunt,reuellendi cauſa cucurbitula admouetur. in principio uero utendum eſt repellentibus.

Antylli,de cucurbitula;ex ſecundo libro de præſidijs euacuantibus. Cap. 16.

IN mediocri dolore,& ſimilibus,leuibus cucurbitulis,quæ ſine ſcarificatione admouentur, utimur: ubi autem uolumus roborare,uehementibus.in oppletis uero particulis,ut in ijs quæ a corrupta materia uexantur,præciſa cute affiguntur.antequam uero applicentur,uentrem iam emollitum eſſe oportet,aut omnino nullam infeſtantium excrementorum ſuſpicionem ſubeſſe: & prius omnino comediſſe,aut poſt leuem cibum,eumq; iam ſubductum aquam præbibiſſe. maxime autem ſi ſanguinem detracturi ſimus,primum locus eſt parumper illinendus: ſiq; poſtea ſatis ruber, & tumidus a cucurbitula ſit factus,ſcarificandus erit:ſi non,tertio loco erit admouenda, donec pars in tumorem extollatur, atque rubeſcat.ſi uero nec tumor,nec rubor excitetur,partes uſq; dum puniceæ fiant, ſpongijs fouendæ ſunt, & ita poſtea ſcarificandæ.at ſi norit quiſpiam,corpora non rubefactum iri,ueluti in ijs,quorum pingue abdomen eſt,aut in refrigeratis,& mulieribus quæ pepererunt, uſu uenit, tum antequam cucurbitula affigatur,cataplaſma partibus ſuperdabitur.ſed fit interdum, ut a leuibus cucurbitulis tumor ualidus, & colore liuidiore excitetur:ubi uero ſcarificatio ſit facta,aut parum quidpiam,aut certe nihil ſanguinis effluat,cum & craſſius ſit,quod ante ſtat,atque carnoſius.in eiuſmodi ergo, ſpongijs maxime fouere locum,tenuemq;, & facile fluentem reddere ſanguinem conuenit. Ne uero prope mammas cucurbitulæ affigantur,cauendum eſt.illapſæ enim cucurbitulis nonnunquam mammæ, & inturgeſcentes, magna admodum difficultate auelluntur.ubi autem eas auulſeris,oleum erit perfundendum.applicandæ autem cucurbitulæ ſunt ex modico igni. nam ſi uehementes adhibeantur, uapore inflammantes, contendenteſq; corpora, nihil notabile attrahunt. eo uero ſitu collocandas eſſe partes, ut ne ſanguis in eis contineatur,craſſeſcenſq; excretioni impedimento ſit,ſed ut pronus ad inferiora effluat,inter omnes conſtat.ablatis cucurbitulis,ſi quod eductum eſt,ſatis ſit,partes, curabimus:ſin ſecus,iterum eas affigemus.In capite uero non cum multo igni affigendæ ſunt:ſiquidem uehementer attrahent, & euelli difficulter poterunt.quæ ex modico igne admouentur,id quod opus eſt,facient. Cum uero ad auellendum difficiles ſunt,ſpongijs calida & frigida aqua imbutis circundare eas oportet: ſiquidem ita remittentur:ſin minus,eas perforare conſilium eſt. H

De cucurbitularum differentia,ex materia,& figura ſumpta.

DIfferentiæ cucurbitularum,quæ ſumuntur a materia,tres ſunt,uitreæ,corneæ, æneæ. argenteas, quia uehementer igniuntur, reijcimus. ænearum eſt uſus frequentior. uitreis quoque uti poſſemus,

A mus,in quibus ſanguinis eſt conſideranda euacuatio : & corneis item in capite, ubi æneas auulſu difficiles fore cognoſceremus:itemq; in timidis, qui a flamma deterrentur.in figura autem præcipue differunt æneæ.altiores enim magis,quàm humiliores trahunt.quæque humiliores ſunt, quia non uehementer attrahunt,capiti ſunt accommodatiores. quæ habent plana labia,corporibus latis, quarum labra reſima ſunt,curuis & gracilibus aptius admouentur.quæ acutum os habent, ijs conueniunt,in quibus non ſcarificamus,ſed uehementi impoſitione cucurbitularum,quas leues affigimus,attrahere uolumus:cum acumen labrorum ad uiolentum attractum faciat. quæ labra habent obtuſa, cum in alijs, tum uel maxime in capite utimur.attractio uero ænearum, itemq; uitrearum cucurbitularum ex igne fit:cornearum,citra ignem.ſiquidem in extremo perforatæ ſunt:cumq; adhibentur abſterſæ uehementer per foramen trahunt.ſtatim uero foramen digito,aut cera clauditur.

Herodoti,de cucurbitulis,ex libris de præſidijs euacuantibus. Cap. 17.

CVcurbitula materiam,quæ in capite eſt, euacuare poteſt,itemq; dolorem ſoluere,inflāmationem minuere,inflationes diſcutere,appetitum reuocare:imbecillum, exolutumq; ſtomachum roborare:animi defectiones amouere:quæ in profundo ſunt,ad ſuperficiem traducere: fluxiones ſiccare,ſanguinis eruptiones cohibere,menſtruas purgationes prouocare, facultates corruptionis effectrices at-
B trahere,rigores ſedare,circuitus ſoluere,a propenſione in ſomnum excitare,ſomnum conciliare,grauitates leuare.atq; hæc quidem, quæq; his ſimilia ſunt,præſtare cucurbitularum uſus poteſt.

De ſcarificatione,ex libris Antylli,de præſidiis uacuantibus. Cap. 18.

SCarificamus partes corporis,quæ aut inflammatione,aut duro tumore laborant,eæque ſiue diſtentæ ſint,ac dolore uexentur,ſiue fluxionibus infeſtentur: cum ſcilicet ad ſtatum uenit fluxio, aut iam eundem ſit conſecuta:aut acris adſit materia. Pars autem,quæ ſcarificanda eſt,prius,ſi fieri poteſt, lauari debet:ſin minus,aqua tepida perfundi,uſque,dum rubefiat:aut ſpongijs foueri,aut ſoli, ignive exponi:& poſtea ſcarificari.adhibendæ autem ſunt inciſiones cruribus,& abdomini per rectitudinem. eodēque modo in thorace,dorſo,& ceruice.at in capite,pro ſitu capillorū.in fronte,obliquæ. porrò inciſiones ſunt æquali inter ſe magnitudine,ſintq; æqualia quæ inter eas ſunt interualla,initiumq; ſcarificationis ab inferioribus partibus ſumatur.ita enim ſanguis ad extimas partes influens non obſcurabit eas, quæ deinceps ſcarificandæ erunt.ſitus uero ſcarificationum per æquales inter ſe ordines fiat. non fiat autem ſcarificatio plagam infligendo,ſed per tractum. hoc enim pacto dolore uacabit.

C *Apollonii,de ſcarificatione.* Cap. 19.

CVm ad corroborationem,& quamlibet corporis tutelam, ſanguinē conferre plurimū didicerim: qui quidem plerunque redundat,& interdum qualitate in peius uertitur;exiſtimaui,ubi redundat imminutionem:ubi corruptus eſt,immutationē conuenire. Venas igitur eodem anno ſæpe incidere non eſſe accommodatum cenſui : quoniam unà cum multo ſanguine ſpiritum quoq; uitalem effundi intelligebam:quo crebrius exhauſto,tota corporis compages refrigeratur, & omnes naturales actiones peius obeuntur.quocirca iudicaui a particulis ignobiliſſimis,utpote a cruribus, ſanguinis detractionem ſcarificando fieri debere,quantitatem metiendo ex hominis habitu, atq; uſu, qui expoſtulet. præſtantiſſimum autem hoc auxilium eſt,tum ad tuendam ſanitatem,tum ad recuperandam ,cum auerſa fuerit, ✲ ✲ uel ab aliquibus huiuſmodi cauſis.ſed nemo tamen putet, me uenæ ſectionem reijcere.eam enim ego in maximis,periculoſiſſimiſq; affectionibus non omitto:in quibus abunde, affatimq; ſanguinem effundere oportet.nam in uehemētibus affectionibus euacuationes affatim faciendæ ſunt. Plethoram uero mediocrem,quæ aliquid mali ſit factura, & iam conuerſionem in morboſum ſtatum attingat;tibia ſcarificationibus uexata,quæq; ſine moleſtia,& quantam uoluerimus ſanguinis extruſionem reddiderit,citra ualidam totius corporeæ molis commotionem,ſoluit. ſæpe autem plus,quàm ſa-
D tis ſit,congregatur.quare non eſt cunctandum,quin quoties ſigna plenitudinis inciderint, eam tollamus eo modo,quem nunc præſcripſi.præſtat autem uiſcera,quæque in toto corpore inſunt uaſa, non repleri immoderate,neq; diſtendi:ſed potius in quadam relaxatione terminata contineri, ut expedite permeare ſpiritus naturalis queat.

Scarificationem mulieribus quæ non probe purgantur,itemq; aliis pleriſque affectionibus prodeſſe. Cap. 20.

MVlieribus, quibus non proſpere ſuccedit purgatio, ſcarificatio mirabiliter auxiliatur. nā quod illic minus eſt factum,hac ratione euacuatur, ſtatutum autem purgationis tempus expectandū eſt:tuncq; ſi nihil,aut parum ſponte ſua effluxerit,hoc auxilio tantum detrahemus, quantum uſus poſtularit,quinetiam hoc auxilium quibuſdam mulieribus maxime profuit, ut menſtruæ purgationes de more iterum redirent.continua enim ad partes inferiores ſanguinis deductio,ei quoque uiam ac propenſionem parat. Equidem mulieres, quæ multum ætate proceſſerunt, quibus iampridem menſtruæ purgationis nihil apparuerat,ubi aliqua moleſtia corporea uexarentur, hac curatione ſubleuare conſueui.eſt enim hæc mulierum propria,multumq; efficax eſt: quippe quæ naturalis excretionis modum imitetur.Euacuare autem interdum ſcalpello ſoleo, interdum hirudines admouendo. Iam uero cum oculos quidam ex longo tempore ab inceſſabili fluxione infectos haberet, hoc præſidio ſanatus eſt:

cum nos alijs quoque localibus auxilijs ad oculos uteremur,& totius corporis curâ geſſiſſemus. Se- E nex etiam quidam,cum prius per longa interualla,deinde breuia, ſtrangulante circa pulmonem angu ſtia uexaretur, ſimili modo eſt curatus. uacuandum autem tantum eſt, quantum conuenire uideatur. eſtque cauenda refrigeratio: alimentumque moderatum tribus, aut quatuor diebus dandum. Cumque peſtilentia uehemens per Aſiam uagaretur,multique ob eam cauſam obirent, egoque in morbum itidem incidiſſem,ſecundo die cum remiſſio fieret,crus ſcarificaui,& ad duas libras ſanguinis detraxi, atque hac ratione uitaui periculum.quo ſane auxilio, cum multi quoque uſi eſſent, ſunt ſeruati. erant enim ſigna plenitudinis.atque illi præcipue euaſerunt,qui ſanguinem copioſe euacuauiſſent.Quinetiã capitis dolores moderatos,tonſillarum inflammationes,ac dolores laterum recentes tollit. nam diuturniora huiuſmodi ſymptomata localibus ſcarificationibus diſſoluimus, eos denique qui uires reſi ciunt,& ad ſtatum naturalem difficulter redeunt,nihil ſane eſt,quod æque ad eis accommodatã,& ido neam,bonamq; nutritionem ducat,ac ſanguinis per ſcarificationem euacuatio.

Antylli,de hirudinibus,ex libris de præſidijs euacuantibus. *Cap.* 21.

NOnnulli captas hirudines includunt,eiſque ad multa utuntur.ubi enim miteſcant,carni facile admouentur:cum aliæ quandoque peregrine ſe gerant. eas uero experientia docti protinus admouemus:quæ uero nuper ſunt captæ,unum diem ſeruare, & parum ſanguinis alendi gratia injcere con- F uenit.ita enim uirus earum exprimetur. Vbi uti uolumus,locus,cui applicandæ hirudines ſunt, nitro prius fricandus eſt,ac ſanguine alicuius animalis,aut argilla liquida illinendus;aut fouendus, aut unguibus ſcalpendus.ſiquidem ita promptius carnem apprehendent, hirudineſque in aquam puram, & tepidam in uaſe lato, atque magno injciendæ ſunt, ut commotæ uirus abijciant: deinde ſpongia ſunt excipiendæ,& ſtrigmentis purgandæ,ac denique manibus admouendæ.ubi omnes inhæſerint, oleum tepidum particulæ,ne refrigeretur,infundemus.ſi uero manibus,aut pedibus affigendæ ſint,partem in aquam,in qua hirudines ſunt,injiciemus.ſi uero cum cruore plenæ ſint,uti etiam eis oporteat,uel quia paucæ nobis hirudines ſuppetant,uel quia paucæ carni inhæſerint, earum caudas ubi expletæ ſanguine fuerint,forcipe excidemus.nam ſanguine fluente nunquam trahere ceſſant, donec nos ſale, aut nitro,aut cinere earum ora perſpergamus.cum exciderint,ſi locus eſt cucurbitulę capax,eius applicatione uirus extrahendum eſt; eaque erit ualide agglutinanda, celeriterque auellenda:ſi uero capere cucurbitulam non queat, ſpongijs fouendus eſt. ſi uero ex corporibus, aut oſculis cruentæ lachrymulæ adhuc effluxerint, mannam,uel cuminum, uel farinam inſperges: deinde lana pauco oleo madente cõ uolues. Si ſanguis etiam erumpat,linteola,uel telas aranearum ex aceto injcies, uel gallam, uel ſpongiam nouam pice liquida illitam,& combuſtam deinde chartulam aceto madefactam applicabis, atq; G alligabis. hæc in medijs corporis partibus agenda ſunt.nam in artubus,hoc eſt brachijs & cruribus,ſola deligatio ad cohibendum ſanguinem eſt ſatis: quæ poſtero die ſoluenda eſt, ſique ſanguis conſtitérit,abijcienda,ſi non, ijſdem utendum. Scire autem conuenit, hirudines non ex intimis partibus ſanguinem attrahere,ſed eum,qui carni adiacet,exſugere.porrò utimur hirudinibus in ijs, qui inciſiones pertimeſcunt,uel in ijs particulis,quibus propter exiguitatem, aut gibboſitatem, aut inæqualitatẽ affigere cucurbitulas non poſſumus. hirudines autem auellimus,quando eius ſanguinis, quem detrahi oportere exiſtimamus,dimidium extractum fuiſſe conijcimus: deinde tandiu ſinimus effluere, quandiu fuerit excretus is; qui ſatis ſit. cumque particula tum ab hirudinibus, quæ ſuapte natura ſunt frigidæ, tum ab aere ambiente refrigeretur, ideo fouenda eſt, ac recalfacienda: ſanguiniſq; effluxio nõ refrigerantibus,ſed adſtringentibus,& emplaſticis, ut diximus,cohibenda eſt.

Menemachi,de hirudinibus. *Cap.* 21.

HIrudines locis affectis,aut ijs,quæ non pinguibus proxima ſunt, applicantur. nam oleum earum appetentiam ſubuertit. in anguſtiam uero ſtricti calami, ab utraque parte non perforati, aut in H operculum paruæ harundinis, aut quippiam ſimile demitti debent, cum admouendæ ſunt. earum numerus ex duabus magnitudinibus,loci uidelicet,& affectionis eſt ſumendus. ✻ auferantur autẽ oleo calido earum labijs infuſo. mordacitas uero ſalis eſt in partibus ulceratis exoluenda. quod uero poſt euulſas hirudines effluit,digitus impoſitus cohibet.quantum autem excretum ſit, ex erectione hirudinum apparet.Sed euidentius quoque cernitur,ſi conductũ in unum ſit,ubi auulſæ a corporibus hirudines ſanguinem euomuerint. illis ægre adhæreſcentibus,loca,quibus, affigendæ ſunt, ſuperficie tenus ſcarificanda ſunt:nam cum primum ſanguinem guſtarint,eundem magis expetunt.

De deriuatione,Galeni. *Cap.* 18.

DEriuatio eiuſdẽ generis eſt,cũ euacuatione;quæ fit per eã partẽ,quæ fluxionẽ ſuſcipit.ea fit ꝓ aliquã uicinã partẽ:ut cũ per gurgulionẽ,aut palatũ fit fluxio,ipſius deriuatio accõmodate per nares fiet,nobis irritãtibus,aut ꝓ acria medicaméta prouocãtibus.Cũ aũt ad oculos,aut aures,ſucci uergũt, tũ eos nõ in nares tm̃,ſed in os ẽt deriuare debemus,medicaméto qđ ex origano & ſapa,& qđ ex ſinapi cõſtat,dato,ad os colluendũ,& gargarizandũ. Id ẽt nobis ẽ perſpicuũ, uuã taminiã commanſam,pyre-

thrumque,

Athrumque,& cetera huius generis acriam,ſuccorum copiam,quæ in oculos,aut aures ex capite fertur ad os traducere.Fit etiam deriuatio,ſi id quod per aſperam arteriam in pulmonem defluit,ad ſtomachũ diuertamus,ſi quidem hoc eſt potius eligendum. atque etiam in muliere ſi per uenas ſedis ſanguis erũpat,eumque ad uteri uenas traducamus.fiet deriuatio.ex quo fit,ut riuare ſit per riuos ducere, deriuare uero eſt e riuis ad latera diuertere.

De reuulſione,eiuſdem. *Cap.* 19.

VEhementiſſimos influxus ſuccorum auxilijs reuellentibus confertim ingruere prohibemus.ſunt autem reuellentia auxilia, uincula artuum, ubi ſucci in thoracem & uentrem uehementer inclinant:uomitus uero,ubi partes infernas petunt:quemadmodum etiam acres clyſteres,ubi ad uomitum uergunt.Has ambas ſuccorum inclinationes,cum eam inquam quæ per ſuperiorem, & per inferiorem uentrem fit,ad urinas,& ſudores reuelles. urinas quoque tum ad ſudores, tum ad alui deiectiones trahes.reuellens etiã præſidium eſt cucurbitula prope mammas affixa.quæ uero hypochondrijs adhibentur,ſæpenumero ſanguinis ad nares impetum ualde reuulſiſſe conſpexiſtis: quemadmodum etiam immodicas p er uterum irruptiones.acria quoque medicamenta artubus impoſita,ſuccos ad caput,uiſce raque uergentes reuellunt.Omnino autem reuulſio faciẽda eſt,deorſum,ubi ſucci ſurſum uergunt:ſur B ſum uero,ubi ad inferiora feruntur:& ubi introrſum ad exteriora:ubi extrorſum,ad interiora:ſiq; dextrorſum inclinant,in ſiniſtram:ſi ſiniſtrorſum,ad dextram facienda reuulſio eſt. eodemque modo fluxiones,quæ retro inclinant,antrorſum,quæ uero in anteriora,retrorſum reuellendæ ſunt.Timocrates igitur Heracleotes,cum iuuenis quidam ex agro non mediocre põdus in urbem dextra manu tuliſſet, ob eamque cauſam impleta manus fuiſſet,iuſſit, ut pari pondere ſiniſtræ impoſito tantundem itineris conficeret:ita enim fore ut manus tumor euaneſceret.qua re confecta ſtatim tumor ceſſauit: ac me quidẽ non ſolum in manibus,ſed cruribus etiam tale aliquid facere conſpicitis.cruri namq;, in quod humor confluit,aliquod repellens medicamentum adhibeo,idq; apte ligo:eaq; deligatio ab inferioribus partibus incipit, eaque ſemper uicinas partes continenter excipiens, & denſans, uſque ad inguina progreditur:alteri uero cruri aliquod medicamentum calfaciens impono,atq; ita fluxionem commuto, & ad alterum crus reuello.

GALENVS DE FASCIIS

C

Vido Vidio Florentino interprete.

VIDIVS LECTORI.

Poſtremi libri de faſcijs,de laqueis,de machinamentis non reperiuntur (quod ſciam) niſi in eo codice, cuius mentionem fecimus in epiſtola ad regem,in quo ſunt tres auctores de faſcijs,Galenus,Soranus,& Heliodorus,e quibus ego latinum feci Galenum duntaxat,nam qui hunc norit,reliquos plane norit.Sed an eiuſmodi liber germanus ſit Galeni, dubitare nemo debet,nam uel ipſo proœmio conuincitur,atque hic eſt ille liber, quem ipſe pollicitus eſt in ſecundo commentario de officina medici.Verum deſiderantur in Galeno quædam, quæ placuit accepta a Sorano et Heliodoro in hunc librũ inſerere,ne qua ſuperſit humani corporis pars,cuius uinculũ in hoc opere nõ reperias. quæ ſuppleuimus putamus,uel ab auctore omiſſa,uel (quod magis probabile eſt) intercidiſſe. neque enim ueriſimile eſt Galenum tam Sorano quàm Heliodoro poſteriorem, qui ab utroq; multa alia de faſcijs mutuatur,quæ nũc deſiderantur,omiſiſſe,nec ſingulis partibus (ut pollicetur) ſuã uinciendi rõnem aſſignaſſe.Huc accedit quòd deſcriptio Aſciæ uinculi,quã poſuit Heliodorus ad uinciendũ femur, ī libro Galeni nõ legitur,licet eius meminerit ſæpenumero,quia tamen neceſſaria fuit,prætereunda fuiſſe non uidetur.ubicunque autem alun-

D ***de quidquam petemus, auctoris nomen maiuſculis literis notabimus hoc pacto. EX SORANO. EX HELIODORO, cumq; ad Galenum reuertemur. Nunc Galenus.***

HIppocrates ille auctor uetuſtiſſimus mundiciem ſpectans, quam exigunt aliæ artes in agendo, mihi uidetur non inconſiderate protuliſſe. Nobis ſane placet in arte uniuerſa animi intentionem adhiberi. in quacunque enim opera decore agere recteque poſſumus, decore ac recte agere conuenit. quæcunque mundiciem celeritatemque admittunt, celeriter mundeque conficienda ſunt: atque ubi euitari dolor poſſit quàm maxime iocunde: tum reliqua huius generis omnia præclarius agere debemus,quàm alij eiuſdem artis profeſſores.Siquidem(ut in nonnullis,quæ efficiuntur,uidere licet)artifices uſum habentes non alia re præſtant ignaris & expertibus, quàm celeritate atque elegantia. Medicum ergo eo magis quàm alium artificem fungi decet ſuo munere,quo ſibi nobilior eſt ſubiecta materies: & id-
« circo,ſiue ſecet,ſiue adurat,ſiue alliget,ſiue quid aliud manu moliatur, non modo utilitati ſtudere de-
« bet,ſed mundiciei & elegantię, quemadmodum ipſe alibi rurſus teſtatur, quum inquit, Vinculi ratio duplex,altera illius quod injcitur, altera illius, quod iniectum eſt.quod injcitur,ut celeriter, iocunde

prompte,eleganter.celeriter quidem,ut opus expediatur:iocunde,ut facile præſtetur:prompte: ut ubi E
que ſit in promptu: eleganter,ut oculos delectet. Mala enim in nõ nullas corporis partes incumben-
tia,idoneam uinciendi rationem poſtulant, eamque per ſe homo ſæpiſſime decoram expetit. quare tã
ſolius ægrotantis gratia,quàm omnium,quibus ſui uidendi copiam faciet,ſcire oportet,quæ uincula,&
ſimplicia,& uaria,tingulis partibus accommodenturnec ignorandum eſt nonnullis utraque conueni-
re,nonnullis alterutra, nempe uaria, licet alij ſecus exiſtiment, de qua controuerſia primo dijudicare
operæprecium eſt.Expellunt nonnulli uaria uincula,non modo tanquam nihil proficientia, ſed ueluti
uſum præſtantia maxime alienum.id quod nulla ſtabili ratione firmant:ſed teſtimonio maiorum nitun
tur,primum Hippocratis, cum inquit, Sed qui præſtantia uincula amant ſine mente complura alia »
lædunt.præſtantia id eſt uaria:deinde Mantiæ referentis cuidam oculos procidiſſe, cui pharmacopola
caput & faciem uario uinculo deligauerat:idque iure putant eueniſſe, quod faſciæ ob uarietatem inæ
quales urgeant, & idcirco mouere inflammationes poſſint, atque abſceſſus. Sed ſatius fuit eos di-
gnoſcere,non uinculorum uarietate accidere,quod adducunt,ſed inſcitia alligantium,qui ualenter ad
ſtringunt.oportuit enim ita deligare,ut Hippocrates docuit,cum ait,In his autem maxime ad uinculũ »
pertinet ut arctetur quidem ſic,ut quæ iniecta ſunt neque recedant, neque comprimant, ſed fulcian- »
tur,non tamen cogantur.æquum autem fuit,ubi Hippocratem citarunt,illud adiungere quod in Hip- F »
pocratis oratione reſtabat,non enim ſimpliciter ſcripſit.Sed,qui præſtantia uincula amant, complura
alia lædunt.uerum ſubiecit,ſine mente intelligant autem ex ijs quæ mox perſequar, uinculum uarium
nullo modo ab Hippocrate ſubmoueri.ipſe igitur in libro de officina medici faſciandi rationem agens,
ubi narrauit quid uincula requirant dum injiciuntur,quid poſtquam iniecta ſunt, ſubdit. Quod inie- »
ctum eſt,ut recte,ut decore,recte intelligit iniectum,quod confert:decore,quod elegans eſt. ut autem »
exponat quid ſibi uelit decore,addit. Decore quidem, ut ſimpliciter.ut diſtincte: adiungit autem uer »
bum ſimpliciter, non quo ex toto declaret decore, ſed ex parte quaſi dicat uinculum ſimplex ſit & di-
ſtinctum, quod euidentius colligitur ex ijs, quæ ſubiecit. Aut ſimilibus & æqualibus, æqualiter & ſi »
militer, aut inæqualibus & diſſimilibus, inæqualiter & diſſimiliter. Species autem ſimplex orbicu- »
laris, aſcia, ſima, oculus, rhombus, dimidiatus. apteturuero ſpecies ſpeciei, ac morbo illius, qui de »
uincitur. Ergo uinculi ſpeciem, quæ ſimplex eſt, orbicularem eſſe neceſſe eſt, ſed aſcia omnino ſima »
eſt, atque ita quod prorſus æquale eſt, erit ſibi ſimile, quod inæquale diſſimile. num igitur deterren-
tur iam de ſententia, qui uaria uincula repudiari ab Hippocrate uoluerunt, fatentes aſciam, oculum,
rhombum, dimidiatum, uarijs aſſignari? an præter hæc, illis commemorem eundem Hippocratem in
libro de articulis,ad fractum iugulum, uinculum admouere; quod a gruis ſimilitudine γερανίδα nomina G
uit, idque uarium eſſe? Sciant autem quibuſdam partibus, cuiuſmodi femur eſt, ubi poſitum eſt,
atq; humerus & cubitus aliaque plura, nullum aptari uinculum poſſe niſi uarium. Hactenus de his.
pergamus iam ad faſciarum uinciendique rationem, ſcrutemurque in primis, ut faſciæ inter ſe diſtẽt,
materia,habitu,longitudine,latitudine,ſtructura. Materia igitur inter ſe diſſident, quoniam nonnullæ
linteæ ſunt,nonnullæ ex lana,aliæ ex membranulis,quarum uſus,cum neque unus ſit,neque ſimilis,ſed
diſpar, ubi opus erit, eas accipere conabimur, quæ morbo maxime congruant. quæcunque ergo ad-
ſtringenda erunt, linteis alligabimus, at ubi adſtringere non oporteat, propterea quod hoc inflam-
mationi ſit inimicum, ſed abunde ſit continere uel tegere,ex lana:ex membrana uero ſecuti Hippocra
tem,ubi naſus uel maxilla comminuitur, extremitatem membranulæ parti quæ uinculum poſtulat, ag
glutinantes. Habitu, cum aliæ glomeratæ,aliæ ſciſſæ ſint, aſſutæ aliæ: glomeratæ ſunt, quæ ex habe-
na in longitudinem fiunt, quibus nihil aſſuitur, tales ſunt quibus perfracta membra uinciuntur: ſciſ-
ſæ, quæ ex uno linteo extremis partibus uel alibi ſciſſo conficiuntur, quales ſunt, quæ ad capitis uul-
nera dantur (cancri dicuntur) ſiue in quatuor partes ſcindantur, ſiue in ſex, ſiue in octo,aſſutæ ex plu-
ribus habenis uaria figura inter ſe iunctis componuntur, quales ſunt, quæ ſuſpendunt, quæ cingunt,
quæ mammas deuinciunt, quæ mammis & loco præterea, qui iuxta anum eſt, accommodantur. Lon H
gitudine, cum quædam breuiores, quædam longiores ſint: Latitudinis eadem ratio eſt, ſiquidem tam
hæc, quàm illa debet uinciendis partibus reſpondere: Structura, nam aliæ texuntur, aliæ conſtant
ex materia per ſe coacta, uel certo ordine implicata, quæ ſimplici textura fiunt, nonnullæ hac de cau-
ſa texuntur, nonnullæ conficiuntur ex tela quæ ad alium uſum texta ſcinditur in faſcias, his plerun-
que uulnera obligamus, illis utuntur uenatores ad crura defendenda, eædem primæ palmæ parti cir-
cundantur, quæ ex implicata materia fiunt, ab aurigis ad latera continenda adhibentur. Eſt autem
perpetuum,ut qui uinciunt faſcijs abundent, & quas habent, ſciant quàm optime adhibere, atq; ubi
deligandi locus eſt,tales accipiant, quales docuit Hippocrates,quũ inquit. Iam uero faſciæ parentur,
leues, tenues, molles, mundæ, latæ, ſine futuris, ſine eminentijs, ita ualentes, ne extentæ rumpan-
tur,& paulo amplius. Mundas quidem eſſe conuenit, quoniam ſordidæ præterquam quod indeco-
re ſunt, liquore aliquo reſperſę, non madeſcunt, deteriuſque id reddunt,quo perfunduntur:eſſe item
ſui coloris debent,ne ſi purpura inficiantur,uel alia huiuſmodi re,eandem noxam afferant,aut coloris
ſimilitudine currentẽ ſanguinẽ repræſententtenues inſuper, ne ambitus in tumorem nimiũ aſſurgant:
molles, ne ob duritiem urgeant:leues,ne onere infeſtẽt,ſint preterea ſine futuris inęqualibus,ob quas
futurũ eſſet,ut comprimerent:tum ſine eminẽtijs,hoc eſt non ſint orę a lateribus ipſa textura cõfectæ,
uel

A uel alioquin uerſæ atq; conſuetæ,nec quædam extantia,quaſi fibræ. cum quæ eminent, uinculum red-
dant inæquale,quæ extant,non patiantur faſciam facile circuire. Quòd ſi faſciæ ex inciſo linteo fiant,
incidatur non per tranſuerſum,ſed in longitudinem,ſicut intextum eſt, ſectione ad ſtamen directa, ſic
enim lintea facile ſcinduntur,quod ſecus habet,ſi qua ſubtegmen procedit,hoc tentetur. adde, quod
quæ in longitudinem ſcinduntur faſciæ,quod uinctum eſt,firmius continent. At uinciendi ratio quæ-
dam(ut ſuperius dixi)ſimplex eſt,& quædam uaria,atque hæc modo nomen inuenit a ſede, cui adhibe
tur,modo ab euentis,nonnunquam transſlato uocabulo a ſimilitudine animalium.a ſede,quæ uincitur
nomen trahit,oculus,naſus,inguen,ceteraq; huius generis ab animalibus,cancer, accipiter, aries, le-
pus,teſtudo:ſed ab euentis,uallum ſeu coniunctum,ſeu diſiunctum,operculum, habena, & quæ his ſi-
milia ſunt.Præterea ex huiuſmodi uinculis quædam ſunt uincula tantum,ut tholus,regium, ſcapha,di
ſcrimen:quædam uincula ſimul & laquei,cuiuſmodi eſt lepus auritus,paſtoralis,ceteriq; conſimiles.
Vinculum inſuper aliud ab altero faſciarum capite incipit:aliud a medijs faſcijs:aliud utroq; modo.
Quoddam item certis ſedibus idoneum eſt,reliquis alienum cũ ſit:quoddã alijs quoque aptatur. Su-
per hæc aliud a priori parte conſpicitur,quod priorem hominis partem duntaxat alligatam oſtendat:
aliud a poſteriori,aliud ab utraque ſimiliter & priorem & poſteriorem partem æque uinctam demon-
B ſtrans,atq; hæc nunc conſimili,nunc diſpari ratione ueniunt in conſpectum,quæ omnia plana fient,cũ
ad ſingula uentum erit.Sed conſiderandum eſt,inquirendumque an quomodolibet ordiri faſcias opor
teat:maiores enim omnes ſtatuerunt certas corporis ſedes, a quibus faſciæ ordiri deberent, exempli
cauſa in capite,ob quãcunque cauſam uinciatur,faſciæ caput in occipitio collocant, inde ipſam circũ-
agentes,iuncturam conficiunt,nec quidquam intuentur, quod agunt:morbo ne cuius cauſa uinculum
adhibent,ſecundum ſit,an aduerſum:in alijs item partibus inſcitia uel ignoratione(ut credibile eſt) de-
cepti,locos præſcripſerunt. neceſſe enim eſt recte uincientem auctore Hippocrate eo incumbere, ut
non ſolum deligandæ parti,ſed affectui quoq; uinculum conueniat. Nos igitur non undecunque, ſed
qua maxime expedit,ordimur,extremamque faſciam imponimus,qua docuit Hippocrates,cũ inquit.
“ Quæ mouentur, ut articuli, quà curuantur, minimis,& maxime collectis,ueluti poples: qua extendũ
“ tur,ſimplicibus & latis,ueluti patella,obuolui debent.quæ autem adijciuntur ad continendum quidẽ,
“ quæ circa hæc ſunt: ad ſuſpendendum uero faſciam omnem,qua corpus quieſcit,& qua magis cauum
“ eſt,ſuperimponenda,ut ſupra uel infra genu. Conſentit autem cum capite humeri faſcia:ad alteram alã
“ demiſſa:cum inguine, ad alterum ilium:cũ crure,ſuper partem huius poſteriorem,quæ carnoſa promi-
“ net.quibus autem ſurſum labitur,ab inferiori parte ſuſpendenda eſt:quibus deorſum, a ſuperiori. ubi
“C nihil tale eſt,quemadmodum in capite, qua maxime æquale eſt, contineri faſcia debet, & duci quàm
“ minime obliqua,ut poſtremo obuoluta,qua ualentiſſime hæreat,uagos circuitus contineat. Oportet
præterea deligantem ad ea reſpicere,quæ in uinculo requiruntur,cuius Hippocrates duas eſſe ſpecies
teſtatur, unam eius,quod inijcitur,alteram eius,quod iniectum eſt. utrobique autem ſumma cura eni
tendum eſt,dum uinculum injicitur,ut celeriter,iocunde,prompte,eleganter.celeriter quidẽ, ut opus
expediatur:iocunde,ut facile præſtetur:prompte,ut ubiq; ſit in promptu:eleganter,ut oculos delectet.
cum iniectum eſt,ut recte,ut decore habeat,nihilq; abſit ex his,quæ ſupra opus eſſe retulimus. De uſu
autem uinculorum ſcire licet quædam ea de cauſa adhiberi,ut continendo curantibus præſidijs ſubſer
uiant:alia non propter hoc,ſed ut ipſa per ſe agant,quibus curatio committitur.in his maxime attendẽ
dum a qua parte faſcia ordiatur,qua circumeat,qua deſinat.quæ ſingula exquiſitius conſcribi non poſ-
ſunt,docere tamen uiam licet per quam medicus facile iudicare de ſingularibus poterit,naturam ſingu
larium partium perſpiciens,quàm facile alligentur,ſuſpendantur,collocentur:atq; inſuper quid uincu
lum ualeat:efficit enim,ut quæ abſceſſerunt propellãtur,hiantia coniungãtur,peruerſa dirigantur,atq;
omnium contraria præſtentur.Oportet autem ſi quid abſceſſit,ita deuincire,ut quæ ſublimia ſunt, ſedẽ
contingant, hoc eſt locum, unde receſſerunt, at non premant:incipiendum uero a parte ſana,& qua ul
D cus eſt,finiendum,ut quod ſubeſt effundatur,& aliud ultra non coeat.Sed quæ abſcedere uolumus,cõ-
trario modo penitus alliganda ſunt,atq; ubi in unum adducere conuenit.uerum ubi,quę hiant,hoc eſt,
quæ in exterioré partem cõuerſa ſunt, longe initio accepto coniungenda ſunt,in ceteris eodem modo
uinciendum,tantum ab ulterioribus aliquid adducendum erit,paulatimq; comprimendum, primo mi
nimum,deinde magis maxime compreſſionis terminus ſit,ubi ſe contingunt, aptanturq;, ſed non ur-
gent,uerum in diducendis,quæ contracta ſunt,ſi inflammatio eſt,ſuperſedendum eſt,ſi ea non eſt,præ-
paratione eadem utendum,ſed uinculo contrario. digerere itẽ ubi peruerſa oporteat, cetera fieri eadẽ
debent.tum quæ receſſerunt adducenda ſunt,contraria autem contra. Hæc omnia medicum quaſi le-
ges tenentem,obſeruantemque expedit id eligere,quod ſingulis uitijs idoneum eſt, minimeq; ad cer-
tos locos conſilium dirigere.Nos,quanquam in uno quoque caſu,qua primum ordiri uinculum opor
teat,perfecte explicare difficile eſt,dum tamen faſciarum rationem indicabimus,ut res euidentior ſit,
locos ſtatuemus,a quibus ordiri potiſſimum conueniat:medicus uero in agendo ubique illum eliget,
qui maxime in rem erit.

Linteum ſciſſum ad ſummum caput, & ci proximam regionem. I.

Linteum iuſtæ magnitudinis ſcinditur in partes ſex, & medium qua uerticem complectitur, integrum relinquitur, ex partibus uero pendentibus medię findantur e regione auriũ, ac ſub mẽtũ demiſſę, nodo inter ſe uinciant. Quo facto altera faſciola anguſta media occipitio injicitur, extremaq; ad frontem adducuntur, & a latere capitis nodum accipiunt: quatuor uero partium, quas pendere ſinebamus, hæc ratio eſt poſteriores prope nodum anguſtioris faſciolæ, priores ſupra occipitium inter ſe colligantur: licet item abſq; nodo, alijs ſubiectis, alijs ſuperdatis, poſtremæ fibulam imponere.



Linteum ſciſſum ad frontem, & partes, quæ iuxta ſunt. II.

In quatuor partes ſcindere linteum oportet, medio intacto qua fronti circundetur: prioreſq; partes ſuper poſteriores, quæ dependeant, ad occipitium dare, ibiq; inter ſe deuincire: poſt hæc reliquas duas conuerſas, in ſummo capite colligare, quæ ſub mentum etiamnũ demitti poſſunt, & ibi nodum accipere. Hoc uinculo ad occipitium quoque utimur partibus a latere capitis nodo inter ſe deligatis.

Linteum ſciſſum ad totum caput. III.

Linteum ſciſſum in partes octo, ita, ut medium integrũ ſit, donec tegere caput poſſit, toti capiti obuoluatur: tum ex pendentibus partibus, duæ iuxta aures fiſſæ ſub mento inter ſe deligentur, e reliquis uero, binis a priori parte, quaternis a poſteriori, duæ a poſteriori extremæ ſuper alias ducantur ad frontem, altera alteri ſubiecta, ut a ſuperiori contineatur, deinde priores duæ ferãtur ad occipitium, ſic, ut æque alteri altera inſidat, his comprehenduntur quæ prius fuerant circundatæ, reliquæ duæ poſteriores ad frontem attrahantur, altera ſimiliter alteri ſubiecta, extremæq; a latere fibula injiciatur. Hæc uinciendi ratio efficit, ut caput ſine nodis inuolutum defendatur a tædio, quod hic comprimendo afferre plurimum ſolent.

Cancer ſiue uinculum capitis ſiue operculum ſciſſum in partes octo ad caput. IIII.

Medium amplecti debet uniuerſum caput, ſic, ut quatuor partes a fronte recte dependeant, ab occipitio totidem: ex illis exteriores, ad occipitium porrectæ inter ſe alligentur; ex his exteriores ſimiliter fronti circundatæ, a latere deligentur. tum ex reliquis, quæ in fronte ſciſſæ partes ſunt, ad occipitium, quæ in occipitio, ad frõtem attrahantur.



Operculum ex faſcia lata trium capitum (σκεπάστρα dicitur) & ex altera, quæ hanc continet (κάτοχος nocatur) & tertia, quæ prohibet. ne totum uinculum diducatur, καθολικεὺς nominatur. V.

Pertinet ad obuoluendũ uniuerſum caput, dicitur autem παρασκεπάστρα· eſt quidem κάτοχος faſcia longior, quæ in orbem faciei & capiti circundatur, ut operculum cõprehendat: ſed καθολικεὺς ex faſcia fit oblonga, adhibeturq; eo nomine, ut diduci uinculum non ſinat. quarum hæc ratio eſt. Linteũ adhibetur ſic latum, ut caput uniuerſum complectatur, lõgius quàm ut duplicatum, hoc efficiat: cuius alterum caput occipitio datur, alterum a fronte depẽdet: tum anguſtior faſcia ſub mentum media injicitur, & in utranque partem per malas attrahitur inter frontem & uerticem, inde ſub mentũ rurſus demittitur: poſt hæc alterius anguſtioris faſciæ medium fronti injicitur, capitaq; in orbem ad occipitium porrecta, ibi & inter ſe, & cum alterius anguſtioris faſcię capitibus alligantur; at quod ut facie pendebat in longitudinem, uſque dum ad ſupercilia uentum fuerit, diuiditur in duas partes, quæ in fronte altera ſuper alteram inſidente ad ſimilitudinem literæ X in orbem ad occipitium ducuntur, atque ibi deligantur. Poteſt autem una faſcia duntaxat longior,



Agior, & operculum continere, & prohibere, ne tota iunctura diducatur, ad hunc modum, ſi media inter frontem & uerticem ordiatur, capita uero recta per malas ſub mentum demiſſa, ibique altero ſuper alterum excedente in ſimilitudinem literæ X ſub imas aures ad occipitium dentur, ubi rurſus in ſpeciem literæ X, inter ſe aduerſa ad frontem ducantur, & nodo a latere deligentur.

Hactenus de ſimplicibus uinculis, ſequitur, ut de uarijs dicamus, ſi id antea oſtenderimus, quod faſciæ circuituum alius dicitur rectus, alius tranſuerſus, obliquus alius, quid autem hi ſibi uelint, nomina declarant: tum alius στεφανιαῖος, μεταστιαῖος alius, παρετὶς alius, alius γενειὰς præter hæc aliud uinculum orbiculare, aliud in orbem ſerpens ñũcupatur, aliud poſtremo aſcia. eſt autem στεφανιαῖος, qui coronarũ modo inter frontem & uerticem tendit: μεταστιαῖος, qui frontem ambit: γενειὰς, qui ſub mento circumagitur: παρετὶς ſimiliter a malis per quas ducitur, nomen habet: illa demũ uocatur aſcia, quæ lunata figura ab una prate ſima eſt, ab altera gibba. Circuituum igitur iſthæc nomina ſunt.

Rhombus alter ſimplex, alter Hippocratis, de quo nunc. VI.

Aptiſſimum eſt uinculum hoc (ut quidam ſenſerunt) ad ſuturas, ubi dehiſcunt, uel (ut alijs placet) ad partium, quas uulnus diduxit, glutinationem, atq; ad emittendum humorem, eo, quod comprimendi uulneris uim habeat. ſic autem circuire debet. faſcia a latere capitis orſa, obliqua ducenda eſt ad uerticem atq; alterum tempus, deinde malis utrinq; circundanda & oblique parti prius obuolutæ aduerſa in modum literæ X ad occipitium demittẽda, inde obliqua, ſic, ut a priori circuitu diſtet, per malas porrigenda eſt ad alteras malas, ac rurſus obliqua ſurſum danda ut bis X literam repræſentet, quodque in medio eſt rhombi figuram accipiat, quo facto ad occipitium ferẽda eſt, & fronti in orbẽ injicienda, ea tenus autem circumagenda, ut quæ nuda ſunt, includantur.

Semirhombus uel lepus ſine auribus. VII.

Huic, & illi, cui nomen eſt Tholus, in omnibus eadem uis eſt. Ratio adhibendi huiuſmodi eſt. faſciæ caput occipitio injicimus, eamq; ſub infimã auriculam oblique inter frontem & uerticem ad occipitiũ ducimus, tum inter frontem & uerticem priori parti aduerſam, ac ſub infimam auriculam ad occipitiũ attrahimus. poſt hæc fronti circumagimus ſic, ut quod medium eſt, ſemirhombi effigiem referat. extrema uero faſcia, non modo in hoc, ſed in alijs quoq; capitis uinculis, fibula a latere uincienda eſt. Poſſumus etiã, ſi ex uſu ſit faſciam circunducere, non ab inferiori parte ſurſum, ſed contra.

Vinculum ad caluariam, uel Scapha, uel Tholus, ſeu Dioclis, ſeu Glaucij. VIII.

Maxime idoneum eſt, ubi ſummum caput, & quod inter ipſum & frontem eſt, uincire conuenit. hoc autem modo ipſum injicies, orſus ab occipitio faſciam rectę per uerticem duces ad frontem, ibique ſiniſtræ manus digito indice continebis, & iuxta priorem partem rurſus ad occipitium demittes, ab eoque tertio ad frontem porriges iuxta partem priorem, ubi ipſam obuolues per eum ſinum, qui a digito tenebatur, poſtremo fronti circumages.

Thais Perigenis, quam alij ad Molpi eam auctorem referunt. IX.

Adhibetur eadẽ cauſa, qua Tholus, ſed quandam præter uſum elegantiam habet. Vbi Tholus uinculum ſuperdatum fuerit, anguſtioris faſciolæ caput, ſub eius ambitũ indatur, eaq; porrigatur obliqua ad ſummum caput, & inter ipſum & frontem, tum in fronte ſub prioris faſciæ ſinum agatur, inde obliqua ad uerticem, per id, quod inter ipſum & frontem eſt, ducatur, poſt hæc ad occipitium, dein ſub infima auricula dextra inter frontem & uerticem, ſub infima auricula ſiniſtra rurſus ad occipitium reuertatur. Nos uero, ut fidelius contineatur, alium quoq; ambitum per frontem adijcimus.

Thais alia ſine auctore. X.

Tholo obuoluto, faſciola, quæ digiti latitudinẽ æquet, uel etiamnum anguſtior ſit, orſa ab occipitio recta ad ſummum caput, & ad frontem, per id, quod inter ipſam & uerticem eſt, adduci debet, ibiq; duplicata rurſus ad occipitium porrecta conuerti, atque inde per dexteram capitis partem ad uerticem, & inter ipſum & frontem procedere, deinde ad ſiniſtrum tempus demitti, qua duplicanda eſt, et per partem prius obuolutã, ad dextram capitis attrahenda, inde ſimiliter duplicata ad tempus, quod tertio fiat, ut tres ſinus duplicatæ faſciæ cincinnorum imaginem referant, ſed poſtquam tertio ad dextram occipitij partem uentum fuerit, faſciola ad ſiniſtram partem conuertenda, ut æque in altero tempore conſpiciatur, poſtremo, ut bene priores ambitus teneat, fronti circumagenda.

Discrimen. XI.

Ad eosdem pertinet ad quos Glaucij Tholus. inijciturque hoc modo. fasciæ quod satis est, a facie dependeat, & reliqua eius pars ad summum caput, per id quod inter ipsum & frontem est, feratur inde ad occipitium, ibiq; tradatur ministro continenda, post hæc conuersa circa frontem detur, quo facto caput a facie pendens, per partem primo iniectam, recte ad uerticẽ, per id, quod inter ipsum & frõtem est, procedat, inde ad occipitium, ibiq; finiatur.

Scapha, seu Tholus Diocleus. XII.

Recte datur, ubicunque coniungere diducta necesse est uel quòd ob diutinum materiæ cursum ad oculos incisa cutis fuerit, uel quòd frons alioquin uulnus acceperit. Obuoluitur autem hoc modo. fasciam ob occipitio orsam trahimus sub infima auricula dextra, uel sinistra, prout ab hac uel illa prius ducendam æstimabimus, inde ad tempus adiũctum, ab eoque transuersam inter frontem & uerticem, porrigimus ad alterum tempus, inde sub infima auricula ad occipitium, qua caput prius superiniectũ adstringimus, dein super aurem fronti circundamus, sic, ut ambitus hic, illi subijciatur, qui inter frontem & uerticem procedit, ac uterq; e regione alterius, ab interiori parte sit resimus, tum quoties opus est eodem modo circumagimus.

Inijcitur & aliter per duos fasciæ ambitus, circa eam suturam, quæ ad aures per uerticem tendit sic, ut alter ambitus super suturam sit, alter infra, & uterq; ab interiori parte sit resimus, inferior autem sursum procedere debet, superior uero deorsum.

Thais sub incerto auctore. XIII.

Illis idonea est, quibus quod inter frontem & uerticẽ est ac proximas partes, conuenit deuincire. Eam sic admoueto, ubi semirhombum iniecceris, sic tamen, ut fascia frontem non complectatur, ipsam ab occipitio obliquã, ad uerticem & frontem porrigito, ibiq; conuertito, facitoq;, ut circa frontem Lunæ figuram imitetur, & cornua sursum spectent, ima parte sita inter supercilia: post hæc ab altera parte uerticis ad occipitium ducito, sicq; circa frontem attrahito. huiusmodi uinculum præter eam, quam semirhombus affert utilitatem, est etiam aliquo modo speciosius.

XIII. XIIII.

Glaucij vinculum superimpositum uel additum. XIIII.

Ad eosdem confert, ad quos uinculum ad caluariam, sed huic magis fidendum. igitur, ubi uinculum ad caluariã adhibitum est, aliud super inijcito, cui nomen est lepus sine auribus, ne longum faciam.



XV. XVI.

Regium. XV.

Idem efficit, quod Thais sub incerto auctore, nimirũ, quod inter frontem & uerticem est, ac proximas partes, deuincit, cuius hæc ratio est, fasciæ quantum satis est dependere a facie finimus, quodq; ex ea restat, inter frontem & uerticem recta ad occipitium trahimus, inde conuersam sub ima aure inter frontem & uerticem oblique ad occipitium, ab hoc oblique item ad id contrariæ partis, quod inter uerticem & frontem est, tum per tempus, ac sub ima aure ad occipitium ducimus, deinde caput, quod a facie pendebat, ad frontem attrahimus, terq; ibi replicamus, sic, ut sinus ad similitudinem graduum, se excedant, quos postremo comprehendimus fascia circa frontem obuoluta.

XVI. XVII.

Capistrum, quod dimidiatum, uel ad alteram partem dicunt. XVI.

Expeditissimum est, ubi maxillam seu uulneratam, seu prolapsam, seu ob distentionem oris aliumve morbum oportet ab altera parte uinciri. fascia ab occipitio orsa, obliqua per uerticem, & inter ipsum & frontem per tempus ferri debet ad malas, inde sub mento & ima aure alterius partis ad occipitium, deinde sub imis auribus ac mento attracta eodem reuerti, atque ad eandem rationem, quoties opus est, circuire. Tunc uero commodum ita circundatur, cum a superiori parte deorsum deligandũ est, sin ab inferiori parte sursum, fascia ab occipitio incipiat, & sub infimam auriculam, mentumque procedat, tum per malas ducatur, & obliqua inter frontem & uerticem ad occipitium, dein sub mentum circumagatur, postremo frontem ambiat.

Capistrum ad utramque partem. XVII.

Ad eos pertinet, quibus maxilla uel utrinq; suo loco mota est, uel alio quopiam tenetur, ex ijs, quę dicta sunt in capistro ad alteram partem. fascia occipitio primum iniecta, oblique per uerticem & inter ipsum & frontem ad malas porrigitur, demissaq; sub mentum maxillam, & malas ab altera parte amplectitur,

amplectitur, inde inter frontem & summum caput per partem prius iniectam in speciem literæ X ad occipitium reuertitur, & sub imis auribus ac mento rursus ac occipitium data, nouissime frontem complectitur.

Idem ab inferiori parte sursum. XVIII.

Ab occipitio ordiatur, & sub infimam auriculam, ac sub mentum detur ad malas, inde oblique per summum caput ad occipitium tendat, ab eoq; sub infima auricula alterius partis, & sub mento demittatur, tum ad malas, post hæc oblique inter frontem & uerticem ad occipitiũ ducatur. & fronti postea circundetur.

XVIII. XIX.

Idem in utranque partem ductum a superiori parte deorsum. XIX.

Media fascia complecti occipitium oportet, capitaq; eius per uerticem obliqua inter ipsum & frontem porrigere, sic, ut X literam repræsentent, deinde per malas sub mentum, & sub imas aures ad occipitiũ reuerti, post hæc circa frõtem obuolui, & ad occipitium adducta sub mentum demitti, postremo ad occipitium per frontem circuire.

XX. XXI.

Idem aliter. XX.

Media fascia super frontem detur, capitaque eius ducantur ad occipitium, ibiq; figuram accipiant literæ X, post hæc sub imas aures ac mentum ad malas, inde inter frontem & uerticem obliqua ad occipitium demittãtur, tum sub mentum, nouissime per frontem circundentur.

XXII. XXIII.

Aliter. XXI.

Fascia media ab occipitio orsa, capita sub imas aures mentumq; attrahenda sunt, tum per malas, quod superest eodem modo obuoluendum, quemadmodum in ea, quæ proxime posita est.

Capistrum obliquum ad alteram partem, quo uinciuntur quæ iuxta aurem sunt, & maxillæ processum. XXII.

Ab occipitio initium sumat, & sub infimam auriculã ad tempus, atque inter frontem & uerticem oblique ad occipitium, & circa frontem procedat, sæpiusq; ad eandem rationem circumeat. quo modo procedere debet, cum ab inferiori parte sursum attrahitur. Sin expeditius sit a superiori parte deorsum, ita porrigatur, incipiat ab occipitio, & oblique per uerticem, & inter ipsum & frontem ad tempus procedat, ab eoq; sub imam aurem ad occipitium reuertatur, deinde frontem ambiat.

XXIIII. XXV. XXVI. XXVII.

Quod alii leporem sine auribus, alii semirhombum uel nauiculam dicunt, ad utramque partem commodissime ad frontem, & ex parte etiam ad id, quod inter ipsum & verticem est, adhibetur. XXIII.

Occipitio primum fasciam iniicimus, ab eoque sub infimam auriculam ad tempus, & inter frontem & uerticẽ adducimus, & obliquam ad occipitium demittimus, inde circa frontem iuxta angulum oculi tempori propiorem, & inter frontem & uerticem oblique ad occipitiũ, inde oblique inter uerticem & frontem, parti prius iniectæ aduersam sic, ut ibi X literam repræsentet, post hæc sub infimam auriculam ad occipitiũ, postremo circa frontem.



XXVIII. XXIX.

Idem in utranque partem ductum a superiori parte deorsum. XXIIII.

Media fascia occipitium amplectitor, capitaque eius per uerticem inter ipsum & frontem adducito, sic, ut ibi X literam repræsentẽt: inde sub imas aures ad occipitiũ, post hæc circa frontem attrahitõ.

Idem ab inferiori parte sursum. XXV.

Fascia media ab occipitio orsa sub infimis auriculis in utranque partem ducitur ad angulos oculorum temporibus propiores, ab his inter frontem & uerticem ad occipitium reuertitur, deinde frontẽ comprehendit. quibusdam placet hanc sub mentum quoque circumagi.

Vinculum

Vinculum à ſuperiori parte iunctum. XXVI.

Capiſtrum rectum ad utranque partem adhibemus,faſciamq; non amplius ſub mentum, ſicut in illo,ſed per medium naſum aginus ad occipitium, & ſuper eam futuram attrahimus, quæ ad aures per uerticem tendit.

Vinculum Glaucij valde iunctum. XXVII.

Eadem ratione obuoluitur,atque id, quod a ſuperiori parte iunctum inſcribitur, niſi quòd fertur etiam ſub mentum.

Perigenis galea gladiatoria. XXVIII.

Aptiſſima eſt, ubi caput ac malæ pluribus locis uulnus acceperunt.capiſtrum obliquum ad utramq; partem inijcitur: dein Glaucii ſcapha, poſt hæc rurſum capiſtrum ad utramque parte. nonnulli ut uinculum hoc elegantius reddant, id capitis ornamentum, quod κεφαλὴν appellant,parantes aſſuunt. adhibetur itẽ& alio modo ſine obliquo capiſtro,& faſcia per malas minime porrecta.

Galea aliter ad eoſdem. XXIX.

Faſciæ quod ſatis eſt a fronte dependeat, reliqua ad occipitium recta ducatur,& eatenus obuoluatur, ut rectum capiſtrum efficiens totas genas & caput complectatur. quo facto caput quod a fronte pendet, ſurſum conuertendum eſt,& recta per uerticem ad occipitium attrahẽdum, ac,ſi placeat,ſub imas quoque aures adducendum.

Lepus auritus. XXX.

Sic appellabant ſemirhombum, ubi laqueus ille accedit,quẽ auriculas nuncupant, qui uel gladiatoribus decoris cauſa datur,uel ut caput contineat, ubi propter aliquẽ faciei affectum pertractare id oporteat. ſi decoris cauſa, auriculæ breues ſint,& in medio frontis, nam ſic animalis imaginem referunt: ſin ut contineant, in medio ſimiliter, & magnæ, ut digiti in earum ſinus coniecti, continere caput queant.

Alius ad tempora. XXXI.

Hac ratione obuoluitur. ex altera parte faſciæ laqueus fit paſtoralis,uel qui duos habens ſinus nominatur (quos ſæpius in libro de laqueis breuiter declarauimus)& fronti inijcitur,ſuper quem deinde ſemirhombus,uel nauicula circumligatur.

Simplex oculus,uel tenue uinculum ocularium. XXXII.

Faſciam ab occipitio orſam ducimus per uerticem inter ipſum & frontem,inter ſupercilia,ad oculum ſic, ut ipſum contegat,inde ſub infimam auriculam ad occipitium, poſtremo circa frontem.

Idem ab inferiori parte ſurſum. XXXIII.

Ab occipitio initium ſumit,& per ſummum caput inter ipſum & frontem inter ſupercilia ad oculum,tum ſub infimam auriculam ad oculum,inter frontem & uerticem agitur,poſt hęc ad occipitium,& circa frontem.

Duplex oculus a ſuperiori parte ductus. XXXIIII.

Orditur ab occipitio, & per ſummum caput, atque id, quod inter ipſum & frontem eſt inter ſupercilia fertur ad oculum,tum ſub infimam auriculam alterius partis, ad alterum oculum,inter ſupercilia inter frontem & uerticem ad occipitium,poſtea circa frontem.
Poteſt etiam,ſi ad rem magis pertineat, initio conuerti, & ab inferiori parte ſurſum circundari.

Duplex in utranque partem ductus a ſuperiori parte deorſum. XXXV.

Media faſcia ab occipitio orſa,ducere capita oportet inter frontem & uerticem,atque inter ſupercilia,ſic,ut ibi X literę figuram accipiant,tum ad oculos,atq; inde ſub imas aures ad occipitium & circa frontem.

Aliter.

Aliter. XXXVI.

Media faſcia ordiatur a fronte, capita ad occipitium dentur, inde ad modum literę X ſimiliter, atq; in ſuperiori uinculo procedant.

Oculus rectus ad alteram partem. XXXVII.

Orſi ab occipitio faſciam per ſummum caput, & inter ipſum & frontem directa ad oculum ducimus, inde per eam partem,qua maxilla cum malis committitur, ſub mentum, & ſub infimam auriculam ad occipitium & circa frontem.

Duplex ex eodem ductus. XXXVIII.

Priuſquam frontem comprehendat, ab occipitio ad alterum oculum trahi debet,tum recta,qua maxilla cum malis committitur, ſub mentum, ab eoque ſub infimam auriculam ad occipitium & circa frontem.

Idem ab inferiori parte. XXXIX.

Faſciam ab occipitio orſam ducito ſub infimam auriculam,ab eaq; ſub mentum,& qua maxilla cum malis committitur,ad oculum,inde inter frontem & uerticem ad occipitium,poſt hæc ſub infimam auriculam, ſub mentum,qua maxilla cum malis ex altera parte committitur, ad oculum attrahito, tum inter ſupercilia ſuper partem prius iniectam ad modum literæ X inter frontem & uerticem ad occipitium porrigito,& circa frontem nouiſſime circundato.

Idem in utranque partem ductus. XL.

Faſcia media non ſecus ac in ea,quæ obliqua oculum uinciebat, occipitio inijciatur, capitaq; a ſuperiori parte, uel inferiori attrahantur, poteſt etiamnum media faſcia ſub mento incipere.

Linteum ſciſſum ad naſum. XLI.

Faſcia eatenus lata eſſe debet,ut naſum complectatur, longa uero, ut duplicata à naribus ad occipitium perueniat.Orſam igitur ab occipitio recta per uerticem & inter ipſum & frontem ad medium naſum adducimus,& quod ex ipſa ſupereſt a facie ſinimus dependere, quod rectum in duas partes ſcindimus, uſque dum uentum ſit ad ſuperius labrum:quo facto alteram faſciolam mediam,ab imo naſo orſam ſuper eam,quæ ſciſſa pendet a facie, in utranque partem,ſub imas aures ad occipitium ducimus,ſuper partem primo iniectam, ſic, ut ibi X literam repræſentet, miniſtroq; tradimus,deinde partes ſciſſas a facie conuertimus ab utraque parte naſi inter ſupercilia,ut ibi literæ X ſimilitudinem accipiant,ac per ſummum caput obliquas ad occipitium porrigimus,& cum priori capite iũgimus, ſuper quas deinde capita a miniſtro contenta circa frontem attrahimus, ſic, ut a latere nodo uel fibula inter ſe uinciantur.

Funda ad naſum ex quatuor capitibus. XLII.

Scindendum linteum eſt in partes quatuor,mediumq; integrum relinquendum,qua uincire debet imum naſum. ex capitibus uero,quæ ſuperiora ſunt, pendere deorſum oportet,inferiora per genas primum ad angulos oculorũ temporibus propiores procedere, inde inter frontem & uerticem ad ſimilitudinem X literę inter ſe commiſſa a miniſtro contineri, reliqua duo ſub imas aures ad occipitiũ demitti,ibiq; literæ X ſimilitudine accepta,circa frontem agi,& à latere inter ſe deligari, tum quæ a miniſtro tenebantur, in occipitio deſinere.



Eadem ex tribus faſciolis. XLIII.

Vna media inijcitur ſub imo naſo, capitaque eius per oculorum angulos temporibus propiores inter frontem & uerticem ducuntur,ibiq; aduerſa ad imaginem literæ X a miniſtro continentur,altera media datur ſuper imum naſum,& in utranque partem ducitur ad occipitium, ibiq; accipit nodum cũ capitibus a miniſtro contentis,tertia orditur a fronte,& capiti circundata a latere deligatur.

Eadem ex duabus. XLIIII.

Vna ſub imo naſo dari media debet, capitaq; eius per angulos oculorum temporibus propiores inter frontem & uerticem porrigi, atque inter ſe aduerſa in ſpeciem literæ X miniſtro ſimiliter tradi: altera media inijci ſuper imum naſum, & capita eius ferri ſub imas aures ad occipitium, & ibi X literæ ſimilitudine accepta per frontem circumagi,& a latere deuinciri.

Naſus ex binis faſciolis. XLV.

Vna ſuper naſum in lõgitudinem detur, dimidiaq; pars a fronte dependeat,reliqua per uerticem recta ad occipitium porrigatur, ſed alterius medium dandũ eſt ſub imũ naſum,capita uero ſub infimas auriculas ad occipitium ferenda, ubi debent literæ X ſimilitudinem accipere. poſt hæc prioris faſciæ quod a fronte pendet,ſurſum conuertendum,& ſuper partem primo uolutam recta per uerticem ad occipitium demittendum. quo facto, capita quæ ibi literæ X figuram acceperant, id complexa, poſtquam fronti circundata fuerint,finienda ſunt.

Accipiter ad naſum ex tribus faſciolis. XLVI.

Vna ſub imo naſo media incipit, cuius capita utrinq; iuxta nares inter ſupercilia ducuntur ad imaginem literæ X,inde ad ſummum caput atq; occipitium dantur, ibique continentur: altera media ſuper imũ naſum obuoluitur, capitaq; eius ſub infimas auriculas ad occipitium demittuntur,& ibi inter ſe, & cum capitibus, quæ continebantur,uinciuntur,tertia media a fronte orditur,& in utranq; partem circumacta a latere capitis finitur.

Idem ex binis faſciolis. XLVII.

Prior faſcia perinde atq; altera circumagenda eſt, ſed capita huius in occipitio ad literæ X ſimilitudinem inter ſe aduerſa,ubi frontem complexa ſunt, finiuntur:illius uero ſub his comprehenduntur, uel ipſa quoq; in occipitio in ſpeciem literæ X inter ſe aduerſa ſub mentum adducũtur,ibiq; inter ſe alligantur.

Faſcia glomerata ad idem. XLVIII.

Faſciæ pendere tantum a facie ſinito,quam tum a naribus poſſit ad occipitium peruenire, reliquam G eius partem recta per naſum, inter ſupercilia ad frontem & uerticem trahito, inde per medium caput ad occipitium demittito, ibiq; conuerſam ſub infima auricula ad imum naſum attrahito ſuper partem pendentem,inde ſub infima auricula alterius partis ad occipitium ducito,ibiq; contineto. poſt hæc caput,quod a facie pendebat,recta ſuper partem priorem uolutam, ac occipitium dato, ſic, ut a reliqua faſcia comprehendatur, quam poſtremo circa frontem adducito, & ad occipitium reuerſam a latere capitis deuincito.

Funda. XLIX.

Orſa ab occipitio obliqua per uerticem & inter ipſum & frontem tendit ad angulum oculi tempori propiorem,inde per genam ad imum naſum, ab eoque ad genam ſimiliter alterius partis, oculi angulum tempori propiorem,inter frontem & uerticẽ,ad ſummum caput fertur priori parti aduerſa. poſt hæc ad occipitium demittitur,& ſub infimis auriculis porrecta ad occipitium reuertitur,nouiſſimeque fronti obuoluitur.

Eadem aliter. L.

Faſciam occipitio primum inijcimus, deinde obliquam per uerticem ad tempus atque angulũ ocu H li tempori propiorem adducimus, ab eoque ſub imum naſum, atque infimam auriculam rurſus ad occipitium demittimus, ibique conuertimus, & priori parti aduerſam obliquam ducimus ad tempus, ac ſub imum naſum ad infimam auriculam contrariæ partis, poſt hæc ad occipitium, deinde ſub infimam auriculam,ſub imum naſum,ac ſub imam auriculam alterius partis ad occipitium, poſtremo circa frontem obuoluimus.

Amintæ uallum. LI.

Orſi ab occipitio,faſciam oblique per uerticem ducimus,atque inter ipſum & frontem inter ſupercilia,inde a latere iuxta angulum oculi,naribus propiorem recta ad proximam narem,inde qua maxilla cum malis committitur,attrahimus,tum ſub mentum demittimus, & ſub infimam auriculam ad occipitium damus,ab eoque per uerticem oblique inter ipſum & frontem, atque inter ſupercilia porrigimus,priori parti aduerſam in ſpeciem literę X poſt hæc a latere naſi,ex contraria parte,& qua maxilla cum malis committitur,ſub mentum atque infimam auriculam alterius partis ad occipitium,inde frõti circundamus,poſt hæc ſub infimam auriculam,per medium naſum,ad alteram infimã auriculam atque occipitium,præter hæc nonnulli quoq; mentum complectuntur. Adhibetur autem commodiſſime,ubi uel inter ſupercilia,uel medium naſum deligare opus eſt.

Phaleræ,

A *Phaleræ,ſeu uallum.* LII.

Ab occipitio inchoatur,& oblique per ſummum caput atque inter ipſum & frontem procedit inter ſupercilia,inde iuxta angulum oculi naſo propiorem per genam ſub imam aurem ad occipitium, ab eoque per contrariam partem, ſic,ut inter ſupercilia literæ X figuram accipiat, tum oblique inter frontem & uerticem, per uerticem ipſum ad occipitium demittitur, deinde ſub infimam auriculã, per medium naſum, atque alteram infimam auriculam, item ad occipitium reuertitur, poſt hæc circa frõtem agitur. Quidam, ut ſpecioſius uinculum efficerent, per eam quoque ſuturam,quę ad aures per uerticem tendit,circuire uoluerunt.Poteſt etiam,ſi res poſtulat,faſcia duci in utranque partem.huic & ſuperiori eadem uis eſt.



B *Menecratis accipiter.* LIII.

Faſcia primum occipitio detur, & recta per uerticem inter ſupercilia tendat iuxta angulum oculi naſo propiorem, & ab altera nare ſuper imum naſum feratur iuxta alterum angulum naſo propiorem, & inter ſupercilia,ut ibi ſimilitudo literæ X fiat, poſt hæc recta iuxta partem prius uolutam ad occipitium reuertatur, ibiq; conuerſa ſub infimam auriculam, & ſuper imum naſum, ac ſub infimam auriculam alterius partis, itidem ad occipitium adducatur,& fronti nouiſſime circundetur, quam agere etiam licet ſuper eam ſuturam,quæ ad aures per uerticem tendit. Nonnulli, ut elegantius uinculum reddant, adiiciunt ſemirhombum, cuius rationem ſupra indicauimus.

C *Amintæ uallum ad naſum in alteram partem declinatum.* LIIII.

Faſciam ab occipitio orſam recta ad ſummum caput adducito, deinde inter ipſum & frontem, atq; inter ſupercilia ab altera nare ſub imum naſum attrahito, inde ſub imam auriculam alterius partis, & ſuper imum naſum ab eoq; ſub imam aurem ad occipitium obuoluito, inde circa frontem.

Hippocratis uinculum adducens. LV.

Idem præſtat,quod proxime poſitum. ſic autem obuoluitur. membranula palmę longior accipitur, cuius unum caput glutine uel gummi illitum naſo agglutinatur ab ea parte, in qua iacet: alterum ſub imam aurem ad occipitium adducitur ab eoq; ad frontem, qua ſimiliter agglutinatur.

Ad aures linteum ſciſſum in quatuor partes. LVI.

Medium auriculam complectatur, ex partibus uero ſciſſis, quæ ſuper auriculam ſunt, ubi X liteD ræ figuram acceperint, una per frontem, altera per ſummum caput, ad occipitium porrigantur, tum quæ per frontem procedebat, qua X literæ ſimilitudo eſt, attrahatur, quæ per uerticem, ad frontem ducatur, & a latere capitis ambæ inter ſe uinciantur, ſed partes ſubiectæ aduerſæ inter ſe procedant, & altera per poſteriorem partem, altera ſub mentum detur ad occipitium,ibiq; nodum accipiant.

Auris ex faſcia glomerata. LVII.

Faſcia poſt læſam aurem prope occipitium orſa, per ipſam ferri debet, ut ex parte eandem includat, inde inter frontem & uerticem attrahi non longe a fronte, tum per priorem partem prope alteram aurem ac ſub mentum ad aurem affectam, deinde inter uerticem & frontem ad poſteriorem partem integræ auris,& ſub mentum, atque infimam auriculam ad occipitium, inde circa frontem,ac rurſus ad occipitium.

Aliter. LVIII.

Occipitio primum inijcitur, & ſub infimam aurem ſanam inter frontem & uerticẽ ad priorem partem affectæ auris porrigitur, atque inde ſub mentum, & ſub infimam aurem ad occipitiũ,deinde oblique ſuper aurem, poſt hæc circa frontem.

Linteum

Linteum ſciſſum in partes ſex ad regionem iuxta aurem. LIX.

Medium ſuper locum uinciendum injicimus, ex partibus uero alijs a ceruice dependentibus, alijs ſuper caput collocatis, eas, quæ a priori parte ſunt, inter frontẽ & uerticem nodo inter ſe deuincimus, medias uero in ſummo capite & inter ſe, & cum prioribus alligamus, poſteriores ad occipitium adductas, ut X literam referant, circa frontem agimus ſic, ut a latere capitis finiantur.

Iunctura ad malas ex tribus faſcijs. LX.

Vna media inter frontem & uerticem injiciatur, capitaque eius per malas ſub mentum demittantur, ab eoq; per malas iuxta priores partes inter frontem & uerticẽ procedant, ibiq; inter ſe colligentur, quòd ſi oculos quoque deuincire uolueris, ducantur non iuxta priorem partem, ſed per oculos, tum inter frontem & uerticem data in ſpeciem literæ X ad occipitium adducãtur, altera faſcia media inter frontem & uerticem orſa in utranq; partem attrahatur iuxta oculorum angulos temporibus propiores, ad mentum, atq; ibi nodum accipiat: tertia media medium naſum amplectatur, capitaq; eius ſub infimis auriculis ad occipitium adducantur, ibiq; X literæ ſimilitudine accepta per frontem circumeant, & nodo a latere capitis uinciantur.

Longa ad frontem & regionem, quæ inter ſupercilia eſt ex faſcia glomerata. LXI.

Dari primo ſuper occipitium debet, poſt hæc recta duci ad frontem & inter ſupercilia, deinde ad occipitiũ reuerti, & poſtremo per frontem circumagi.

Funda ad labrum inferius ſciſſa in partes quatuor. LXII.

Medium, quod integrum eſt, injicito ſuper labrum inferius, ſuperiores uero partes ad mentũ adducito atque inde ad occipitium, ibiq; in ſpeciem literæ X altera ſuper alteram excedente, ad ſummum caput, & inter ipſum & frontem attrahito, miniſtroq; tradito, reliquas uero binas partes ſub infimis auriculis ad occipitium porrigito, atque ad formam literæ X ad frontem attrahito, & has, & quæ a miniſtro continebantur, inter ſe deuincito.

Eadem ad labrum ſuperius. LXIII.

Media ſuperius labrum complectitor, inferiores partes iuxta angulos oculorum temporibus propiores adducito inter frontem & uerticem, ut ibi X literæ figuram accipiant, inde ad occipitium demittito, reliquas duas partes ſub infimas auriculas ad occipitium attrahito, ibiq; inter ſe aduerſas circa frontem agito, & inter ſe deuincito.

Faſcia glomerata ad labrum inferius. LXIIII.

Orditur ab occipitio, & ſub infima auricula fertur ad labrum inferius, ac ſub infimam auricula reuertitur ad occipitium.

Eadem in utranq; partem ducta. LXV.

Media labrum complectitur, capitaq; eius ſub imas aures ad occipitium attrahuntur, & fronti circundantur.

Alia. LXVI.

Incipimus ab occipitio, & ſub infimam auriculam ad labrum faſciam ducimus, ab eoq; ſub infimam auriculam ex altera parte ad occipitium, inde per uerticem obliquã & inter ipſum & frontem ad tempus porrigimus, ab eoque per malas ſub mentum ad malas ex altera parte, deinde inter frontem & uerticem in ſpeciem literæ X inde ad occipitium, poſtremo circa frontem.

Ad labrum ſuperius. LXVII.

Ab occipitio ordiatur, & obliqua detur inter uerticem & frontem iuxta oculi angulum temporibus propiorem ad labrum ſuperius, ab eoq; ad alterum tempus, atque oculi angulum ipſi propiorem, tum inter



A inter frontem & uerticem ſuper partem prius iniectam ad imaginem literæ X inde ad occipitium & circa frontem.

Eadem a medio orſa. LXVIII.

Media ſuperius labrum complectere, capitaq; iuxta tempora, oculorumque angulos temporibus propiores porrige, inde inter frontem & uerticem, ut ibi X literam referant, tum ad occipitium, poſt hæc per frontem, rurſus ad occipitium.

Funda ſciſſa in partes quatuor ad occipitium. LXIX.

Media occipitium comprehendit, ex partibus uero, quæ ſubiectæ ſunt per malas atque angulos oculorum temporibus propiores inter frontem & uerticem feruntur, ibique inter ſe deligantur. reliquæ ſub infimas auriculas ad occipitium ducuntur, ubi ad modum literæ X altera ſuper alteram excedit, quòd ſi breuiores fuerint, in occipitio cum prioribus aptantur, ſi longiores, ad frontem adducuntur. ✲ Cum de uinculis tam ſimplicibus, quàm compoſitis, quæ faciei & capiti conueniunt, abunde dixerimus, proximum eſt, ut ad reliqua pergamus.

B *Iunctura ad mentum EX SORANO.* LXX.

Faſciam ab utroque capite ſcindentes, ſic, ut medium, quo mentum comprehenditur, intactum relinquatur, inferiores quidem partes, recta per malas inter frontem & uerticem porrigimus, ſuperiores per mentum tranſuerſas ad occipitium attrahimus, nodoque inter ſe alligamus, prodeſt autem quibus deuincire mentum conuenit.

Spica Glaucij. Nunc GALENVS. LXXI.

Nomen inuenit a ſpica, quam ſuo ambitu imitatur, maxime autem proficit, ubi iugulum fractum eſt, aut humerus excidit. eius ratio eſt. Hapſus lanæ mollis ab ea parte, quæ uincienda eſt, alæ ſubijcitur, donec id cauum compleat, poſt hæc faſcia glomerata, quæ longitudinem & latitudinem habeat pro portione eius, quod alligatur, ab altera ala incipiens obliqua per dorſum tendit, qua iugulum cum lato ſcapularum oſſe committitur, inde ſub ala affecti humeri ad eam partem reuertitur, qua iugulum cum lato ſcapularum oſſe committitur, ita, vt ibi X literam repræſentet, deinceps obliqua per pectus procedit ad alam integræ partis, inde per dorſum obliqua ad iugulum, ita, ut parti prius obuolutæ aliquantulum inſidat, ab eoq; ſub ala iterum datur ad iugulum, ſic, ut ſecundo ſimilitudo X literæ fiat. poſtremo ad alam integræ partis, atque ad eandem rationem circumagitur.

C



Eadem media primum iniecta. LXXII.

Adhibita ſpica brachium figurandum eſt ad angulum rectum, atque altera faſcia media inuoluendum, cuius capita recta ducenda ſunt, qua iugulum cum lato ſcapularũ oſſe committitur, atque ibi in ſpeciem literæ X aduerſa inter ſe ad alam integræ partis attrahenda, poſt hæc per latera atque affectum humerum circundanda eatenus, ut omnia includantur, & ſub ala ſanæ partis finienda.

D *Eadem in utranque partem ducta.* LXXIII.

Media alam affecti humeri complectitur, & in utramque partem ducta, qua iugulum cum lato ſcapularum oſſe committitur, X literæ figuram accipit, inde oblique pars una per dorſum, altera per pectus procedit ad alteram alam, atq; ad hunc modum, quoties opus fuerit uoluta, finitur.

Geranis (ita enim appellatur a gruis ſimilitudine) Hippocratis, ſiue (ut aliis placet) Perigenis. LXXIIII.

Iiſdem conuenit, quibus ſpica, in hunc autem modum obuoluitur, ubi ſpicam iniecerimus, ſemel circa humerum dari faſcia debet, inde ad iugulum procedere, tum oblique ad alteram alam, atque ibi deſinere.

Funda humerum complectens, quæ idem præſtat atque Geranis. LXXV.

Spicam adhiberi prius conuenit, tum ab ea parte qua iugulum cum lato ſcapularum oſſe committitur, faſciam ſemel recta ferri ad brachium, quod ad angulum rectum figuratum ſit, atq; inde rurſus ad eam partem, qua iugulum cum lato ſcapularum oſſe committitur, deinde ad alam integræ partis, poſt hæc humero & lateribus circundari, & ſub ala nodum accipere.

Eadem

Eadem aliter. LXXVI.

Media uitiati humeri caput amplectatur, capitaq; eius recta ducantur ad brachium in uicinia cubiti, & rursus iuxta partes prius iniectas,qua iugulum cum lato scapularum osse coniungitur, inde ad alam integræ partis, post hæc in orbem.

Aliter. LXXVII.

Media circundãda est alæ integræ partis, capitaq; eius in orbem ad latera atq; humerum attrahenda, tum sub ala integræ partis iterum demittenda, inde obliqua ducenda sunt ad eum uitiatæ partis locum, ubi iugulum cum lato scapularum osse committitur, deinde recta per humerum ad cubitum,ab eoq; rursus ad eam partem,qua iugulum cũ lato scapularum osse committitur, inde ad alã integræ partis,postremo in orbem circa humerum.

Spica duplex,quam alii quadrigam dicunt. LXXVIII.

Commodissime inijcitur,cum utrumque humeri caput male habet.eius ratio hæc est.ubi spica simplex data fuerit fasciam sub alam uincti humeri demittentes obliquam ducimus ad alterum humerum,atq; ad eam partem,qua iugulum cum lato scapularum osse committitur,sic,ut ibi X literam referat,deinde ad alteram alam, atque ad eandem rationem circumagimus.

Cataphracta. LXXIX.

Nomen habuit a similitudine thoracis Romani, quem cataphractam dicunt.prodest autem quibus deligare iuxta iugulum conuenit latum os scapularum,pectus,dorsum aut latera. quod uinculi aliqua ex parte duplicem spicam repræsentat,sic autem obuoluitur. Alæ primo circundatur, tum oblique per pectus ducitur prope illam regionẽ, ubi iugulum cum osse pectoris committitur,inde per ceruices ad latum scapularum os humeri contrarij atque ad alam subiectam,ab eaq; ad ceruices super partem prius iniectam, ita,ut prope ceruices similitudo X literæ fiat,post hæc obliqua datur ad latum scapularum os ex altera parte, atq; ad alam,ab ala ad ceruices,ut in uertebra colli X literæ figurã accipiat,deinceps sub ala & oblique prope eam regionem ubi iugulum cum osse pectoris committitur,sic,ut hic quoque similitudo X literæ fiat,& iuxta ceruices & super latũ scapularum os,& sub ala,ut quater X literam repræsentet, nimirum semel a priore parte,semel a posteriori,bis prope iugulum. Ad eandem autem rationem quoties opus est, circuit, deinde in orbem attrahitur circa pectus & latera sic,ut tota iunctura thoracem referat.

Eadem in utramq; partem ducta. LXXX.

Sub ala dari mediam fasciam oportet,& in utramq; partem ferri ad proximum iugulum,sic ut prope ceruices X literam referat, deinde oblique porrigi ad contrariam alã, ab eaq; ad proximum iugulum, ut ibi prope ceruices fiat similitudo literæ X,inde ad alteram alam oblique,postremo in orbem circa pectus.

Sostrati uinculum rectum ad alam & pectus. LXXXI.

Maxime conuenit, ubi medium pectus, uel dorsum aut latera,seu thoracem uolumus deuincire.duas igitur fascias iustæ longitudinis humerorum capitibus inijcimus,earumq; capita recta finimus dependere:deinceps fascia glomerata thoracem totum obuoluimus & latera,ut contegantur, extremamq; fasciam nodo alligamus:capita uero,quæ & a priori & a posteriori parte pendebant, fasciæ circuitibus assumus, ac, si longiora fuerint, sursum conuersa, qua iugulum cum lato scapularum osse committitur, inter se colligamus.

Vincula in speciem literæ X ad alam & pectus. LXXXII.

Quas proxime posui fasciolæ,non rectæ, sed obliquæ dependeant,ita,ut tam a pectore, quàm a dorso


LXXV LXXVI


LXXVII LXXVIII


LXXIX LXXX


LXXXI LXXXII

Aso similitudo X literæ fiat. cetera eadem fieri debent,quæ,ubi rectæ adhibentur.

Amintæ thorax. LXXXIII.

Huic & uinculo, quod ad alam posui, eadem uis est,sic autem fasciatur. imposita cataphracta ad utramq; partem ducta, ubi fascia eatenus circuierit, ut usque ad umbilicum complexa omnia fuerit, capita inter se uinciri debent sic, ut lupus laqueus fiat, quodque ex his ultra laqueum relinquitur, ad ilia utrinque adductum prioribus circuitibus inseritur, sic, ut extremum pendeat, quod quatuor digitorum longitudinem æquet, quo fit, ut thoracis fimbrias repræsentet.

Thorax ad idem X literam repræsentans. LXXXIIII.

Fasciam ilibus primum a dextra parte inijcito, & oblique per latus & medium pectus trahito ad humeri caput, B ab eoque ad alam atque iterum ad humeri caput super partem priorem ad effigiem X literæ, post oblique per dorsum ad ilia super caput primo iniectum, deinceps per uentrem ad ilia sinistræ partis in orbem circunducito, deinde per dorsum priori parti aduersam, sic,ut ibi eiusdem literæ similitudinem habeat, ad caput humeri dextrum,post hæc sub alam demittito, & rursus ad caput humeri circumagito sic, ut ibi similitudo X literæ fiat, post hæc per medium pectus ac latus oblique ad ilia sinistræ partis, nouissime in orbem circundato, atque ad eandem rationem uoluito, dum quæ liganda sunt,omnia includantur.


LXXXIII LXXXIIII


LXXXVI LXXXVII

Stella. LXXXV.

Adhibito uinculo,cui nomen est thorax X literam repræsentans,debet angustior fasciola dari in orbem semel aut iterum circa pectus & dorsum, & extremo capite fibula deuinciri.

C *Geranis in speciem fiscellæ.* LXXXVI.

Idem potest, quod cataphracta, eius autem ratio est. a dorso incipit,& oblique per scapulas ad eam pattem procedit,ubi iugulum cum lato scapularum osse committitur, inde sub ala demissa eodem reuertitur,ut similitudinem X literæ super eandem commissuram accipiat, post hæc obliqua per mammam ad umbilicum,ibique conuersa oblique trahitur ad alteram mammam,atque ad eam partem,ubi iugulum cum lato scapularum osse committitur, ut ibi literæ X figurã accipiat, deinde per dorsum demittitur, & in orbem datur circa latera, atq; ad eãdem rationẽ circuit.

Stella a posteriori parte se ostendens. LXXXVII.

Vtiliter adhibetur, quibus deuincire dorsum oportet. sic autem circũdatur.ab ilibus orsa puta sinistræ partis, per dorsum tendat ad caput humeri dextri, inde ad alam, ab eaq; per latum scapularum os sinistræ partis ad alam atq; humeri caput, dehinc oblique per dorsum feratur priori parti aduersa, post hæc semel aut iterum in orbẽ circa ilia D detur,eoq; ambitu extrema pars cõtineatur.Eandẽ quoq; sic circumagere licet, ut a priori parte oculis exponatur,id qd̃ fit,ubi nõ a priori parte, sed a posteriori æque circũeat.


LXXXVIII LXXXVIIII

Vinculum,quod a fulmine κεραύνιος appellatur. LXXXVIII.

Idem efficit,atq; illud,quod proxime positũ est,fasciam iustæ longitudinis atq; latitudinis mediã in longitudinem scindimus,dũ recipere caput possit, ex capitibus uero unũ a uentre,alterũ a dorso patimur dependere,post hæc imponimus id uinculi,cui nomen est Thorax X literam repræsentans, imaq; capita prioris fasciæ scissa in plures partes pendere sinimus.


XC XCI

Simplex uinculum ad ceruicem. LXXXIX.

Commodissimum est, ubi res poscit alteram ceruicum partem alligari. incipit autẽ a medio latere, & per dorsum fertur ad ceruicẽ & pectus, & post hæc ad latus super caput primo iniectum,deinde per thoracem in orbem.

Duplex. XC. E

Fascia primum alæ circumdari debet, tum oblique per dorsum ad ceruicem procedere, inde ad pectus,& alam,atq; alteram alam,post hæc oblique per pectus ad ceruicem ita, ut ibi X literam repræsentet,deinde oblique per dorsum ad alam, ac postremo in orbem circumagi,atque ad eandem rationem circuire.

Cuspis,siue hamus. XCI.

Binæ fasciolæ,quæ & longitudinem conuenientem habeant,& duorum digitorum latitudinem nõ excedant,mediæ humerorum capita complexæ dependent,& tam a dorso, quàm ab umbilico X literæ figuram accipiunt, post hæc fibula inter se iunguntur, quo facto obuoluitur Geranis in speciem fiscellæ.

Rhombus simplex. XCII.

Iisdem prodest, quibus proxime adscripta. conficitur autem ex duplici uinculo ad ceruices,& ex Geranide, antedictis.

Rhombus duplex ad idem. XCIII.

Fascia ab ilibus orsa obliqua per iugulum fertur ad latũ scapularũ os,inde ad alam, ab eaq; ad iugulum ita, ut qua iugulum cũ lato scapularũ osse committitur, referat simili tudinem literæ X.post hæc transuersa per collum ad alterũ iugulum, tum sub ala demittitur, atque ad idem iugulum reuertitur, ut ibi quoq; similitudo X literæ fiat,inde obliqua per mammam porrigitur ad ilia contrariæ partis sic, ut in pectore eandem literam referat, postea in orbem circa ilia fertur, & obliqua per dorsum tendit, qua iugulum cum lato scapularum osse committitur, inde ad alã demissa eodem reuertitur,tum transuersa per priorem partem, qua iugulum cum osse pectoris, & qua cum lato scapularum osse committitur, & obliqua per dorsum ad ilia, postremo in orbem. Cum hoc etiam imponitur, uel duplex geranis,uel simplex uinculũ ad ceruicẽ,uel ẽt duplex.

Sostrati κεφαλίνιος. XCIIII.

Proficit ubi medium pectus & dorsum deligandum est, sic autem obuoluitur. duo injci uincula oportet, & quod cuspis,& quod stella nuncupatur,tãtummodo capita,quæ in stella per fibulam inter se iungebantur, ad ilia adducta dependent.

Apollonij iunioris ἡμικεφάλιος. XCV.

Fasciolas, quas in cuspide adhibuimus, ad humerorum capita damus,tum duplex uinculum ad ceruices injcimus,deinde geranida in speciem fiscellæ.

Sostrati parua ara. XCVI.

Speciosa est,siquidem obuoluta paruæ arę angulos repræsẽtat.Primum deligetur uinculum ad cer uices,deinde geranis in speciem fiscellæ, quo facto adijcitur uinculum Sostrati ad pectus cum fasciolis suspendentibus.

Eiusdem paruum templum. XCVII.

Hoc etiam & decorum est, & idem proficit, recto uinculo Sostrati impositio illud injciendum est, quod Quadriga nominatur. H

Apollonij Thirij paruum templum. XCVIII.

Binæ fasciolæ super dorsum dantur,quemadmodum in uinculo recto Sostrati ad pectus,postea sim plex rhombus circumagitur.

Geranis in speciem fiscellæ in priori parte se ostendens. XCIX.

A latere orsa obliqua per pectus eo ducenda est,ubi iugulũ cum lato scapularum osse cõmittitur,inde sub alam, ab hac eodem reuersa per collum trãsuersa ducenda est ad cõmissuram iuguli alterius partis cũ lato scapularũ osse,deinde sub ala a priori parte uersus posteriorẽ ad eandẽ commissurã porrigẽda,inde obliqua per pectus,& postremo in orbem circa ilia.idẽ quoq; uinculũ a posteriori parte se ostẽdet,si circuitus,qui a priori parte fuerant in posteriori collocemus,& eos qui a posteriori, in priori. C.

Auriga.

Valet ad latera deligãda,atq; ad hunc modum injcitur.Media fascia collum comprehendimus, capitaq; obliqua per pectus attrahimus,ibiq; inter se implicata sub alas adducimus ad dorsum, ubi rursus implicamus, atq; ita,donec totum thoracem deligauerint,modo a posteriori, modo a priori parte implicamus,extremaq; inter se deuincimus,quo uinculo utuntur aurigæ ad latera continenda.

Expositis fascijs,quæ thoraci accommodantur,proximum est,ut ad reliquas pergamus.

EX

A EX HELIODORO.

Assuta fascia ad mammam. CI.

Fasciam,cuius lõgitudo ac latitudo sit proportione hominis duplicamus,tũ initio facto a medio eius partis, quæ duplicatur,suimus deorsum oblique tendentes, deinceps omne id,quod super futuram est,excidimus,ut pilei modo sinus fiat,qui mammam,& quod superiniectum est,capiat. utrunque huius fasciæ caput in duos scindimus,deinde ab altera parte sinus,quæ contra futuram est,& ueluti labrum lintei, fasciolam latam circiter digitos duos a latere suimus sic,ut alterum caput longius sit,breuius alterum, quæ fasciola cingulus dicitur uinciendi ratio est. sinus datur ad mammam, ut ipsam comprehendat, longius uero cinguli caput per dorsum attrahitur ad integram mammam, & cũ
B breuiori nodum accipit.ex capitibus scissis priora duo sursum feruntur ad ceruices,ita,ut dexteriori sinistrum,sinistriori dextrum procedat,pendereq; sinatur,quibus cum reliqua duo capita colligantur.



Glomerata fascia ad mammam. CII.

Longioris fasciæ,quæ tantum latitudinis habeat,quantũ usus requirit,caput in duas partes scissum detur iuxta in tegram mammam, fascia uero per dorsum oblique ad uiatam mammam procedat,ab eaq; ad alteram,post hæc super dorsum, inde ad affectam mammam a superiori parte deorsum porrigatur,ut inter utranq; mammam X literæ figuram accipiat,sæpiusq; ad eandem rationem circumeat,dum quæ nuda sunt,omnia contegantur.extrema uero fascia scindatur, tum scissæ partes inter se uinciantur altero nodo sub integra mamma, al-
C tero supra collocato. EX SORANO.

Duplex in utranque partem ducta,a superiori parte deorsum. CIII.

Mediæ fasciæ,quæ pectori transuersa circundetur,altera assuitur, donec utranq; mamillam pertran fierit,hæc capitibus suis recta ad collum datis ex eo suspenditur,illa per dorsum procedit,utriusq; capita inter se uinciuntur,ut deligandis mammis accommodentur.

Vinculum sustendens,sex habens capita. CIIII.

Suspendenti uinculo quatuor capitum circa mediam suturam,alia fascia transuersa assuitur,cuius capita,ubi(ut dictum est)deligauerimus in dorso inter se uinciuntur,ne aut resolui uinculum possit,aut rugosum fieri.Habet autẽ eundem usum,quem proxime traditum.

NVNC GALENVS.

D

Iunctura ad alterum inguen. CV.

Expeditissima est,ubi alligare inguen oportet. Injcitur autem hoc modo. fascia ab ilibus orsa oblique per clunes ferri debet a parte inguinis uitiati inter anum & naturale, post hæc sursum procedere ad inguen, tũ in orbem per coxam ad ilia super partem prius iniectam,& ab inferiori parte sursum adduci.



Ad utrumq; inguen. CVI.

Abdomini fasciæ caput injcito, eamq; oblique per coxam inter anum & naturale attrahito ad inguen ab inferiori parte sursum, deinde iuxta caput primo iniectum ad coxam, atq; inter anum & naturale ad alterum inguen ab inferiori parte sursum, post hæc infra umbilicum,sicq; circũagito,dum inguen utrumq; includatur.

SEXTA CLASSIS.

Eadem in utramque partem ducta. CVII.

Media fascia incipit ab inguine,capitaq; eius ad coxam data literæ X figuram accipiunt, & unum ad inguen,alterum ab exteriori parte procedit, deinde ambo in unum adducuntur atq; ad eandem rationem circumeunt.

Aliter ad alterum inguen. CVIII.

Vnum fasciæ caput, quod breuius sit, nec duorum uel trium cubitorum longitudinem excedat, ab inguine depẽ deat, alterum uero glomeratum, per ilia ad coxam detur atq; abdomen,inde oblique ad coxam & inguen circumagatur ab inferiori parte sursum, tum ad ilia & coxam, ac per ilia contrariæ partis ad abdomen, tuncq; caput depen dens ad inguen sursum cõuertatur sic, ut ibi sinus fiat, qui altero capite,quod glomeratum est,comprehẽdatur, post hæc rursus quod glomeratum est, per inguen & coxã ducatur ad abdomen,rursusq; primum caput duplicetur a superiori parte deorsum,& eo,quod glomeratum est, comprehendatur, ac dum fascia desinat, alterum quidem duplicetur,alterum superdetur,nouissime fibula imponatur.



Aliter ad utrumq;. CIX.

Fasciola media lumbos complectimur, capitaque eius ab inguine non secus quàm in iunctura ad alterum inguẽ sinimus dependere, tum alteram fasciam a uentre orsam. quemadmodum in iunctura ad utrumq; inguen circunda mus,capita uero,quæ pendebant,quemadmodum in simplici dictum est,duplicamus.

Pecten seu uinculum suspendens ad colem. CX.

Fasciola media lumbis inijcienda est, capitaq; eius super uentrem adducta nodo inter se uinciẽda, tum alterius fasciæ glomeratæ caput zonæ inferendum,reliqua pars ad colem data in zonã rursus a superiori parte deorsum conij cienda,post hæc sub colem & ad zonam postremo testiculos complexa,in zonam demittenda est.



Aliter. CXI.

Iniecta zona fasciæ caput super colem imponatur,eaq; circa ipsum in orbem detur,donec totum includat, deinceps ad zonã feratur. ab eaq; ad colẽ, atq; inde rursus ad zonã,nouissime testiculos amplexa in zonam demittatur.

Idem ex fascia scissa ad zona. CXII.

Linteum iustæ magnitudinis scindito in partes quatuor sic,ut medium integrũ relinquatur, quo colem excipito, tum ab altero capite scissas partes in uicinia colis findito, in quæ fissa conijcito partes alterius capitis,cingulo que inserito,& nodo alligato.

EX HELIODORO.

Vinculum ad alterum inguen,quod nonnulli dixerunt cancrum pro inguine. CXIII.

Fascia ab ilibus contrariæ partis incipiens obliqua fertur ad lumbos,deinde ad inguen, quod uinciri debet, ab eoq; ad summam coxam porrigitur, post hæc ad idem inguen reuersa datur ad regionem, quæ sub umbilico est, ut X literæ figurã accipiat,ab eaq; ad ilia alterius partis,sicq; circũagitur,donec,quæ nuda sunt,oĩa cõplectatur,tuncq; utiliter semel in orbẽ ambit circa lũbos,& infra umbilicũ. Prodest autem quibus deuincire inguen oportet.



Ad utrunque inguen. CXIIII.

Vbi uinculum adhibuerimus ad alterum inguen, omisso circuitu in orbem, in uinculo ad utrunque inguen,



fasciam

A fasciam a lumbis attrahimus ad alterum inguen,deinceps ad summam coxam,ab eaque ad idẽ inguẽ, ut in altero similitudo X literæ fiat,deinde ad lumbos adducimus,post hæc catenus hac ratione obuoluimus,ut quæ nuda sunt,includamus. Valet ad utraq; inguina deliganda. neq; ab re est ultra propositos circuitus,in orbem quoq; fasciam circumagere.

Iunctura ad inguen tuendum. CXV.

Fasciæ glomeratæ,a capite duodecim interpositis digitis fasciolam assuere duorum cubitorũ oportet,eoq; capite super ilia contrariæ partis iniecto,fasciolam rectam a posteriori parte per lũbos & clunes demittere inter anum & naturale, obuolutamq; inguini uitiato sursum porrigere, deinde glomeratam fasciam bis,terue circũagere, per quẽ ambitũ fasciola attrahitur quasi per nodum,ubi uero huiusmodi circuitibus in orbem inguen adstrictum est,fasciola ad summam coxam porrigitur,ab eaq; ad idem inguen,& ad eam regionem,quæ sub umbilico est,quo facto ex fascia glomerata uinculum fit ad alterum inguen,nodumq; accipit sub umbilico. Pertinet autem hoc uinculũ ad eos quibus propter uarices,qui inguen implent,manus curatio admouetur.

B *Assuta iunctura ad anum.* CXVI.

Fascia sumi debet eatenus longa,ac lata,ut huic iuncturæ sufficiat,cui ab uno capite altera ualentior fascia,lata circiter digitos tres,transuersa assuenda est,hæc zonæ nomen inuenit:tum eidem fasciæ interuallo puta nouem digitorum alia fascia transuersa,perinde lata ut zona,similiter assuenda est, cuius partes utrinq; adiuncta crura nuncupantur,alterum uero caput rectæ fasciæ,quod contra futuram est, scindendum in duo crura.Homo igitur explicata zona cingatur, recta uero fascia per lumbos procedat ad anum atque inter ipsum & naturale,eiusque crura ad inguina ducta zonæ inferantur:post hæc adiũncta crura arctata in zonam demittantur,atq; ibi cum cruribus alligentur.quod uinculum sine adiũctis cruribus nonnulli ad calculosos,ubi calculus euulsus esset,adhibuere, id nos ob nodorum inæqualitatem reijcimus,ne pars umbilico subiecta urgeatur.uesica enim inæqualiter compressa inflammationi obnoxia est. deligamus autem,quibus calculus euulsus est, parua fascia, quam proxime ad inguen proposuimus: sed nunc breuiorem rectam fasciolam assuimus, extremamque scindimus in duas partes.hæc autem iunctura illis longe commodior est, quàm quæ ani causa inijcitur. siquidem glomerata fascia in orbem uoluta lumbos & omne id,quod sub umbilico prioribus circuitibus assuitur: ex recta uero fascia,quod integrum est,ad anum & inter ipsum & naturale demittitur, partes uero scissæ ad inC guina attractæ in priores circuitus immittũtur,quæ uinciẽdi ratio,calculosis,ubi,secti sunt, aptissima ẽ.

Scissum uinculum ad scrotum. CXVII.

Linteum pro hac ipsa iunctura lõgum latumue,ab utroque capite in quatuor parteis diuiditur,sic, ut ab uno breuiores sint,ab altero longiores,deinde a medio uersus breuiores exciditur,donec,ubi usus requiritur, coles eo cauo excipiatur. zonam ergo iniicere primum homini oportet, tuncq; ex breuioribus partibus lintei medias duas in zonã demissas,inter se deuincire,& reliquas duas ĩ eandẽ zonam coniectas pati dependere. quo facto coles per id cauum excipi debet, scrotumque totum comprehendi integro linteo,ex cuius partibus longioribus, duæ exteriores scroto inuoluendæ sunt,ita,ut dextra sinisteriori,dexterioD ri sinistra procedat, deinceps in zonã demissæ eo modo, quo priores permittendæ sunt pendere, reliquæ duæ mediæ scroto similiter iniectæ,ut dextra sinisteriori, dexterio ri sinistra procedat, per summas coxas in eandem zonam demittendæ, & cum prioribus partibus pendentibus alligandæ.



EX SORANO.

Iunctura ad scrotum ex tribus capitibus. CXVIII.

Vni extremæ fasciæ assuatur altera media ad imaginem literæ.T.harum, quæ transuersa est,hominem cingat: quæ recta,feratur ad scrotum,ibique eatenus incidatur,quatenus coles suo cauo recipiatur, extremaq; ad zonam alligetur,ut scroti uitijs accommodetur.

EX HELIODORO. E

Fascia glomerata ad cubitum. CXIX.

Incipit ab imo humero in uicinia cubiti, atq; in orbem circumagitur, post hæc obliqua ducitur per priorem cubiti partem, qua secari uenæ solent, tum brachio in orbẽ obuoluta obliqua ad humerum reuertitur, sic, ut in priori parte cubiti X literam repræsentet, sic autem circuit, donec tegantur, quæ nuda sunt, & ubique a latere nodum accipiat. Illud autem commune est humeri brachij alteriusue membri uinciendi, quod fasciæ in orbem ferri debent, cum eo ut interdum etiam obliquæ procedant, quo uinculum firmius hæreat. Huius uero fasciæ extremitas uel inferioribus assuenda est, uel angustiori fasciola uincienda est, aut in duo capita scindenda, quæ ab altera membri parte nodo inter se alligentur.



Iunctura in orbem, quidam adijciunt sub auctore Hippocrate. CXX.

Huius uinculi ratio est ut fascia super aliquod membrũ pluribus circuitibus in orbem ambiat, recte autem injicitur, ut membrum contineat, quod in suum locum restituitur, magis uero pertinet ad corporum, quæ abscesserũt glutinationem, his seruatis, quæ ad artificiosam fasciãdi rationem pertinent. abscedentiũ .n. ore in inferiori parte sito fascia a superiori parte deorsum procedit, ut humores excernantur, & eorum, quæ abscesserunt alterum alteri insidat, ut glutinentur: sed si ulcus superius sit, ut materia ab inferiori parte sursum sub uinculo excernatur. ubi uero abscedentia corpora transuersa sint, fascia ab ipsis circundetur uersus os, ut humor emittatur. F



Menecriti uinculum ad partes extremas. CXXI.

Ab extremo brachio prope manum orsi, ubi fasciam semel in orbem duxerimus, obliquam attrahimus per primam palmæ partem, deinde per palmam ipsam circumagimus priori parti aduersam, ita, ut ad primam palmæ partem reuertatur, prope ipsam prius X literæ similitudine accepta, atque ad eandẽ rationem obuoluimus, dum quæ nuda sunt, contegantur. Adhibentur autem utilissime, ubi & primam palmæ partem, & palmam alligari necesse sit. G

Cancer. CXXII.

Angustioris fasciolæ, cuius latitudo exempli causa digitum æquet, capite super primam palmæ partem impositio, ipsa per palmam attrahenda est, & ab interiori parte uersus exteriorẽ oblique ad pollicem adducenda, tũ circa ipsum ab exteriori parte oblique porrigenda ad primã palmæ partem aduersa parti prius iniectæ sic, ut super exteriora pollicis X literã referat, atque ad eandem rationẽ eatenus uoluenda, ut omnia complectatur, nouissimeq; circa primam palmæ partem data, finienda est. commodissime autem obuoluitur ad uinciendum pollicem, quem *ἀντίχειρα* uocant.

EX SORANO. H

Iunctura ad primam palmæ partem. CXXIII.

Orsa a prima parte palmæ obliqua uersus palmam ducatur, deinde per palmam ipsam transuersa, postremo in orbem circa primam palmæ partẽ, ut quibus hanc ipsam uincire uolumus, accõmodetur.

Vinculum appositum. CXXIIII.

A prima palmæ parte incipiens, post ipsam oblique circa pollicẽ obuoluitur, tum oblique a priori parte manus ad primã palmæ partem porrigitur, ibiq; in orbem attrahitur, ut uinciẽdo pollici aptetur.

Vinculum, ut in palæstra ductum. CXXV.

Adhibito uinculo opposito fasciã insuper obliq; prope primam palmæ partẽ uersus digitos circumdamus, deinde in orbem circa indicem, post hæc oblique aduersam parti prius iniectæ, prope primam palmæ partem attrahimus, idemq; facimus circa reliquos digitos, ut illis idoneum sit, quibus tã quod prope primam palmæ partem uersus digitos est, quàm quod post digitorum articulos, uinciri debet.

Rhombus

A *Rhombus, ad medium membrum.* CXXVI.

Fasciæ caput membro injicimus, eamque super id obliquam ducimus, post hæc in orbem, deinde aduersam parti prius obuolutæ, atque ab altera parte in orbem, ut ad eas fracturas conferat, quibus carnis quoque uulnus accessit.

Rhombus multiplex ad unicum membrum. CXXVII.

Super extremam unius membri partem fascia imponitur, & per ipsum æquis interuallis quasi in cochlea serpit usq; ad alteram extremitatem, quam in orbem complexa oblique circuit, & in orbem datur aduersa parti prius iniectæ certa seruans interualla, ut ijs, quæ comprehendit, accommodetur.

Palma habena. CXXVIII.

Orsa a summo mẽbro, obliqua per mediũ ad imum feB ratur, & in orbem circa ipsum detur, post parti prius iniectæ aduersa ad summum reuertatur, & iuxta eosdẽ circuitus ambiat, ut eas partes fideliter contineat, quæ recenti callo glutinatæ sunt.



EX HELIODORO.

Rhombus æqualium crurum. CXXIX.

Tradita iunctura hæc est ad femur, ubi id aliqua parte uulneratum sit, & adiunctæ partes abscedant, cuius ratio est. Ab inferiori parte ulceris fascia in orbem circuit, inde obliqua ducitur a latere ulceris, & rursus in orbem a superiori parte ulceris attrahitur, tum obliqua ad imaginem literæ X deorsum demittitur, deinceps conuenienti interuallo bis iuxta ulcus obliqua porrigitur semel ab inferiori parte sursum, semel a superiori deorsum, ita, ut bis litera X repræsentetur, & in medio rhombus super ulcus collocetur, quo per medium interuallũ nudatum humores excernantur. Circuit autem ad eandem rationem, donec quæ nuda sunt excipiat, C eoq; fit, ut quæ abscesserunt sub uinculo, quasi sponte sua ad glutinationem ueniant, nudatoq; ulcere, quidquid humoris collectum est, effundatur.

Rhombus inæqualium crurum. CXXX.

Vbi proximum uinculum inieceris, requirit quod nunc proponitur, ut fascia per uulnus feratur, etiam obliqua. eo usi sunt, quibus operiendi quoque uulneris consiliũ fuit.

Ascia. CXXXI.

Scribunt, qui huiusmodi iunctura adhibuerunt, ipsam utiliter injici, quibus uulnerato femore proximæ partes ducuntur, sic autẽ injici debet. uoluẽda sub uulnere fascia est in speciem ascię, sic ut pars gibba deorsum, sima sursum spectet, deinde super ulcus iterũ in speciẽ asciæ priori aduersę circũagenda est, atq; ad eandẽ rationem attrahenda dum quæ nuda sunt contegat, ab inferiori parte sursum, & a superiori deorsum procedẽs, interdum etiã per ulcus, ut D ipsum operiat.



Vinculum a latere X literam repræsentans. CXXXII.

Fascia imo femori in orbem prope genu circũagimus, tum oblique ducimus, & rursus parti prius iniectæ aduersam attrahimus sic, ut a latere genu literæ X similitudinem referat, eodemq; modo circunducimus. Potissimum autem pertinet ad eos, quibus genu in alteram partem lapsum reconditum est. repræsentanda uero X litera est ab ea parte, in quam excidit.

Testudo. CXXXIII.

Super genu fasciam tẽdere in orbem oportet, inde obliquam a superiori parte deorsum per patellam demitti ad poplitem, ibique sub genu in orbem iterum circumagi, & parti prius iniectæ aduersam super patellam procedere in speciem literæ X. post hæc per poplitem & patellam in orbem circuire, atque ad eandem rationem obuolui. conuenit autem patellæ, quomodocunq; sua sede proruperit.

Ad Calcem. CXXXIIII.

Circumagenda faſcia eſt circa talos in orbem, inde a poſteriori parte ex uno latere nerui lati obliquę ducenda ad alterum latus, tum circa calcem uoluenda, ab eoque porrigenda, atque ad eandem rationem circundanda. valet autem ad calcem alligandum.

Ad talos. CXXXV.

Faſcia ſuper talos datur, inde obliqua ad ſuperiora pedis porrigitur, poſt hæc ſub plantam demittitur ſic, ut ad ſuperiorem partem reuerſa X literæ ſimilitudinem referat, alligata uero planta circumducitur in orbem. Valet, ubi uinciri talos oportet.

Spica ad plantam. CXXXVI.

Faſcia in orbem magnum digitum complectatur, ab eoque per plantam procedat circa talos, inde obliqua reuertatur ad plantam ſic, ut non longe a minimo digito ſimilitudo literæ X fiat, poſt hæc ad ſuperiorem partem pedis intendat, & ad eandem rationem circumeat. Maiores uinculum hoc ad magnum digitum deligandum memoriæ prodiderunt: nobis uero ſuperuacaneum uidetur digitum alligare ad plantam atque ad talos, abunde enim exiſtimamus, ſi cum digito, & planta pars pedis ſuperior uinciatur, quemadmodum propoſitum eſt in digitis manus.

G

EX SORANO.

Calceus. CXXXVII.

Faſciam primo talis inijcimus, tum per ipſos obliquam ducimus ad plantam, ab eaque ad alteram partem talorum obliquam attrahimus, poſtremo circa crus in orbem porrigimus, ut illis accommodetur, quibus deuincire talos conuenit.

Ad calcem. CXXXVIII.

Faſciæ caput ſub talis inijcito, eamque circa ipſos oblique ad plantam demittito, tum oblique circa calcem, & in orbem iuxta talos adducito, ut illis aptetur, quibus obligare calcem uolumus.

FINIS GALENI DE FASCIIS.

H

ORIBASIVS

A

ORIBASIVS DE LAQVEIS
EX HERACLE,
Vido Vidio Florentino interprete.

VIDIVS LECTORI.

Laudatur liber de laqueis a Galeno in libro de faſcijs, quamuis alibi quoque mentionem facit laqueorum, qui hoc opere continentur, refertur tamen hic liber in græco exemplo ad Oribaſium auctorem. quicquid eſt, opus utiliſſimum eſt, ſine quo multa ſunt, quæ in medicinali arte nec comprehendi, nec præſtari poſſunt. pertinent enim laquei non modo ad faſciandum, ſed etiam ad extendendum oſſa fracta, uel ſuo loco mota, ſeu æqualiter, ſeu inæqualiter adhibere uim oporteat: tum ad curanda atque alliganda membra, dum manus adhibetur.

Quæ ratio ſit laquei attollentis.

B

AD attollentem habena adhibetur duplicata, cuius utrunque caput ſiniſtra, manu continetur, ſinus uero dextra prehenditur, & capitibus ſuperinijcitur, ſic, ut capita ſita ſint in medio ſinu. quo fit, ut ex una parte, laquei nexus feratur, capita ex altera. Habet autem hic laqueus facultatem extendendi æqualiter, pertinetq; non modo ad extendendum membra, ſed etiam ad continendum, cum in ſuam ſedem compelluntur, & ad figurandum corpora, ubi quid manu fieri oportet. Recte quidem eas partes intendit, quæ binis oſſibus continentur, quandocunque enim alterum uitioſum ſit, ſinus ſuper ipſum, capita ſuper integrum imponuntur. nam ſinus corpori inhærentes affectam partem uehementer diſtendunt, at capita, cum recedant a corpore, eam partem, quæ bene ualet, uel nihil omnino intendunt, uel certe quàm minimum. Membris quoque, cum reponuntur, aptiſſimus eſt, ſicuti cubito, cum in aliquam trium partiũ excidit, in quas ubi prolapſus eſt, brachium curuum eſt, neq; extenditur, id eſt in

C poſteriorem, interiorem, atque exteriorem. in quo caſu laqueus oſſibus brachij iuxta primam palmæ partem inijcitur, capitaque eius ſublimiora ferũtur, & ut retinacula ſint, ad aliquid immobile deligantur. Ad figuranda inſuper corpora, ubi manu medemur, adhibetur commodiſſime. in ijs enim, quæ iuxta anum uitia infeſtant, ubi tractãtur, brachia poplitibus ſubijciuntur, & huiuſmodi habenę attollentes ad brachia dantur in uicinia manus, eorumque capita ad ceruices hominis adducta, inter ſe uinciuntur. quoniam at tollens laqueus non ſolum inijcitur implicitus, ſed ſuper membrum quoque circumponitur. ſuſpenſa enim faſcia ſinus membro ſubijcitur, capitaq; eius per mediũ ſinũ traijcuntur, eaq; ratione circumpoſitus conficitur.



Quomodo laqueus Nauticus debeat adhiberi. II.

D

Ex medio ſinu duplicatæ habenæ duos item ſinus facere oportet, eoſque inter ſe permutatos ita collocare, ut interior extrinſecus, exterior ab interiori parte ſitus ſit. hac enim uia nexus laquei ab una parte, capita ab altera procedunt. Eſt autem idoneus ijs, quæ extendi inæqualiter debent: ualet item ad continendas ferulas, quæ fracturis accommodantur. iunctura nanque adhibita unum habenæ caput ſiniſtra manu teneatur, alterũ uero per affectam partem uoluatur, ſic, ut unus & alter ſinus fiat, per quos reliquum habenæ caput traijciatur, ut ab ea parte, quæ in nos ſpectat, uerſus contrariam porrectum ſiniſtra rurſus contineatur. quo iniecto ferulæ in ſinus demiſſæ ad uitioſum membrum dentur, capitaq; attrahantur, & inter ſe alligentur, ut ferulas teneant. Valet item ad cubitum ſuſtinendum, non ſecus atq; ad intentionem, aut ad ferulas continendas. imponitur enim, implicaturq; ad cubitum ſuſpendendum, ubi lata faſcia non eſt. in quo caſu ſinus ita inter ſe diducendi ſunt, ut alter prope cubitum ſit, iuxta manum alter, capita uero ad ceruicem adducenda ſunt, ibiq; nodo inter ſe deliganda.

Laqueus χιασὸς quo modo implicetur. III.

Ad χιασὸν habena duplicanda est, cuius utrumque caput sinistra manu continendum: sinus uero dextra prehensus conuertendus est, sic, ut capita ad similitudinem literæ X aduersa inter se sint, inde enim nomen habuit χιασὸς. quo facto sinus capitibus X literam referentibus superinijciẽdus, quodq; ex his subiectum est, per medium sinum attrahendum. eoq; fit, ut medius laquei nexus appareat: a lateribus uero, hinc sinus unus, inde duo capita a se ostendant. Valet autem, ubi oportet inæqualiter distendere.

Pastoralis laqueus, qui & Sandalius dicitur, quo modo injiciatur. IIII.

Pastoralis, dictus a quibusdã Sandalius, cum eo implicatur, quem χιασὸν nominauimus, hic siquidẽ primo est adhibendus, ut Sandalius fiat: quo iniecto sinus eius dependens attrahi debet ab inferiori parte sursum, per medium eius sinus, qui contra capita situs est. sic enim ab una parte laquei nexus, ab altera capita collocantur: in nexu uero terni sinus, duo scilicet a lateribus, tertius in medio conspiciuntur. Adhibetur autem commodissime ad talũ prolapsum, ubi reponitur. unus enim sinus à posteriori parte tali super latum neruum datur, a priori alter ad partem pedis superiorem, medius, hoc est tertius, plantæ subijcitur. quo facto capita ad id uinciuntur, quo extendendi causa utimur, neque talo duntaxat conuenit, sed maxillæ, quæ excidit, ubi in suam sedem compellitur. unus enim sinus ad frontem hominis, alter ad occipitium datur, medius per os procedit utrinq; sub malis, capita uero per tempora ad ægri caput feruntur, ac siue, ut retinacula sint, siue, ut a superiori parte extendant, ibi inter se uinciuntur.



Draco laqueus, qua uia iniiciatur. V.

Ad laqueum draconem media habena a posteriori parte tali, incipiat iuxta latũ neruum: capita uero uersus priorem ferantur ad superiorem partem pedis, ubi X literæ similitudine accepta, ad plãtam porrigantur, & rursus inter se aduersa eandem literam repræsentent, post hæc circa talum, uel ab inferiori parte sursum, uel a superiori deorsum circumdentur, tum deligentur ad id, cuius opera ad extendendum utimur. Facit autem hic laqueus ad talum suo loco motum, ubi reconditur.



Qua ratione is laqueus adhibeatur, quem simplicem nodum dixerunt. VI.

Laqueus, cui nomen est simplex nodus, a quibusdã Perineos appellatur. Qũocũque autem uocetur, eius ratio est. Habena simplicem nodum accipiat, eiusdemq; sinus attrahatur, capita uero dependeant: deinde membrum, quod reponere opus est, inter superiores sinus collocandũ, tum alter sinus in alterum insitus, ad capita ducendus, communique nodo cum capitibus ad id uinciendus, quod ad intendendum adhibemus. Habet autem inæqualem extendendi facultatem.

Lupus laqueus quo modo nectatur. VII.

Duæ habenæ iustæ longitudinis duplicentur sic, ut capita ab eadem parte collocentur, sinus inter se aduersi sint, tũ capita, quæ ab inferiori parte, sursum, quæ a superiori, deorsum uellanẽ, sic, ut medius laquei nexus, utrinq; uero bina capita se ostendant. Habet autem uim extendendi æqualiter, pertinetq; non modo ad ossium, quæ restituuntur, intẽtionem, sed in herniæ curatione ad membranam abdominis astringendam, item ad uincienda uenarum capita sanguinem fundentia. Nos autem in sinus conijcere lina simplicia consueuimus, quæ communi medicorum uocabulo, quòd relaxent, χασπία dicuntur, neque hæc ipsa temere adijciuntur, sed ut, ubi quæ arctata sunt, remittere uolumus, per lina id præstemus, & non per capita.

Nodi

A *Nodi Herculei ratio.* VIII.

Ad nodum Herculeum, habenam adhibere oportet, quæ duos nodos accipiat inter se distantes, quo fit, ut Herculeus nodus utrinq; se ostendat, hinc autẽ sinus, inde uero sint capita duo. Valet ubi æqualiter intendere consiliũ est. Quòd si sinus, qui contra capita est, medius incidatur, a lupo laqueo non differet.



Simplex charchesius qua uia implicetur. IX.

Ad simplicem charchesium, qui uim habet extendendi æqualiter, duplicari habena debet, capitaq; eius sinistra manu contineri, sinus uero dextra sursum conuersus super imponi capitibus, quæ media opus est aduersa inter se collocare in speciem X literę. eo facto sinus capitibus inie-
B ctus a superiori parte deorsum attrahatur, per mediũ eius partis, qua X literæ fuit accepta similitudo. sic enim laquei nexus medius apparet, ab uno latere sinus unus, ab altero duo capita.

Duplex charchesius quo modo implicetur. X.

Duplex charchesius æqualiter distendit, ac simplici lõge est efficacior. eius autem ratio est. Habenam prehendimus duplicatam, capitaq; leua continentes, sinũ patimur dependere. tum ex capitibus, quæ contra sinum sunt alterum duplicamus, sic, ut paruus sinus fiat, quem in sinistra manu ponimus, alterum per sinum traijcimus, deinde nexum per sinus conuertimus, & in sinistra collocamus. quo facto, ex capite, quod contra sinum est, rursus alterum sinum efficimus, quem nexui adiungimus: postremo pendẽtem sinum per medium nexum trahimus, ab inferiori parte sursum. quo fit, ut ab uno latere sint duo capita, ab altero unus sinus, qui-
C bus laquei nexus medius interijciatur.

Duplex charchesius, quomodo ex simplici fiat. XI.

Cum duplex charchesius uarie consueuerit implicari, siquidem per se interdum, interdum fit ex simplici, nonnunquam conficitur circumponendo. supra demonstratũ est, quo modo per se injciatur, nunc qua ratione ex simplici fiat, exponemus. Adhibere igitur primo simplicem charchesium oportet, sinusque alterum ab altero diducere, deinde eum, qui subiectus est, in superiorem conijcere, & similiter utrunque diducere, ac per spatium, quod ipsis medium interijcitur, sinum qui contra capita est, ab inferiori parte sursum attrahere. sic enim rursus laquei nexus medium sese ostendit, hinc unus sinus, inde bina capita
D conspiciuntur.



Duplex charchesius, quomodo implicetur circumponendo. XII.

Quoniam uehementi ualidorum corporum intentione, laquei capita, ex una parte sæpius rumpuntur, ante perfectam intentionem, ne cogamur intendentis adhuc laquei capita relaxare, charchesium circumponimus. Tenẽtes igitur sinistra manu caput, circa membrum restituendũ tres sinus efficimus inter se distãtes ita, ut ex his quod satis est, dependente post hęc primum sinum in postremũ demittimus, & semel aut iterum eos conuertimus, per quos medium sinum rursus attrahimus. quo fit, ut circa membrum laquei nexus, ab uno latere unus sinus, ab altero duo capita se ostendant.

Plinthii,

Plinthij, quod alioquin quadruplex circulus dicitur, quæ ratio sit. XIII.

Ad Plinthium laqueum, adhibetur habena circulum re
præsentans, ideſt ſine capitibus, hæc ab interiori parte ma
nus, pollicibus minimisque digitis circundatur, necnon
utrique indici, ut ſinus in utraque manu terni ſint, unus
circa minimum digitum, circa indicem alter, tertius ſu-
per pollicem. poſt hæc, ſinus, in quos inſiti pollices ſunt,
ad proximos minimis transferuntur, tum ad indices, qui
minimis iniecti fuerunt, deinde ſinus, in quos indices de-
miſſi poſtremo erant, medij a pollice a ſuperiori parte de-
orſum uelluntur, ſicq; ab uno latere duo ſinus, totidem ab
altero, medium inter hos laquei nexus ad rhombi ſimilitu
dinem conſpectui ſubiiciuntur. Habet autem æqualem
intendendi facultatem, & non ſolum ad intentionem, ſed
uidetur ad menti quoque fracti compoſitionem pertine-
re. nam mentum ipſum ſub fractura aliquando peruer-
ſum, in laquei complexum, rhombum referentem inſeri-
tur ab exteriori parte, ſinus uero per malas, parteisq; ſu-
periores, ad ſummum caput feruntur, atque ibi inter ſe
deligantur.



Laqueus Epangylotus (ita enim appellatur, quoniam ſinus ſuper ſinum iniicitur) qua uia inſeri poſſit. XIIII.

Ad Epangylotum, unum habenæ caput, inter ſiniſtræ
manus pollicem & indicem collocamus, eamque extrin-
ſecus ultra primam palinæ partem adducimus, inde per
palmam ipſam, datam, inter pollicem & indicem vtriuſque manus attrahimus, poſt hæc inter mini-
mum & proximum digitum demittimus. eo facto habenæ caput dextra manu ſurſum uellimus, extre-
mamque partem inter minimum ac proximum digitum tenemus. quo fit, ut duo ſinus efficiantur, in-
ter quos attractus nodus apparet. Facit autem ad corpora figuranda, ubi manu curatio adhibetur. in-
ter ſinus enim utraque manu hominis coniecta, reliquis habenæ partibus totum corpus firmiter con-
tinetur.

Ratio eius laquei, quem auriculas nuncupant. XV.

Ad auriculas, epangylotus primo iniiciendus, danda
autem opera eſt, ut alter ſinus amplior ſit, quem implica-
re oportet ad modum laquei chiaſti, ſic, ut duo ſinus o-
culis exponantur, inter quos, quod ex habena dependet,
duplicatum ſe oſtendat. Recte autem adhibetur, ubi pro-
lapſa maxilla reponitur, tum ad proceſſus capitis recon-
dendos. ſinus enim dantur ad tempora ægrotantis, quod-
que inter eos duplicatum conſpicitur, ad frontem, dein-
de uinculum illud inijcitur, quod leporem auritum appel
lant, poſtremo auriculæ, uel ut contineant, uel ut a ſupe-
riori parte extendant, ſuper caput offenſi porriguntur.

Laqueus duos habens ſinus (quem nonnulli minus proprie ſtrangulantem dixerunt) quo modo iniiciatur. XVI.

Laqueus, quem duos ſinus habentem appellant, ex
binis conſtat chiaſtis, quorum alter ab altero diducitur.
Eſt autem aptiſſimus ad corpora figuranda, ubi uitia iuxta
anum curantur. ſiquidem brachia ſubiecta poplitibus,
eiuſmodi laqueis adſtringuntur: at pars, quæ media inter
ſinus duplicata dependet, ad ceruicem hominis fertur,
atque hac uia corpus figuratur.

† *Ratio*

A *Ratio laquei, quem ſtrangulantem proprie nuncupant.* XVII.

Laqueus, qui proprie ſtrangulans nuncupatur,
ex ſimplici fit charcheſio, hic enim primo inijcitur
ſic, ut alter ſinus ab altero diſtet. Confert autem ad
quos proxime expoſitus, brachia nanque rurſus
coniecta in ſinus coarctantur, & ea pars habenæ,
quæ duplicata eſt, media ſimiliter collocatur, in
eamque ceruices inſeruntur.



Quomodo adhibeatur laqueus ὑπέρβατος, id enim nomen traxit ex eo quòd ſupra feratur. XVIII.

B Hyperbatus ſit ex laqueo Nautico, ſiquidem
in hunc primo implicitum brachia inſeri debent, ſi-
nusq; inter ſe diduci, & capita ad ceruices deligari.
Laquei igitur, quorum expeditiſſima compre-
henſio eſt, huiuſmodi ſunt.

FINIS ORIBASII
DE LAQVEIS.

ORIBASIVS EX HELIODORO
DE MACHINAMENTIS,
C
Vido Vidio Florentino interprete.

VIDIVS LECTORI.

Machinamentis non ſolum vtuntur architecti, ſed medici etiam, cum his robuſtiora membra utiliter, & quantum fieri poteſt, ſine dolore extendant, vbi luxatis uel fractis medentur. hæc ab Oribaſio collecta ſunt ex Hippocrate, Galeno, atque alijs auctoribus, ut patet, vbi ſingulorum uſus & ſtructura exponitur: ſed præter utilitatem, quam in curatione exhibent, multos aperiunt in medicina locos, qui ſine his omnino ſunt incomprehenſibiles, quanquam in hoc libro machinamenta aliqua deſint, quæ auctor inter initia commemorauit, vbi uniuerſam machinamentorum rationem recenſet, ſed optime nobiſcum agitur, quando non omnia interierunt.

Quibus modis luxata reſtituantur. I.

D 
VXATA in ſuam ſedem tribus generalibus modis collocantur, quibus alij fe-
re omnes continentur. Vnus uocatur palæſtricus, ad quem fere ſolas manus
admouemus, atque hic, utpote imbecillis, aptatur ad mollia corpora, muliebria nimirum & puerilia, tum ad maſcula, quæ illis robuſtiora ſunt, modo re-
cens uitium fuerit: alter methodicus dicitur, ad quem inſtrumenta adhibe-
mus, quorum uſus in communi uita eſt, hic omnibus idoneus eſt, pueris, fœ-
minis, maſculis iam robuſtioribus, & corpori iuuenili, atque ijs luxatis, quæ
iam uetuſta ſunt: tertius reponendi modus, qui per organa eſt, maius momen
tum habet. ualet enim ad prolapſa, ubi malum diutius trahitur, ualet ad corpora athletarum, præter-
ea quæcunque prolapſa curationem recipiunt, & ſub methodico modo curari nequeunt, omnia orga-
norum opera reponuntur.

De organorum differentijs. II.

ORganorum medicinalium differentiæ in uniuerſum, & quaſi generales, ſummum (ut alij ſen-
tiunt) ternæ habentur, alia enim tractoria ſunt, alia machinamenta, alia quæ erecta collocantur:
nobis aũt placet nonnulla tractoria eſſe, nõnulla machinamenta, nonnulla, quæ erecta, nonnulla, quæ
plana collocantur. Tractoria ſunt, quæ, cum parua breuiq; ſint ſtructura, extẽdendi duntaxat facultatẽ
habent

habent.hæc ut ſuo munere fungantur,aduentitia quædam poſtulant, ut ſcamnum,lectum,ſcalam, eo E quod per ſe uſui eſſe minime poſſint,quocirca & alligata,& in plano ſita nũcupantur. nam,ubi in agro, aut ſolitudine quapiam,quæ ſuo loco mota ſunt,reponimus,ac neq; ſcamni, neque lecti, neque ſcalæ copia eſt,aliquid in ſolum defigimus,ad quod tractorium organum alligemus. Machinamenta ſunt organa tractorijs ampliora, minora tamen alijs,quæ non modo intentionem, ſed impulſum quoque pol licentur,ac præcipue quorundam membrorum gratia comparantur.Erecta organa ſublimiorem ſtructuram habent,& non ſolum ad extendendum ualent,ſed etiam ad impellendum. Porrò autem plana organa ſunt,quorum humilis ſtructura eſt.ex ijs conſtant,quę & extendẽdi & impellendi uim habent, ita,ut homine illis inſidente,recondi,quod elapſum eſt, poſſit. reperiuntur etiam in his quædam propria ſtructuræ diſcrimina.

Ex qua materia ſtruantur organa. III.

BAſis,crura,latera,tranſuerſaria,cubiti,teſtitudines,adiuncta crura,hæc omnia,quæ in organis ampliora expediuntur,ex robuſtiori materia conficienda ſunt, ut puta ilignea, uel fraxinea, quæ ſecundas obtinet. Oportet autem ea de cauſa ualidiſſimam eſſe organorum materiam, ut uim queant in condendis articulis ſuſtinere,quòd in ijs potiſſimum organis requiritur,quę erecta collocantur. Vertebræ,radices,claui,unci,catenulæ,uectes, omnia quæcunque exigua ſunt, quæque plus efficiunt, ærea F uel ferrea comparentur,ut quod ſtructuræ exiguitas detrahit,materiæ firmitas reſtituat. Aliquando autem quæſitum eſt, ferrea ne, an ænea ſumi debeant.inquiunt,qui ferro æs præferunt, hoc leuius eſſe & facilius tractari,minuſque rubiginem trahere quàm ferrum: contra, qui æri ferrum anteponunt, ualidiorem huius materiam laudant. ære enim efficacius robuſtiuſque ferrum eſt. atqui de ferro conuenit firmius eſſe,ſed ſuperuacuum eſt eximium robur, ubi eius nullus eſt uſus,cum liceat hæc ex ære fabricare,quod mollius eſt,& ſatis roboris habet. licet tamen & ex ferro. Quòd ſi ex ære fiant, ſumatur id, quod ducitur,nam, quod conflatur,facilius rumpitur, comminuiturq; ita ut præſtet ex ferro hæc parare,quàm ex fuſo ære. Sed quoniam ferrum cito rubigine obducitur, idcirco aliquod interpoſitis diebus ſubinde pingui aliquo inungendum, ac, ne rubiginem ſentiat,manu perfricandum.At dicet quis,ſi ferrum neglectum rubigine corrumpatur,id culpa domini ipſius organi fieri.

Ex quibus partibus organa conſtent,& quis ſit earum uſus. IIII.

COntinetur omne organum non omnibus,ſed quibuſdam ex ijs,quæ numerabo,nempe baſi,cruribus,trãſuerſarijs,cubitis,axibus,regulis,teſtudinibus,cochleis,tympanis,clauis,manubriolis ductarijs,uectibus,baculis uerſantibus, obicibus, cuneis,item lunatis lignis,orbiculis, trochleis, foſſis, operculis,uertebris,fibulis,radicibus,uncis catenis,forficibus,ſedilibus,priapiſcis, ad hæc cochlea foe G mina,quæ græce περικόχλιον appellatur,cuneolis,chiniſcis,colũbarijs,ergata. hæc fere ſunt,quibus organa componuntur,quorũ uſus ſigillatim iam nunc exponẽdus nobis eſt.Baſis ad id potiſſimũ ſtruit̃,ut ſuper eã erecta organa ſtatuantur. Crura in organis & latera dñr,in ijs, quæ erecta collocãtur,proprie crura,minus proprie latera,ſed in tractorijs proprie latera dñr,minus proprie crura. hæc fere in organis ſtatuuntur, ut ipſorum machinationes contineant: proprie aũt in organis erectis crura recte commodeq; dimenſa ad illam pertinent condendi rationẽ,quæ excitando præſtatur. Tranſuerſaria, quæ διαπήγματα dicuntur,ut græcum nomen indicat, ad crurum laterumq; compaginem fiunt, ad quem uſum primo præcipueq; deſtinantur:huc accedit, quòd machinationes quoque ſuſtinent, ut puta trochleas, cubitos atque alia quædam.Cubiti ad eum uſum in organis comparantur,ut per ipſos, quæ ſuo loco mota ſunt,a ſuperiori parte extenta reponantur, quemadmodum uidere licet in organis Fabri atq; Andreæ, in quibus cubiti per ſuperius tranſuerſarium demiſſi in teſtudinem figuntur, ut hac elata,quæ prolapſa ſunt a ſuperiori partes intenta recondantur. latæ cubitorum ſummitates alæ ab architectis dicuntur, imæ uero partes quadratæ,calces.hi ergo proprie cubiti nominantur,ſed quidam uocabulo abutũtur. Spathæ impellendo ſunt idoneæ, ea aũt ſpatha, quæ in Fabri atque Andreę machinamento eſt,utimur, ubi extrahendo impellimus ad femur in poſteriorem partem erumpens:ſunt & aliæ ſpathæ in quibuſdã H organis,ad alios impellendi modos fabricatæ.Radices & fibulæ cõplures uſus in organis præſtant.primo.n.radix & fibula in organo Fabri ſpatham diſtinent ad teſtudinẽ.eſt quidẽ in teſtudine radix,ſpatha uero,qua parte quadrata eſt,medium habet cauũ,in quod radix eadem inditur,deinde fibula continẽdi cauſa,in ſpatham ac radicem pertuſam inſeritur.proprie radices ad id fiunt,ut recipere uncos poſſint,& alios effectus præſtare:ſed fibulæ item gratia eſt,quòd machinationes immobiles ſeruat, ut puta axes. Catenæ eo pertinent,ut fibulæ ex ipſis ſuſpendantur,quo ſeruentur in organis, neq; decidant. Vnci adijciuntur,ne mobiles machinationes moueantur,ueluti axes, quove in radices coniecti quædam organorum machinamenta ſiſtant. Per uertebras(quas græci στροφώματα dicunt,) fere id efficimus,ut quædam organa immobilia moueantur,ſicuti crura organi Andreæ.crura enim in organo tranſuerſa ſecta, uertebris fibuliſq; continentur,ut organo,modo erecto,modo per uertebras inclinato, circumducendo impellamus. ad exemplum huius ſtructuræ organi Andreæ Plinthii crura prope baſim ſecta ſunt, rurſuſq; uertebris continentur,ut organum modo erigatur, modo per uertebras motum,adiunctis cruribus innitatur,uſumq; illius organi præſtet, quod planum collocatur. hi ſunt effectus uertebrarum in organis. Axes ad corporum ductionem, hoc eſt intentionem ſpectant, quorum quidam ab una parte ad alteram penetrant,ac per ſe mouentur,quidam latent,& per alias machinationes conuertuntur.pẽ-

netrat

Anetrat axis in Plinthio Nilei,& in ſcamno Hippocratis:latet in Appellidis organo,quod, quia per tres funes circumuoluitur,triſpaſtum appellatur,& in Nymphodori gloſſocomo. penetrantes igitur axes per ſe manibus conuertuntur, latentes autem per alias quaſdam machinationes, exempli cauſa in Nymphodori gloſſocomo per tympanum,& cochleam ad lentis imaginem fabricatã, in triſpaſto per funes alligatos.Ad clauos,qui in axibus infiguntur,funes alligantur, uel habenæ atque huiuſmodi alia ad extendendum pertinentia. Manubriola ductaria,bacula uerſantia,& uectes, omnes hæ machinationes ad axium cochlearumq; uerſationes ſtatuuntur. primas occupant manubriola ductaria, ſecundas uectes, quibus minus efficacia ſunt bacula uerſantia. pleraq; enim ex ipſis exigua cum ſint, una manu conuertuntur.Chiniſci,cuiuſmodi ſunt in lyra, excogitati ſunt ad axes continendos. ubi enim fibulæ non ſint,quid poterit aliud utilius inueniri?quod enim ad uim pertinet,uſum habent fibularum: decoris autem cauſa inſculpta habent anſerina capita lignea. Statuuntur in organis phliæ, ut ab uno latere ad alterum penetrantes axes contineant,cuiuſmodi ſunt in ſcãno Hippocratis & in noſtro. Eſt & alia media phlia in organo Hippocratis ad ſimilitudinem literæ.μ.eo nomine fabricata, ut ad eam impellẽ di rationem,quæ extrahendo fit,ubi femur excidit,accommodetur. Trochleæ in organis collocantur, ut funes libere duci poſſint,ueluti in organo Fabri, quod duplicem cochleam, qua teſtudo mouetur, B in ſuperiori tranſuerſario continet.in noſtro quoque organo rurſus trochleæ ſunt, quæ per inditos funes,axes attollunt.uerum trochleæ fere ad id fiunt,ut axes & habenæ celeriter ducantur, ſimulque ut ad intentionem,quæ alio intercedente motu fit, accommodentur. Orbiculi ſtruuntur ad trochlearum motionem,quæ per ſe ſunt immobiles, collocantur autem in medio earum, quemadmodum in Demoſthenis ἀσπίδιον,& ad funes continendos,ut in triſpaſto Apellidis. Cuneus præſertim paratur ad humeri caput in alam prolapſum,ac deinceps ad alios quoque uſus. At lunatum lignum prodeſt, ubi humeri caput in priorem aut poſteriorem partem excidit.Eſt autem Polus lignum infixum ſuperioribus crurum extremitatibus in organo Philiſtionis.luxato enim humeri capite brachium extenditur,poliſque obijcitur ad hominis ceruices. Epipoma uero,quod & Epipigma dicitur, eſt.μ. figura in ligno inſculpta, in quam conijcitur.μ.inuerſum:qualis conſpicitur in eo organo, quod Hermes dicitur.fit autẽ hoc, ne ab Hermis uultu corpora terantur,ut in organi compactione oſtendemus.καλάθιον uero & σκιθάλιον communiter parata ſunt, ut epipigma ferant. Eſt quidem σκιθάλιον lignum ſex digitorum in medio hebes.καλάθιον uero lignum ſex digitorum rotundum:quod anguſtiori baſi nititur,& quaſſillo ſimile eſt. Sunt & in organis quædam columbaria inſculpta ad ſimilitudinem columbarum, quæ ornandi cauſa facta ſunt,atque ad id etiam,ut aliud ferant epipigma. Tympanis hæc gratia eſt, quod quædam orga- C norum machinationes,quæ maximum uſum præſtant,per ipſa paulatim mouentur,ut axes,& cochleę. eſt autem tympanum rotunda machinatio dentata.At Delphines dentibus incluſi, machinationes motu prohibent,quòd unci quoq; efficiunt. Teſtudines in organis ad id collocatæ ſunt, ut corpora, quæ reſtituuntur,paulatim,& minime concuſſa extendantur. quemadmodum enim teſtudines animalia lento gradu procedunt,ita machinationes,quibus illa referuntur. Porrò autem ex teſtudinibus nonnullæ tranſuerſarijs ſimiles ſunt,aliæ oblongæ, aliæ cubi ſpeciem repræſentant.tranſuerſarijs ſimiles ſunt, in organo Andreæ,Fabrive:oblongæ in quadrata columna, quæ appellatur Hermes: cubum referunt in rotunda columna Eraclidæ Epheſij.præterea teſtudinum aliæ cubitos & ſpatham attollunt, aliæ cunea tam & lunatam appendicem, quædam nihil attollunt,ſed ſolum ſunt ad extendendum inuentæ. cubitos attollit teſtudo,quæ ſurſum fertur,in organo Andreæ:cubitos & ſpatham teſtudo, quę eſt in organo Fabri cuneata,& lunata appendix ea teſtudine excitatur,quæ in Herme eſt.nihil attollit, ſed ſolum modo extendenda eſt ea teſtudo, quæ in rotunda columna Eraclidæ Epheſii collocatur, ſimiliter & quæ deorſum fertur in organo Andreæ. Alæ autem & dracones fibulæq; infixæ clauorum uſum præſtant,proprie autem dracones, quod ad materiam pertinet, in uicem manubrioli ductarij fabricantur. Quoniam uero teſtudines plerunq; a cochleis mouentur,proximum eſt,ut cochlearum ſtructuram,at- D que uſum exponam.comparantur ergo cochleæ in organis, ad alias machinationes impellendas, puta tympana & teſtudines,quo paulatim & nulla ratione concutiendo extendant. Cochlearum,quædã quadratæ ſunt,quædam ad imaginem lentis,quæ figuræ nomen inuenerunt, relatæ ad capreolos,at nõ ad ſtructuram ſcapi, quęlibet enim cochlea rotunda eſt ad tornum rotundata. differũt cochleæ capreolis,quòd aliæ quadratæ,aliæ ad lentis imaginem dicuntur.quadrata cochlea eſt, quæ capreolos habet quadratos,atq; ex ijs non ſolum quod prominet,ſed etiam quod cauum eſt, cuiuſmodi cochleas uidemus in organo Andreæ:quæ in lentis ſpeciem ſunt, id capreoli,quod cauum eſt alte anguſtum habent, latum uero in ſummo, contra quod prominet a baſi latum uertice ipſo tenuatur. ſimilis autem eſt huiuſmodi capreolus lenticulæ dimidiatæ, a qua figura cochlea hæc ad imaginem lentis dicta eſt. cochleæ igitur tam quadratæ,quàm ad imaginem lentis ad motionem diuerſarum machinationum ſtatuuntur. quadratæ enim teſtudines compellunt: quæ ſunt ad imaginem lentis primo quidem tympana, interdum etiam teſtudines in ijs,quæ pericochlia nuncupantur.

Qua ratione quadrata cochlea teſtudinem moueat. V.

DEmus teſtudines eſſe ita fabricatas,quemadmodum in organo Andreæ, quarum ſingulæ pertuſę ſint,atque in id cauum cochleæ demiſſæ,ab interiori autem parte caui ferrea,uel ænea lamina teſtudini infixa ſit,quæ quidem lamina dens nuncupatur.hic igitur dens teſtudinis, in cochleæ capreolo

includitur.

includitur.quo fit,ut in quadam cochleæ conuerſione,lamina,quæ dens nuncupatur, teſtudini infixa, E atque in cauo capreoli contenta teſtudinem moueat. præterea ex ijs ipſis cochleis quadratis alia ſimplex eſt alia duplex:ſimplex,cochlea eſt,quæ uno duntaxat capreolo eſt excauata,unamq; teſtudinem impellit:in duplici,bini ſecti ſunt capreoli, hęc & binas teſtudines mouet, qualis cochlea reperitur in magno Andreæ organo,quod Plinthium nuncupatur. excauatum enim lignum eſt a medio ad trāſuerſaria capreolis inter ſe aduerſis,ita,ut quadam cochleæ conuerſione orſæ teſtudines, uel a medio uerſus tranſuerſaria,uel a tranſuerſarijs uerſus medium impellantur. eſt & alia cochlea duplex in eo,quod κηρύκιον appellatur excauata a ſummo principio uſque ad extremū aduerſis capreolis, quæ rurſus duas teſtudines mouet, quemadmodum in ipſa organi ſtructura uidemus. At cochlea ad imaginem lentis tympanum mouet, ſiquidem capreoli cochleæ, tympani dentibus inſiti machinationem conuertunt, quemadmodum cochlea,quæ baculo uerſante, uel manubriolo ductario conuertitur in tympani dentes conueniens machinationem mouet:mouet interdum eadem cochlea,teſtudinem,ſed non amplius per dentem, quemadmodum quadrata,uerum in fœmina cochlea cōtenta, quæ in ipſa teſtudine ſtruitur.quoniam teſtudinis cauum,in quod cochlea demittitur, exciſos habet capreolos aduerſos ijs, qui ſunt in cochlea lentis formam referente,ſic,ut id,quod prominet ex capreolis cochleæ lentem referen
tis,in cauo capreoli fœminæ cochleæ recipiatur,quodq; cauum eſt in capreolis cochleæ, id, quod ex- F
tat ex capreolo,cochleæ fœminæ capreolis admittat. Accidit autem in cochleæ conuerſione,ut teſtudo modo ſurſum moueatur,modo deorſum,cum cochlea in ipſius capreolis uoluatur.huiuſmodi ſtructuræ plurimæ adhibentur ad organa, quæ plana collocantur.ad id.n.fabricantur,ut homines, quibus luxata reſtituuntur,inclinatis organis inſidant.organa enim quæ plana collocantur, ita parata ſunt, ut ægris ſuper ipſa,uel ſedentibus,uel cubantibus, luxata reponantur. Priapiſcus, qui & ſtiliſcus & ſcalmus nuncupatur,in quolibet organo, quod planum collocetur,ſtatuitur.fit autem ea de cauſa, ut ei parti,quæ inter anum & naturale eſt,obex ſit, ubi quæ prolapſa ſunt,reſtituuntur.eſt igitur priapiſcus lignū octo digitorum,magna ex parte rotundum,ab eo,quod ſupereſt quadratum,ſic ut quadrata ipſius pars conijciatur in cauum,ad literæ.π.ſimilitudinem quadratum,in organo,quod planum collocatur: reliqua uero pars,quæ extat,inter anum & naturale obijciatur. Configitur autem in tranſuerſarium.π. ferreum,ut firmiter priapiſcum contineat.ſed in noſtro organo uidere licet magnum .π. ferreum ad alium uſum comparatum,nempe ad gibbam ſpinam per preſſum impellendam.Opercula in organis parātur, ut machinationes ſub ipſis occultentur,ne,ſi abſque operculo fuerint, idiotis pateant. Anuli adhibentur ad organa tractoria,ut alligari poſſint:ad alia uero, ut machinationes contineant, quemadmodum in Menecriti Bucranio,ubi axis continetur,atq; eadem de cauſa in alijs organis. Forfices in organis ar- G
cte tranſuerſaria cum cruribus iungunt,ad hunc enim uſum infixas forfices æneas inuenimus. Adiūcta crura id efficiunt,ut organa,quæ erecta collocantur,illis innixa, inclinataq; eundem uſum præſtent, ac ſi plana ſtatuerentur. Prefatus ex quibus omnia organa parentur,& quorſum ſingulæ ipſorum machinationes ſpectent, declarabo in ſequentibus, quænam ex organis immota,ſuo munere fungantur, & quæ mota:tum ex ijs,quæ mouentur,quænam ſuo loco maneant,quæ locum mutent, dum mouentur: rurſus ex ijs,quæ immobilia ſunt,quæ perpetuo & ubiq; immobilia maneāt,quæ eximi poſſint,ad alios quoque uſus idonea.Hæc itaque immobilia ſunt in organis,baſis, crura,latera, tranſuerſaria, cuneata & lunata appendix,ſedile,priapiſci,atque alia complura.Vſui ſunt,cum mouentur,uertebræ,unci,axes tympana,cubiti,cochleæ,teſtudines,atque huius generis plurima. Mouentur in eodem loco manentia uertebræ,unci,tympana,cochleæ,plerique axes.Locum mutant teſtudines,cubiti. Eorum,quæ in organis immobilia ſunt,quædam ſemper & ubique immobilia ſunt,quædam & eximi, & inſeri poſſunt.ſemper quidem immobilia manent,baſis,crura,latera,tranſuerſaria,radices,ſedilia, lunata appendix: extrahi poſſunt in quibuſdam organis,quamuis immobilia ſint, tum cunei,tum priapiſci, qui ad alios quoque uſus facti extrahuntur, & immittuntur.

Ex Galeno de machinamentis. *VI.* H

ARticulis reponendis Hippocratis ſcamnum per ſe abunde eſt. ſi quis autem uelit alijs quoque uti eſt polyſpaſton(ita appellatum,quoniam multis orbiculorum circuitionibus facilitatem præſtet)quod iter facientibus maxime idoneum eſt,refertur autem ad Archimedem auctorem,in urbibus uero non alienum eſt Fabri uel Andreæ organum,cum erecto opus eſt:ubi plano,ſcamnum Hippocratis præcipue aptatur.

De Gloſſocomo machinamento. *VII.*

NOn ab re quidem mihi gloſſocomum uidetur a iunioribus medicis inuentum, quod ſeu femur, ſeu crus comminutum ſit, ubi callus circundatur,commodiſſime admouetur. Habet autē ab ima parte axem,ad quem extremi laquei in diuerſa extendentes deligantur. Injiciātur laquei extremis partibus oſſis,quod curatur,fiantque ex duabus habenis, ſic, ut quatuor uteri capita habeat, bina a dextra,totidem a ſiniſtra. ex ijs capitibus, quæ inferioris laquei ſunt, per foramina facta in inferiori parte gloſſocomi ad axem duci debent:quæ ſuperioris,primo procedere ad ſuperiora, deinceps ipſa quoq; per latera gloſſocomi perforata traijci, quibus foraminibus trochleæ includantur. utrinque ergo ab exteriori parte gloſſocomi,ſuperioris laquei capita ferenda ſunt ad axen.his.n.ita conſtitutis,una axis conuerſio

A cōuerſio pariter ambos laqueos extendit deorſum uerſus, illum qui ad inferiora fracti oſſis alligatur ſurſum, alterū ſic, ut compoſita fractura in poſterum liceat quotidie hanc laqueorum in diuerſas partes intētionem corrigere, ualentius, uel lenius extendendo. laqueum igitur, qui in inferiori parte eſt directa ductione axis extendit: eum,qui
B in ſuperiori parte, intercedēte alio motu, græci διὰ τῆς μεταλλητικῆς τάσεως dicunt.

CAPSVLA MACHINARIA
A. AXIS AD QVEM LAQVEORVM CAPITA CIRCVNIICIVNTVR
B. LAQVEVS SVPERIOR
C. LAQVEVS INFERIOR
D. INFERIOR CAPVT CAPSVLAE
E. TROCHLEAE
F. SVPERIORIS LAQVEI CAPITA AB EXTERIORI PARTE CAPSVLAE



Nilei Plinthium. *VIII.*

FActum eſt Plinthium Nilei ad eorum organorum exemplum, quæ uocantur tractoria quadrata oblonga. duo enim habet latera longa palmos quatuor, digiti craſſitudine, quæ extremis partibus tranſuerſarijs inter ſe compacta ſunt.Eſt autem tranſuerſariorum craſſitudo & latitudo, quanta laterum, ſed longitudo palmum implet. merito igitur, cum talis compactio ſit, vt latera quatuor palmos longa ſint, tranſuerſaria unum, totius organi quadrati ſtructura oblonga confecta eſt. Licebit autem, ſi quis uoluerit latera breuiora,
C quàm dictum eſt, efficere, quandoquidem organum, per unicum axem, effectum præſtat. media itaque latera pertuſa ſunt rotundis ac peruijs foraminibus, per quæ axis traiicitur, qui media parte clauum infixum habet: capitibus uero, quibus latera excedit, uectes æneos, uel ferreos decem digitorum magnitudine. Sunt item in organo quatuor anuli lateribus affixi, bini ab inferiori parte, totidem a ſuperiori: Antiqua huius organi ſtructura auctore Nileo talis eſt. Herodotus quidam architectus tranſuerſariorum priores partes medias excauauit ad figuram literæ. ○. ne habenæ,quæ a corporibus, quibus uis adhibetur, ad axis clauum feruntur, extantibus angulis atterantur, ſed recta procedant. hactenus Herodotus.nos uero quam accepimus, hiſtoriam referemus. ferunt Paſicratem architectum
D Sidoni organum hoc uidiſſe, quod a ſtatua continebatur, aliter tamen fabricatum. nam cum eadem compactio eſſet, conſpiciebantur in eo organo ab extantibus axis capitibus, æneorum draconum complexus, quorum capita e regione ad caudas ſpectabant. ſed quo pertinebant hi dracones? non alio niſi ut in uicem uectium axes conuerterent: tum in organo, quod Sidoni erat, media tranſuerſaria pertuſa erant rotundis foraminibus, quæ clauo axis reſponderent. conſtat autem foraminum eundem eſſe uſum, qui in organo Herodoti, nimirum ut habenæ, quibus corpora extenduntur, ad clauum rectæ per ea foramina porrigantur. Retulit inſuper Paſicrates axem incluſa habuiſſe in uicinia laterum tympana quatuor ex ære dentata, duo ab interiori parte, totidem ab exteriori, atqùe item in lateribus foramina fuiſſe dentium ordini reſpondentia, ut poſtquam abunde extenta corpora fuiſſent, fibulæ inter dentes eo demiſſæ, ubi in luxatis reſtituendis opus eſſet, axem ſiſterent. Sed recentiores

A Duo latera.
B Tranſuerſaria.
C Rotūda, ac peruia foramina.
D Axis, q̄ media parte clauū ſixū hēt.
E Vectes ænei.
F Annuli.
G Tranſuerſarii prioris partes excauatę ad figurā literæ ○.
H Aeneorum draconum complexus.
I Foramina rotūda.
K Tympana ænea dentata.
L Fibula indita.
M Vncus.

Nilei Plinthium.



tympanis omissis priori parte latera pertuderunt: pertuderunt item in orbem aliquo intermisso spatio, & ipsa axium capita, quo ad usum dictum fibulæ inditæ axem mobilem tuerentur. Ego autem, cum fibulæ decidant, ad eum, quem dixi usum, uncos lateribus infixi: axis uero capita foraui sic, ut huius foramina illis conuenirent, quæ erant in orbem in lateribus aliquo spatio interiecto, quo, ubi uellem in luxatis condendis axem immobilē reddere, uncum includerem in foramen, quod esset accommodatum. Communis Plinthij tractorij fabricatio huiusmodi est: uerum ego aliter Plinthiū struxi, salua enim eadem laterum mēsura inferius transuersarium sursum transtuli, quatuor digitis infra transuersarium extrema crura relinquens, axē uero collocaui in medio trāsuersariorum, cui parti græce φωτὶ nomen est, & scamnum quoddam, quale in ludo uidemus, ab una extremitate excidi cauis quadratis atq; oblongis, ut propositorū crurum extrema in eiusmodi caua conuenirent, ipsa item latera extremis partibus transuersa pertudi, foraminibus ab uno latere ad aliud penetrantibus, ut fibula in foramina coniecta Plinthium contineret. Hæc de organi structura, nunc ad ipsius motionem aggrediar.

N SCAMNVM QEALE IN LVDO VIDEMVS
O CVVA QVADRATA
P FIBVLA



De motu organi tractorij. IX.

QVoniam tractoria organa imperfecta sunt, nec præstare quidquam per se possunt, sed alterius operam requirunt, puta scalæ, lecti, scamni, quæ ubi non sunt, eorum uicem exhibet pauimentū terraq; ad prolapsa restituenda, mihi operæpretium uidetur, quasi docceam in ludo, gratia eorū, quæ nunc tractantur, super scalam præparatam, organi motum enarrare.

Scala præparata ad humerum restituendum in alam prolapsum. X.

PAratur scala una ex ijs, quæ in communi usu sunt, non lata, quæ oblique collocatos gradus habeat siquidem talis luxatis reponendis est aliena, sed æque crassa sit, quadratisq; gradibus constet, leuatis angulis, ne corpora conterant, atq; in rotundam figuram redactis. huiusmodi scalæ ubi copia non sit, quo mollius corpora insidant, gradus lana inuoluantur. Ordiar autem ab humeri capite in alam excidente. Oportet igitur, ubi id restituitur, cuneum funibus suspensum collocare super gradum idoneum, cui brachium (ut ostendi) superimponatur, & per funes ad eum alligare. est autem ille gradus reponendo idoneus, quem retuli. brachio superiniecto intentioneque adhibita suspendēdus homo est sic, ut duos palmos a pauimento recedat. & cuneus ad gradum firmiter alligandus non temere, sed eo obseruato, ut ex partibus, quæ cum cauo quodam capitulata est, ad humerum detur, quæ gibba iuxta est, ad latus. A cuneo uero deorsum uersus alterius, siue tertij gradus interuallo, organum ad scalam uinciendum est per eos quos habet anulos & funes, aut habenas, aut alia quæpiam traiecta. ipsa item scala in pauimentum fortiter adigenda est, ne in extendendo moueatur, sed stabilis maneat, ac sine ulla inclinatione. quatuor præterea trochleæ, siue solidæ, siue ex duobus lignis curiosius factæ alligentur, quarum duæ a summo gradu suspensæ deorsum spectent, duæ ab imo sursum. qua fabricatione parata cuneus ad id, quod prolapsum est reponendum, admoueatur, tenui lana mollique obuolutus, tum ut lignum quod durum est, circundata lana minus tactu lædat, tum ut sudor, qui proprie oriri solet ala plurimum calefacta, magisque ægrotantis metu ac labore, lana cuneo imposita combibatur. Hæc autem scala, uel contineatur stabiliter ab assistentibus, uel extremis partibus in pauimentum defigatur, cuneisq; (ut propositum est) confirmetur. Illud autem in aperto est scalam bene longam esse debere, ut postquam demissa in terram fuerit, quod extat, ubiq; pro magnitudine eius, qui curatur, abunde longum sit. scala confirmata subsellium iuxta collocetur.

A Cuneus

A Cuneus funibus suspensus, ac super gradum alligatus.
B Organum ad scalā alligatum.
C Trochleæ duæ a summo gradu suspēsæ deorsum spectantes.
D Trochleæ duæ ab imo gradu suspensæ, sursum spectantes.
E Subsellium.



De humeri capite in alam prolapso. XI.

SVper subsellium homo ascendens, brachium super gradum traijciat, ita, ut cuneus apte in alam demittatur: post hæc duplicata habena media inter cuneum & humerum detur, capitaq; eius extrinsecus pendeant, deinde charchesius laqueus, uel alius æqualiter extendens humero injiciatur, non circa medium, ne lacertum urgeat, sed citra lacerti tumorem uel ultra. sic enim cubiti inæqualitas laqueum deorsum labi non patietur, præterquàm quòd hoc modo utilius imponetur. sequuntur n. facilius ea corpora, quæ ampliori iteriecto spatio adducūtur: quæ exiguo, difficilius. Circūdato laqueo capita eius recta deorsum ducta ad clauum axis religentur, & axis uel per uectes, uel solis manibus conuertatur, ut eius conuersio directa ductione ab inferiori parte intendat. eodem autem tempore, cum aucta iam intentio est, subsellium subtrahatur, ut homo a scala pēdeat. atq; ita excitando reponi luxatum possit. Suspenso homine, minister, assistens a posteriori parte utrāque manum simul iunctam ad ceruicem eius adducat, collumq; in cōtrariam partem cogat, idque fiat, quo tempore intendimus, atq; excitamus, cum laquei ægro iniecti postea laxentur. Neruis abunde ductis, debet qui reponit, assistens habenæ capita prehendere, cubitumq; ad scalam repellens, humeri caput per habenā extrahere. quo facto remittenda intentio est, & ipse articulus sursum compellendus, ut in regionem pristinā reuertatur. Ratio directæ ductionis ita habet. Sed ut tuto reponamus, optimum fuerit prius, quàm nerui extendantur, habenis & crura hominis inter se & integrū brachiū ad latus deuincire, ne ob tormētum, quod in cōdendo articulo sentiet, uel super scalam ascendat, uel manū laquei capita cōtineat. Licebit etiamnum alio intercedēte motu ab inferiori parte extēdere, id qua ratione fiat subijciā. Iisdē omnibus factis, quæ præcepimus, cū ab inferiori parte extēdentes directa ductiōe utebamur, laquei capita per inferiores trochleas traijciūtur ab inferiori parte extra, atque ad axis clauū religātur, uel ducta ab exteriori parte uersus interioré ad axis uectes uinciūtur, ut axe uersato alio intercedēte motu ab inferiori parte extendamus. nihil item prohibet, quo minus eadē fabricatione parata duplici motu cōtrario intercedēte ab inferiori parte adducamus, quod ad quē modū fiat, indicabimus. Laquei capita ad inferiores trochleas ducta, ibiq; traiecta, ad superiores referūtur, tum deorsum attracta, ad axis uectes alligātur ut eius cōuersio duplici motu cōtrario intercedēte ab inferiori parte extēdat, postquā abūde extenderimus, proximū est, ut impellamus eo, quo ostēdimus, mō, ubi de directa ductione loqueremur. Hi sunt mōdi, q̄bus ab inferiori parte intēdimus. Postquā reconditus articulus fuerit, subsellū ad scalā referendū est, ut æger super id statuatur, tā a scala, quàm a cuneo remotus, collocato humero ut antea dixi. uerum, cum maiores nri idē organū idoneū a superiori parte attrahēdo tradiderint, sequitur, ut nos quoq; a superiori parte extēdendi rōnem uobis aperiamus. Ergo (sicut dixi) placuit maioribus luxati restituēdi modū, & a superiori parte adducēdo, & in diuersa trahendo explicare: potissimū aūt a superiori parte intēderunt, ubi humerus nō solum elapsus est. sed etiā perfractus. spectemus igitur, quibus modis uoluerint luxata restituere, a superiori parte intendentes.

tendentes. Scala igit̃ in ceteris eod̃ modo p̃parata, cuneũ non amplius ex funibus ſuſpenſum, ad gradum alligant, ſed ſolũ ſuperimponunt: funiũ uero capita admodũ longa per ſuperiores trochleas ab interiori parte extra traijciunt: poſt hęc deorſum demiſſa uectibus, qui pro clauis ſint, circũligant. His ita conſtitutis ſubſelliũ ad ſcalam ponunt, ſuper q̃ homo aſcendens, brachiũ ſuperinijciat, ut cuneus rurſum in alam indatur, deinceps carcheſium laqueũ, uel alterum æqualiter extendent̃ humero inijciunt, capitaq; eius deorſum ducta, ut contineantur, ad aliquem ſcalę gradũ deuinciunt. quibus ita contentis axis conuertitur, per quã conuerſionem cunei funis alio intercedente motu attractus a ſuperiori parte intendit. Neruis, quãtum res poſtulat, intentis impulſus adhibetur, & per duplicem habenã extrahẽdo, & manibus ſurſum compellendo. Equidem huic reponendi modo non ſubſcribo ea de cauſa, quã adiungam. cuneus elatus circumagitur, qui cum ſub ala non manet, articulus ex toto non reponitur, ac potiſſimum, ubi quis uelit ſuſpenſo homine excitando illum reponere. Ea uero extendendi ratio, quæ ab interiori parte adducit, ſtabilis eſt cuneo ſuper gradum collocato, & per funes alligato, ut antea diximus. At quo pacto nos a ſuperiori parte adducentes firmiter reſtituamus, paulo poſt intelligetis, ubi condendi luxati rationem recenſebimus. Ratio autem, quæ in diuerſa diducit, ſic habet. ceteris omnibus ordinatis laquei capita non amplius ad gradum uinciuntur, ſed ad axis clauum dãtur, per ſe dantur, uel alio motu intercedente, ut prius ſcilicet per inferiores trochleas traijciantur, tuncque ad axem deligentur. Eadem nunc culpari poſſunt in hac in diuerſa extendendi ratione, quæ paulo ante dicta ſunt in illa, quæ a ſuperiori parte extendit, ubique enim probo, cum is, cuius articulus reponitur, rectus collocatur, ſolam ab inferiori parte extendendi rationem adhiberi. Nunc proximum eſt, cum de humero in alam prolapſo dixerimus, ut de eodem quoque in priorem partem excidente pertractemus.

De humeri capite in priorem uel poſteriorem partem excidente. XII.

AD humeri caput in priorem uel poſteriorem partem elapſum ſcala eadem ratione modoq; præparata uel figurata organoq; & trochleis (ut antea dictum eſt) alligatis, rurſus, ubi reſtituere uolumus, ſubſellium iuxta ponimus, lanaq; uel linteis contegimus gradum idoneum, ſuper quem reſtituamus: cui (ſicut oſtenſum eſt) inuoluto ala inſidat: tum carcheſium laqueum, uel alium æqualiter extẽdendi uim habentem humero (ut propoſitum eſt) circundamus, cuius capita deorſum attracta ad organi axem religamus, quemadmodum ad humerum in alam prolapſum tradidimus, ut conuerſus axis directa ductione ab inferiori parte intendat. eodem momento, quo intendimus, aliquis rurſus a poſteriori parte aſſiſtens, utraq; manu ad ceruices hominis data, corpus in contrariam partem repellat. Licebit autem in hoc caſu magis & extendere & ducere ad inferiora. Subſellio itaq; ſubtracto, homo ſuſpendi tur, ut ſimul & articulus excitetur, & quæ illi ſuperiecta ſunt, laxentur. ubi quantum reponendus articulus poſtulat, intenderimus. circumducendo impellimus. ſiquidem in priorem partem, humeri caput exciderit, ab ea ſede, in quam uenit, ad eam, ubi eſſe naturaliter debet, prominentiori palmæ parte urgemus, atq; altera manu cubitum a poſteriori parte in priorem adducimus, quo facto miniſter aſſiſtens manum apertam lato ſcapularum oſſi opponat, atq; id repellat, ne uis operæ reſoluatur: uerum, ſi in poſteriorem partem prorumpat, contrarium fieri debet, humeri quidem caput prominentiori parte palmæ urgendum eſt, ut a lato ſcapularum oſſe in ſuam ſedem reuertatur, atque altera manu cubitus ad poſteriorem partem prorſus adducendus. Hac igitur ratione humeri caput reſtituendum ducimus, ubi in priorem uel poſteriorem partem eruperit. Sed alij in utroque caſu eam reponendi rationẽ probarunt, quæ a ſuperiori parte extendit, hoc, quo pacto agant, uideamus. Scala eodem modo parata duplicatæ habenæ uel funis medium lana uel linteo inuolutum alæ ſubijciunt, capitaq; eius per ſuperiores trochleas traducta deorſum ad axis uectes tanquam ad clauos alligant, deinde humero carcheſiũ laqueum, uel alium, qui æqualiter extendere ualeat, circundant, cuius capita deorſum demiſſa, ut contineantur ad aliquem ſcalæ gradum deuinciunt. quibus ita conſtitutis axis conuertitur, quo conuerſo & continent, & a ſuperiori parte intendunt, ac poſtquam abunde extenderunt, adducendo impellũt. At cum in diuerſa contendunt, capita laquei uel directa ductione uel alio intercedente motu, funis uero per alium motum interiectum ad axis clauum alligant, ut conuerſo axe in diuerſa diducant, poſtquam ſatis intenderunt, adducendo impellunt. Intentiones quidem ſuccedunt, ſed impulſus fallax eſt. ſiquidem homine excitato, & ſuſpenſione diſtracto ægre articulus reſtituitur. atq; ob hanc cauſam nũc placuit extendendi rationem tam a ſuperiori parte, quàm ab utraque præterire. Humeri ergo caput, in quãcunque partem uenerit, conuenit ab inferiori parte extendendo reponere, cum erectus homo collocatur. Qua uia humeri caput reſtituatur, expoſuimus. Pergamus igitur ad cubitum.

De cubito. XIII.

AEque duo brachij oſſa in quatuor partes erumpunt, in interiorẽ, exteriorẽ, priorẽ, & poſterioręẽ, atq; ubi in tres partes uenerint: exteriorẽ ſcilicet interiorẽ & poſteriorẽ, brachium curuatur, & extendi non poteſt. Commune eſt horum trium caſuum, in quibus curuum brachium minime extenditur, ſcalam cum organo (vt dictum eſt) ad reſtituendum parare, poſtea hominẽ iuxta ſcalam collocare, ut ſuper ſubſellium aſcendens brachiũ ſuper conuenientem ſcalæ gradum inijciat, tum ea iunctura, quæ

A quæ palma nuncupatur, humerum continere, & laqueum inæqualiter extendentem, ut attollentẽ chiaſtum, aut nauticum brachio in uicinia manus circundare, eiuſq; capita ad unum ſcalæ gradum, ut retinacula ſint, deuincire, ut ubi uis adhibetur, recti anguli figura fideliter conſeruetur, eoque facto mediũ duplicatæ habenæ, arachio prope cubitum inijcere, capita uero deorſum ducere ad axem, ibiq; uel directa ductione ad axis clauum alligare, uel alio intercedente motu, non ſecus ac ubi humeri caput reponitur, ut ſimiliter axis conuerſio ab inferiori parte intendat. Traditur etiam ad cubitum ille reponendi modus, qui a ſuperiori parte extendit, cuius ratio eſt hæc. Ceteris omnibus (ut propoſitum eſt) conſtitutis, humerus non amplius, ut contineatur, deuincitur, ſed laqueus carcheſius, aut alius ex ijs, qui æqualiter extendunt, ipſi circumligatur, cuius capita ad ſuperiores trochleas adducta ab interiori parte in exteriorem attracta deorſum feruntur, & ad axium uectes quaſi ad clauum alligantur; duplicatæ uero habenæ capita deorſum adducta, ut retinacula ſint ad aliquid immobile dantur. conuerſo igitur axe & continemus, & alio intercedente motu a ſuperiori parte extendimus. At modus, qui in diuerſa extendit, hinc manifeſtus eſt. ubi enim in diuerſa extendimus, laquei capita per ſe ad clauum axis uel alio intercedente motu ad eiuſdem uectes deligantur, ut eadem conuerſio in diuerſa extendat. Neruis, quantum res poſtulat, extentis conuenienter impellere oportet, adducendo, ſi luxata in duas partes uenerint, in interiorem ſcilicet & exteriorem: extrahendo, ſi in poſteriorem, quas impellendi rationes in opere de articulis expoſui. Hæc igitur fieri debent, quando cubitus in propoſitas partes erũpit. Verum, ſi in priorem, in quo caſu diximus extentum brachium non curuari, iterum eadem ſcala atque organum comparatur, æger ſcalæ aſſiſtens brachium ſuper commodum eius gradum imponit, humerus ad ſcalam per eandem iunctũram uincitur, laqueus æqualiter extendens ad brachium datur in uicinia manus, cuius capita deorſum feruntur ad organum, ut ab inferiori parte attrahantur. ſi quis autẽ uelit agere hoc tum continendo, tum a ſuperiori parte adducendo, humerum non amplius ad ſcalam deuinciat, ſed utriq; membro laqueum inijciat, qui æqualiter intendat, unum ſcilicet humero, alterum brachio, & ſuperioris quidẽ laquei capita ſurſum ferat ultra caput, alterius uero deorſum, ut (quemadmodũ in alijs reponendi rationibus declarauimus) extẽdat. quod ubi abunde fecerit, nunc reponendi cauſa duo modi impellendi potiſſimum aptantur, qui premit, & qui circumducit, ſed ante quidem premere conuenit, dum intentio adhuc manet, dehinc circumducere, quos impellendi modos multo ante expoſui in opere de articulis. Oportet autẽ eo, quod luxatum eſt, reſtituto brachium curuare atq; extendere, pronumq; & ſupinum collocare, ut ex toto reſtitutũ eſſe intelligas, tum ad angulum rectum in ſequentem curationem figurare. Vtraq; igitur brachij oſſa, ubi loco ſuo non ſunt, per ſuperiores modos reponuntur. uerum quoniam utrunq; per ſe proprie uitiatur, cum ſuo loco mouetur, poſt hac neceſſe eſt ſcribamus, quonam modo cubitus erumpens, radiuſq; diductus ab inferiori parte extenti reuertantur.



A Cuneus ſub ala per funes ſuſpenſus.
B Organum ad ſcalam alligatum.
C Trochleæ a ſummo gradu ſuſpenſæ.
D Trochleæ ab imo gradu ſuſpenſæ.
E Subſellium.
F Iunctura, quæ palma nuncupatur.
DG Laqueus attollens in uicinia manus.
H Capita laquei, ut retinacula ſint, ad ſcalæ gradũ deuincta.
I Medium duplicatæ habenæ prope cubitum iniectum.
K Capita ad axis clauum directa ductione alligata.

De cubito & radio. XIIII.

MOuetur per ſe cubitus interdum loco & rurſus per ſe radius diducitur, ijs modis, quos in opere de articulis declarauimus. Ad hæc igitur oſſa reſtituenda, ſcala ſimiliter paratur, humeruſque ad gradum uincitur ea iunctura, quæ palma dicitur: ad ipſum uero brachium utiliter datur laqueus aliquis ex ijs, q̃ inæqualiter extendunt, cuius laquei ſinus a parte, quæ reſtituit, capita a cõtraria, hoc

est ab integra collocentur. proprie enim laquei, qui inæqualiter extendunt, eas partes magis cogunt, quibus sinus hærent, minus uero, quibus capita. siquidem consilium est, ubi superius os excidit, ab inferiori parte attrahere: ad id, quod suo loco est, uim minime adhibere. Huius igitur laquei capita ad axis clauum dari debent, uel directa ductione, uel alio motu intercedente, ut conuersio axis ab inferiori parte extendat. sed ubi, quantum restituendum os poscit, extenderimus, idoneis impellendi modis uti conuenit, cubito quidem in interiorē partem excidente, radioq; in exteriorem adducto, utriusq; manus digitos inter se iunctos eminentiæ cubiti subijcimus, prominentioresq; palmarum partes utrinq; ponimus, atq, his summopere urgentibus adducimus: sed, si posteriorem partem prorumpant, cubitus præsertim, ea reponendi ratio efficacissima est, quæ extrahendo impellit, sin radius in priorem partem conuertatur, expedit premendo & circumducendo impellere quemadmodum ostendimus, ubi utrunq; os in priorem partem elapsum ponebamus. exquisitos autem reponendi modos in opere de articulis exposuimus. Repositi autem ossis indicium erit, in cubito libera brachij contractio atque porrectio: in radio, in pronū uel supinum habitum conuersio. quo modo igitur per scalam homine erecto restituere luxatum conueniat, demonstrauimus. uerum quia iusta aliqua de causa, aut ob imbecillitatem, aut ob femur, seu crus simul comminutum, æger stare nequit. dum luxatum restituitur, necesse est in sequentibus aperire, quæ ratio sit restituendi, homine super planam scalam iacente.

B Organum ad scalam alligatum.
C Trochleæ superiores.
D Trochleæ inferiores.
E Subsellium.
F Iunctura, quæ palma nuncupatur.
G Laqueus inæqualiter extendens.
H Capita laquei duplici intercedēte motu ad axem data.

Quo pacto iacente homine restituatur humerus in alam prolapsus. XV.

SCalam collocare planam oportet, & ut a pauimento attollatur, extremitatibus lapides uel ligna ab utraq; parte subijcere, atq; æquandi gradus causa linteum superimponere. huiusmodi enim lectus, quod pertinet ad ægrum iacentē, dum restituitur, scamni munus præstabit. organum uero ad scalam alligandum ab inferiori crurum extremitate, rursusq; trochleæ (quemadmodum dictum est) binæ a superiori scalæ parte, totidem ab inferiori uinciendæ. satius autem est ad luxata restituenda pro scala adhibere scamnum, quod ab altero extremo quadratis fossis excauatum sit, ubi organum firmiter insistat. quæ præparatio esse debeat, dictum est: modos autem, quibus humeri caput restituitur, exequemur. Prolapso igitur humeri capite collocare hominem conuenit, sic, ut iaceat super scalam, organo ad pedes constituto, supinus, ubi in alam uel priorem partem excidit: in uentrem, ubi in posteriorem. Igitur, ubi in alam conuertitur, funis capita super caput a priori uel posteriori parte adducenda, mediumq; habenæ duplicatæ dandum est ad humerum sic, ut inter ipsum & cuneum demittatur, capitaq; eius ab exteriori parte ferantur, atq; ita pendeant: post hæc laqueus charchesius, uel alius ex ijs, qui æqualiter extendunt, humero (ut supra ostensum est) inijciendus, cuius capita deorsum ad organum adducenda. cū capita ergo ad pedes ferantur, agemus uel continentes, & ab inferiori parte extendentes, uel in diuersa trahentes, siue directis ductionibus utamur, siue alius motus intercedat, ut antea indicauimus: cum satis extenderimus, condere humerum debemus, idoneam impellendi rationem adhibentes. Præcipue autem duplex impellendi ratio idonea est, & quæ articulum extrahit, & quæ sursum compellit. manente intentione duplicatæ habenæ capita tenentes ui humeri caput extrahimus, eodemq; momento cubitum in interiorem partem ad latus repellimus, eo enim fit, ut humeri caput facile prompteq; in exteriorem partem ducatur, moueaturq;. quo facto remissa intentione, protinus sursum compellimus post hæc humerum prehendentes attollimus, ut in suum locum collocemus. Hæc sunt quæ fieri oportet, ubi humeri caput in alam excidit.

Cuneus

A Cuneus alligatus ad funem, cuius capita dantur ad gradum supra caput.
B Organum ad scalam alligatum.
C Trochleę a summo gradu suspensæ deorsum spectantes.
D Trochleæ ab imo gradu.
E Habena media demissa iter cuneū & humerū, cuius capita spectēt in partē exteriorē.
F Charchesius ad humerum datus.



De humeri capite in priorem uel posteriorem partem excidente. XVI.

SEd si humeri caput in priorem uel posteriorem partem conuertatur, homine (ut dictum est) figurato, nempe supino, si in priorē partem uenit, in uentrē, si in posteriorem, funis aut habenæ medium lana siue linteo obuolutum, alæ subijcitur, capitaq; supra caput feruntur, non quidem e regione uitiati humeri, sed obliqua uersus partem contrariam, ad rem aliquam immobilem uinciuntur, qua retineantur. Ambigitur uero, quamobrem capita nō recta ferantē, sed uersus contrariā partē obliqua. Pasicrates quidē atq; alij nōnulli hoc ea de cā fieri aiūt, ne a medio funis humeri capite sursum attracto prohibeamur, quo minus ab inferiori parte extēdamus. sed decipiūtur similitudine femoris, cū res aliter hēat, siquidē femur ad. Γ. līæ similitudinem declinat, at humeri caput dimidiū orbiculatū est, neq; pōt femoris mō a medio fune sursū adduci. quorsum igitur id fiat? ne sub medio fune, quæ sub ala sunt compressa, alæ regionē cōpleant, cōpleto. n. recessu, humeri caput locū nō hēbit in quē recōdatur. Nos ēt nō secus atq; ij, qui nō multo ante nos uixerūt, ob propositā cām, habenā uel funē sīr collocamus. cōsueuimus interdū & alr cōtinere, duos. n. laqueos ex ijs, qui inæqualr extendūt, implicantes, thoraci, dorsoq; sub alijs circūponimus, eorumq; capita cōtinendi cā ad gradū, qui cōtra situs est, alligamus, qua cōtinēdi rōne adhibita laqueū æqualr extēdētē humero circūponimus, quemadmodū tradidimus, qua de humeri capite in alā prolapso, cuius d'd' laquei capita ab inferiori parte ad organū demittimus, & ad axē deuinciimus, ut eo cōuerso cōtineamus, & ab inferiori parte pariter extēdamus. Vi quantū res exigit, adhibita, ut articulū restituamus, præmēdo impellimus. prominētiori. n. unius manus palma ui humeri caput cō primimus, altera uero cubitū huc atq; illuc agitamus. Indiciū ār repositi ossis in superioribus explanauimus. fit etiā interdum, ut ad humeri caput luxatum, medij quoq; humeri fractura accedat, cogaturque medicus eodem tempore utriq; uitio subuenire. Docendi autem gratia sermoni insistam, qui eum casum explicet, ubi & caput humeri in alam excidit, & medius humerus comminuitur.

De humero fracto simul & prolapso. XVII.

QVæsitū est a maioribus nostris, qua uia hæc restituātur. Pasicrates quidē os suo loco motū primo restituit, q maiorē uim in restituēdo postulet, quàm fractura. At si quis sub fractura laqueū inijciēs eodē mōmēto uelit, tam quod fractū est, quàm qd' excidit, restituere, dū uis ad luxatū, quantū postulat, adhibeē, fractura plus iusto intēta partes fracturæ superiecte ultra debitū extētæ lædent, resoluent nerui, aut abrūpentur, & fortasse corpora tota, priusquā articulus laxetur, atq; hac de cā cēsuit ipse laqueū super fracturā imponendū, & ante qd' luxatū, dein qd' fractū est, restituēdū. Voluit Aristion eodē tēpore, & luxatū, & fractū humerū restituere, ne si luxatū prius reponār, dū fractura cōponit, præui positū humeri caput erūpat. Quæ dār in utroq; casu sequi detrimēta, uere sic hīt, quapropter nobis placet, ante articulū reponi, proximeq; fracturā curari, ea cautione, ne dū quod fractū est, ab inferiori parte extenditur, articulus elabatur. Ad luxatū igitur restituendum cuneus a funibus depēdens in alā cōijcitur, rursusq; capita funis sursum adducūtur super caput, humero super fracturam Charchesius laqueus imponit; uel alius, qui æqualr extēdat, eiusq; capita, deorsum demissa, ut retineātur ad aliquā moram uinciūtur, atq; a superiori parte attrahēdo articulus reponitur. quo facto cuneus in ala relinquit, ut humeri articulus maneat, laquei uero capita inferiori parte resoluūtur, & super caput adducta tanquā retinacula uinciūtur, ut utriusq; præsidio cunei scilicet & laquei, articulus suo loco seruetur. post hæc Charchesius laqueus, uel alius æqualiter extendens humero inijcitur, cuius capita deorsum demissa ad axem, ut ab inferiori parte intendant, religantur. quo fit, ut fractura ab inferiori parte intenta componatur, superiori articulo non excidente. hactenus de humeri capite, nunc de cubito.

De cubito luxato. XVIII.

CVbito in illas treis partes conuerso, in quas ubi procidit, brachium curuum est, neq; extenditur, homo resupinandus est super asserem scalæ insidentem: alligatis trochleis organoq; ab inferiore parte, laqueus inæqualiter extendens brachio prope manum inijciendus, cuius capita super caput adducta ad oppositam moram alligentur, tum duplicatæ habenæ medium iuxta cubitum dandum, capitaq; eius deorsum adducenda. Dantes igitur capita, laquei quidem humero iniecti, supra caput, duplicatæ uero habenæ, deorsum, continebimus simul, & ab inferiori parte extendemus, ut ostensum fuit in superioribus. neruis abunde intentis eo modo impellemus, quem paulo supra diximus, cum de erecta scala pertractauimus. At si in priorem partem elabatur, in quo casu brachium extenditur, resupinato itidem homine, laqueus æqualiter extendens humero inijciatur, capitaq; eius super hominis caput attrahantur, tum alter laqueus æqualiter extendens ad extremum brachium alligetur, eiusque capita deorsum ducantur. intentionem uero a pedibus adhibendam esse antea exposui. Eodem autem modo, vbi articulum restituimus, impellere oportet, premendo scilicet & circunducendo, eademq; ratione, quæ in opere de luxatis dicta est. verum, si alterum os præter naturam habeat, siue cubitus excidat, siue radius diducatur, laqueo rursus æqualiter extendente ad humerum dato, capitibusq; eius sursum super caput adductis, ut retinacula sint, brachio laqueus iniicitur, qui inæqualiter extendat, quemadmodum explicauimus, capitaq; eius deorsum ad organum, adducuntur, & iidem impellendi modi accommodantur. Absoluimus iam sermonem uniuersum de cubito atque humeri capite, restat, ut ad manum accedamus.

De manu. XIX.

MAnus in quatuor partes mouetur, interiorem, exteriorem, priorem & posteriorem. Restitui autem debet, uel super scamnum, uel super scalam, quæ plana collocetur. homine itaq; iuxta scalã uel scamnum sedente, figuretur manus, supina, si in interiorem partem erupit: prona, si in reliquas tres. deinceps circa sinum manus, ferramentum, quo adurimus transuersum uel transuersus axis detur, atq; ad ipsam palmam uinciatur: tum extremitatibus propositi uectis, seu ferramenti sinus laquei inæqualiter intendentis uel mediæ habenæ iniiciantur, capitaq; a priori parte ad organum ferantur. brachio autem in uicinia manus circumligetur laqueus æqualiter extẽdens, cuius capita ferantur a posteriori parte, rursusq; intentio adhibeatur, quæ paulo ante exposita est, uel continendo & seu ab inferiori, seu superiori parte extendendo, uel in diuersa adducendo, postquam abunde intenderimus, impellere debemus, quemadmodum in libro de luxatis exposuimus, premendo, ubi in interiorem uel exteriorem partem uenit: vbi in priorem & posteriorem, adducendo. sed uenio ad spinam.



A Organum ad scalam alligatum.
B Trochleæ.
C Ferramentum datum ad sinus manus.
D Sinus laquei dati ad ferramenti extremitatem.
E Laqueus æqualiter extẽdens brachio iniectus in uicinia manus.

De spina. XX.

SPina gibba ex recenti ictu restituitur. Oportet in restituendo hominem pronum collocare, uel super scalam, cuius gradibus asser iniectus sit, uel super scamnum, trochleasque (ut dictum est) adhibere: post hæc ad spinam dare binos laqueos æqualiter extendentes, unum a superiori parte gibbi, alterum ab inferiori, uel quaternos ex ijs, qui inæqualiter extendunt, inter se oppositos, binos a superiori parte, totidem ab inferiori, & superiorum quidem capita sursum, inferiorum uero deorsum adducere, siue ut retinacula sint, & uel ab inferiori, uel a superiori parte intendant, siue ut in diuersa diducant, uerum ubi in diuersa diducimus, trochleis utimur alio intercedente motu agentes. Postquam abunde intenderimus, eo modo impellimus, quem in libro de articulis enarrauimus. Sequitur autem, ut de modis reponendi femoris pertractemus.

De femore. XXI.

FEmur in quatuor partes prorumpit, interiorẽ, exteriorem, priorem, & posteriorẽ, atq; ubi in tres partes conuertitur, crus extentum est, & curuari minime potest: q si in posteriorem partem prolabatur

A labatur, curuatur, sed non extenditur. Igitur, si in illas tres partes uenit, ubi extentum crus minime implicatur, resupinandus homo est super scalam uel scamnum, & duplicatæ habenæ uel funis medium lana seu linteo circundatum inter anum & naturale inijciendum, capitaque eius super caput adducenda. Sin in exteriorem quidem & priorem partem femur eruperit, media habena uarie quacunque parte inter anum & naturale dari potest: sed, si in interiorem partem exciderit, inter femur integrum adhibenda est, & articulum, qui restitui debet, ne si femoris capiti subiecta fuerit, membrum ab inferiori parte attrahi non sinat. quo facto Charchesius laqueus uel alius æqualiter extendens femori extremo circũponendus est, capitaq; deorsum ad organum ferenda, & ad axis clauum alliganda, ut adhibitis retinaculis conuerso axe contineamus, & ab inferiori parte extendamus. nihil item prohibet, quo minus a superiori intẽdamus, quẽadmodũ dictũ est, qua de humeri capite. Neruis, quantum satis est, diductis, ijsdẽ utendum est impellendi modis, quos in opere de articulis indicauimus. At, si femur in posteriorem partem prolabatur, ubi complicari crus diximus, sed nullo modo extendi, organo ab inferiori parte alligato, æger sedeat, magis tamen in supinum habitum conuersus, in alteram coxam inclinetur, post hæc cõtineatur, sicut in opere de articulis ostendimus, tunc Charchesius laqueus, uel alius æqualiter extendẽs femori circundetur, eiusq; capita deorsum demissa, ut ab inferiori parte extendant, ad axem religẽtur.

B neruis, quantum res postulat, intentis, oportet eadem ratione in restituendo impellere, quæ in opere de articulis exposita est, spatha premendo idonea extrahere, & femoris caput in exteriorem partem adurgere, sicq; crure deorsum extento, atque homine resupinato articulus reponitur. crus autem restitutum testatur eius flexus, atque porrectio. in quamcunq; enim partem uenerit, ubi restitutum est liberam eius actionem spectamus, flexum scilicet & porrectionem.

De genu. XXII.

GEnu in tres partes erumpit, interiorem, exteriorem, & posteriorem: ubiq; autem crus extentum est. Si in interiorem & exteriorem partem ueniat, hominem resupinare conuenit: si in posteriorẽ, pronum collocare, tuncq; laqueos æqualiter extendentes membris inijcere, unum quidẽ femori prope genu, alterum cruri super eam regionem, quæ carnosa a posteriori parte prominet, rursusq; organo ad inferiora deligato, easdem adhibere intendendi rationes, quæ in alijs luxatis sunt ostensæ, impulsumq; in opere de articulis declaratum.

De talo. XXIII.

TAlus modo in interiorem, modo in exteriorem partem prolabitur, nonnunquam etiam in posteriorem. rursus itaque oportet hominem sedere, extentoq; cruri laqueum imponere, qui æqualiter extendat, eiusq; capita ad posteriorem partem porrigere, a priori parte ad axem adducere, continendoque ab inferiori parte extendere, & ijsdem uti modis impellendi, quos in opere de luxatis explicauimus. Restituendi rationem præterimus, quoniam de hac præcipue agimus, ubi organorum, quæ plana collocantur, præsertimque nostri machinamenti, motum declaramus.



A Laqueus iniectus cruri æqualiter extendens.
B Sandalius laqueus ad talum datus.

Glossocomum Nymphodori. XXIIII.

GLossocomum Nymphodori tractorium organum est quadratum, habet autem duo latera, quæ extremis partibus per duo transuersaria inter se iũguntur, laterum uero & transuersariorum eadem est magnitudo, sunt enim longa lataque duos palmos, crassa digitos totidem. quare, quum æqualis sit eorum modus, iure glossocomum ex eorum numero est, quæ proprie quadrata appellantur. Media igitur latera exculpta, cauataq; sunt cauis non nimis alte penetrantibus, quibus includitur axis habens in medio tympanum, cui ab utraque parte ferrei unci sunt, duo in unjuersum, uel foramina, in quæ possint conijci funes, quorum hæc ratio est. funes duo uncis medij circunligantur, & ab utraque parte prope foramina nodum accipiunt, quorum capita, quum quatuor sint, duo traijciuntur per transuersariũ prius, ab interiori parte extra, reliqua duo per id, quod posterius est. Secundum tympanum cochlea speciem lentis referens recta collocatur, hæc composito uocabulo græce χωχλιάζων dicitur. eius extremitas demittitur in cauum non penetrans prioris transuersarij: pars uero, quæ cochleæ modo striata est,

est,iuxta tympanum collocatur:quod supereſt ex eius longitudine per foramen transit, extremaq; par E
te baculum uersans habet,quo torquetur, ut cochlea per id uersata tympanum moueat, conuerso hoc
axis uersetur,quo moto funium capita, quæ extra procedunt ad,intendendum ducuntur.Sunt item in
gloſſocomo opercula,ut quæ in eo sunt machinationes occultentur: tum quatuor anuli ad latera fixi,
bini ab inferiori parte,totidem a superiori, ea de causa,ut alligari organum possit. Huius fabricationis
auctor est Aristion filius Pasicratis,siquidem aliter structum fuit a Nymphodoro.in uetusta enim struc-
tura extat cochlea non per transuersarium,sed,qua opercula sita sunt,traiecta. duas enim forfices fer-
reas ad latera affixas habet ad medium pertusas,quarum una axi subijcitur, altera superponitur, utra-
que a latere tympani collocatur,inferior angustius foramen habet,superior latius. Cochlea igitur ab
ea parte,qua opercula sita sunt,traiecta, atque a forficibus contenta, alterum operculum sine impedi-
mento clauditur:alterum claudi non patitur pars cochleæ,quam penetrare diximus, cuiq; baculũ uer-
sans affigitur.hoc itaque operculum medium transuersum in duas partes secatur, quarum altera manet
immobilis,altera clauditur,atq; hæc media in longitudinem lunata figura exciditur,ut, quum opercu-
lum clauditur,lunatum eius cauum propositam cochleæ partem excipiat. Hanc Nymphodori structu-
ram non accepit Aristion, sed adiecit organo axem habentem tympana foraminaque, ut axis, qui in
medio est,motus,ubi uelis,consistat,& ui minime uoluatur.transtulit item anulos iuxta prius transuer- F
sarium,ne organum a parte operculi,sed a parte prioris transuersarij alligetur:traiecit præterea funium
capita per opercula,hæc quidem a superiori parte,illa uero ab inferiori.quod quidem pertinet ad anu-
lorum situm,una nobiscum sentit,sed axem,quem adiunxit,tanquam superuacaneum reijcimus. siqui-
dem unus axis ex robusta materia præparatus,quod opus est,abunde efficit.Sed cum gloſſocomi fabri-
cationem absoluerimus,sequitur,ut ad eius motum ueniamus.

A Latera
B Transuersarium prius.
C Transuersarium posterius.
D Cauum non penetrans.
E Axis habens tympanum in medio.
F Foraminæ in quæ funes conijci possint.
G Funes duo.
H Capita funium traiecta per prius transuer-
sarium.
I Capita funium per posterius transuersarium tra
iecta.
k Cochlea speciem lentis referens.
L Manubriolum.
M Quatuor anuli in transuersarijs.
N Ferrea forfex.
O Pars operculi,quæ manet immobilis.
P Pars operculi in lunatam figuram excisa.
Q Axis habens tympana foraminaq;. G

NYMPHODORI GLOSSOCOMVM CLAVSVM



NYMPHODORI GLOSSOCOMVM APERTVM



H

De motu

A *De motu organi.* XXV.

VBi humeri caput suo loco mouetur,præcipueq; si in alam ueniat,ad scalam eodem modo paratã, quo in Nilei Plinthio explicauimus,nunc pro Plinthio Gloſſocomum alligetur, non ab opercu-
lis,ne sub cochlea habenæ abrumpantur,sed a priori transuersario,anulis prope ipsum affixis. Aperian-
tur item opercula,capitaq; funium ad axem alligata excipiantur,hæc quidem a superiori parte,illa ue-
ro ab inferiori:ac deinceps,ubi restituere uolumus,subsellium prope scalam ponatur, super quod ho-
mo ascendens brachium sic traijciat,ut indatur cuneus in alam:circunligetur insuper humero Charche-
sius laqueus, uel alius æqualiter extendens, eiusque capita ducantur ad superiora funium capita, ut
machinationum motu, aut directis ductionibus ab inferiori parte intendamus, aut alio intercedente
motu,aut per duos contrarios motus interiectos,hoc modo.Laquei capita per inferiores trochleas tra
ijciantur,& cum funium capitibus colligentur,quo rursus fit,ut machinationes motæ,alio interceden
te motu ab inferiori parte extendant: uerum,si per superiores, laquei capita traijciantur,deinceps per
inferiores demissa,ad funium capita uinciantur,rursus machinationum motus per duos cõtrarios mo-
tus interiectos ab inferiori parte extendit.Impulsus uero,quos deinde res postulat, fiunt,quemadmo-
dum dictum est,ubi humerus in alam prolabitur, & per duplicem habenam extrahendo, & intentione
B remissa per manus sursum compellendo.Retulerunt alij organum hoc, ubi a superiori parte extendere
uolumus,idoneum esse, transferunt enim ipsum ad superiorem partem supra caput,cuneumq; ad gra
dum adhærentem,solutum tamen,in alam conijciunt, deinde capita funium cunei, ad inferiora capita
funium organi religant,& Charchesium laqueum humero iniiciunt, cuius capita deorsum adducta ad
imum scalæ gradum immobilem deuinciunt,ut per hæc retinaculis adhibitis directis ductionibus a su-
periori parte intendant.licet etiam organo ab inferiori parte alligato a superiori extendere alio inter-
cedente motu,alligatis enim laquei capitibus,ut(quemadmodum dictum est) retinacula sint, cunei fu
nium capita per trochleas traiecta cum superioribus capitibus funium organi uinciunt,ut machinatio
nibus motis alio intercedente motu a superiori parte extendant,aut laquei capitibus non amplius re-
tinaculi uicem exhibentibus,sed ad funium organi capita alligatis, uel ad superiora directis ductioni-
bus,uel alio intercedente motu ad inferiora idem præstent,cumq; abunde extenderunt,eosdem adhi-
bent impulsus,quos paulo ante proposuimus. Quæ relata sunt, adscripsimus, probamus autem & in
hoc,quod de Nilei Plinthio diximus,ubi scala erecta collocetur,intentionem ab inferiori parte adhibe
ri,cuneo ad scalam alligato:eã uero,quæ uel a superiori parte trahit,uel in diuersa deducit,ex toto præ-
termitti,eiusmodi siquidem imbecilles sunt. Quòd si homo iaceat,sic interdum censui luxatum reponi.
C contentus sum propositis reponendi rationibus exempli causa propter organi motum huc allatis.om-
nia enim luxata per hoc quoq; instrumentum reponi possunt, non secus ac per Nilei Plinthium. utriuſ-
que machinationes sunt diuersæ,sed reponendi rationes eædem, sic, ut liceat ex superioribus uniuer-
sum huius organi motum intelligere.

Trispastum Apellidis,seu Archimedis. XXVI.

ILlud in primis scire conuenit,quod neque Apellides,neque Archimedes medici fuerunt, sed archi
tecti,qui machinamentum hoc excogitarunt(quemadmodum nos accepimus de historia,) ad na-
ues deducendas funibus non per manus, sed per ergatam attractis,illius autem seculi medici eius stru
cturæ modum minuentes trispastum organum medicinale ad luxata, fractaq; restituenda fabricarunt
in hunc modum. Totum organum ex eorum genere est,quæ oblonga quadrata nuncupantur. est autẽ
hoc modo compactum. duo latera longa palmos quatuor digiti crassitudine inter se coagmentantur
per trasuersaria longa palmos duos,crassa digitum, latitudo potissimum posterioris transuersarij sex di
gitos æquat:prioris propter opercula palmos duos.Vt retulit autem Pasicrates, media latera excauata
sunt,cauis non nimis alte penetrantibus, quibus duo axes includuntur rotas habentes in uicinia late-
rum.utriusque axis rotæ perforatæ sunt peruijs foraminibus, quæ non alia de causa facta sunt, nisi ut
D in ea funes immittantur,quorum ratio hæc est. funes duo extrema parte nodum accipientes, coniecti
in prioris axis foramina attrahuntur ita, ut nodi super foramina collocentur: tum funes circa suas
uterq; rotas inuoluuntur,& per posterioris axis foramina traiecti nodum accipiunt.Posterior axis me
dius inter rotas foramen habet,in quod rursus funis conijci debet. sumitur funis longus, qui ab utraq;
extremitate nodum acceperit,deinceps per propositum foramen traijcitur sic, ut nodus foramini iun-
gatur,post hæc circa medium axem inuoluitur,quo facto altera eius extremitas per posterius transuer
sarium,quod medium perforatum sit,traijcitur.at quid nunc fit fune traiecto?manu tractus euolutusq;
posteriorem axem conuertit,quo conuerso alia capita funium,qui extra procedunt,ducuntur.Adhibẽ
tur autem funes quatuor,duo,& item duo,atque ad hunc modum immittuntur. Sumuntur funes duo,
qui extrema parte nodum acceperint, & per duo foramina prioris axis, quæ inter rotas sunt, traii-
ciuntur, attrahunturq; sic, ut nodi foramina contingant, tuncq; funium capita per prius transuersa-
rium perforatum ab interiori parte uersus exteriorem traiiciuntur: aut prehenditur funis unus duplex
cuius capita coniecta in prioris axis foramina attrahuntur,ut medius funis inter foramina statuatur,
postea eiusdem funis capita traiiciuntur per foramina transuersarii prioris. Duo item alii funes
sumuntur nodo extrema parte deuincti, hi per foramina inter rotas posterioris axis facta, & a medio
foramine recedentia attrahuntur, qui deinde, ubi eorum nodi ad foramina peruenerint, tunc

ducuntur

ducuntur, traijciunturque per posterius transuersarium perforatum sic, ut quinque nunc sint funium, E
quæ extra feruntur, capita, duo per prius transuersarium, tria per posterius. his posterioribus manu
attractis, inclusisque funibus (ut dictum est.) inuolutis atque euolutis, capita eorum, qui exterius fe-
rebantur, ducuntur, extenduntque capita habenarum, quibus distenditur corpus. Huiusmodi orga-
ni structuram Pasicrates exponens reprehendit tanquam minime efficacem. vniuersum enim organi
opus consistit in ductione funis posterioris, qui manu attrahitur, at nequit manus in restituendis luxa
tis uim tantam sustinere, præsertim, ubi magni articuli sunt, & corpora robusta. quamobrem organi
structuram immutauit, duosque axes, qui inclusi erant, ita struxit, ut penetrarent, & priorem mino-
rem exiguis capitibus extantem, posteriorem maiorem & longiora capita habentem, & ad prioris
quidem axis extantia capita clauos confixit: posteriori uero uectes adiecit. demissis axibus duobus di
gitis machinamentum in restituendo sic mouit. Habenas extendendis corporibus iniectas ad extan-
tia prioris axis capita deligauit. vt posteriori axe conuerso prior moueretur, & euolutis, inuolutisque
funibus nerui extenderentur. Sed Aristion Pasicratis filius patri aduersatur, ut uetustam organi struc-
turam ignoranti. In uetusta enim (inquit) organi structura, axes non mouebantur in laterum cauis,
sed circa ferreos chodaces affixos lateribus in capreoli formam excauatis, quod uidere licet in orga-
nis ad aquam hauriendam comparatis, quæ ob fabricationis rationem facile conuerruntur, neque ta- F
men rotæ in se continent armillam, sed chodacem. quoniam igitur axes per armillas mouentur circa
chodaces, & rotæ per chodaces circa armillas, axes prompte admodum uersabuntur, atque idcirco
sine impedimento erunt, etiam si funis manu ducatur. Ob id autem ipsum trispastum organum appel-
latum est, quoniam tres funes agunt, unus quidem extra ductus, duo incluſi. Hactenus ipse probabi-
liter scripsit, sed uera sunt, quæ a Pasicrate adducuntur. non enim potest manus funem ducens bene re
stituere, sed fortasse monstrationis causa in ludo organum mouere, uis autem, quæ in restituendo re-
quiritur, per manum minime poterit adhiberi, atque ea de causa ijsdem omnibus factis, quæ in uetusta
scriptura sunt ostensa, tertium axem organo adijciendum iudicauimus, cuius capita traiecta per latera
essent, ut posterior axis nunc medius fiat, medius autem perforetur, in extantibus capitibus uectes
demittantur, uel manubriola, aut bacula ductaria. medius uero funis posterior, ubi circa axem est in-
uolutus, traiicitur per foramen axis penetrantis, suoque ibi capite alligatur. His ita constitutis con-
uersus posterior axis, ille inquam cuius capita extant, funem circa se inuoluit, quo fit, ut medius axis
moueatur, quo moto prior quoque axis mouetur. Tribus axibus conuersis, funium, qui extra ducun-
tur, capita tenduntur, cum quibus uinciuntur habenæ, quæ corpora extendunt. Habet item orga-
num opercula, ueluti glossocomum, ne machina- G
tiones oculis exponantur, atque item anulos ad late-
ra affixos, quibus alligetur. Hæc est uniuersi trispasti
fabricatio. Restituendi autem modi aptantur iidem,
quos posuimus in glossocomo. distat enim solum, qui
bus mouetur, machinationibus: præterea funium ea-
dem est ductio, habenis ad eos alligatis. Sed iam tri-
spasti fabricationem explicatam habemus.

TRISPASTVM APELLIDIS, SEV ARCHIMEDIS,



H

A Duo latera.
B Prius transuersarium.
C Posterius transuersarium.
D Duo axes habentes rotas in uici-
nia laterum.
E Funes circa rotas inuoluti.
F Funis coniectus in foramen medium inter rotas
posterioris axis.
G Funis duplex, cuius capita traiecta per foramina
prioris axis per prioris transuersarij foramina
traijciuntur.
H Tertius axis, cuius capita traiecta sint per
latera.
I Vectes in extantibus capitibus demissi.
K Anuli ad latera affixi.

Fabri

A *Fabri organum.* XXV.

FAbri organum ad hunc modum fit. super basim, quæ ὑποτρόχιον nominatur, pro organo dimensam,
statuuntur crura duo, quorum longitudo duos cubitos & semisse æquat, aut etiam excedit: la-
titudo implet digitos quatuor: crassitudo tres. crura hæc per duo transuersaria inter se coagmentan-
tur, altero ab inferiori parte, quod quinque palmos a basi recedat, altero a superiori, qua crura finiun-
tur. inferiori transuersario subijcitur asser transuersus, qui & cum lateribus organi, & cum transuer-
sario committitur: hunc asserem sedile consuerunt omnes appellare, cuius medium ad transuersariũ
exciditur ad effigiem Δ. inuersi, qua parte transuersario infigitur æneum Δ. Accommodatur tam cu-
uum, quàm Δ. demittendo priapisco octo digitos longo. Inter transuersaria ab interiori parte crurum
canaliculi excauantur, in quibus, dum luxata reponuntur, moueatur quadrata testudo, spatham, &
cubitos mouens. quandoquidem prior pars testudinis (frontem dicunt) peruio foramine pertundi-
tur, in quod radix coniicitur, cuius extremum, qua extenuatur, ad posteriorem testudinis partem per
crassitudinem traijcitur. Proposita pars radicis peruio foramine pertunditur, per quod fibula demit-
titur, ne radix euellatur, sed manens in foramine torqueatur. Fibula autem in extrema radice scutu-
lo superposito includitur. Radix eo pertinet, ut spatham in organo sustineat, habet enim organum
B spatham capitulo leniter cauo assurgentem, ita longam, ut a testudine ad superius transuersarium,
quod caput nominatur, pertineat, & cuneati axis modo excedat. huius spathæ extremitas, quæ con-
tra capitulum est, media in quadratam figuram exciditur, atque in id cauum includitur radicis extre-
mitas lata, quæ perforatur. perforatur item spatha ab uno latere ad alterum, in quod foramen fibula
demittitur, ut spatham detineat ad radicem. ipsa uero testudo iuxta medium pertunditur foramini-
bus quatuor, uel ordine dispositis, uel duobus a priori parte, totidem a posteriori constitutis: quæ
non alia de causa fiunt, nisi ut funes in ea indantur, ut in sequentibus ostendam. Medium caput, hoc
est superius transuersarium in quadratam figuram excauatur, in quod cauum duplex trochlea inditur,
quæ circa axiculum uersatur. habet item superius transuersarium duo alia caua quadrata peruia, nem-
pe ab utroque trochleæ latere unum, in quæ conijciuntur quadratæ cubitorum partes: duo enim cu-
biti per superius transuersarium demittuntur deorsum, & testudini inhærent, quæ quadrata caua in
summo habet. Imas cubitorum partes quadratas tenuesq; architecti calces nuncuparunt: superiores
latas ac rotundas dixerunt alas. In alas ergo cubitorum, quæ superius transuersarium excedunt, &
peruijs foraminibus pertusæ sunt, axis conijcitur, cuius capita utrinque excedunt, medium cuneatum
est, in extremis capitibus uectes sunt, uel manubriola ductaria, quibus conuertatur. Alarum partes
C priores iuxta foramina & axis capita rursus forantur, vt, siquando opus sit, in foramina fibulæ demis-
sæ seruent axem immobilem. Organo præterea iuxta crurum extremitates alia duo sunt adiuncta cru-
ra, ut, siquando sedilis uicem exhibeat, super basim atque adiuncta crura iaceat. Verum, quia testudo
per funem elata, & cubitos & spatham attollit, in sequentibus qua ratione funis indatur, adijciam. Su-
mitur funis duplex, cuius capita per duo foramina, quæ uel iuxta cubitos sunt, uel a priori parte, uel
a posteriori, uel in medio traijciuntur, uel ab inferiori parte sursum adducuntur sic, ut medius funis in-
ter foramina collocetur: deinde capita sursum feruntur, & circa duplicem trochleam prioris transuer-
sarij inuoluuntur, atque (ut dictum est) permutata deorsum procedunt, & ad clauos penetrantis axis re-
ligantur, continetur enim organo Fabri alius axis coniectus in crura, quæ super transuersarium infe-
rius digitis quinque interpositis perforata sunt. in axis medio duo claui sunt infixi, in extantibus capi-
tibus uectes uel manubriola ductaria, quibus conuertitur axis, cuius conuersio per funes testudinem
attollit, atq; unà cum spatha simul cubiti & axis, qui alis continetur, sursum feruntur ad luxata, quæ a
superiori parte extenta in suam sedem collocantur. Huiusmodi est antiqua structura organi, quod ad
Fabrum refertur auctorem.

A Baſis.
B Crura duo.
C Tranſuerſarium ſuperius.
D Tranſuerſarium inferius.
E Aſſer trāſuerſus ſubiectus inferiori trāſuerſario.
F Medium aſſeris exciſi ad formam .Z. inuerſi.
G Priapiſcus.
H Canaliculi excauati ab interiori parte crurum.
I Quadrata teſtudo.
K Spatha.
L Cubiti.
M Prior pars teſtudinis p uio foramine pertuſa
N Radix.
O Fibula demiſſa per radicem.
P Capitulum ſpathæ cuneati axis modo.
Q Extremitas ſpathę in quadratam figuram perforata.
S Foramina quatuor teſtudinis.
R Duplex trochlea īdita in cauum ſuperioris tranſuerſarij.
T Caua duo quadrata ſuperioris trāſuerſarij, in quæ demittuntur cubiti.
V Imæ partes cubitorū quadratæ.
X Superiores cubitorū partes rotundæ, quæ alæ dicuntur.
Y Axis in alas cubitorū demiſſus.
Z Fibulæ demiſſæ in alas perforatas, quę axem immobilem ſeruent.
a Alia duo crura adiuncta.
b Funis duplex.
c Alius axis, qui in cruribus continetur.
d Vectes, quibus conuertitur axis.
e Binæ trochleæ ad baſim.
f Binæ trochleæ ad ſumma crura.
g Cuneus.

FABRI ORGANVM



FABRI ORGANVM



De motu

De motu organi. XXVIII.

CVm erecta organa comparentur ad reponendum humeri caput excitando, & alijs quoque modis idonea ſint, de humeri capite reſtituendo tractare conſtitui. ordiar autem ab eo caſu, ſub quo in alam prolabitur. Verum, ut organi motum perfectum habeamus, quaternæ trochleæ organo adijcientur, binæ ab inferiori parte, qua baſis ſurſum ſpectat, totidem a ſuperiori ad ſumma crura, ubi ergo luxatum reſtituere uolumus, cuneata pars axis primum lana uel linteo circundetur, ſubſelliumque iuxta organum ponatur, ſuper quod homo aſcendat, deinceps uinciantur crura quidem habena inter ſe, ſed integrum brachium extentum, ad latus. in foramina autem alarum, indantur fibulæ, ut axis ſeruetur immobilis, uſque dum eo moto opus erit. His ita conſtitutis brachium ſuper axem imponatur, atque ubi cuneata pars axis in alam coniecta ſit, laqueus Charcheſius, uel alius æqualiter extendens humero inijciatur, eiuſque capita deorſum adducta, ad clauum eius axis, qui cruribus annectitur, alligētur, funę non amplius indito, quemadmodum in organi fabricatione retulimus, axis conuerſio directa
B ductione ab inferiori parte extendet. id quod etiam, alio intercedente motu, ad hunc modum fit. Laquei capita primo per inferiores trochleas traducuntur, inde ſurſum data ad clauos axis alligantur, ut hic uerſatus propoſitam intentionem moliatur. Idem quoque efficitur duplici contrario motu interiecto, laquei enim capita per inferiores trochleas traiecta ad ſuperiores ferūtur, inde ad axis clauos uinciuntur, ut duplici contrario motu interiecto ab inferiori parte extendant. Tales ſunt modi, quibus ab inferiori parte intendimus. Si quis autem a ſuperiori intendere uoluerit, funę in teſtudinem coniecto ueluti in organi ſtructura poſuimus, laquei capita deorſum adducat, & tanquam retinacula ad aliquid immobile deuinciat: poſt hæc axem conuertat. quo conuerſo teſtudo alio motu intercedente, per funē elata a ſuperiori parte intendet. Ex his quoq; ille modus cōprehēditur, qui in diuerſa extendit, hic nō amplius requirit, ut capita retinacula ſint, ſed ab interiori parte ad axis clauos uinciantur, uel per ſe uel alio motu intercedente, ut per unū machinationis motum, propoſitus extendendi modus adhibeatur. Seruetur autem in intendendo axis immobilis, quem admodum declarauimus. Poſtquam abunde intenderimus, fibulæ, quæ moueri illum non patiebantur, recipiendæ ſunt,
C atque ipſe per uectes uel manubriola ductaria conuertēdus, ut cuneo aliqua ex parte inclinato, extrahendo impellamus, ſicut in alijs organis oſtendimus: poſt hæc dum reſtituimus humero deorſum intento, miniſter a poſteriori parte aſſiſtēs manus det ad ceruices hominis, ut corpus uerſus pedum regionem cogat in contrariam partem. Verum, ubi reſtituimus, miniſtro id præſtante, quod oſtendimus, ſubſellium pedibus hominis ſubiectum ſubtrahatur, ut ipſe ſuſpendatur ab organo, tum (ut alibi dictum eſt) eodem momento, quo ab inferiori parte extendimus, atq; excitamus, per cuneum extrahēdo impellemus, deinde intētione remiſſa ſurſum cogemus, utraque manu membro comprehenſo, &, ut in ſuum locum recōdatur, elato. Hac igitur ratione humeri caput in alam prolapſum reſtituitur.



Verum ſi in priorem partem aut poſterioręm ueniat, uertere
D ſic axem oportet, ut quod ex eo cuneatū eſt deorſum, ſpectet ſurſum, quod æquum eſt. hoc ſiquidem nunc aptatur ad reponendum humeri caput, quod in propoſitas eruperit. Eo facto homo ſuper ſubſellium, quod iuxta ſit, aſcendens brachium ſuperponat ſic, ut axi inſidat: deinde humero inijciatur laqueus æqualiter extendens, cuius capita deorſum ad axem alligentur: eædemq; intendēdi rationes adhibeantur, quæ traditæ ſunt, ubi in alam excidit. Neruis abunde diductis impulſus cōuenit, quem in aliorum organorum motione monſtrauimus.

Sed ſi neque cubiti ſint, neque axis in alas coniectus, humeri caput in alam prolapſum ita reſtituitur. agitatur ſpatha ſic, ut capitulum eius, perinde atque cuneata pars axis ſuperius trāſuerſarium excedat, tum duplex habena media inter ſpatham & tranſuerſarium datur, cuius capita ab exteriori parte pendent. In reſtituendo autem, æger ad organum aſſiſtens, brachium ſuper tranſuerſarium imponit ſic, ut ſpatha in alam indatur, poſt hæc Charcheſius laqueus, uel alius æqualiter extendens humero injcitur: cuius capita deorſum demiſſa ad tranſuerſarium ut retinacula deligātur: funę ad teſtudinem dato axis conuerſus teſtudinem, cumq; ea ſpatham attollens a ſuperiori parte extendit. Aptatur item ille extendendi modus, qui in diuerſa ducit. laquei capita mutata ad axem alligantur, tunc ſiquidem conuerſus axis in diuerſa diducet. poſtquam ſatis extenderimus, duplicis habenæ capita continenda ſunt, &

per

per hanc ipſa ſpatha, ut per ſpatham extrahendo impellamus. Quo facto intentio remittenda eſt, mẽ E
brumq; ſurſum adducendum, ut quàm celerrime in ſuum locum articulus collocetur. At ſi organum
non ſpatham habeat, non cubitos, non axem illis contentum, humeri caput in alam ueniens per cuneũ
ſic reponi debet. cuneus, in quem funes coniecti ſint, ſuperiori tranſuerſario inſidat, & per funes ad ip-
ſum uinciatur, deinceps æger brachium ſuperimponat, cuneuſq; in alam conjiciatur, quo coniecto la-
queus Charcheſius humero circumligetur, eiuſq; capita deorſum demiſſa dẽtur ad axem, qui cruribus
continetur, ut axis uerſatio ab inferiori parte extendat. At ubi ſatis intenderit, impellere oportet, uelut
in alijs organis demonſtrauimus, aut extrahendo, aut ſurſum compellendo, qui modi cum ab inferiori
parte extendimus, potiſſimum ad rem pertinent. Placuit alijs per teſtudinem ita reponere. funem pri-
mo reſoluunt, ipſumq; duplicant, cuius duplicati capita per duo teſtudinis foramina traijciunt, a ſupe-
riori parte deorſum, & ad inferioris axis clauos alligant. attollunt itaque teſtudinem prope ſuperius
tranſuerſarium, tuncq; reſtituendum brachium ſuperinijciunt, cuneumq; in alam demittunt, poſt hæc
brachium per palmam iuncturam ad teſtudinem uinciunt. his ita conſtitutis inferior axis conuertitur
teſtudoque a ſubiecto fune deorſum uerſus attracta ab inferiori parte ducit. quo pacto intentio
quidem ab inferiori parte adhibetur, ſed humero ad teſtudinem alligato prohibetur conueniens F
impulſus.

Cubito in illas tres partes elapſo ubi brachium curuatur, interiorem inquam, exteriorem, & poſte-
riorem, iuxta organum ab omni parte præparatum ſtare æger ſuper ſubſellium debet, atque axis con-
uerti ſic, ut pars eius, quæ cuneata eſt, deorſum ſpectet, ſurſum, quæ ęqua, dehinc brachium dare ſuper
axem. quo facto humerus ad axem per palmam iuncturam deligandus eſt: brachio uero in uicinia ma-
nus inijciendus eſt laqueus inæqualiter extendens, eiuſque capita ſurſum adducenda, & ad alam, uel
ad extans caput axis è regione alliganda. brachio ſic ad rectum angulum figurato habenæ uel latæ fa-
ſciæ medium ad eam regionem detur, quæ proxime ſub cubito eſt, cuius capita deorſum ad axem por-
rigantur. Quod ad extendendum pertinet, ijdem modi conueniunt, quos, ubi humeri caput reſtituitur,
oſtendimus, nunc ſiquidem licebit uel continendo, & a ſuperiori parte extendendo, uel in diuerſa ducẽ
do uim adhibere, qua abunde adhibita eadem impellendi ratio accommodatur, quæ tradita eſt, ubi
de aliorum organorum motu pertractauimus. At ſi cubitus in priorem partem moueatur, in quo caſu
brachium extenditur, membro ſuperimpoſito humerus ad axem deligetur, tunc Charcheſius laqueus,
uel alius æqualiter extendens brachio injiciatur, eiuſque capita deorſum ferantur, eadem intendendi
ratio adhibeatur: poſt idem impellendi modus expeditiſſimus, quem in tractandis organis demonſtra-
uimus. Proprie autem ſpatha plurimum uidetur ad cubitum reſtituendum pertinere. Videamus autem, G
quo modo, ubi neque cubiti in organo ſint, neque axis in alis contineatur, opus hoc efficiendum ſit. Fu
nis igitur reſoluitur, duplicaturq;, & eius capita per duo foramina teſtudinis a ſuperiori parte deorſum
traiecta, ad axis clauos alligantur. teſtudo autem cum ſpatha prope ſuperius tranſuerſarium attollitur,
dein ſpatha torquetur, & brachium ſuper tranſuerſarium, cui lana circundata ſit, imponitur, humeruſq;
ad tranſuerſarium per palmam iuncturam alligatur, brachium uero ad ſpatham toto membro curuato.
conuertitur igitur axis cruribus contentus, teſtudoq; deorſum uerſus a fune coacta ſpatham ſimiliter
deorſum adducit, ſicq; ab inferiori parte intendimus. At, ubi ſatis extenderimus, aptatur impulſus, quẽ
paulo ſupra poſuimus, ſi in exteriorem uel interiorem partem cubitus elabatur, adducendo: ſi in poſte-
riorem, extrahendo. Porrò ab inferiori parte extendere poſſumus, impulſu autem, eo quòd brachium
deuinctum ſit, ad ſpatham extrinſecus prohibemur, niſi, cum radix euelli ex foramine poſſit, extrahen-
do impellamus. Magis autem accommodatur ſpatha, ubi cubitus in priorem erupit, quem ſi reſtituere
uelimus, funem demittere ſimiliter oportet, ſinereq;, ut ſpatha dependeat, deinde membro ſuperinie-
cto, humerum ad tranſuerſariũ deuincire, brachiũ uero ad ſpatham, poſt hæc ab inferiori parte exten-
dere, ui, quantum res poſtulat, adhibita impellere, ante quidem premendo, tum circunducendo, ſpatha
cum brachio torta curuataq; premendi cauſa. hactenus de cubito luxato. H

Ex Rufo ſcamnum Hippocratis. XXIX.

HIppocrates maxime admiratione dignus multis in locis ſuum organum ξύλον appellauit, in quibuſ
dam etiam κεδρίων: recentiores id βάθρον, id eſt ſcamnum, dixerunt, eoque affixis cruribus & pro or
gano & pro ſcamno uſi ſunt. ſtruitur autem ſic. Paratur lignum ſex cubitos longum, latum duos, nouem
digitorum craſſitudine, reſupinaturque, & quatuor alia ligna pedem longa extremis partibus rotun-
da, duo ſcilicet, & duo cum eius extremis iunguntur, huiuſmodi ligna, quæ φλιεὶ ab Hippocrate
uocantur, in latitudine peruijs foraminibus pertunduntur, quibus continentur penetrantes axes
in medio clauos habentes, & in extantibus capitibus manubriola ductaria ad conuertendum.
totum lignum in medio uſque ad alteram partem quatuor digitorum ſpacio iniecto caua habet,
quorum altitudo pariter & latitudo treis digitos æquet; caua hæc Hippocrates κεπέτους nuncu-
pauit. Medium præterea lignum alte in quadratam figuram excauatur, quo ſcalmus demittitur, qui
priapiſcus uocatur. Alias item habet φλιὰς in medio ad ſimilitudinẽ literæ Π, non inutiliter adiectas.
Structura igitur Paſicrate auctore huiuſmodi eſt, cui deinceps ſubdam qua ratione moueatur
ſcamnum

A ſcamnũ Hippocratis, quod ubi uetuſtam ſtructuram habeat, homine iacente, ad lu
xata omnia reſtituenda ido neũ eſt, ut dum ſingula exequar, declarabo.

Scamnum Hippocratis.

A LIGNVM QVADRANGVLVM SEX CVBITORVM, LATITVDINE BICVBITALI. CRASSITVDINE DODRANTALI.
B POSTES BREVES AXES HABENTES.
C FOSSVLAE.
D LIGNVM TERES IN MEDIO CAVO INFIXVM.



E POSTES PEDALES LIGNVM TRANSVERSVM TANQVAM SCALAE GRADVM CONTINENT.

De maxilla reſtituenda. XXX.

MAxilla excidente, ſiue ab altera parte, ſiue ab utraque homo reſupinatur ſic, ut caput iuxta axẽ, qui ab eius parte eſt, collocetur, brachijs ad pectus, atque abdomen alli
B gatis, cruribuſq; inter ſe, & om nibus ad ſcãnum organum deuinctis, tum capiti ea iunctura imponitur, quæ lepus auritus dicitur, eiuſque ſinus ad ea ligna, quæ proximum axem ſuſtinent, ut retinacula ſint, deligantur, media habena in os inditur, quantum poteſt intima, iuxta eam regionẽ, qua maxilla cum malis committitur, inter dentes maxillares eiuſq; capita deorſum demiſſa ad axem, quia pedibus eſt, alligantur, aliaque habena media mentum complecti tur, & in utranque partem ultra caput adducta ad axem, qui ſuper ipſum eſt, diducendi cauſa deuincitur. his ita conſtitutis, inferior axis torquetur, ut continendo, & ab inferiori parte extendendo uis adhibeatur. Poſtquam in
C tenderis, quantum res poſtulat, ad eos impellẽdi modos uenies, quos in opere de articulis expoſuimus. Si maxilla quidem ab una parte exciderit, tria efficies, adduces, premes, & ſurſum compelles: ſin ab utraq; extrema mota fuerint, premere conueniet, & ſurſum compellere. hęc de maxilla, nunc uenio ad humeri caput.



A Iunctura lepus auritus.
B Sinus leporis deligati ad ea ligna, quæ ſuſtinent axẽ proximum, ut retinacula ſint.
C Habena, quæ media in os inditur.
D Capita habenæ alligata ad axem, qui a pedibus eſt.
E Alia habena, quæ media mentum complectitur.
F Habenæ alterius capita diducendi cauſa ad axem deuincta.

D

De humeri capite in alam prolapſo. XXXI.

VBicunque humeri caput reſtituimus, ſi in alam uel in priorem partem uenerit, reſupinare hominem debemus: ſi in poſteriorem, pronum collocare. ubi ergo in alam prolapſum reſtituimus, cuneus eo immittendus eſt, ſic, ut qua capitulum aſſurgit rotundum ac leniter cauum, in priorem partẽ ſpectet, qua æquus eſt, in poſteriorem. expedit autem cuneum, ut mollior ſit, linteo uel lana inuoluere. omne enim lignum (auctore Hippocrate,) durum eſt & tactu lædit, atque hac de cauſa potiſſimum lana circundatur. adde, quod hæc ſudorem abſorbet, qui in ala oritur & ob curationis metum, & ob calorem eius partis naturalem, qui ad diducendum confert: & quod cuneum labi non patitur deinde funiũ capita, hæc quidem a priori parte, illa uero a poſteriori ſuper caput ad axem adducenda, media item habena ſub ala inter cuneum & humerum danda eſt. uel (ut alijs placuit,) inter cuneum & latera, eiuſque capita ab exteriori parte attrahenda. Ipſi autem humero Charcheſius laqueus, uel alius æqualiter exten

deus inijciendus,non qua laceratus eſt,ne cum neruoſus ſit,ſi adſtringatur,doleat: ſed ſupra uel infra. E pleriq; ſuperiorem regionem anteponunt tanquam magis idoneam,quod proxime ad articulum accedat,ſed locus hic ad curationẽ minus accommodatur, prohibet enim rectum impulſum. Sub muſculo igitur deligandum cenſemus,& ob hanc cauſam,& propterea quod locus,qui iuxta adſtringitur,ægre laxatur,quæ uero mediocri interiecto ſpatio attrahuntur,facile ſequuntur. Expedit autem,ut laqueus mollius inſidat, humerum lana obuoluere,deinde laqueum injcere: tubercula enim cubito ſubiecta prohibent,quo minus laqueus ſub extendentium ui deorſum labatur. his ita conſtitutis laquei capita deorſum demiſſa e regione ad axis clauum alliganda ſunt.uel circa ipſum obuoluta, uel nodo inter ſe deuincta.magis autem ad rem pertinent, ubi inter ſe alligata clauo circumponũtur, tunc ſiquidẽ opus ſuum firmius præſtant.neceſſe autem eſt,uel continere,& ſeu ab inferiori, ſeu a ſuperiori parte extendere,uel per organi axes in diuerſa contendere,Abunde ui adhibita, primum conuenit impellere, per duplicem habenam extrahendo:& eodem,quo extrahimus, momento cubitum altera manu ab exteriori parte in interiorem agere, intentione adhuc manente: tum hac remiſſa laxataq; manibus ſurſum compellere.At ſi caput humeri in priorem partem moueatur,hominem ſupinum collocamus:pronum ſi in poſteriorem.cuneoq; omiſſo, medium duplicatæ habenæ lana inuolutum ſub alam demittimus, capitaq; eius ſupra caput adducimus,non e regione humeri uitiati,ſed uerſus contrariam partem,homine reſupinato,ſi in priorem partem articulus exciderit. Quæſita autem cauſa eſt, quamobrẽ id fiat. Paſicrates quidem id propterea fieri dixit, ne humerus detineatur habena e regione ſurſum uerſus attracta: recentiores non ea de cauſa capita oblique ducenda eſſe dixerunt, ſed ne corpora, quibus ala continetur, compreſſa lati ſcapularum oſſis ſinum impleant: nobis uero cum omnibus conuenit, capita oblique danda eſſe ad contrariæ partis ligna,quibus axis continetur. Rurſus autem humero Charcheſius laqueus injciatur,uel alius,qui æqualiter extẽdat,eiuſq; capita deorſum ad axem, qui a pedibus eſt,demittantur,ut uel retinaculis adhibitis ab inferiori parte intendamus,uel(ſi placeat,) in diuerſa contendamus. Conuenit autem impulſus, quemadmodum ſupra declarauimus manibus præcipue adducẽdo, comprimendoque. Similiter autem ubi humeri caput in poſteriorem partem moueatur, homine prono eadem moliri conuenit, quæ ubi in priorem uenit, tradita ſunt. At ubi ſatis extenderimus,manibus premere,& adducere,& ſurſum compellere neceſſarium eſt.



G

A Cuneus.
B Funium capita ad axem ſupra caput adducta.
C Habena media inter cuneum & humerum data.
D Charcheſius laqueus humero iniectus.
E Laquei capita ad axem,qui a pedibus eſt,alligata.

H

De humero luxato comminutoq;. XXXII.

NOn nunquam accidit,ut prolapſo humero fractura quoque adijciatur membro medio cõminuto, in quo caſu recondere articulum oportet,& fracturam cõponere.quod ad reponẽdum pertinet,retinaculo uti expedit,& a ſuperiori parte extendere:quod ad fracturam, ſimiliter uti retinaculo,& ab inferiori parte attrahere,ſed ante reſtituere,quod prolapſum ẽ, oportet: deinde,quod fractũ:Ergo,ubi uolumus,qđ prolapſũ eſt cõdere,cuneũ in alã indimus,capitaq; funium ſuper caput attrahimus,ac mediã habenã inter cuneũ & humerũ demittimus, cuius capita ab exteriori parte procedãt. tũ infra cuneũ ac ſuper fracturã charcheſiũ laqueũ inijcimus, eiuſq; capita deorſum ad ligna,quæ axẽ ſuſtinent,ad retinendũ,alligamus:ſed funium capita ad axem,qui ſuper caput eſt,uincimus,ut eo conuerſo & contineamus,& a ſuperiori parte extendamus. Neruis abunde intentis per conuenientem impulſum articulum reſtituimus. quo facto laquei capita ſuper caput data, retinacula fiunt,& alter laqueus æqualiter extendens, cuiuſmodi charcheſius eſt, humero injcitur, cuius capita demiſſa ad axem,qui a pedibus eſt,uinciuntur,ut & retinendo,& a ſuperiori parte extendendo uis adhibeatur. neque nunc eſt, quod timeamus, ne fractura ab inferiori parte attracta repoſitus articulus excidat.ſiquidẽ, cũ a ſuperiori parte tã a cuneo, quàm a ſuperiori laqueo retineatur. Viſatis adhibita fracturam

A fracturam manibus componimus,quemadmodum ſæpius indicauimus. Quòd ſi humeri caput in priorem uel poſteriorem partem uenerit, ubi reſtituitur, eaſdem animaduerſiones deſiderat. hactenus de humeri capite.

De cubito. XXXIII.

CVbito in illas tres partes elapſo, in quas ubi uenit, brachium curuum eſt, neque extenditur, interiorem exteriorem & poſteriorem, homo ſuper organum reſupinetur, quo commode figurato charcheſius laqueus,uel alius æqualiter intendens humero circundetur, cuius capita, ut retinacula ſint,ſurſum ſuper caput uinciantur, brachio autem in uicinia manus laqueus injiciatur,qui inæqualiter extendat, puta Attollens,Chiaſtus,aut Nauticus,cuius capita ſurſum adducta ad ligna, quibus axis cõtinetur,religentur,utrumque ſcilicet ad id,ad quod ſpectat e regione ſic,ut cubitus cum humero ad rectum angulum figuretur. tum duplicatæ habenæ, ſeu latæ faſciæ medium ad brachium detur iuxta cubiti iuncturam:cuius capita ad axem,qui a pedibus eſt,uinciantur. Datis igitur capitibus laquei ad ſuperiora,duplicatæ habenæ ad inferiora,biniſque axibus uno ſuper caput,altero iuxta pedes collocato, uim adhibebimus,uel continendo,& a ſuperiori,uel inferiori parte attrahendo,uel in diuerſa ducendo
B eaq; ratione impellemus,quæ reponendo articulo idonea ſit.ubi in interiorem uel exteriorem partem conuertatur,adducemus:ubi in poſteriorem,extrahemus. Quòd ſi in priorem partem articulus elabatur,in quo caſu curuari extentum brachium nequit, homo ſupinus iaceat in uitiatam partem inclinatus,brachio ſuper ſcamnum extento charcheſius laqueus humero injciatur, cuius capita ſuper caput procedant,extremo item brachio in uicinia manus alius detur laqueus, qui æqualiter extendat, cuius capita deorſum attrahantur,item eadem uis adhibeatur,nempe retinaculis, & intentione a parte inferiori. Equidem ſatius duco in diuerſa contendere, nam hoc ad articulum reponendum efficacius eſt, quàm ſi ab inferiori parte ſolummodo extendamus.oportet autem,cum abunde extenderimus, ad cõmode impellendum tranſire, premendo nimirum & circunducẽdo, premendo quidem intentione adhuc manente,circunducendo,poſtquam remiſſa fuerit. Condito articulo, ut eius reſtituti certa indicia habeantur,experiri oportet naturales brachij actiones,flexum inquam & porrectionem, præterea ſitũ in pronũ habitum,ac ſupinum,quoniam,ubi huiuſmodi actiones liberæ ſint, perfecte reſtituti articuli ſi dem faciunt:poſſumus & conferentes cum altero cubito,num ex toto luxatum reſtituerimus,colligere quo perfecte reſtituto brachium commode ad rectum angulum curuetur, contineaturq; in ſequentẽ curationem. Duo igitur brachij oſſa,ubi ſuo loco mota ſunt,his modis reuertuntur.ſed poteſt ſeorſum
C utrunq; etiam offendi,cum cubitus erumpat,radius diducatur,quod nunc quoque explicabo. Læditur per ſe cubitus radio inuiolato:dehiſcit ſeorſum radius,cubito in ſua ſede manente. utrumlibet horum oſſium lædatur,ubi per hoc organum reſtituitur,humerus iniecto laqueo ad ligna, quæ axem ſuper caput continent,alligatur,extremoq; brachio rurſus laqueus circundatur,qui inæqualiter extendat, ſicut Attollens,aut Nauticus,cuius capita deorſum demiſſa intendendi cauſa ad axis clauos uinciuntur. In circundando laqueo,qui inæqualiter extendit,id obſeruatur, ut ſinus ſuper eam partem, quæ reponitur,capita ſuper contrariam collocentur,ſiquidem laquei inæqualiter extendentes proprie illas partes magis cogunt, quibus eorum capita inſident, minus uero contrarias. Ergo,cum brachium duobus oſſibus contineatur,ubi alterum ſuo loco motum reponitur,cogere id potiſſimum expedit, & alterum,ſi fieri poteſt,non urgere. Intentione abunde adhibita,illi conueniunt impellendi modi, quos luxati genus poſtulat,ſiquidem cubitus in interiorem partem uenerit, utriuſque manus digiti inter ſe iuncti ab exteriori parte radij eminentiam cubiti complectuntur, prominentioreſque palmarum partes a latere dantur,ut his impellentibus quaſi adducendo,os in ſuam ſedem collocetur. At ſi cubitus ad poſteriora radij proruperit,brachio aliquantiſper curuato,eodem momento, quo ab inferiori parte extendimus, prominentiori palmæ parte premere debemus, ut os in ſuam ſedẽ reponatur. hæc enim premendi
D ratio ad reſtituendum proprie aptatur. At,ubi radius in priorem partem recedat, extento brachio perinde agere conuenit,quaſi utrunq; in eandem partem exceſſerit:adhibenda itaque uis eſt, & continendo,& ab inferiori parte extendendo, quo abunde facto duplex impulſus accommodatur, & qui premit,& qui circumducit,qui premit intentione manente,hac remiſſa,qui circumducit, ut oſtenſum iam eſt. Commune eſt utriuſq;, ubi reſtituta fuerint,ſpectare, an brachium ſuo munere ſine impedimento fungatur,curuetur nimirum,& extẽdatur,& ſupinum,pronumq; figuretur,quæ actiones, ſi liberæ ſint, ex toto reſtitutum eſſe teſtantur. quo facto brachium, in ſequentem curationem ad rectum angulum collocetur.

A Charchesius laqueus humero iniectus, cuius capita sursum, ut retinacula sint adducuntur.
B Attollés laqueus in uicinia manus, cuius capita ad ligna, quibus continetur axis, religantur.
C Medium duplicatæ habenæ ad brachium datæ.
D Capita duplicatæ habenæ religata ad axem, qui a pedibus est.



De manu. XXXIIII.

MAnus in quatuor partes prolabitur, in interiorem exteriorem, priorem, & posteriorem. Oportet, si in interiorem partem ueniat, supinam collocare, super scamnum homine similiter resupinato, pronam, si in reliquas tres partes elabatur: deinde Charchesium laqueum uel alium æqualiter extendentem brachio inijcere, & super sinum manus dare uectem transuersum, uel ferramentum, quo adurimus, ad palmam ipsam deligare eo uinculo, quod [Ad extremas partes] inscribitur: tum uectis uel ferramenti extremitatibus injicere, uel medias habenas duplicatas, uel laqueorum inæqualiter extendentium sinus, deorsumq; demittere, atq; alterum laqueum æqualiter extendentem brachio circũponere, eiusque capita super caput adducta, ut retinacula sint, deuincire: quæ uero deorsum ferebantur capita extendendi causa ad axem, qui a pedibus est, religare, ut eius conuersione & contineamus, & ab inferiori parte extendamus. quam rem ubi satis præstitimus, conuenienter impellimus. Nunc autem maxime ad manum restituendam pertinet adhibito retinaculo, ab inferiori parte extendere: licebit præterea & sursum adducere, & in diuersa contendere. Neruis abunde diductis impulsus necessarij sunt, qui eam compellere in suum locum possint. quòd si in interiorem uel exteriorem partem exciderit, prominentiori parte palmæ, aut etiam calce superdato pressa ossa coguntur, deinceps manus iuxta digitos huc atq; illuc agitur: sin in priorem uel posteriorem partẽ eruperit, utiliter adducendo impellimus.

De spina luxata. XXXV.

HIppocratis organum luxatis omnibus restituẽdis accommodatur, sed præcipue spinæ, quæ, ubi gibba facta est, tunc maxime curari posse censetur, cum recens ex ictu uitium est. collocatur igitur homo pronus super scamnum, ut laquei capita e regione ad axem ferãtur: circumdantur spinæ laquei duo æqualiter extendentes, unus supra gibbum locum, alter infra, aut quaterni ex ijs, qui inæqualiter extendunt, bini a superiori parte, totidem ab inferiori inter se aduersi injiciuntur, ut in opere de luxatis explicauimus. Vis neruis adhibetur potissimum in diuersa deducendo, interdum tamen continendo, & uel ab inferiori, uel a superiori parte extendendo. Intentione abunde adhibita, ille impulsus, quo premimus, accommodatur. Hippocrates uarios tradidit impellendi modos, & per prominẽtiorem palmæ partem, & per spatham premendo idoneam. Impulsus per huiusmodi spatham illis restituendi modis annumeratur, qui facile cõparantur. extremitas enim spathæ in fossam aliquam demittitur, uel in lignum excauatum. Nos, ut spathæ obex opponeretur, Hippocratis scamno .π. ferreum adiecimus, quod & extrahi & infigi posset, & spathæ rñderet, pertusumq; pluribus foraminibus esset, & in foramina crurum organi demitteretur. ut .π. pro gibbi magnitudine accommodaretur, spathaq; extrema in .π. iecta, eius partem premendo accommodatam super gibbum dantes premendo impulimus. Alij duplicatæ habenæ medium organo subijcientes eandem spatham super locum iniectam premunt. Premendi modum in opere de articulis exquisitius indicauimus.



A Laqueus

A A Laqueus æqualiter extendens supra gibbum, cuius capita recta ad axem feruntur.
B Laqueus æqualiter extendens infra gibbum, cuius capita recta ad axẽ feruntur.
C Spatha.
D .π. ferreum.

De femore. XXXVI.

FEmur in quatuor partes promouetur, in interiorem, exteriorem, priorem, & posteriorem: si in tres partes prolapsum est interiorem, exteriorem & priorem, crus extensum est, implicariq; non potest: si in posteriorem, curuum est, neque extenditur. Ergo, si in illas treis partes erumpat, in quas ubi uenit, crus extensum est, resupinato homine medium duplicatæ habenæ lana inuolutum inter anum & naturale demittendum est, capitaq; eius super caput adducenda: ubi in alias partes uenerit, nullo interposito discrimine inter anum & naturale dari habena debet: sed ea animaduersione, si in interiorem partem exciderit, ut ad integrum femur magis spectet, ne femoris caput, cum extenditur, habena media detineatur, cuius capita uel ad axem alligentur, ubi in diuersa contendimus, uel ad ligna, quibus axis, qui a capite est, cõtinetur: ubi & retinemus, & ab inferiori parte extendimus. Extremo autem femori prope genu Charchesius laqueus injiciatur, eiusque capita deorsum demissa ad axis clauum uinciantur, ut eo conuerso, & contineamus, & ab inferiori parte adducamus. Neruis, quantum res exigit, intentis ueniendum est ad impulsum.

De femore in interiorem partem prolapso. XXXVII.

PRoprie autem ad femur in interiorem partẽ prolapsum excogitata sunt ligna ad similitudinem .π. a lignis, quibus axis continetur, non abhorrentia. Vbi ergo femur in interiorem partem erumpens restituitur, æger in integrum latus uersus iaceat, euulsoque priapisco integrum crus proposito ligno subiiciatur, alligeturque ad scamnum ita, ut immobile perseueret, eademq; ratione & brachia, & reliquum corpus, crus autem uitiatum detur super transuersarium lignorum, quæ .π. literam repræsentant, ita, ut trãsuersarium inter anum & naturale collocetur. sed extremo femori iuxta genu injiciatur laqueus, uel Charchesius, uel alius, qui æqualiter extendat, eiusque capita ad inferiorem axem demittantur. Super ipsum uero lignum .π. literam repræsentans sub crure, quod restituitur, detur spatha, quæ premendo aptatur, uel lignum habens in summo capitulum rotundum ac leniter cauum, ab interiori parte a summo crure ad imum pertinens. Quo facto, ubi restituere uolumus, axis conuertitur, cuius conuersio ab inferiori parte extendit. postquam uires abunde extenti fuerint spatha, uel eo ligno, quod in summo capitulum habet, super id lignum, quod .π. literã refert, cum crure magna ui deorsum adducto, impulsus extrahendo adhibetur, post quem alius idoneus est, qui sursum uersus compellit. quemadmodum diximus de humero in alam prolapso.



A Postes .π. literam repræsentantes.
B Transuersarium.
C Charchesius laqueus.
DD Lignum a superiori parte cruris ad imum pertinẽs.

De femore in posteriorem partem prolapso. XXXVIII.

VErum, si femur in posteriorem partem elabatur, neque pronum, neque supinum hominem collocamus, sed sedentem, magis autem in integram coxam inclinatum. Homine ita figurato, duas prehendere habenas oportet, earumq; unam simplicem extendere, atque alteram duplicem demittere in mediam simplicem, & simplici quidem hominem cingere, duplicem a superiori parte deorsum demittere, ab ea regione, quæ umbilico proxime subijcitur, ad eam, quæ inter anum & naturale est, & per anum sursum adducere, ut quatuor habenæ capita a posteriori parte ad retinendum uinciantur. Retinaculis datis lata pars spathæ, quæ premendo accommodatur, coxæ supponatur, imoque femori iuxta genu laqueus injiciatur, qui æqualiter extendat, cuius capita ad inferiorem axem demittantur, ut eo conuerso, & contineamus, & ab inferiori parte intendamus. Intentione satis adhibita, dum adhuc intendimus, caput femoris per spatham in exteriora propellatur, apertaq; manu æger resupinetur, per hanc enim uim femur in suum locum compelletur. Repositi autem indicium erit, comparatio cum altero crure, & liberæ ipsius actiones. nam, si citra impedimentum complicari & extendi potest, ex toto intus esse conijciendum est.

De genu.

De genu. XXXIX.

GEnu in tres partes prolabitur, interiorem, exteriorem, & posteriorem. In omnibus his casibus, crus extensum est, & minime complicatur. Oportet, si in exteriorem partem prociderit, hominem extento crure super scamnum collocare: tum duos laqueos æqualiter extendentes, cruri injicere: alterum a superiori parte super femur, alterum infra genu: dein capita superioris super caput adducere, inferioris ad axem: neruosq; intendere, quemadmodum in reliquis articulis dictum est, siue retinaculis usi ab inferiori uel superiori parte intendamus, siue in diuersa diducamus. Neruis abunde diductis, si in latus ab inferiori uel exteriori parte motum fuerit, ille impellendi modus conuenit, qui adducit: si in posteriorem, & ille qui premit, & ille qui circunducit. quos impellendi modos, cum similes illis sint, qui ad cubitum traduntur, commode in hunc locum transferuntur.

De talo. XL.

TAlus modo in interiorem partem procidit, interdum in posteriorem quoque conuertitur, in quas partes ubi uenerit, æque resupinare hominem conuenit crure extento: ac cruri Charchesium laqueum æqualiter extendentem circumponere, eiusque capita a posteriori parte ad axem, qui supra caput est, adducere: talo autem draconem uel sandalium laqueum injicere, eiusq; capita ad inferiorem axem alligare, tuncq; membrum uel in diuersa diducere, uel continere, & ab inferiori parte extendere. Neruis, quantum res postulat, diductis conuenienter impellere, ubi in interiorem uel exteriorem partem eruperit, retro cogendo, ubi in posteriorem, extrahendo. nunc siquidem ob eum habitum impulsus extrahendo aptatur. De modis autem impellendi diligentius tractabimus in opere de luxatis.



A Charchesius laqueus.
B Sandalius laqueus.

SEXTAE CLASSIS FINIS.

REGISTRVM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V.

Omnes sunt Quaterniones, præter V. Duernionem.

VENETIIS,
Apud Vincentium Valgrisium.
M D LXII.


VIN
CENT